JOANNIS BRUNNEMANNI

JURISCONSULTI CELEBERRIMI

COMMENTARIUS
IN CODICEM
JUSTINIANEUM

Duobus Tomis divisus

JOANNIS BRUNNEMANNI

Jurisconsulti Celeberrimi

COMMENTARIUS
IN CODICEM
JUSTINIANEUM

QUO

SINGULAE LEGES ET AUTHENTICAE BREVITER ET SUCCINCTE EXPLICANTUR; QUAESTIONES IN ACADEMIIS, ET FORO FREQUENTATAE RESOLVUNTUR; AXIOMATA AB INTERPRETIBUS SUBINDE PROPOSITA EXAMINANTUR, ET ALIA EX IPSIS TEXTIBUS NOTABILIA ERUUNTUR; QUAEQUE ALIAS AD ANALYSIN PERTINENT PER COMPENDIUM QUASI DILUCIDE TRADUNTUR; INSERTO HINC INDE QUID DE JURE TAM COMMUNI NOVISSIMO, QUAM ETC. ETC.

OPUS
THEORETICO-PRACTICUM

CUI PRAETER INDICEM RERUM ET VERBORUM LOCUPLETISSIMUM ACCESSIT EX EJUSDEM AUCTORIS COMMENTARIO AD PANDECTAS, NOTABILIUM, QUAE CIRCA LEGES AFFINES INIBI COMMENTATUS EST

CONTINUA ALLEGATIO

EDITIO NOVISSIMA

AB INNUMERIS MENDIS REPURGATA, NOVIS AC NECESSARIIS ADDITIONIBUS, UT ET SUMMARIIS DENUO LARGITER AUCTA

TOMUS SECUNDUS



LAURETI
EX TYPIS FRATRUM ROSSI EDITORUM
1843

I. N. D. N. J. C.

JOANNIS BRUNNEMANNI

JURISCONSULTI CELEBERRIMI

COMMENTARIUS IN CODICEM

LIBER VII. CODICIS

TITULUS I.

De vindicta, libertate, et apud concilium manumissione.

Quia aliquot Tituli in hoc Libro Septimo de materia manumissionum et causis liberalibus loquuntur, quae maxima ex parte ab usu recesserunt; ideo breviores in his explicandis erimus, et more Paratitlorum hic progrediemur.

SUMMARIA

Objectum libri hujus septimi. num. 1.
Manumissio quot modis fieri soleat. 2.
Manumissio per vindictam coram quo judice fiat. 3.
An per procuratorem fieri possit? 4.
An possit revocari? 5.
Pleraeque circa hanc adhiberi solitae solemnitates in desuetudinem abierunt. 6.

1 De actionibus praejudicialibus, quae statum
hominis concernunt, in *libro septimo* primum
agit Imperator, et quibus modis quis liber fiat.
2 Manumissio enim fit vel actu inter vivos, vel
in ultima voluntate. Illam hic primo tractat,
3 ea autem fit per vindictam, apud Magistratum,
qui tribunali praeest, apud Praetorem scilicet
vel Consulem in Urbe, et in Provinciis apud
Praesidem aut Proconsulem, et in Consilio Principis, *l.* 2. *ff. de off. Pro-consul. l. ult. h. t.* Non
nullibi etiam coram municipali magistratu fieri
poterat, cui ejusmodi jus competebat, qui licet non tribunal, legis tamen actionem habebat. Manumissio enim per vindictam, legis actio
fuit, *l. ult. infr. de his qui a non domino manumis.* idcirco non iteratur, *l.* 3. *h. t.* rei enim
perfectae aliquid superaddi non potest. Nec fie- 4
ri potest per procuratorem, *l.* 3. *h. t.* ex eadem
ratione, quia legis actio fuit, licet causa manumissionis per procuratorem probari possit, *l.*
etiam 15. §. 5. *ff. h. t.* nec si ea ob falsam causam 5
semel data, revocari potest, *l.* 1. *h. t.* adeoque decretum ex falsa causa interpositum hic
non retractatur, partim ob auctoritatem actus,
partim ob favorem libertatis, quamvis alias in aliis causis retractari possit, *t. t. Cod. Si ex falsis instrumentis.* Vid. *DD. ad* §. 6. *Instit. quibus*
ex causis manumittere non licet. Sed solemni- 6
tates pleraeque jam tempore Justiniani in desuetudinem abierunt, *l.* 8. *et* 23. *ff. h. t.*

TITULUS II.

De testamentaria manumissione.

SUMMARIA

Altera species manumissionis fit per ultimam voluntatem. num. 1.
Quotuplex sit, et quid utraque? 2.
Quomodo quaelibet dari potuerit, et cuinam? 3. 6. 7. 8.
Quando tempus confirmationis est invalidum, et tempus rei confirmatae sit validum, confirmans trahitur ad confirmatum. 4.
Decisio hujus legis per Nov. 119. c. 2. *facta est inutilis.* 5.
Servus, qui directam accepit libertatem Orcinus *audit.* 9.
Directa libertas quando competat? 10.
Quicquid alienari nequit, nec potest praescribi. 11.
Resoluto jure dantis resolvitur jus accipientis. ibid.
Libertas in fraudem creditoris data, an et quatenus non valeat. 12.
Quid si testamentum ob solemnitatis defectum invalidum sit, an nihilominus valeat libertatis datio. 13.
Quid si haereditas non sit adita, vel memoria defuncti damnata. 14.
Pia legata haereditate non adita non debentur. 15.
De legatis piis non ex subtilitate juris civilis, sed ex aequitate juris Canonici judicandum est. 16.
Quatenus libertas retractari nequeat. 17.
Voluntatis ultimae favor praeponderat favori libertatis. 18.
An libertas in casum nuptiarum filii relicta, sub conditione relicta videatur, et ideo non secutis nuptiis non debeatur. 19.
Quid si nemo haereditatem metu aeris alieni adire velit. 20.
Servus h. m. haereditatem adiens quamnam creditoribus praestet cautionem? 21.
Si servo relicta haereditas, an tacite conditio haec intelligatur, si rationes reddiderit? 22.
Alia quaestio. 23,

1 Altera species manumissionis est, quae fit
2 per ultimam voluntatem, et vel est directa,
vel fideicommissaria. Illa directis verbis datur,
de quibus *l.* 6. *suo loco* (sive latina illa sint,
3 sive Graeca) per *l.* 14. *h. t.* Deinde directa, in
testamento tantum dantur, non in codicillis,
nisi in testamento confirmatis, *l.* 43. *ff. h. tit.*
Quo casu, si testamentum prius a minorenni
factum, fuit invalidum ad libertatem conferendam,
si tamen tempore codicillorum per testamentum
prius confirmatorum, *l.* 6. *supr. de codic.*
fuit major, valebit libertatis datio, non ex
testamento, sed codicillis, adeoque trahetur testamentum
ad codicillos, per *l.* 1. *h. t.* Unde col-
4 ligunt, quando tempus confirmationis est invalidum,
et tempus rei confirmatae est validum,
5 trahi confirmans ad confirmatum. Sed ipsa decisio
hujus legis videtur inutilis facta per *Nov.*
119. *c.* 2. nam minor etiam libertatem dare po- 6
test in testamento, sed fideicommissaria etiam
ab intestato et in codicillis datur. Directa etiam 7
servis alienis, etiamsi illi haeredes sint, non datur,
sed tantum propriis, *l.* 9. *h. t.* Sed oppi- 8
gnorato servo ex aequitate placuit dari posse,
per *l.* 24. §. 10. *ff. de fideicommiss. libert.* Qui
directam accepit libertatem vocatur *libertus* 9
Orcinus, *l.* 19. *h. t.* et qui fideicommissariam,
haeredis libertus efficitur, *l.* 7. *c. de fideic. libertat.*
Directa etiam libertas adita haereditate 10
statim competit, *l.* 2. *h. t.* modo non sub conditione
relicta libertas, ubi expectandus eventus,
nec interim haeres statu liberi servi libertati
speratae, per alienationem aut alio modo
praejudicare potest, *l.* 13. *h. tit.* nec praescribi
potest; nam quicquid alienari non potest, nec 11
potest praescribi, et resoluto jure dantis resolvitur
jus accipientis. Nec tamen valet datio li- 12
bertatis, si ea in fraudem creditorum facta, *l.*
5. *h. tit.* modo consilium fraudis et eventus
concurrant, *l.* 1. *infra, qui manumitt. non poss.*
quamvis consilium magis respici, quam eventum,
exinde probetur, quod *d. l.* 5. procedat,
etiamsi haeres locuples, sed in fideicommissaria
datione solus eventus respicitur, *l. unic. infra
qui manumitt. etc.* Nec valet datio, si 13
testamentum ob solemnitatis defectum non valeat,
nec ulla addita sit clausula codicillaris,
quae vitium illud sanet, *l.* 11. *h. t.* Nec debe- 14
tur libertas, si non adita haereditas, *d. l.* 2. *h.
t.* vel memoria defuncti damnata, et exinde hic
colligit *Salyc.* Pia legata, haereditate non adita, 15
non deberi. Sed contra *Tiraq. priv. piae causae*
33. *p.* 10. Cujus sententia ut sustineatur
jure novo fecit *Nov. prima*, et quia de legatis 16
piis non ex subtilitate juris civilis, sed ex aequitate
juris canonici judicandum, *Carpzov.
part.* 3. *jurispr. for. cap.* 1. *def.* 33. Vide not. *ad
l. in testamento* 38. *ff. de fideicommiss. libert.*
Aliter respondet *Menoch. cons.* 224. *num.* 31.
Si tamen haeres, qui semel adiit haereditatem, 17
restitutionem petat, libertas tamen minime retractabitur,
l. 3. *h. t.* Sic etiam, si haeres semel
per aditionem factus legitimis haeredibus,
testamentum nullum esse praetendentibus, haereditatem
cedere vellet in fraudem manumissorum
et per collusionem, non retractaretur
tamen libertas, *l.* 12. *h. tit.* quin etiamsi haeres
nollet ex testamento adire, subveniretur servo ex
edicto, *Si quis omissa causa testamenti*, *d. l.* 12.
Nec valet datio, si libertas contra voluntatem
defuncti ultimam ab haerede data, *l.* 7. *h. tit.*
quod de servis tamen testatoris et haeredis intelligendum,
l. 9. §. 1. *ff. h. t.* Quia voluntatis 18
ultimae favor praeponderat favori libertatis;
libertas etiam in casum nuptiarum filii relicta, 19
sub conditione non in diem relicta videtur, et
ideo nuptiis non secutis, licet filius ad nubilem
aetatem pervenerit, non debetur libertas, *l.* 8.
h. t. Sed *quid si nemo adire velit metu aeris* 20
alieni? Ex Constitutione M. Antonini, per *l.*
6. *et ult. h. tit. et l. t. Inst. de eo, cui libert.
causa*, ipsi servo, qui directam sperat ex te-

stamento libertatem, qui primus venerit, aut extraneo, vel pluribus simul venientibus, *d. l. ult.* §. 4. *h. t.* licet adire haereditatem; modo
21 satisdationem praestet creditoribus, se illis omnibus vel nonnullis (hoc si consensu creditorum fiat, *d. l. ult.* §. 1.) satisfacturum intra tempus annale, sive ante venditam haereditatem se offerat, sive post venditam, *d. l. ult. pr.* Licet nonnulli servi respuant libertatem, forte ex aemulatione aliorum, *d. l. ultim.* et licet omnes servi libertatem consequi non possint, ob magnitudinem aeris alieni, §. 3. *d. l. ultim.* ut tamen postea alius semper admittatur, qui omnibus libertatem se praestiturum et omnibus creditoribus soluturum promittat, §. 5. *et ult. d. l.* Sed si *servo relicta haereditas*, 22
an tacite conditio haec intelligatur, si rationes reddiderit? Negatur hoc *in l.* 4. *h. t.* Sed si haec conditio expresse addatur, subintelligitur etiam onus inferendorum reliquorum, *hic et l.* 82. *ff. de condit. et demonst.* nam sine hoc ratio perfecte reddi nequit. Sed si quid reddi- 23
tis rationibus reperietur servus, non reliquator, sed pariator, nihil debere Domino reperiatur? Resp. statim ab adita haereditate quasi pure relictam haereditatem intelligi, et licet nondum redditis rationibus decesserit, liber ex post facto declarabitur per *l. Julius Paulus* 81. *ff. de condit. et demonst. Castr. in hac leg.* 4. *Cujac. ad illam l.* 81. *p.* 776.

TITULUS III.

De Lege Fusia Caninia tollenda.

SUMMARIA

Manumissionem inter vivos quidnam coerceat? n. 1.
Coercitiones has abrogavit Justinianus. 2.
An valeat argumentum a contractibus ad ultimas voluntates? 3.

Manumissiones inter vivos satis coercet metus egestatis et naturalis amor habendi, sed *lex haec Fusia* voluit etiam morientium liberalitatem coercere, ita ut non liceret totam familiam manumittere. Sed hoc abrogat hic Ju- 2
stinianus, idque favore libertatis, unde ex *hac l. unic.* sumunt *Doctores* locum argumentandi 3
a contractu, ad ultimas voluntates, de quo prolixius agunt *DD. ad Inst. eodem titulo.*

TITULUS IV.

De fideicommissariis libertatibus.

SUMMARIA

Cujusnam aetatis testatorem libertatis fideicommissariae olim esse oportuerit, et cujus hodie. num. 1.
Libertas fideicommissaria quomodo relinquatur. 2.
Quid si haeres, in cujus placitum collata manumissio, haereditatem repudiet, an ab altero haerede, cui haereditas accrescit, sit danda? 3.
Per vocabulum commendo *non inducitur fideicommissum, etiam in piis causis.* 4.
Si testator pauperibus usuras leget annuas, et disponat, ut sors illa detur hujus urbis Senatui, an Senatus actionem habeat? 5.
Libertas a quonam praestanda? 6.
Quid si in tempus certum aetatis alicujus hominis conferatur haec libertatis datio, an mortua illa persona adhuc debeatur? 7.
Tempus cum certo annorum numero connexum facit legatum purum in diem suspensum, sed quando cum tali eventu, qui tardius vel citius fieri potest, conditionale. 8.
Libertas utraque etiam ei, qui in utero est, relinqui potest. 9.
Numerus singularis non ex proprietate quidem vocis, sed ex mente loquentis resolvitur in pluralem. 10.
Tacite an et quomodo libertas detur? 11.
Libertas per fideicommissum data factum haeredis requirit. 12.
Ea, quae per deputatum executorem fieri debent, non possunt expediri per alium. 13.
Quid si libertas nec expresse, nec tacite data, nec eam ancilla postmodum patiens petierit? 14.
Jussus aliquid facere non liberatur, si tentaverit semel et non potuerit exequi, sed captanda est occasio alia. 15.
Voluntas hominis est mutabilis, et licet dicat aliquis, se nolle venire, expectandus tamen est totus dies. 16.
Dominus mancipii legatum in testamento sibi relictum agnoscens etiam vendere illud mancipium haeredi tenetur, si haeres manumittere rogatus. 17.
Agnoscens legatum, judicium defuncti impedire nequit. 18.
Quid si in mora sit haeres? 19.
An et quatenus liberi, post moram haeredis nati, sint ingenui? 20.
Alius casus. 21.
Data electione circa personas in causa libertatis et pia non statui necesse est terminum, sed electio statim facienda simul ac poterit. 22.
Servo ut manumittatur legato, judex non debet in aestimationem servi condemnare haeredem, sed praecise ad servum ipsum tradendum. 23.
Fatuus ille judex est, qui reum in aestimationem condemnat, si res praestari possit, vel in non petitam. 24.
Sententia libello debet esse conformis. 25.
Quando haeres in mora constituatur? 26.

Partus ab ancilla ante libertatis petitionem editus liber non est, matri tamen tradendus est, et emancipandus. 27.
Objectio diluitur. 28.

1 Libertas fideicommissaria a testatore, (qui tamen decimum octavum annum aetatis attigit, *lex* 5. *h. tit. et* §. *fin. Inst. qui et quibus causis manumitt. etc.* quod tamen hodie, ut antea dictum, per *Novell.* 119. *cap.* 2. muta-
2 tum) relinquitur verbis precariis, etiamsi ea in arbitrium et placitum haeredis conferatur, *l.* 8.
3 *h. tit.* Imo licet haeres ille, in cujus placitum confertur manumissio repudiet haereditatem, ab altero tamen haerede, ad quem jure adcrescendi tota pervenit haereditas, libertas danda, licet prior haeres contradixerit, sed sine causa justa, *l.* 14. *ff. h. t.* quia enim repudiavit haereditatem, ipsius placitum non adeo curatur, nisi sub proprio nomine ipsi commis-
4 sum arbitrium, *Baldus d. l.* 8. Sed per verbum *commendo* non datur libertas, cum etiam servos nobis commendatos habere queamus, *l.* 12. *h. tit.* atque ideo etiam in piis causis ex commendatione fideicommissum non inducitur, quia a libertate ad piam causam valet argumentum, *Mantica lib.* 8. *de conj. ultim. vol. t.* 1. *num.* 19. et ex eo etiam textu *legis* 12. probari po-
5 test; Si testator leget pauperibus usuras annuas de 1000. florenis, et disponat, ut illa sors detur Senatui hujus urbis, quia haec est nuda commendatio, Senatus actionem non habebit, *Bl. in d. l.* 12. nisi addita causa finalis, ne alii serviant, per *l.* 12. *ff. h. t.* nam hic voluisse praesumitur testator manumissionem, ne in pote-
6 statem aliorum perveniant. Et haec libertas ab eo tantum praestanda, qui ex testamento adiit, non qui ab intestato adquisivit haereditatem, nisi accepta pecunia, aut per collusionem aut gratia agnati, aut odio servi, omisit scriptus haeres, *l.* 1. *h. t.* Licet prius haeres ab intestato
7 debeat praestare, per *l.* 38. *ff. h. t.* Si autem in tempus certum aetatis alicujus hominis, v. g. cum filius majorennis factus fuerit, conferatur haec libertatis datio, mortua ea persona, nihilominus debetur libertas, quo tempore illa ad eam aetatem pervenisset, si vixisset, *l.* 10. *h. tit.* ratio in *l. pen. supra, quando dies legat.* Un-
8 de notetur ex *l.* 10. Tempus connexum cum certo numero annorum aetatis, facere legatum purum in diem suspensum, sed quando cum tali eventu, qui tardius vel citius fieri potest, v. g. quando Doctor fiet, conditionale, *Baldus hic*, et hoc etiam in aliis legatis locum habet, per *l.* 18. §. 2. *ff. de aliment. leg. Salyc. hic.*
9 Ei etiam, qui in utero latitat relinqui potest tam fideicommissaria, quam directa libertas, licet unius tantum facta mentio; si tamen plures nascantur, omnibus debetur libertas, idque praecipue favore libertatis, *l.* 14. *h. t.* ex qua
10 Nota: Numerum singularem non ex proprietate quidem vocis, sed ex mente loquentis resolvi in pluralem, tum favore libertatis, tum quia nulla dari potest ratio, cur unum magis dilexerit quam alterum, *Baldus et Salyc. d. l. et l.* 14.
11 Tacite etiam interdum datur libertas, v. g. si servum proprium vel alienum (sciens) quis tutorem liberis suis constituat, *l.* 9. *h. t.* ubi tamen, quod de servo proprio dicitur, *DD.* ad eum casum restringunt, si servis obliquis, vel in codicillis datus tutor. Vid. *Donell. et ibi Hillig. lit. T. lib.* 3. *c.* 4. alias non videri tantum per fideicommissum datam libertatem, sed vere directam, Vid. *Guttierez de tutel. p.* 1. *c.* 10. *num.* 2. *Treutl. et ibi Bacchov. v.* 2. *d.* 8. *th.* 2. *lit. G. Harprecht. et caet. ad* §. 1. *Inst. qui testam. tutores dari poss.* Libertas itaque hoc mo- 12
do per fideicommissum relicta, factum haeredis seu manumissionem requirit, *l.* 11. *h. tit.* ad quam a Praeside vel Superiori, remediis praetoris compelli potest, per *d. l.* 11. Unde colligit
Baldus hic: Quod ea, quae fieri debent per 13
deputatum executorem, non possunt expediri per alium. Ubi tamen sufficit, si mancipium liberum stare, vel in libertate morari permittat, *l.* 4. *h. t.* nam haec permissio instar manumis-
sionis est. Si autem nec expresse nec tacite da- 14
ta libertas, nec eam ancilla petierit, ut in mora Dominum constitueret, sibi imputet, quod servos interea pariat, qui tamen matri tradendi ut manumittat, *l.* 13. *et l.* 26. §. 1. *ff. h. tit.* Non autem sufficit, si semel facere tentaverit, alienam ancillam manumittere si nolit Dominus vendere, sed quandocumque occasio tulerit, idem tentandum, *l.* 6. *h. tit.* et ita non abrumpitur
legatum, sed differtur in futurum. Unde pro- 15
batur, quod jussus aliquid facere non liberetur, si semel tentaverit et non potuerit exequi, sed captanda est occasio alia, et probatur etiam,
voluntatem hominis esse mutabilem, et licet 16
dicat aliquis se nolle venire, expectandum tamen esse totum diem, *Baldus in d. l.* 6. Imo
Dominus mancipii, si forte legatum in testa- 17
mento sibi relictum agnoverit, etiam vendere illud mancipium haeredi tenetur, si haeres ma-
numittere rogatus, *l.* 13. *h. t.* nam agnoscens 18
legatum, judicium defuncti impedire nequit.
Sed *quid si in mora sit haeres?* Resp. Urgen- 19
dum eum esse a Praeside, *d. l.* 11. aut, si latitet, Praeses ipse, interposito decreto, servum manumittere potest, ut hic sit libertus defuncti, *l.* 15. *h. t.* qui alias haeredis fuisset libertus, *l.* 7. *h. t.* Licet haeres hunc libertum ex fideicommisso manumissum ob ingratitudinem in servitutem revocare non possit, *l.* 1. *supra de libert. et eorum liberis*, nec operas exigere,
l. 29. *ff. de bonis libert.* post moram autem 20
haeredis nati liberi, sunt ingenui, *l.* 3. *h. tit.* Cum absurdum sit, moram haeredi esse proficuam. Quod intellige, si haereditate adita mora facta, nam si ante haereditatem aditam mora etiam dolose facta, servi nascuntur, sed traduntur matri ad manumittendum, *l.* 26. §. 1. *et l.* 53. *ff. h. tit.* Aliud, si pendente conditione
nati, *d. l.* 3. Si autem haeres, vel legatarius, 21
unum ex ancillae alicujus liberis rogatus sit manumittere, quem elegerit, isque sit in mora et interim moriatur, ita ut jam eligere non posset, in poenam morae et ad praescindendas subtiles de electione quaestiones per Constitutionem Justiniani, in *l. penult. h. tit.* omnes liber-
tatem consequentur. Et sic data electione circa 22
personas in causa libertatis et pia, non statui necesse est terminum, sed electio statim facienda, simul ac poterit, et *textus hic* notabilis ex mente *Baldi hic, et Tiraq. piae causae priv.*
96. Si vero legetur mihi servus, ut manumit- 23
tam, non debet Judex in aestimationem servi condemnare haeredem, sed praecise ad ipsum servum tradendum, quia id poscit favor libertatis, et quia ipsa res praestari potest, *l. ult.*

24 *h. tit.* ex qua probatur: fatuum illum esse judicem, qui reum condemnat in aestimationem, si res praestari possit, vel in non petitam. Sen-
25 tentia enim debet esse libello conformis, *hic et l.* 18. *ff. communi divid. Mercken. tract. decis. Cam.* 13. *num.* 224. *Donell. et ibi Hillig. l.* 26.
26 *cap.* 4. *lit. A.* et quos hic citat. In mora autem tunc constituitur haeres, cum petita est manumissio, *l.* 4. *h. tit.* atque ideo partus ab ancilla 27
ante petitionem libertatis editus, liber non est, *d. l.* 4. matri tamen tradendus, et emancipandus, ut supra dictum. Sed *obstare videtur l. fin.* 28
§. pen. supra de petit. haered. Sed ibi de lege conferente libertatem, hic de homine. Et sic a lege nunquam dicitur libertas ex falsa causa, sed bene ab homine, *Baldus in d. l.* 2.

TITULUS V.

De dedititia libertate tollenda.

SUMMARIA

Dedititia libertas quidnam fuerit, et quam miserrimus dedititiorum status? num. 1.
Sublata haec species ab Imperatore. 2.

1 Dedititia libertas erat infimus gradus liberorum hominum, quia tales nec commercium habebant, nec testamenti factionem, et parum aberant a servis, similes peregrinis, qui victi se et sua dedebant sine ullo pacto, absolute, populi romani Imperio, ut loqui solemus *(auf discretion).* Sed hanc libertatis speciem sustulit 2
Imperator, cum et ipsius tempore exolevisset, addita hac ratione; quod in legibus ea tantum esse debeant, quae re ipsa obtinent.

TITULUS VI.

De Latina libertate tollenda, et per certos modos in Civitatem Romanam transfusa.

SUMMARIA

Conditio eorum, qui latinam libertatem habebant. num. 1.
Quatenus haec libertatis species in hac lege abolita. 2.
Utile per inutile non vitiatur. 3.
Protestatio interposita super eo, quod non dependet a voluntate partium, sed ex dispositione juris, protestantem relevat. 4.
Exemplis declaratur. 5.
Quatenus manumissus fiat civis Romanus. 6. 7. 8. 11. 12. 14. 16. 17.
Adscriptitius nec sciente, nec ignorante domino cum libera matrimonium contrahere potest. 9.
Error conditionis adscriptitiae non nocet conjugio. 10.
An et quatenus ex cancellatione instrumenti praesumatur solutio? 13.
Maritus uxorem male tractans et expellens indignum se reddit lucro dotis, quod ipsi alias ex statuto vel pactis dotalibus competebat. 15.
Si servo sub conditione relicta libertas, et haeres ante conditionis eventum ipsum liberum efficiat, cujus sit libertus? 18.

1 Qui Latinam libertatem habebant, melioris conditionis erant, quam dedititii, vivebant enim ut liberi, moriebantur ut servi, *§. ult. Inst. de suc-*
2 *cess. libert.* Sed haec libertatis species in hac lege quoad futuros casus, vid. *§. pen. et ult. h. tit.* est abolita, licet Dominus dixisset, se velle latinam libertatem dare, nam hac voluntate Domini non attenta, servus plenam libertatem consequetur, *§.* 6. *h. t.* quia utile per inutile non 3
vitiatur: et Colligitur ex *h. §.* 6. Protestationem 4
interpositam super eo, quod non dependet a voluntate partium, sed ex dispositione juris, protestantem non relevare, *Mastrill. decis.* 40. *num.* 4. *Carpzov. p.* 1. *Constitut.* 11. *d.* 14. *num.* 4. *Klock vol.* 2. *cons.* 62. *num.* 16. quod hic per exempla declarat *Baldus*, si jussus a 5
judice litem contestari, quicquid respondeat, etiam protestatione praemissa, pro contestatione habetur. Et manumissus certo modo fit civis 6
Romanus v. g. *Si* I. *per epistolam* a testatore vel domino scriptam, vel subscriptam, a testibus quinque autem subscriptam, servo etiam absenti detur libertas, vel II. Praesenti inter amicos, 7
praesentibus quinque testibus sive apud acta, sive domi, modo desuper Instrumentum conficiatur, *§.* 2. *h. tit.* sive aliquo pretio accepto, sive nullo, dominus servum dimiserit, *§.* 8. *h. t.* III. Si 8
quis ancillam homini libero elocaverit, data vel promissa dote, credendi se cum libera contrahere, nam ancilla statim fit libera et civis Romana, *§.* 9. *h. t.* nam haec inter servos non geruntur, *Sanchez de matrim. lib.* 7. *dec.* 20. *Guttierez de matrim. c.* 91. Imo per *Auth. ad hoc seq.* hoc etiam sine dotalibus Instrumentis procedit, ac idem in servo uxorem liberam ducente, sciente domino, et hoc modo nupta, vel maritus, servili conditione abjecta, statim ingenui fiunt, quippe intercedit delictum domini; scilicet se indignum jure patronatus facientis, sed ignorante domino matrimonium contractum ipso jure est nullum, per *c.* 2. *X. de conjunct. serv. Beuth. de matrim. p.* 2. *c.* 34. *Rittershusius in Nov. p.* 4. *c.* 7. *num.* 12. Adscriptitius vero nec sciente domino nec igno- 9

rante, cum libera contrahere matrimonium potest, *d. Auth. et Novell.* 22. *cap.* 17. Cujus ratio forte in publico agriculturae favore. Sane
10 jure canonico error conditionis adscriptitiae non nocet conjugio, *Sanchez de matrim. lib.* 5. *d.* 19. *num.* 10. *Guttierez de matrim. quaest.* 90.
11 *num.* 20. IV. Si quis servum suum filium nominaverit apud acta, nam hoc casu libertatem consequetur, licet non jus filiationis §. 10. *h. t.*
12 V. Si quis servitutis instrumenta, (licet si aliquis ingenuum filium suum vocet, videtur habuisse pro filio, *Nov.* 117. *cap.* 2. *Hilliger in Donell. lib.* 2. *c.* 22. *l. G.)* Servo tradiderit, vel corruperit coram quinque testibus, tunc enim libertatem, licet non ingenuitatem, cum nullum delictum intercedat, consequetur, §. 11. *h. tit.*
13 ratio *in l.* 1. *C. de donat.* Unde Collige: Quamvis ex cancellatione Instrumenti praesumatur solutio, per *l. qui chirographum* 24. *ff. de probat. Mascard. conclus.* 256. *num.* 10. *Tholos. lib.* 21. *d.* 18. *num.* 39. *Menoch. lib.* 1. *praes. quaest.* 1. *num.* 2. cessat tamen haec praesumptio, quando debitor erat familiaris et dome-
14 sticus creditoris, *Baldus hic.* VI. Si Dominus servum languidum vel aegrum ejecerit, tunc enim propter alimenta et medicamenta homini denegata jus patronatus, et jus dominii amittit, quod ipsius impietas meruit, §. 3. *h. tit. Rittershusius in Novell. p.* 12. *lib.* 5. *n.* 9. Ex
hujus §. argumento colligunt *DD.* Si maritus 15
uxorem male tractet et expellat, quod se indignum reddat lucro dotis, quod ipsi alias ex statuto vel pactis dotalibus competebat, *Baldus in h.* §. *Boer. lib.* 2. *c.* 44. *num.* 12. *Hartman. Pistor. obs.* 52. *num.* 3. *Carpzov. p.* 3. *constitut.*
26. *definit.* 6. VII. Si ancillam quis hac condi- 16
tione sibi venditam, ne prostitueretur, vel si venditor manus injectionem et abducendi potestatem sibi reservaverit, nihilominus prostituerit, §. 4. *h. t.* Perfidus enim ille nebulo jure
patronatus est indignus. Demum VIII. liberi et 17
cives Romani efficiebantur, qui ex voluntate defuncti vel haeredis funus pileati antecedebant, vel in lectulo funeris pileati stabant; salvum tamen erat jus patronatus, §. 5. *h. l.* nec enim hoc erat iniquum, quia antiquitus hac caerimonia prae se ferebant manumissionem. Sed quae- 18
ritur: *Si servo sub conditione relicta libertas et haeres ante conditionis eventum ipsum liberum efficiat, cujus sit libertus?* et Resp. expectandum esse eventum conditionis, nam si existat conditio, erit defuncti libertas, sin deficiat, haeredis, qui non ex facto defuncti libertatem habet, §. 7. *h. t.*

TITULUS VII.

De communi servo manumisso.

SUMMARIA

Servum communem olim manumittens suam partem amittebat, eaque alteri domino accrescebat, nec id proderat servo. num. 1.
Correxit hoc Justinianus, *et quomodo.* 2.
Quandoque etiam invitus vendere cogitur. 3.
Servus communis olim 20. *solidis fuit aestimatus, sed arte imbutus* 30. *solidis.* 4.
Vendere a jure qui cogitur, non tenetur fidem habere de pretio, sed pretium poscere potest. 5.
Quoties non tantum ad implementum conditionis, sed etiam ad causam solvendi pretium, vel ad obligandum alterum offerat jure suo, non sufficit sola oblatio, sed requiritur etiam depositio et consignatio. 6.
Oblata pecunia in loco tuto, vel ubi judex vult deponenda est. 7.
Ambigua voluntas in partem benigniorem est interpretanda. 8.

1 Quando communem servum manumittere quis
volebat, tunc suam quidem partem amittebat, sed ea alteri domino seu socio adcrescebat, nec
2 id proderat servo. Sed cum id iniquum videretur, servum scilicet libertate defraudari, et duriorem dominum lucrum sentire, ideo statuit *Justin.* ut manumissor vel servus alteram partem pretii, quam socius vel socii, si plures sint, in servo habent, ipsis offerre, et si nolint accipere, consignatam in judicio deponere possint, abrogato illo jure adcrescendi, *l.* 1. *h.*
3 *tit.* et sic invitus hic vendere cogitur, contra regulam in *l. nec emere C. de jure delib.* Cujus fallentis tradit *Socinus in reg.* 530. idque hic operatur summus favor libertatis: peculium autem servi inter eos dividi debet quibus per dominium pro parte herili pertinet, per *hunc* §. 3. et servus jubetur rationes reddere, §. 4. et servorum pretium statuitur in §. 5. et sic, quod quidem ad nos non spectat, id tamen non possum non monere: Quod servus communis aestimatus fuerit 4
20. solidis; Servus arte vero imbutus 30. solidis.
Notetur etiam ex *hoc textu:* Quod, quando quis 5
cogitur vendere a jure, quod tunc vendens non teneatur fidem habere de pretio, sed pretium poscere possit, *Fabianus a Monte de emptione quaest.* 3. *num.* 40. *Valascus t.* 1. *consult.* 22. *num.* 5. *et* 6. *Vasq.* 11. *cont. lib.* 1. *c.* 15. *Petr. Barbos. in l. si mora* 10. *n.* 73. *ff. sol. matrim. Scheplitz. de consuetud. March. p.* 4. *tit.* 7. §. 4.
Collige etiam ex *hac lege prima:* Quoties non 6
tantum ad implementum conditionis, sed etiam ad causam solvendi pretium, vel ad obligandum alterum, offerat suo Jure, non sufficere solam oblationem, sed requiri etiam depositionem et consignationem, *Boer. decis.* 124. *num.*
24. *P. Barbos. d. l.* Collige etiam ex §. 2. obla- 7
tam pecuniam in loco tuto vel ubi Judex vult, deponendam esse, sicut *textus*, et *DD.* plures citat *Schultz. de obl. pec. num.* 31. Sicut etiam de consignatione agit *num.* 30. Idem vult *Justinianus* in altero casu, si dominus communis servo suam partem, vel expresse libertatem legaverit, nam tunc indistincte pretii pars socio solvi ab haerede, et sic servus libertatem consequi potest, *l.* 2. *h. t.* quia dicitur, ambi- 8
guam voluntatem in partem benigniorem esse interpretandam, *A. Barbos. lib.* 4. *c.* 53. *Axiom.* 9.

TITULUS VIII.

De servo pignori dato manumisso.

L. Licet. 1.

SUMMARIA

Sensus legis. num. 1.
Maritus est dotis dominus. 2.
Objectio diluitur. 3.

1 Maritus, dominus dotis, (unde ex hac lege
2 solent probare maritum esse dotis dominum)
servum dotalem manumittit, sed non invita
3 uxore cui specialiter pignori dedit, sed obstat,
quod uxor retineat naturale dominium, *l. in rebus supr. de jure dotium*, sed hujus effectus hic cessat favore libertatis. Et ideo, nisi esset pignori specialiter obligatus, posset servus dotalis etiam invita uxore manumitti, si maritus solvendo sit, per *hanc leg.*

L. Libertas. 2.

SUMMARIUM

Tacita hypotheca nec alienationem, nec manumissionem, nisi fraudolenta, impedit.

Tacita hypotheca non impedit alienationem, *l.* 13. *C. de pign. l.* 12. *C. de distr. pign. Carpz. p.* 2. *c.* 24. *def.* 8. multo minus ergo manumissionem, nisi fraudulenta sit, cum libertatis summus favor, nec Fiscus excipitur, qui sui debitoris bona obligata habet, *l.* 2. *C. in quibus causis pignus tacite contrahitur.*

L. Ab eo. 3.

SUMMARIA

Hypotheca generalis non impedit manumissionem, sed specialis. num. 1.
Servus oppignoratus, si se ipsum luit, et debitum, pro quo obligatus est, solvit, liberatur. 2.

1 Nec hypotheca generalis impedit manumissionem, secus, si specialiter obligatus sit, nam specialis obligatio dationem libertatis impediret,
2 nisi servus se ipsum lueret, et debitum, pro quo obligatus, solveret, *l. pignori* 30. *ff. de haered. inst.*

L. Si ut proponis. 4.

SUMMARIA

Hypotheca specialis in servo constituta non impedit libertatem, si consentiente creditore manumittitur. num. 1.
Etiamsi minor sit creditor, qui consentit. 2.

Nec specialis hypotheca in servo constituta, 1
impedit, quo minus servus obligatus, consentiente creditore, manumitti possit, quae lex fere dubitandi ratione destituitur. Sed id mirum, 2
quod etsi minor sit creditor, cui servus specialiter obligatus, si tamen consentiat manumissioni, quod tunc valeat manumissio, *l.* 4. §. *fin. ff. de manumissis vindicta*, ubi additur ratio, quia non tam manumisit, quam manumittenti consensit.

L. Si creditoribus. 5.

SUMMARIA

Creditoribus quando satisfactum, libertas ante in fraudem creditorum inutiliter data, reconvalescit et confirmatur. num. 1.
Nemo suum ipsius factum potest impugnare, nisi ex post facto infirmatum sit. 2.
Propriam turpitudinem allegans non auditur. 3.

Sed si satisfactum creditoribus, libertas antea 1
nulliter et in fraudem creditorum data, reconvalescit, et confirmatur, impedimento quippe sublato, et nulli sunt creditores, qui eam manumissionem impugnare possent, neque audiendus est debitor, si dicat, fraudandorum creditorum causa se manumisisse, *l.* 5. *h. t.* 1. Enim nemo suum ipsius factum potest impugnare, 2
nisi ex post facto infirmatum sit, *l.* 1. *infr. de lib. caus. Baldus hic.* 2. Quia propriam turpitu- 3
dinem allegans non auditur, *l.* 4. *C. de revocandis his, quae in fraud. credit. et l.* 4. *C. de revoc. donat. Schultes ad Modest. Pist. p.* 4. *q.* 40. *n.* 9. *et seqq. A. Barbos. lib.* 18. *c.* 33. *axiom.* 5.

L. Si tutor. 6.

SUMMARIA

An tutor servos pupillari pecunia emptos manumittere possit? num. 1.
Pupillus h. l. *magis privilegiatus, quam Fiscus.* 2.

Tutor pecunia pupillari emit servos, quaeri- 1
tur: *An possit eos manumittere?* Videtur quod sic, quia tantum tacite videntur obligati. Ergo etc. per *l.* 2. *h. t.* Sed negatur, quia hoc casu servus est pupilli, et pupillus potest servum vindicare, si velit, *supr. tit. quando ex facto tut. Carpz. part.* 1. *const.* 28. *defin.* 109. *num.* 6. *Guttierez de tutel. part.* 3. *c.* 1. *num.* 83. Est igitur pu- 2
pillus hic magis privilegiatus quam Fiscus, *l.* 2. *h. t.*

L. Sive. ult.

SUMMARIA

An servum dotalem, vel ex dotali pecunia comparatum, maritus manumittere possit? num. 1.

Praedium pecunia dotali a marito comparatum, est mariti soluto matrimonio. 2.
Uxor, si maritus non est solvendo, ac sibi utile praedium, id vindicare potest. 3.

1 Servum dotalem, vel ex dotali pecunia comparatum, maritus manumittere potest, *Donell. l.* 5. *c.* 2. *lit. C. Auctor in l.* 21. *ff.* de manumission. *num.* 1. quia dominus est, *l. ult.* si scilicet locuples et solvendo sit, *l.* 1. *h. t.* nisi ipse servus dotalis uxori specialiter obligatus, *d. l.* 1. Et ex *hac lege* colligit *Carpz. p.* 3. *c.* 23. *d.* 28. Praedium pecunia dotali a marito comparatum 2
esse mariti, soluto matrimonio. Sed si forte ma- 3
ritus non solvendo ac utile sit praedium uxori, vindicare id potest uxor, *l. res quae* 54. *ff. de jure dotium.*

TITULUS IX.

De servis reipublicae manumittendis.

SUMMARIA

Servi reipubl. quinam? num. 1.
A quonam potuerint manumitti et qua conditione? 2.
Manumissi ut cives Romani nuptias contrahebant, eorumque exinde nati liberi erant ingenui ac capaces honorum. 3.
An libertas haec semel data possit revocari? 4.
Semper quid primo statutis, deinde quid juri communi sit consentaneum, attendendum venit. 5.
Quod lex municipalis, statutum, et jus commune idem dicere possit, quomodo intelligatur? 6.

1 Servi reipubl. erant, qui tabulis publicis prae-
2 ponebantur, et hi ab ordine Decurionum consensu Praesidis poterant manumitti, datis in eo-
3 rum locum Vicariis, *l.* 1. *h. t.* et manumissi poterant ut liberi et cives Romani nuptias contrahere, *l.* 2. *h. t.* liberique exinde nati erant ingenui ac honorum capaces, *l. ult.* Nec liber- 4
tas haec semel data potest retractari; licet Vicarius in tabularii locum subrogatus fugam arripuerit, *l.* 1. *h. t.* nec si manumissus tabellarii officium postea ad tempus administraverit, *d. l. ult.* quia haec causa revocandae libertatis non est, et non ex actu servili, quem quis pro tempore gerit, sed ex titulo, quod dominium servi quaeritur, quis servus efficitur, *Perez hic.* Colligitur obiter ex *l.* 1. Attendendum semper 5
primo, quid statutis, deinde quid juri communi consentaneum. Colligunt *Baldus Salyc.* et alii ex *hac lege:* quod lex municipalis, statutum, 6
et jus commune idem dicere possit. Sed quamvis id per se verum, ex *hac l.* 1. tamen non probatur, sed hoc tantum: Quod in eodem negotio concurrere possint, licet diversa constituant. Quod in *l.* 1. de republ. municipali dicitur, a *Baldo et Salyc.* ad ecclesiam aliamque universitatem recte extenditur. Quando alias bona civitatum alienentur, de eo suo loco agetur.

TITULUS X.

De his, qui a non domino manumissi sunt.

SUMMARIA

Nemo potest directe servum alienum manumittere. num. 1.
Ampliatur. 2. 6. 7. 8.
Ille, qui conscientiam Principis fallit, obrepit, vel falsa narrat, ex officio est puniendus. 3.
Duplex hic poena infligitur, una domino, altera Fisco. 4.
Sibi debet imputare, qui in perniciem suam gesta taciturnitate firmavit. 5.
Declaratio regulae nostri tituli. 9.

1 Nemo directe manumittere potest servum alie-
2 num: quod ampliatur I. ut locum etiam habeat in servo, qui meus fuerat, sed a me alteri donatus est et traditus. Nam translato jam dominio alienus est, *l.* 5. *h. t.* Ergo nondum traditum servum manumittere, vel aliam rem alienare potest, quia habet dominium. Ex qua no-
3 tandum I. puniendum esse eum, qui fallit conscientiam Principis, obrepit, vel falsa narrat, quod hodie bene servandum, cum ex officio
4 puniri possit, et II. nota hic duplicem poenam infligi, quarum una domino, altera Fisco infligitur: quod hic singulare, *Baldus hic.* Observetur etiam hic aequitas praescriptionis et usucapionis: *Cum sibi debeat imputare, qui in per-* 5
niciem suam gesta taciturnitate firmavit. II. Ne quidem si judicis aut Principis decretum inter- 6
veniat, *l. ult. h. t.* nam hi nemini suum auferunt, adeo ut si Principi obreptum sit, manumittens domino duos servos ejusdem artis, et Fisco tres restituere debeat, *d. l. ult. h. t.* III. Nec 7
usufructuarius, et qui precarium usum servi habet, in praejudicium domini manumittere possunt, *l.* 4. *h. t.* IV. Et minor 20. annis, ut 8
ex l. Aelia Sentia manumittere prohibetur, ita nec alienanti potest consentire, ob reg. *in l. cum quis possit* 165. *ff. de R. J.* Sed declaratur 9
regula nostri tituli, 1. ut tamen manumissor servi alieni ex sua manumissione teneatur, si dominus servi velit et pretium petat, *l.* 1. *h. t.* quia proprium factum impugnare non potest. 2. Procurator servum principali suo emptum, manumittere potest, si cum domino nondum tradiderit, *l.* 2. *h. t.* cum dominium principali nondum quaesitum, scilicet quando mandato meo emit, sed ei suo nomine servus traditus est, per *l.* 13. *ff. de adquir. domin.* 3. Venditor haereditatis, antequam eam tradat, servum haereditarium manumittere potest, quia nondum translatum haereditatis dominium; sola enim venditio universitatis etiam transferre dominium nequit.

TITULUS XI.

Qui manumittere non possunt, et ne in fraudem creditorum manumittatur.

SUMMARIA

Lex Aelia Sentia *quomodo impediverit libertatem? num.* 1.
Fideicommissarii, et legatarii inter haeredis creditores referuntur, in quorum fraudem, si data libertas, nulla est. 2.
An et quando consilium et eventus fraudis simul requirantur? 3.
Directa libertas quasi ab ipso testator data aequiparatur manumissioni inter vivos, in qua eventus fraudis non sufficit. 4.
Quid si debitor Fisci vel alterius privati creditoris pecunia accepta manumisit? 5.
Qui pretium recipit fraudatus non videtur. 6.
Libertatis datio etiam ob aetatem prohibetur. 7.
Cujus manumissor olim et hodie debeat esse aetatis? 8.
Vocabulum venditoris *et* emptoris *saepe commutatur.* 9.
Aliae prohibitiones manumissionis. 10.
Aliud est in dominio, aliud in peculio habere. 11.
Manumissio non est in administratione patrimonii. 12.

1 *Lex Aelia Sentia* saepe impediebat libertatem,
si vel fraudandorum creditorum gratia libertas
data, inter quos referuntur etiam fideicommis-
sarii, scilicet quibus non a manumissore, sed
ab eo, cui manumissor successit, fideicommissum
relictum, *l.* 1. *C. de bonis auctorit. jud. possid.*
2 et obiter notetur: fideicommissarios et legatarios
inter haeredis creditores referri, *Bl. hic.* in quo-
rum fraudem, si data libertas, nulla est, *l.* 1.
3 *h. tit.* Requiritur autem consilium et eventus
fraudis, *d. l.* 1. quando autem per fideicom-
missum relicta libertas, eventus solus frauda-
tionis sine consilio sufficit, *l. ult. h. t.* quia di-
rectum obliquo favorabilius est. Et directa li- 4
bertas quasi ab ipso testatore data, acquipa-
ratur manumissioni inter vivos, in qua eventus
fraudis non sufficit, §. 3. *Instit. qui et qui-
bus ex causis manumitt. etc.* Sed *si de-* 5
*bitor Fisci vel alterius privati creditoris
pecunia accepta manumisit?* Non videtur
in fraudem illius manumisisse, quia nihil
de ejus bonis diminutum est, *l.* 5. *h. t.*
cum pretium succedat loco rei; si autem
in fraudem Fisci manumissio facta, esset nulla,
Fiscus tamen praescriptione decennii excludere-
tur, *l.* 16. §. 3. *ff. h. t.* notetur ex *d. l.* 5. non 6
videri fraudatum eum, qui pretium recepit,
Baldus hic. Prohibetur deinde libertatis datio ob 7
aetatem si manumissor legitimam aetatem non
habeat, quae olim 20. annorum, *l.* 4. *h. t.* postea 8
17. §. *fin. Inst. qui et ex quibus causis manumitt. etc.*
tandem 14. annorum, *Novell.* 119. *c.* 2. *et Auth.
sed hodie h. t.* Sed quia *Novella* tantum loqui-
tur de testamento; de iis etiam terminis in-
telligenda, nec ad actus inter vivos extendenda.
Nota obiter ex *hac l.* 5. Vocabulum *venditoris* 9
et *emptoris* saepe commutari. Vide *Cujac. lib.* 1.
obs. 10. Alii prohibentur, quia dominium 10
servi non habent, sic servus Principis, vel al-
terius licet in peculio suo servum habeat, eum
tamen servum peculiarem vel Vicarium manu-
mittere nequit, *l.* 2. *h. t.* Nam aliud est in 11
dominio habere, aliud in peculio; hinc non te-
nuit manumissio in spectaculis, ad exclamatio-
nem populi facta, cui forte placuit auctor fa-
bulae, *l.* 3. *h. t.* quia non populus, sed domi-
nus jus manumittendi habet, nec solus tutor
potuit conferre libertatem a pupillo praestandam,
l. pen. h. t. ob eamden rationem, et quia ma- 12
numissio non est in administratione patrimo-
nii, *l.* 13. *ff. de manumission.*

TITULUS XII.

Qui non possunt ad libertatem pervenire.

SUMMARIA

Ad perpetua vincula vel in poenam damnatus a testatore, manumitti prohibetur. num. 1.
An etiam ob familiae ministerium vel aliam utilitatis causam? 2.
Ad tempus ad vincula damnatus manumitti potest tempore elapso. 3.
Servi poenae ad perpetua vincula condemnantur. 4.
Servus in perpetua vincula damnatus vel temporaria non fit servus poenae, sed manet servus ejus, cujus antea fuit. 5.

1 Qui ad perpetua vincula damnatus, vel in
poenam (secus enim, si ob familiae ministe- 2
rium, vel aliam causam utilitatis prohibeatur
manumitti, nam hoc casu, necessitate vel uti-
litatis causa cessante, cessabit etiam prohibitio,
l. 2. *h. t.*) a testatore prohibitus est manumitti,
ille non potest manumitti, *l.* 1. *et* 2. *h. t.* sed qui ad
tempus ad vincula damnatus, tempore lapso pot- 3
est manumitti, quia poena jam finita, ideo etiam
cessat prohibitio. Collige: I. Servos poenae ad per- 4
petua vincula condemnari, quae poena alias in
liberis hominibus locum non habet, *Farinac.
quaest.* 19. *num.* 34. II. Servum in perpetua 5
vincula vel temporaria condemnatum non fieri
servum poenae, sed manere servum ejus, cu-
jus antea fuit, per *l.* 1. Vid. *Cujac. ad hunc
titul. tom.* 3.

TITULUS XIII.

Pro quibus causis servi pro praemio libertatem accipiunt.

SUMMARIA.

Servus vel ancilla domini interfectorem indicans, an et quatenus libertatem consequatur? num. 1.

Quando ob utilitatem publicam leges servo dant libertatem, pretium servi domino restituatur a Fisco, quando de utilitate Fisci agitur. 2.

Princeps nunquam aliquem suo jure privat, etiam ob publicam utilitatem gratis et sine pretio. 3.

Adulteratorem monetae, vel raptorem virginis, vel desertorem militiae indicans, libertatem pro praemio acquirit. 4.

Publice interest homicidas, adulteratores monetae, raptores et militiae desertores poena merita affici. 5.

1 Servus (vel ancilla) qui interfectorem Domini indicat, *l.* 1. *h. t.* si incorruptis i. e. liquidis probationibus hoc demonstraverit, et strenuo nisu constiterit, non perfunctorie causam tractaverit; libertatem consequi dicitur, in *d. l.* 1. *h. t.* additur tamen non ex ipso facto, sed per sententiam judicis. Notandum etiam, quando ob utilitatem publicam leges servo dant libertatem, domino pretium servi esse restituendum a Fisco, quando de utilitate Fisci agitur, quia nunquam Princeps aliquem suo jure privat, etiam ob publicam utilitatem, gratis et sine pretio, ut dicit hic *Baldus in l.* 2. Indicans adulteratorem monetae, *l.* 2. *h. t.* vel raptorem virginis, etsi inter parentes et raptorem transactum sit, *l.* 3. *h. t.* (licet in casu transactionis hodie secus, *c. pen. et ult. X. de rapt.* ut suo loco dicetur) vel desertorem militiae, *l.* 4. *h. t.* pro praemio acquirit libertatem: ratio horum in disciplina et utilitate publica; nam publice interest homicidas, adulteratores monetae, raptores et militiae desertores poena merita affici; et his casibus servus libertatem consequetur, licet poenae nomine perpetuis vinculis addictus sit.

2 (margin) 3 (margin) 4 (margin) 5 (margin)

TITULUS XIV.

De ingenuis manumissis.

SUMMARIA

Quorumnam servitus justa sit? num. 1.

An ingenuus ex libera muliere etiam libertina natus justam servitutem non serviens, sed forte ab aliquo pro servo habitus, vel ut servus ab aliquo ut domino enutritus, pro servo habeatur? 2.

Ex longissimis etiam temporibus servitus non inducitur, licet praesumatur. 3.

Sed si de facto manumissus fuerit, an haec manumissio ingenuitati ejus, qui manumittitur, obsit? 4.

Domus *vocabulum quid* h. l. *significet?* 5.

Famulatus liberi hominis servum non facit. 6.

An abductus plagio fiat servus? 7.

An bello civili captus? 8.

An si ei servile nomen imponatur? 9.

An si ut servus sponsae detur? 10.

An operarum locatio statum mutet? 11.

An si ego, cum in possessione libertatis essem, et ad ingenuitatem provocassem, succubuerim? 12.

Ex veritate natalium probanda est ingenuitas. 13.

Quid si ille, qui mihi controversiam status movebat, liti renunciaverit, an ob hoc fiam ingenuus? 14.

An conventione cum uno haeredum vel cum omnibus fiam ingenuus? 15.

Justa servitus est vernarum i. e. mancipiorum domini in servitute natorum, captivorum, eorum, qui majores 20. annis ad participandum pretium se venundari passi sunt, et damnatorum in metallum, aut condemnatorum ad perpetua vincula, et revocatorum in servitutem etc. Sed quaeritur: *Si ingenuus ex libera muliere* etiam libertina natus, *l.* 9. *h. t.* justam servitutem non serviat, sed forte ab aliquo pro servo habitus atque usurpatus, *l.* 10. *h. t.* aut ab aliquo veluti domino fuerit enutritus velut servus, *l.* 2. *h. t.* quia ex longissimis etiam temporibus servitus non inducitur, licet praesumatur, *Baldus in l.* 2. *h. t. Si, inquam, de facto manumissus fuerit, an haec manumissio ingenuitati ejus, qui manumittitur, obsit?* Hoc negatur adeo, ut nec ejus liberis ante sententiam natis obsit, *l.* 3. *h. t.* Pone autem: testator me pro mancipio habens, libertatem mihi legavit, et quaedam legata mihi reliquit, possumne originem i. e. ingenuitatem repetere? Quod affirmatur, status tamen intuitu mihi relicta restituere teneor, *l.* 1. *h. t.* cum causa cesset, et sic is, qui ingenuus renunciatus est, tenetur tamen restituere, quae occasione status putative adquisivit. Et sic *domus* hic non de domo materiali, sed de toto patrimonio manumissoris intelligendum, ut manumissus ad ingenuitatem provocans, ea, quae ex patrimonio

manumissoris accepit, restituat, *Cephalus cons.* 636. *num.* 47. *et seqq.* Et licet quis per longum tempus operas serviles praestiterit ex contractu, propterea tamen statum non mutabit sive manumittatur, sive
6 non, *l.* 6. *h. t.* quia famulatus liberi hominis
7 servum non facit, nec si aliquis plagio abdu-
8 ctus, *l.* 2. *h. t.* nec si bello civili captus, *l.* 4. *h. t.* ubi sermo est de capto sub tyrannide Odennati et Zenobiae uxoris ejus, *Cujac. l.* 3. *obs.* 12. Quia legitimo tantum bello capti fiunt servi. Imo etiam legitimo bello captus, si redeat, jura ingenuitatis jure postliminii recipit,
9 *l.* 9. *h. t.* nec servus efficitur, si ei servile no-
10 men imponatur, *l.* 10. *h. t.* nec nocebit, si ut
11 servus sponsae detur, *l. ult. h. t.* Nec locatio operarum statum mutabit, *l.* 11. *h. t.* nec no-
12 cet, si ego, cum in possessione libertatis essem, et ad ingenuitatem provocassem, succubuerim,
13 quia maneo libertinus, *l. pen. h. t.* Ergo ex veritate natalium probanda ingenuitas, *l.* 7. *h. tit.*
14 Sed *quid si ille, qui mihi controversiam status movebat, liti renunciaverit, an ob hoc ingenuus*
15 *fiam?* Neg. *d. l.* 7. nec ingenuus fio conventione cum uno haeredum, vel cum omnibus facta, *l.* 8. *h. tit.* non illud, quia unius pactum caeteris non praejudicat; non hoc quia a patronis remitti potest jus patronatus, sed non dari ingenuitas, nisi a Principe per restitutionem natalium, sicut in *l. fin. supra de bonis libert.* dictum.

L. Diffamari. 5.

SUMMARIA

An practica leg. diffamari *etiam in realibus et in petitorio ac possessorio locum habeat?* *num.* 1.
An etiam in injuriis? 2.
An cum actione injuriarum possit cumulari? 3.
An diffamatus de crimine vel delicto vel debito civili statim et cur diffamantem coram judice suo compellere possit, ut intra certum tempus agat, vel ut alioquin perpetuum silentium ipsi imponatur? 4.
Cujusnam judex adeatur? 5.
Objectio diluitur. 6.
Quidnam petam in judicio? 7.
An in hoc judicio diffamatorio litis pendentia inducatur? 8.
Quid si compareat diffamans in judicio et factum fateatur? 9.
An in hoc judicio me convenire teneatur? 10.
An exceptionem fori reus opponere possit? 11.
An actor judicium recte proroget? 12.
An diffamator ullum privilegium allegare possit? 13.
Actor vel maxime privilegiatus forum rei sequatur, si agere velit. 14.
Exemplo declaratur. 15.
Quid si reus ter citatus vel peremptorie una vice postulatus emaneat, neque in eo nec in alio judicio actionem moveat? 16.
Reo comparenti vel in alio judicio actionem convenienti, juramentum calumniae potest deferri et illud praestare tenetur. 17.
Pravus ab initio hujus practicae intellectus. 18.
Receptissima haec practica in judiciis et constitutionibus imperii approbata. 19.
An contra hanc practicam disputetur? 20.
Simile huic practicae est beneficium leg. si contendat 28. de fidejuss. *num.* 21.
In hac lege nulla praecedens diffamatio requiritur. 22.

Practica *hujus legis* haec est: Diffamatus sum 1
a te de crimine, vel delicto, vel debito civili, vel etiam de re aliqua, nam haec practica etiam in realibus et in petitorio ac possessorio locum habet, *Gomez ad* §. *praejudiciales num.* 7. *Inst. de act. Cephal. cons.* 381. *num.* 11. *lib.* 3. et
habet locum in injuriis, ut injuriatus et ex hac 2
lege agere possit, quod quidem incommode fieri tradit *Carpz. lib.* 2. *resp.* 57. *et Dn. Mevius lib.* 1. *dec.* 144. cujus rationes bene concludunt, licet ea diffamatio in judicio fiat, *Mevius p.* 6.
dec. 285. nisi agere paratus: cum actione ta- 3
men injuriarum haec imploratio judicis cumu-
lari nequit, *Finckelth. obs.* 55. Quaeritur: *An ego,* 4
qui vereor, ne aliquando haeredibus meis negotium facessas, rerum harum ignaris, vel mihi etiam molestiam facias eo tempore, quo non habiturus sum in promptu defensiones meas, ut nunc habeo, possim te coram judice meo compellere, ut agas contra me intra certum terminum, cum comminatione, quod alioquin perpetuum silentium tibi sit imponendum a judice? Videtur quod non, per *l. un. C. ut nemo invitus a-*
gere. etc. Sed Affirmatur, idque hac ratione: Adeo 5
judicem meum ceu diffamati, (nam ex *hac lege* non actio, sed imploratio officii judicis ori-
tur, ideoque non obstat regula, quod actor 6
rei forum sequatur) et narro, et summariter probo, *de quo Mevius p.* 5. *dec.* 258. te dixisse, me tibi centum debere, quoniam autem
nego, me tibi obstrictum esse, peto, judex 7
certum terminum tibi praefigat, in quo jus tuum deducere, et contra me agere debeas, sub poena perpetui silentii tibi imponendi, seu quod idem est, ut petam, me imposterum non molestari, vel super hac re mihi nullam inferri molestiam, *Cephal. d. cons.* 381. *num.* 12. *et*
seq. Et hac citatione facta in hoc judicio diffa- 8
matorio non inducitur litis pendentia, *Auct. in l.* 30. *ff. de judic. num.* 7. *et* 21. Sed diffamator potest diffamatum in alio judicio competente convenire reum, cum actori competat electio, *Mevius p.* 1. *dec.* 198. *et parte* 3. *dec.*
350. Quod si in termino compareas, et dicas 9
me debere, tunc tibi imponitur onus probationis et actoris locum sustines, ego rei. Sed, ut
dixi, non teneris in hoc judicio me convenire 10
et intentionem probare, sed habes electionem,
et ideo non potes exceptionem fori competen- 11
tis mihi objicere, quasi is judex neque tuus
competens nec meus sit, nam ego etiam pro- 12
rogando, judicem non meum adire possum, ut te compellat agere, nec hic laedi potes, cum ubique, in foro tamen competente, me convenire possis, *Mevius p.* 3. *decis.* 212. Ne-
que diffamator ullum privilegium allegare po- 13
test, cum non conveniatur ut reus, sed ut ju-
beatur agere, actor autem vel maxime privile- 14
giatus sequitur forum rei, si agere velit, *Mevius d. l. dec.* 213. quod etiam tunc verum est,
quando quis v. g. mea bona Hamburgi arrestavit; 15
nam tunc nihilominus compellere eum ex hac practica possum, ut me in meo foro conveniat, *Mev. p.* 5. *decis.* 112. nec arrestum praeventionem inducit, *Mevius p.* 5. *decis.* 222. Si

16 autem ter citatus, vel peremptoria una voca-
tione postulatus, contumaciter emanseris, et
neque in eo judicio, neque in alio actionem
moveris (nam imploratus judex terminum a-
gendi, non autem certum forum, ubi de prin-
cipali negotio agatur, praescribere potest, *Mev.*
d. dec. 212.) imponitur tibi perpetuum silentium.
17 Si autem compareas, vel in alio judicio me
convenias (de quo fides facienda judicio implo-
rato super diffamatione) potest tibi deferri ju-
ramentum calumniae, quia licet necessario agere
cogaris, ad necesssitatem tamen hanc teipsum
18 adstrinxisti, *Mev. p.* 3. *dec.* 277. Quamvis
autem haec practica forte ob intellectum pra-
vum *legis hujus* primitus nata sit, dum haec
verba, *ne de caetero inquietudinem sustineres*,
intellexerunt de imposito silentio, quae tamen
de pronunciatione ingenuitatis possunt intelligi,
ut post alios *Ant. Matth. in l.* 47. *ff. tit.* 4. *c.* 3.
19 *num.* 5. quia tamen haec practica in judiciis
receptissima, et constitutionibus imperii ap-
probata, *parte* 2. *Ord. Camer. t.* 25. frustra
20 quisquam contra haec in foro receptissima, et
quae suam utilitatem habent, disputat; Si au-
tem inanem exceptionem de foro incompetente
opponat diffamator, ea prius rejicienda et ci-
tatio renovanda, antequam ad impositionem
perpetui silentii procedatur, *Mevius p.* 4. *dec.*
224. sed Quaeritur, quid si creditor Instrumen-
tum guarentigionatum habeat, quo profectu
provocabitur? Resp. parum utilitatis habere
reum ex hac practica provocantem creditorem,
nisi solutionem, vel etiam ex constitutione
Elect. Saxon. quamcumque exceptionem habeat
in continenti probandam, *Hartm. Pist. p.* 4. *q.* 15.
num. 5. Salvae etiam sunt reo in principali ju-
dicio exceptiones dilatoriae, *H. Pist. d. l. in fin.*
Plura de hac practica, Vid. *In comm. ad h. l.*
Blareri, Cagnoli, Contardi, Mundii et alio-
rum, et plures ab Hilligero allegatos in Do-
nellum lib. 20. *cap.* 4. *lit. A.* Simile est benefi- 21
cium *leg. si contendat* 28. *ff. de fidejuss.*
nisi quod in *hac lege* ultimo allegata nulla diffa- 22
matio praecedens requiratur, Vid. *Carpzov. p.*
1. *Jurispr. constit.* 7. *d.* 29. Idem *Carpzov. lib.*
2. *respons.* 34. Conf. *Cothman. cons.* 4. *vol.* 3.
Ricc. collect. decis. 69. *et* 196. *Gail. lib.* 1.
obs. 9. *et seqq.*

TITULUS XV.

Communia de manumissionibus.

SUMMARIA

Cujusnam sint leges hujus tituli et quid novi continent? num. 1.
Summa leg. 1. *summarie per casus tractata.* 2.
Constitutum leg. 2. *num.* 3.
Etiam infans et ignorans manumitti potest et fit Civis Romanus. 4.
Tenor leg. 3. *num.* 5.

1 Omnes *tres leges hujus tituli* sunt Justiniani,
et quid novi continent; nam *legis primae* haec
est summa, siquidem summarie haec tractabo.
2 Si proprietarius servus penes me sit, ususfru-
ctus tuus, si ambo manumiserimus, plenam
servus libertatem consequitur, *l.* 1. *h. t.* Sed si
tu tantum manumiseris, servus est, licet quam-
diu ususfructus durasset, non serviat, sed te
mortuo, quia tuum jus, quod per usumfru-
ctum habebas, jam resolutum est, mihi po-
stea servit jure consolidationis, et quae interim
extra operas suas quaesivit servus, mihi adqui-
sivit. Sed si ego manumittam, liber fiet, quam-
vis tibi viventi operas serviles praestet, cum ti-
bi praejudicare non potuerim; et quae extra
operas interim adquisivit, eorum te non fecit
dominum, sed sibi ea quaesivit. Sine ulla etiam
distinctione liberorum, parentes servos ut ma-
numittant, mandare possunt, *l.* 1. §. 1. *h. t.*
Constitutum etiam in *l.* 2. *h. t.* ut infans e- 3
tiam, et ignorans manumitti possit, et fiat civis 4
Romanus. Et ancilla, quae domini sui concubi- 5
na fuit, et liberos ex eo sustulit, si nihil dispo-
suit dominus de ejus libertate, post mortem
domini cum liberis susceptis libera fiet, per
l. ultim. verb. *ut sit mors domini libertatis eo-*
rum exordium.

TITULUS XVI.

De liberali causa.

SUMMARIA

Causa liberalis seu praejudicialis quaenam dicatur, et cur? num. 1.
Exemplo illustratur. 2.
Quinam in his causis actoris et quinam rei loco sit? 3.
In juribus et rebus incorporalibus quasi possessio bona fide habita relevat a probandi onere, secus si mala fide. 4.
Si dubitatur, an in possessione libertatis quis sit, an non, id ex forma libelli erit colligendum. 5.
Quandoque tertius servum invitum quoque defendere potest, si nimirum colludere videatur reus pro suo interesse. 6.
Facti species in l. 19. h. t. *num.* 7.
Quod si reus suspicetur per calumniam se in servitutem vindicari, injuriarum actionem vel de calumnia pendente lite status proponere potest, ad quam etiam alter, qui in judicio liberali actor est, respondere tenetur. 8.

Quum de statu cujusquam movetur quaestio, 1 vocatur *causa liberalis seu praejudicialis*, cum obstet et praejudicium pariat caeteris causis, v. g. cum quaeritur de alimentis, operis, obse- 2 quio, rei vindicatione, haereditate, crimine, obligatione, et similibus; nam exempli causa cum de operis quaeritur, quaestio praejudicialis prius excutienda est, an etiam libertus sis. Et in his praejudicialibus causis actoris loco 3 est, qui alium ex libertate in servitutem, vel ex ingenuitate in libertinitatem vindicat, qui vero in possessione libertatis vel ingenuitatis est, is reus est, *l.* 21. *h. t.* atque interim lite pendente liber, *l.* 14. *h. t.* nisi per fugam dolose possessionem libertatis arripuerit, *d. l.* 21. ex qua probatur: Quod in juribus et rebus incor- 4 poralibus, quasi possessio bona fide habita relevat ab onere probandi, secus si mala fide, *Donell. l.* 25. *c.* 2. *et ad l.* 7. *C. de fid. instr. num.* 24. *et seqq. Masc. concl.* 791. *num.* 19. Hinc quando de eo dubitatur, an in possessio- 5 ne libertatis quis sit, an non, id ex forma libelli colligendum, *l.* 21. *h. t.* quamvis ibidem alii confessionem tormentis expressam intelligant. Interdum autem si colludere videatur reus pro 6 suo interesse, tertius defendere servum potest, etiam invitum, per *l.* 9. *h. t.* Cujus est haec 7 species: Manumisi Stichum, postea hic a te in servitutem vindicatur. Stichus quidem seipsum defendere debet, cum causa ipsum principaliter contingat, me tantum consequenter, propter jus patronatus. Sed si praesumptio sit, quod cum Titio colludas, ut me jure patronatus fraudes, possum litem in me transferre, et Stichi inviti statum defendere. Quandocumque enim tertius in causa aliqua inter duos ventilata, interesse habet per consequentiam, et metuit, ne litigantes colludant in praejudicium suum, potest liti adsistere, vel litem in se transferre, *l. si suspecta* 29. *ff. de inoffic. test. Covarr. q. pr.* 13. *num.* 3. Quod si etiam 8 reus suspicetur, per calumniam se in servitutem vindicari, potest actionem injuriarum vel de calumnia, pendente lite status proponere, ad quam etiam alter, qui in liberali judicio actor est, respondere tenetur, ne actioni injuriarum, vel calumniae praescribatur, sed sen- 9 tentia eousque differenda est, dum judicium de libertate fuerit finitum, nam ex eventu hujus apparebit, an juste, an vero per calumniam

10 lis de statu mota fuerit, et eo usque etiam lis de proprietate rerum, quas reum abstulisse actor dicit, differenda est, *l.* 31. *h. t.* ratio in *l. pen. infra de injuriis.* Unde probat *hic Bal-*
11 *dus*, quando quis per calumniam civiliter etiam convenitur, posse actorem criminaliter recon-
12 veniri de injuria. Nec ultimo, quod de rebus dicitur, obstat *l. fin. infra de ord. cognit.* quia illa de possessorio loquitur, haec de petitorio.
13 E contrario, si servus se ex servitute in libertatem asserat, vel alius ipsum asserit in libertatem v. g. pater *l.* 1. *h. t.* ubi pater allegaverat suam turpitudinem, dicens, se liberos
14 suos ingenuos vendidisse; unde pater propriam turpitudinem allegare potest, ut tertius indemnis servetur, nec praejudicium libertati fiat,
15 *Vivius dec.* 67. *num.* 7. Et in actibus contra legem gestis licita est propriae turpitudinis allegatio, *Schrad. de feud. p.* 10. *num.* 290. *Klock. cons.* 2. *num.* 57. *vol.* 1. Et quamvis judex de causa suspicionis, quae propriam turpitudinem notat, interrogare non debeat, *Thes. dec.* 6. si tamen sponte eam fateatur, recusatio judicis
16 justa erit, et potest pater venire contra filium,
17 in favorem liberorum, *Bald. in d. l.* 1. Hi, inquam, qui se vel alios in libertatem ex possessione servitutis asserunt, actores sunt, qui vero illum, ut servum possident, sunt rei.
18 Atque haec de constituendo judicio; Sed *Quomodo probabitur libertas vel ingenuitas?* Resp.
19 eam 1. Instrumentis probari, quae etiam patronus conventus edere tenetur ob summum libertatis atque ingenuitatis favorem, *l.* 26. *h. t.*
20 sufficit autem, si ipse manumissor tali instrumento subscripserit, filii autem subscriptio necessaria non est, ut qui facto patris adstringitur, *l.* 32. *h. tit.* - 2. Probatur etiam testibus, *l.* 15. *h. t.* Ratio in *l.* 25. *h. t.* ubi dicitur: *amissionem instrumentorum libertati non praejudicare:* 3. Probatur argumentis et praesumptio-
21 nibus, sed idoneis. Sic non valet argumentum, *fratres mei sunt liberi, ergo et ego sum liber*, quia fratres esse possunt liberi ortu, vel manumissione, et ego possum esse servus, *l.* 17.
22 *h. t.* quae *lex*, quoties consequentia negatur, et a saparatis argumentum ducitur, solet alle-
23 gari, nec valet consequentia, avus meus paternus fuit in dignitate constitutus, ergo sum ingenuus, *l.* 28. *h. t.* quia matris conditionem sequor. Imo nec ab avi materni ingenuitate argumentari possum ad meam, quia potuit mater ancilla facta esse, *d. l.* 28. Nec vis inest huic argumento: Haec a Titio redempta, vel pretio comparata est, ut esset in ejus contubernio: Ergo est libera; nam solum contubernium muliereulam sine manumissione non reddit liberam, *l.* 29. *h. tit.* licet mortuo domino libertatem consequatur, per *l. fin. tit. praeced.* Sed nec contra valet argumentum: haec est concubina servi mei, vel ei se prostituit, ergo ob id ancilla mea est, *l.* 31. *h. tit. l. un. infr. de SCto*
24 *Claud. toll.* Et si quis contubernium habeat cum ancilla mea, licet monitus sit ut desistat, non tamen fit servus meus, *l.* 3. *h. tit.* nam protestatio nihil operatur, quando juris rationibus non fulcitur. Sed et hoc argumentum elumbe est: Conduxit Titius a me fundum, ergo meus
25 patronus non est, *l.* 18. *h. t.* Sic nec verba, non serio, nec manumittendi animo, sed ex joco profecta, libertatem probant, *l.* 20. *h. tit.* Nec valet sequela; fui tutor tuus, ergo controversiam status mihi movere nequis, *l.* 35. *h. tit.* Sed ita possum optime argumentari, fuisti tutor meus, ergo mihi quaestionem status movere nequis, *l.* 39. §. 2. *h. tit.* quia tutelam tuam suscipiendo, videor statum tuum approbare, quod de casu *d. legis* 35. dici nequit. Confes- 26
sione sane probari quidem potest servitus vel libertinitas, praesertim quando adminicula alia, v. g. depositiones testium concurrunt, *l. pen. h. t.*
Si modo confessio non sit simulata vel erronea, 27
vel coacta, vel veritati contraria, *l.* 6. *h. tit.* falsa autem putatur, si possit probari contrarium, *l.* 22. *h. tit.* Cujus exemplum *l. pen. h. t.* ubi domina in litteris ad servum suum perscriptis eum decurionem nominaverat, cum tamen servilis status facile probari posset. Imo ne qui- 28
dem confessio apud acta sufficiet, si contrarium possit probari, *l.* 21. *et l.* 39. *h. tit.* nam confessio erronea et falsa, licet sit judicialis, non praejudicat, *Masc. cons.* 378. *Padilla in l.* 5. *C. de juris et facti ignor.* quamvis *legem* 24. intelligat *Glossa* de eo casu, ubi coram judice incompetente vel competente quidem, sed in alio, et non in liberali judicio confessio emanavit. Nec exinde servitus probatur, si duo de me litigarunt, et alter obtinuit, quia res est inter alios acta, *l.* 2. *h. tit.* nec nocet mihi, si a Fisco venditus sim, quia nec Fiscus ingenuitati meae praejudicare potest, *l.* 5. *h. tit.*
(et sic, si duo barones de jurisdictione alicujus 29
oppidi litigent, oppidanis his sententia lata pro illis non praejudicat; quin deducere hi possint libertatem suam, *Bald. in d. l.* 2.) multo minus, si ab alio privato venditus sim, *l.* 12. *h. tit.* etiamsi, cum vendi me passus, major 25. annis fuissem, nisi de pretio participassem, quia alias libertatem non amitto, *d. l.* 5. Ex conje- 30
cturis etiam probatur libertas et ingenuitas, si in libello ei cognomen tribuam, quod servi habere non solent, *l.* 9. *h. tit.* nam confessioni actoris in libello factae, in ejus praejudicium creditur, *Baldus hic et Obrecht. de libello c.* 18. *num.* 15. *Menoch. in pract. p.* 4. *c.* 9. *num.* 6.
Ex pacto vero, vel actu gestionis negotiorum 31
servilium servitus non probatur, non illud, quia
conventione nuda nemo fit servus, et sic volun- 32
tate sua nuda nemo fit servus alterius; non hoc quia et liberi serviles operas interdum prae-
stare coguntur, *l.* 10. *h. t.* Nec bonorum pu- 33
blicorum administratio me liberum esse pro-
bat, *l.* 11. *et* 38. *h. t.* nec probatur servitus, 34
si non participato pretio (multo minus si minor aut ignorans sim) in dotem datus sim, *l.*
16. *h. t.* unde probatur, instrumentum alteri 35
non nocere ignoranti, nec scienti, si minor
sit; Sed quaeritur: *An haeres unus ob eam* 36
causam me in servitutem vindicare possit, quod uni haeredum magis, quam alteri obsequia praestiterim? Quod neg. *l.* 23. *h. t.* quia haec causa revocandae libertatis non est, nec propter non exhibita officia statim aliquis in servitutem
revocatur, *l.* 3. *h. tit.* Unde probant, quod ob 37
levem feloniam vasallus non debeat privari feudo, per *c. un.* §. 2. *vers. praedictis modis etc. Quae fuit prima causa beneficii etc. lib.* 2. *Feud. tit.* 24.
Sed *si alieni contra leges libertatem dederim, an* 38
factum meum impugnare possim? Quod Neg. *in l.* 7. nam nec ipse, nec haeres meus contra fa-
ctum proprium venire potest. *Sed quid si do-* 39
minus pactus sit cum servo de danda ei libertate post aliquod temporis spatium? Resp.

Hanc conventionem dominum non obligare, *l.* 36.
h. tit. Sicut nec in contrarium haec conventio
me obligat, si liberos meos in servitutem tibi
me daturum, aut eos perpetim tibi servituros
esse promittam, *d. l.* 36. quia hic non est mo-
dus mutandi status. Unde ex *d. leg.* 36. pro-
40 bant: Neminem se posse ad perpetua servitia,
vel ad mercenarias operas in perpetuum obli-
41 gare, et inde probat *Bl.* quod vasallus possit
42 pacto renunciare. Imo si parens ex conventione
illa filium alicui vendat, Plagium committit,
et alter qui sciens conditionem filii (quae scien-
tia ex necessitudine, v. gr. si venditoris ge-
ner sit, praesumitur) emit, similiter Plagium
43 committit, sed alter alterum accusare nequit,
quia sunt socii criminis, *l.* 37. *h. tit.* Ex qua
44 *lege* 37. duo probantur. 1. Quod inter cognatos
praesumatur scientia status cognati, *Cravetta
consil.* 26. *num.* 3. *Mascardus concl.* 1300. *n.* 9.
45 et 2. Quod socius criminis socium accusare non
possit, *l.* 47. *ff. sol. matrim.* Sed si dominus
conveniat cum servo, se eum et liberos ejus
manumissurum, manumissus servus per judi-
cem monere potest dominum, non cogere, ut
46 etiam liberos manumittat, *l.* 8. *h. t.* De defun-
cti statu etiam quaeri potest, non equidem
principaliter, sed per consequentiam, quando
de dominio ejus vel peculio quaeritur, *l.* 13. *h.
tit.* non propter defunctum, sed propter vi-
ventes, sicut etiam de excommunicato usura-
rio post mortem ejus quaeri potest. Sententia
autem hic etiam absente altera parte, lite ta-
men contestata, ferri potest, *l.* 40. *h. tit.* ex qua
47 probare vult *Baldus* et alii; In causa liberali,
etiam lite non contestata procedi posse, quod
tamen ex *lege* non probatur, et si ea lata sit
pro libertate, non minus ut in aliis fieri solet,
in rem judicatam transit, *l.* 2. *h. t.* nec peti ite-
rum in servitutem absolutus potest, *l.* 4. *et* 27.
h. t. Ex *lege* 4. Colligunt: Sententiam in causa 48
status absente parte altera ferri posse, sed id
ex textu non colligitur, sed hoc, quod decen-
dium appellationis interponendae currat tantum
scienti, de quo alibi; et libertas semel data re- 49
vocari nequit, *l.* 20. *et* 26. in qua *leg.* 26. hoc
notabiliter dicitur; Quod manumissor docu- 50
mentum manumissionis dare cogatur, quia si-
cut non potest venire contra factum suum 51
proprium, ita non debet facti probationem oc-
cultare et denegare; et hoc non puto speciale
esse in libertate, sed in omni negotio. Et re- 52
prehendendi illi, qui dicunt neminem cogen-
dum facere instrumentum, quod ab initio fa-
cere non proposuit. Tales *DD.* nituntur oppri-
mere veritatem, praemium suum aliquando re-
portaturi, nec libertas revocari potest, licet ea
accepta pecunia data sit a domino, *l.* 33. *h.* t.
Sententia autem contra libertatem lata, nocet 53
non tantum matri, sed etiam liberis pendente
lite natis, secus autem in liberis ante litem mo-
tam natis, quibus sententia illa non nocet, sed
peculiariter his lis movenda est, *l. ult. h. t.* ex
qua probatur: Sententiam contra matrem latam 54
praejudicare liberis pendente lite natis, non an-
te, *Salycet. hic et alii*, ex quo videtur sequi,
feloniam patris non praejudicare liberis, sed 55
contrarium receptum est indistincte, per *tit.* 3.
lib. 2. *Feud. Harpr. lib.* 2. *c.* 16. *num.* 9.

Titulus XVIII.

De adsertione tollenda.

SUMMARIA

Judicium liberale olim non nisi adsertore et defensore ejus, qui status controversiam patitur, poterat institui. num. 1.
Inter dominum et servum nulla lis esse potest. 2.
Cujusnam periculo adsertor egerit, et qualem satisdationem dare fuerit coactus? 3.
Hodie judicium hoc sine adsertore procedit, dummodo hanc causam actor vel reus per procuratorem tractet. 4.
An, et quatenus is, qui de servitute in libertatem adseritur, procuratorem dare possit? 5.
Quoad res possessas distinguitur, et quomodo? 6.
Juramentum in praeparatoriis loco satisdationis cedit. 7.
Servus, qui per annum in contumacia stetit, statim domino est restituendus. 8.
Dominus aliquem in servitutem vindicans, et postea citra servi culpam aut causam ab alio praebitam coram alio judice conveniens, omni suo jure est privandus. 9.
Moriente ante litem contestatam in liberali judicio eo, qui de servitute in libertatem proclamat, non est praestanda evictio. 10.
An, si post litem contestatam moriatur, praestare oporteat evictionem? 11.
Si res vendita periit, antequam evincatur, non committitur stipulatio. 12.

Olim liberale judicium non poterat sine adser- 1
tore et defensore ejus, qui status controversiam
patitur, institui, quia inter dominum et ser- 2
vum nulla potest esse lis, et hic adsertor suo 3
periculo causam agebat, et satisdabat judicio
sisti, et res a servo detentas salvas fore, et hae
adsertoriae lites secunda et tertia vice repeten-
dae erant; Sed quia saepe hoc protrahebat li-
berale judicium, ideoque statuit Imperator, ut 4
sine adsertore liberale judicium procedat, et
potest per se, vel per procuratorem hanc etiam
causam liberalem actor vel reus tractare, nisi
quod is, qui de servitute in libertatem adseri- 5
tur, procuratorem dare non possit, quia servus
esse praesumitur, ac sententia semel lata trans-
it in rem judicatam, nisi fuerit, appellatum, *l.*
1. *pr. h. t.* quod ad res autem possessas attinet, 6
distinguitur in *l.* 1. §. 1. *h. t.* utrum ille, qui
de statu litigat, sit in possessione servitutis vel
libertatis; si illud, et ab aliquo possideatur, res
ejus quas possidet, a judice sunt sequestran-
dae, et sic in possessorio potissimum retinen-
dae, ob metum scandali pervenitur ad seque-
strationem, *Menoch. rem.* 1. *rec. poss. num.* 319.

et 323. si hoc, fidejussoriam de rebus in eventum restituendis praestabit, aut hac deficiente
7 juratoriam cautionem; unde probatur: juramentum loco satisdationis cedere in praeparatoriis; ratio distinctionis est, quia illo casu praesumitur servus, non hoc. Specialia autem sunt;
8 quod servus, si per annum in contumacia steterit, statim domino restituendus sit, *l.* 1. §. 2.
9 *h. t.* et quod dominus, si aliquem in servitutem vindicet, ac postea citra culpam servi aut causam ab illo praebitam, coram alio judice conveniat, quod tunc omni suo jure sit privandus, *d. l.* 1. §. *ult. h. t.* quod hic speciale esse, nec ad alium casum trahendum, dicit *Baldus.*
Illud etiam ex *l. ult.* notandum: Quod si is, 10
qui de servitute proclamat in libertatem, moriatur ante litem contestatam in liberali judicio, non praestanda sit evictio, quia jam non potest evinci, et res judicio evictionis exempta est, sed
si post litem contestatam moriatur, venditorem 11
praestare oporteat evictionem, nisi venditor dominium suum, vel saltem statum servilem
probaverit. Unde probatur: Si res vendita pe- 12
riit, antequam evincatur, stipulatio non committitur, *l.* 21. *pr. ff. de evict. Caball. de evict.* §. 5. *num.* 58.

TITULUS XVIII.

Quibus ad libertatem proclamare non licet, et de rebus eorum, qui ad libertatem proclamare non prohibentur.

SUMMARIA

An et quatenus dolose se venundari passus ad libertatem proclamare non prohibeatur? n. 1.
Sola pretii participatio libertatem tollit. 2.
Degenerem et servilem animum esse oportet, qui rem nobilissimam vili pretio aestimat. 3.
Qui de familia latronum fuerunt, et capti atque a Principe donati, vel Fisco incorporati proclamare prohibentur. 4.
Res servi ex servitute in libertatem proclamantis, quas domini asserit, statim domino restituendae, quas suas esse asserit, apud sequestrum deponendae. 5.
Quid finito judicio liberali cuique de his rebus restituatur? 6.
Quid vero de iis, quae operis suis acquisivit, restituat? 7.
Liquidum ab illiquido est separandum, et, quod liquido debetur, statim est restituendum. 8.
Liquidum interdum propter illiquidum non debetur. 9.
Quatenus per negationem res fiat dubia et illiquida. 10.

1 De *priore parte rubricae agit l.* 1. *et* 2. Nam qui se venundari passus est dolose, non prohibetur proclamare in libertatem, modo de pretio non participaverit, hoc enim casu prohibe-
2 tur, illo non, quia sola participatio pretii tollit
3 libertatem, quia degenerem et servilem animum esse oportet, qui rem nobilissimam vili pretio
aestimat. Eadem ratione prohibentur proclama- 4
re, qui de familia latronum fuerunt, et capti, atque a Principe alicui donati, vel Fisco incorporati, *l.* 2. *h. t.* Ad *secundam partem tituli*
pertinet *l. ult.* Nam si servus ex servitute pro- 5
clamat in libertatem, res quas domini asserit, statim domino restituendae, quas vero suas esse asserit, eae deponendae sunt apud seque-
strum, juxta *l.* 1. §. 1. *tituli praeced.* et finito 6
judicio liberali, peculium, quod a domino profectum, et quod ex redditione rationum servum domino debere constiterit, domino restituatur, quae vero ex testamento vel donatione, non intuitu domini putativi consequutus est, servo
restituantur? *Quid vero de iis, quae operis suis* 7
adquisivit? Resp. Glossa, quae ante litem contestatam parta, adquiri bonae fidei possessori, §. 4. *Inst. per quas personas adquir. etc.* Colli-
ge ex *h. l.* 3. Liquidum ab illiquido separandum 8
esse, et quod liquido debetur, statim esse re-
stituendum, et liquidum non debetur inter- 9
dum propter illiquidum, *l.* 5. *ff. de statu liber. Munnoz de Escobar. de ratiociniis c.* 21. *Barbosa locupletatus lib.* 10. *c.* 21. *axiom.* 2. *Auctor in l.* 5. *ff. de stat. liber. num.* 2. *et* 3. Deinde
notetur: Per negationem rem fieri dubiam et 10
illiquidam, nisi praesumptio, aut evidens probatio faciat contra negantem, *Gl. hic et Sich. in l.* 16. *num.* 4. *C. de judic. Carpz. p.* 2. *c.* 22. *d.* 2. *num.* 16.

TITULUS XIX.

De ordine cognitionum.

SUMMARIA

Actiones praejudiciales, prius quam ulla alia judicia civilia, sunt decidendae. num. 1.
Cui quaestio status movetur debitum sibi a debitore petere non potest. 2.
Quaestio pendens ex alterius causae decisione cum ea non potest simul ventilari. 3.
Exemplo illustratur. 4.
Servi, qui corporis cruciatu poenas aestimant existimationis securi, ideo gravius ingenuis plectuntur. 5.
Pendente quaestione status adversarius de crimine accusari nequit. 6.
An accusator, non reum, qui se pro domino gerit, sed alium accusans, sit admittendus? 7.

Causa praejudicialis non patitur reconventionem simultaneam. 8.

Illae causae, quae se mutuo non compatiuntur, nec reconventionem admittunt. 9.

Reus potest excipere de jure tertii, quando illud actorem reddit inhabilem. 10.

Casus. 11.

Inter duas quaestiones principales ordo est in judicio, sed inter principalem et incidentem non est ordo, sed per se unica sententia expediuntur. 12.

Quando quis victoriam reportat in causa principali, omnia incidentia sopita sunt. 13.

An determinatio et sententia, ut in causis emergentibus, et quae ordinem processus concernunt, ita etiam in incidentibus sit necessaria? 14.

Quid si possessorium cum petitorio concurrat? 15.

Deciditur per distinctionem. 16.

An etiam eo casu, si spoliatus primum agat possessorio, et tu restituere jussus, excipias, causa liberalis praecedere debeat? 17.

Exceptiones, quae non ad moderandam executionem pertinent, quando rei judicatae opponuntur, remittuntur ad aliam instantiam seu reconventionem post factam executionem. 18.

Sequestrum non habet locum, ubi quis vult per fidejussores cavere. 19.

Fidejussio sequestri medicina vocatur. 20.

Quando locus sit sequestrationi. 21.

Quando adversarius collitiganti alimenta et expensas litis suppeditare cogitur. 22.

An et quatenus is, qui in quasi possessione servitutis et ut servus possidetur, vel a patre ut filiusfam. tractatur, convenire et conveniri possit? 23.

Si lis sit ordinata super causa status, qui ad libertatem etiam proclamat, potest alias actiones intentare. 24.

Qui in possessione libertatis est, etiam ante litem ordinatam alias actiones intentare potest. 25.

Lite ordinata alia quidem actio intentari potest in casu conclusionis secundae, sed ultra litis contestationem non proceditur. 26.

1 Quia hae actiones praejudiciales sunt, ideo
prius decidendae, quam ulla alia judicia civilia,
2 *l.* 5. *h. t.* ubi ille, cui quaestio status movetur,
non potest sibi debitum a debitore suo petere.
Potest enim accidere, ut servus actor pronuncietur,
ideoque status causa prius decidenda,
3 et criminalia, *l.* 1. *h. t.* Unde colligitur: Quaestionem
pendentem ex decisione alterius causae,
cum ea simul ventilari non posse, *l.* 4. *pr. ff.*
de excus. tut. l. 51. *l. siquidem* 10. *C. de injur.*
4 *Bald. hic;* v. g. quando res meas repeto, quasi
furto subtractas, ab iis, quos servos meos esse
dico; prius enim cognoscendum, an sint servi,
an non. Nam hoc casu dabitur judicium, illo
vero casu non, *l.* 6. *h. t.* Si cum accusanda foemina
ob crimen, debet prius constare, an ancilla
sit, an vero libera, an etiam ingenua, ut
5 de poena statui possit, *l.* 3. *h. t.* nam servi, qui
corporis cruciatu poenas aestimant existimationis
securi, ideo gravius ingenuis plectuntur,
l. 1. *l.* 10. *l.* 28. §. *ult. ff. de poenis.* Idem observandum,
ut scilicet de statu prius quaeratur,
si accusatori quaestio status moveatur, *l.* 4.
6 *h. tit.* Et pendente quaestione status, adversarium
suum de crimine accusare nequit, *d. l.* 1.
Sed si accusator non eum, qui se pro domino 7
gerit, sed alium accuset, judex ex qualitate
criminis atrocioris, vel minus atrocis, definiet,
an admittenda sit accusatio, juxta *l.* 4. *h. t.* ex
qua *lege* 4. duo notanda: I. Quod causa prae- 8
judicialis non patiatur reconventionem simultaneam,
Bl. hic, et quod illae causae non admit- 9
tant reconventionem, quae se mutuo non compatiuntur,
Trentacinq. lib. 2. *tit. de mutuis pet.*
tit. 9. *concl.* 1. *num.* 18: II. posse reum excipe- 10
re de jure tertii, quando jus tertii inhabilem
reddit actorem, *Bl. hic. Hillig. in Donell. lib.*
20. *c.* 7. *lit. D. Sichard. in l.* 6. *C. de servis*
fugitiv. Klock. cons. 29. *num.* 59. *vol.* 2. Sic, 11
si haereditatem petam, alter excipiendo allegat
me esse servum, haec incidens quaest. prius
examinanda, sed si constiterit, me esse haeredem,
non opus est, ut judex pronunciet, me esse
liberum, sufficit enim pronunciatum, me esse
haeredem, ex quo alterum illud sine difficultate
elicitur, *l.* 2. *h. t.* Unde colligitur: inter duas 12
quaestiones principales esse ordinem in judicio,
sed inter principalem et incidentem non esse
ordinem, sed per se unica sententia expediri et
quando quis victoriam reportat in causa princi- 13
pali, omnia incidentia sunt sopita, et licet in
causis emergentibus, quae ordinem processus 14
concernunt, necessaria sit determinatio, et sententia,
non tamen in causis incidentibus, sed
in his sufficit, si super negotio principali sententia
feratur, *Menoch. lib.* 2. *A. Q. casu* 167.
num. 5. *Gilken. in l.* 1. *C. de ord. judic.*
num. 7. *Unnius ad proc. disp.* 9. *num.* 16. Conf.
dicta in *processu cap.* 12. *Sed quid si possesso-* 15
rium cum petitorio concurrat? Pone enim, te
ei, quem servum tuum esse dicis, nonnullas
res abstulisse, ille agit possessorio recuperandae
contra te, tu agis in petitorio de ejus servitute;
distinguit Imperator in *l. fin.* Aut enim is, 16
de cujus statu quaeritur, in possessione servitutis
est, et in libertatem proclamat, et hoc
casu differtur possessorium, dum lis de statu
finiatur. Aut in possessione libertatis est, et a
te in servitutem vindicatur, et hoc casu, quia
ob possessionem pro eo militat praesumptio,
possessorium praecedit et restituuntur illi, quem
servum tuum esse dicis, bona ablata, si fidejussorem
de restituendis rebus in casum succumbentiae
praestare possit, nam alioquin res
sequestrandae, ut tamen pro arbitrio et aestimatione
judicis ex his bonis litigans alatur. Sed 17
quid si spoliatus primum agat possessorio, et
tu jubearis restituere, sed postea excipias, illum
esse servum; Quaeritur: *Anne etiam eo*
casu liberalis causa praecedere debeat? Quod
negatur in *fine legis ultimae.* Statim enim res restituendae
sunt sine cautione, quia protelandae
litis causa, de statu litem movere videris. Et
ita exceptiones, quae non ad moderandam exe- 18
cutionem pertinent, quando rei judicatae opponuntur,
remittuntur ad aliam instantiam seu
reconventionem post factam executionem, *Mevius p.* 3. *decis.* 176. *num.* 3. Collige ex *l. ult.*
I. Sequestrum non habere locum, ubi quis vult 19
per fidejussores cavere. Et ideo fidejussionem 20
sequestri medicinam vocant, *Natta cons.* 389.
num. 8. et quos allegat *Hering. de fidejuss. c.*
15. *num.* 21. II. Ubi quis ex necessitate legis 21
satisdare debet et fidejussores reperire nequit,
et per juratoriam cautionem securus reddi non

potest alter, quod tunc sequestrationi locus sit, *Baldus hic*, et conferantur tractata a *Castillo de usufructu c.* 18. *num.* 18. *P. Barbosa in l.* 8. §. *interdum.* 26. *etc. ff. solut. matrim. Guido*
22 *Papae decis.* 250. III. Collige etiam casum, ubi adversarius collitiganti cogitur alimenta et expensas litis suppeditare, quod hic fit non tam, quia pro se habet sententiam, sed quia in possessione libertatis est, *Hippol. Riminaldus vol.* 3. *cons.* 255. *num.* 4. Et ideo in prima instantia etiam sumptus peti posse tradunt *DD.* a me allegati ad *l.* 27. §. 3. *ff. de inoff. testam. et Farinac. lib.* 12. *quaest.* 62. Ex praedictis textibus et praesertim *l.* 5. *et fin.* quatuor sequentes conclusiones elicit *P. Barbosa in l. Titia* 35. *num.* 2. *et seqq. ff. solut. matrim.* I. Si ille, qui est in quasi possessione servitutis et ut ser- 23
vus possidetur, vel a patre ut filiusfamilias tractatur, provocet ad libertatem, et lis super causa status nondum est ordinata, et is nec alios convenire, nec conveniri potest, *l. fin. pr. h. t.* II. Si lis sit ordinata super causa status, 24
qui ad libertatem etiam proclamat, potest alias actiones intentare. III. Qui vero in possessione 25
libertatis est, potest etiam ante litem ordinatam intentare alias actiones, quae duae conclusiones probantur per *leg. ordinata* 24. *ff. de lib. causa.* IV Lite ordinata potest quidem alia 26
actio intentari in casu conclusionis secundae, sed ultra litis contestationem non proceditur, per *l.* 5. *h. t.* quia incipit incertum esse, cui debeatur.

TITULUS XX.

De collusione detegenda.

SUMMARIA

Cur per Senatusconsultum *collusio domini cum servo fuerit prohibita? num.* 1.
Servi colludentes ingenuitatem non acquirebant, ne quidem accedente rescripto. 2.
Qui collusionem servi detegit, ejus acquirit dominium. 3.
Idem in patrono et liberto. 4.
Quomodo collusio in hac materia vel in criminibus probetur. 5.
Sententia ex collusione lata nulla est. 6.

1 Cum nonnulli domini paterentur ex nimia erga servos indulgentia, servos suos ad ingenuitatem proclamare et provocare, eosque liberos declarari, ideo *SCtum* factum est, quo cautum, ne servi cum dominis colludendo ingenuitatem 2
adipiscantur, ne quidem accedente rescripto; et porro cautum, ut, qui istam collusionem de- 3
texisset, adquireret dominium istius servi, qui per collusionem liber et ingenuus judicatus est, *Auctor in l.* 1. *ff. h. t.* Idem est, si patronus 4
per collusionem patiatur, ut libertus ejus ingenuus pronuncietur: qui enim fraudem detegit jus patronatus adquirit, cujus ratio, ne publici honores a personis servilibus et libertinis pollerentur, *hic et l.* 1. *et* 2. *ff. eodem.* Quomo- 5
do collusio in hac materia vel in criminibus probetur, vid. *Mascardum de probat. concl.* 377. *Menoch. lib.* 5. *praesumpt.* 26. *Farin. quaest.* 41. *num.* 19. et quas decisiones refert *Marta tom.* 2. *ff. noviss. tit.* Collusio *pag.* 26. *et seq.* Et sententia ex collusione lata nulla est, 6
Vivius decis. 296.

TITULUS XXI.

Ne de statu defunctorum post quinquennium quaeratur.

SUMMARIA

An et quatenus post mortem alicujus de ejus statu quaeri possit? num. 1.
Exemplo declaratur. 2.
Praescriptio in duplica potest opponi ad evitandam actionem et replicam. 3.
Quando diversa forma de aliquo increbuit, ultima attendi debet. 4.
Praescriptio haec contra pupillos vel minores et rempubl. currit. 5.
Quatenus interpellatio haec praescriptionem interrumpat? 6.
Nec litis contestatio nec citatio facta coram incompetente judice praescriptionem civiliter interrumpit. 7.
De statu illo, de quo in minima capitis deminutione vel de servili agitur, etiam post quinquennium quaeri potest. 8.
Status ejus, qui in fuga et latitatione decessit, temporis cursu non convalescit. 9.

Post mortem alicujus de statu ejus, an liber 1
aut servus fuerit, principaliter quaeri non potest, *l.* 13. *supr. de liber. causa*, nisi lis vivo illo coepta sit. Tunc enim ea morte illius non interrumpitur, propter evictionem scilicet, *l. fin. supr. de adsert. toll.* Et propter emolumentum successionis, *l.* 3. *h. t.* Sed incidenter de statu defuncti etiam post mortem quaeri potest, v. g. si principaliter de ejus successione agatur, *l.* 1. *h. t.* Sed intra quinquennium, non postea, v. g. Titius manumisit Domitiam, 2
post 5. annos moritur, relicto haerede, a quo ea bona aut peculium petit Sempronius, praetendens, Domitiam suam fuisse ancillam; haeres excipit, fuisse eam liberam, et a Titio ma-

numissam; replicat actor, imo et ipsum Titium fuisse servum suum; reus duplicat, quia quinque anni praeterierunt a morte Titii, de ejus statu jam quaeri non posse; ne quidem per consequentiam, *l.* 1. *et* 4. *h. t.* Ex *l.* 1. notat
3 *Baldus*, praescriptionem in duplica opponi posse ad evitandam actionem et replicam, quamvis de hoc dubium esse possit nullum. Et haec quinquennalis praescriptio locum habet, si vixit defunctus ut civis Romanus sine interpellatione, *l.* 2. potissimum ultimo tempore et paulo ante mortem, *l.* 6. *h. t.* Unde Colligit *Bal-*
4 *dus et DD. alii:* Quando diversa fama increbuit de aliquo, quod debeat attendi ultima. *Matthesil. sing.* 51. *num.* 17. *Menoch. cons.* 27. *in fine*, *Natta cons.* 473. *n.* 20. *Farin. q.* 447. *n.* 165.
5 et notetur hic, quod praescriptio haec contra pupillos vel minores, et remp. currat. Et haec praescriptio non tantum privatis, sed
6 etiam Fisco nocet, *l.* 7. *h. t.* Sed interpellatio hanc praescriptionem interrumpit, si ea apud judicem competentem facta, nam licet quis de statu quaestionem passus sit coram incompetente judice, haec interpellatio nulla erit, et ipsi non nocebit, *d. l.* 7. *h. t.* Unde probant:
Nec litis contestationem coram incompetente 7
judice factam, nec citationem a judice incompetente factam interrumpere praescriptionem civiliter, *Balbus de praescriptione part.* 3. *partis* 6. *num.* 35. *Covarr. in cap. possessor pr.* §. 12. *num.* 4. *Molina tr.* 2. *d.* 28. *num.* 14.

Sed de statu illo, de quo in minima capitis 8
deminutione agitur, etiam post quinquennium quaeri potest, scil. an filiusfamil. vel sui juris fuerit, *l.* 5. *h. t.* sicut etiam de statu servili quaeri potest post quinquennium, si quis aufugerit et alicubi latitaverit, ejusque res detentae fuerint ab aliquo, conditionem servi non ignorante; de hoc enim fugitivo dici non potest, quod ut civis Romanus vixerit, nec detentor rerum illius habet bonam fidem, *l. fin. h. t.* Unde Colligitur; statum ejus, qui decessit in fuga et la- 9
titatione, non convalescere temporis cursu, *Bl. hic* et qui est in fuga, eum praescriptionem pro se allegare non posse, *Schneid. in tit. Instit. de usucap. tit. quot sunt species praescript. num.* 46. *Carpzov. in pract. crimin. quaest.* 59. *num.* 48.

TITULUS XXII.

De longi temporis praescriptione, quae pro libertate, et non adversus libertatem opponitur.

SUMMARIA

Contra libertatem nullo tempore praescribitur. num. 1.
Praescriptio sine possessione non procedit. 2.
Libertas 20. *annis inter absentes, inter praesentes* 10. *potest praescribi.* 3.
Glossa *cum* Balbo *notatur.* 4.
Alii distinguunt h. l. 5.
Quaenam ad libertatis praescriptionem requirantur? 6.

1 Contra libertatem nullo tempore unquam praescribitur, ne quidem 60. et pluribus annis, *l. fin. h. t. l.* 6. *supra de ingenuis manumiss.* cu-
2 jus ratio, quia praescriptio sine possessione non procedit, sed liber homo possideri nequit, *l. liber homo ff. de adquir. rerum dom.* quam rationem ex *Baldo* proponit *Balb. de praescr. part.* 2. *part.* 4. *q.* 6. *num.* 3. *et seq.* Sed hoc ad illas conditiones personae, quae libertatem ejus non tollunt, sed minuunt, extendendum non est, Vid. *Balb. d. q.* 6. *num.* 2. Sed libertas 3
praescribi potest annis 20. *l.* 2. *h. t.* scilicet inter absentes, nam alias inter praesentes 10. annos sufficere, probari videtur ex *l.* 16. §. 3. *ff. qui et a quibus manumissi etc.* quamvis *hic* 4
Gl. et eam secutus *Balbus dicto tract. parte* 3. *partis* 4. *q.* 7. velit indistincte 20. annos requiri. Sed aliter distinguit *P. Barbosa ad l.* 5
Titia 25. *ff. sol. matrim. num.* 18. quod cum titulo sufficiant 10. anni, sine titulo, cum bona tamen fide, vicennium. Sed requiritur ju- 6
stum initium, *l.* 2. *h. t.* et ut non mala fide per fugam, sed bona fide in possessionem libertatis venerit, *l.* 1. *h. t. et l. fin. tituli praeced.* nam titulum non requiri communiter placuit *Gl. in l.* 2. *et ibi Baldus*, *Guido Papae decis.* 361. *num.* 1. *et Balbus d. q.* 7. *num.* 1.

TITULUS XXIII.

De peculio ejus, qui libertatem meruit.

SUMMARIA

Differentia inter manumissionem inter vivos et eam, quae fit in ultima voluntate. num. 1.
Idem in emancipatione liberorum. 2.

1 Proponitur hic differentia inter manumissionem factam inter vivos, et eam, quae fit in ultima voluntate. In illa tacite donatur peculium, si non expresse adimatur, in hac non, *hic et* §. 20. *Instit. de legat.* Idem in eman- 2
cipatione liberorum, *l.* 31. §. 2. *ff. de donat.* Ratio est, quia qui vivos manumittit, potest adimere peculium, si velit, atqui non fecit, ergo non voluit; sed in ultima voluntate praesumitur oblitus peculii, et id potius cum caeteris bonis haeredi dedisse videtur. Et sic actus inter vivos favorabilior est, quam ultimae voluntatis in hoc casu.

TITULUS XXIV.

De SCto Claudiano tollendo.

SUMMARIA

In SCto Claudiano quid constitutum. num. 1.
Sublatum hoc ipsum ab Imp. 2.
Quid hodie constitutum. 3.

1 Si qua libera, virgo, vel foemina, alieno servo, contra domini istius denunciationem trinam, se copulasset, poterat illius ancilla fieri cum liberis. Sed Imper. hoc toti ipsius familiae pro- 2
brosum fore existimans, SCtum sustulit, et constituit, ut servus ille castigetur verberibus, 3
et conjugium separetur, *hic et §. 1. Instit. de successionibus sublatis etc.*

TITULUS XXV.

De nudo jure Quiritum tollendo.

SUMMARIA

Quinam jure Quiritum servum possederunt. num. 1.
Quid hoc sublato Imperator constituerit. 2.

1 Qui usuceperat, et cui in jure cessus erat servus, aut emancipatus, is jure Quiritum possidebat servum; secus, si cui titulo venditionis esset traditus. Sed hanc scrupolosam potius, 2
quam utilem distinctionem sustulit Imperator, et constituit, ut omnes, qui ex quacumque causa justa dominium servi adquisivissent; pleno jure possiderent, et manumittendo cum facerent civem Romanum, quod illis, qui non jure Quiritum possidebant, non licuit.

TITULUS XXVI.

De usucapione pro emptore vel transact.

L. Mancipia. 1.

SUMMARIA

Usucapio non nisi bona fide fieri potest, et quidem in mobilibus tam ex parte venditoris, quam emptoris bona fides requiritur. num. 1.
Venditor malae fidei rem mobilem vendendo furtum committit. 2.
Rem emens ab eo, qui non habet jus alienandi, nec acquirit, nec usucapit, sed illicite vendit. 3.
Objectio diluitur. 4.

1 Usucapio, quae est per possessionem bona fide et justo titulo inchoata et legitimo tempore continuata legitima domini acquisitio, non fit sine bona fide, et quidem in mobilibus, tam ex parte venditoris, quam emptoris bona fides
2 requiritur, *l.* 4. *h. t.* Nam, si venditor malae fidei sit, tunc rem mobilem vendendo, furtum committit, v. g. si mancipia mala fide distra-
3 cta sint. Ex qua *l.* 1. collige: Qui emit rem ab eo, qui non habet jus alienandi, non adquirit,
4 nec etiam usucapit, sed illicite emit. Sed oppones, quod rem alienam vendere liceat per *l. rem alienam ff. de contrah. empt.* Resp. in immobilibus, etiam eo casu, quando uterque in bona fide est, alias fit res furtiva, sed et obligatio ex rei alienae scienter facta venditione oritur, juxta distinctionem *l.* 31. §. 3. *de contrah. empt.*

L. Si contra. 2.

SUMMARIA

Quinque rerum genera, quae usucapi nequeunt. num. 1.
Res testamento alienari prohibita, si distrahatur a tutoribus, non potest usucapi. 2. 3.
Quid si alienatio rei per contractum vetita. 4.
Prohibitio testamentaria est duplex. 5.
Prohibitioni testamentariae aequiparatur legis prohibitio. 6.
Quatenus bonae fidei possessor hanc usucapiendi conditionem transferre possit? 7.
Regula, Non alienabile non praescriptibile, *fallit eo casu, quando prohibitio est modificata.* 8.

Quinque sunt genera rerum, quae usucapi 1
non possunt: 1. Res furtivae, ut in *l. praeced.* 2. Vi possessae, §. 7. *Inst. de usuc.* - 3. Res pupillares. - 4. Res minorum. - 5. Res commercio privatorum exemptae in genere, ut res sacrae, civitatum, Fisci, liber homo, et similes. *Res* 2
autem testamento alienari prohibita si distrahatur a tutoribus, an potest usucapi? Neg. quia rationabilis hic causa prohibitae alienationis additur, tum quia servus pupillaris est, tum quia jura pietatis non violanda, *l.* 7. *C. de testam. manumiss.* Collige: rem a testatore alienari ve- 3
titam ex justa causa, ne quidem usucapi posse, *Vasq. p.* 1. *contr. lib.* 2. *q.* 89. *num.* 9. Aliud 4
autem in alienatione vetita per contractum,

Vid. *Thesaur. lib.* 2. *q.* 81. *et Vivius decis.* 471.
5 *ubi num.* 5. rationes differentiae allegat. Duplex
autem est proibitio testamentaria, Expressa et
Tacita, *Balbus de praescript. part.* 1. *partis* 5.
princ. q. 4. *ubi in num.* 2. tricennali locum facit quia triennalis titulum non requirit:
6 prohibitioni testamentariae aequiparatur prohi-
7 bitio legis, quae tamen si non simplex, et
absoluta, sed modificata sit, potest bonae fidei
possessor usucapiendi conditionem transferre,
8 *Balbus d. q.* 4. *num.* 4. sicut etiam regula,
Non alienabile non est praescriptibile, fallit eo
casu, quando prohibitio est modificata, *Balb.
d. q.* 4. *num.* 46.

L. Si matrem. 3.

SUMMARIUM

An et quatenus ancilla furto surrepta et ejus partus usucapi possit.

Sicut ancilla furto surrepta usucapi nequit, ita nec partus ejus, licet apud haeredem furis nescientem conceptus sit, *l.* 4. §. 15. *ff. de usucap.* Sed si apud bonae fidei possessorem concepit, usucapi poterit, *l.* 10. §. 2. *ff. de usucap.* Ratio differentiae est; quia haeres vitiorum successor, *l.* 11. §. 2. *ff. de Publiciana.* Sed in postremo casu nullum vitium vel possessoris, vel partus, *l.* 48. §. 5. *ff. de furtis, Donell. l.* 5. *c.* 25. *Bacchov. in Tr. v.* 2. *d.* 22. *th.* 3. *lit. B.*

L. Venditioni. 4.

SUMMARIA

An rem meam assensu meo vel bona fide venditam et continuo ac legali tempore ab emptore possessam vindicare liceat? num. 1.
Br. Bl. et DD. *notantur.* 2.
Explicatio l. 3. ff. pro donato. 3.
An quoad fructuum adquisitionem bona fides errorem juris impediat? 4.
In emptione bona fides, et in contractu et in traditionis tempore intervenire debet. 5.

1 Venditioni res meae si assensum praebui, vel
bona fide sit illa facta, etiamsi non consenserim, et continuo ac legali tempore emptor possederit, non possum rem vindicare. Quaerit *hic Gloss. et DD. an error juris semper bonam fidem impediat?* Et hoc affirm. regulariter per *l. nunquam* 31. *ff. h. tit.* sed hoc plerique limitant, nisi jus ipsum sit controversum, *Covarr. in c. possessor p.* 2. *memb.* 1. *c.* 3. *num.* 2. et aliquos allegat *Harpr. in pr. Inst. h. t.*
2 *num.* 87. licet autem *Br. Bl. et DD.* aliud putent, si error juris cum errore facti concurrit, per *l.* 3. *ff. pro donato:* Sed licet haec sententia eo casu, quo error facti errori juris praeponderat, concedi posset, *Gilken. de praescript. p.* 2. *num.* 1. *c.* 3. *num.* 46. *etc.* verius tamen est, hanc limitationem ita in genere
3 intellectam non concedendam esse. Nam *d. l.*
3. non continet errorem juris in illo contractu,
sed in genere, de quo vid. *Covarr. in c. possess. p.* 2. §. 7. *in fin. Gilken. d. l. Vasq. l.* 2. *contr. c.* 79. *num.* 3. *et Harpr. d. l. num.* 90.
quantum ad fructum adquisitionem, errorem 4
juris bonam fidem non impedire, tradunt *DD. ex l.* 25. §. *scire ff. de pet. haered. Bl. hic Roman. sing.* 90. *Covarr. lib.* 1. *resol. c.* 3. *num.* 8. vid. *Auct. ad l.* 31. *ff. de usurp. et*
usucap. Notat etiam *hic Gl.* in emptione bonam 5
fidem, et in contractu, et tempore traditionis intervenire debere, per *l.* 2. *pr. ff. h. t.* Cujus rei rationes examinat *Gilken. p.* 2. *num.* 1. *c.* 14. *Wesenb. in* ϖ *ff. h. t. et ibidem Bacchov.*

L. Si partem. 5.

SUMMARIA

Sensus legis. num. 1.
Mala fides praescriptionem impedit. 2.
Res distracta per decem annos inter praesentes possessa et bona fide empta an vindicari possit? 3.
Quid si possessor fundum vi occupaverit, an usucapiatur fundus? 4.

Possessor fundi partem ejus retinet, partem 1
ante aliquot annos distraxit, illa pars, quam retinuit, potest cum fructibus vindicari, *l.* 22.
supr. de rei vind. si mala fide possedit, nam 2
mala fides impedit praescriptionem. Illa autem 3
pars, quae distracta, vindicari non potest, si per decem annos inter praesentes possessa, si modo bona fide empta: Sed hoc mutatum in *Auth. malae fidei C. de praescr. long. temp.* ubi etiam ex parte venditoris bona fides requiritur.
Quid si autem possessor vi occupasset illum 4
fundum? Usucapi ne quidem ab emptore potest, priusquam in domini vel expulsi potestatem pervenerit, *d.* §. *Inst. de usuc.* sed huic obstat *l.* 3. *C. quod metus causa.* Sed distinguit *Gl. hic et Baldus aliique* inter vim expulsivam ac compulsivam; haec *lex* 5. de expulsiva, illa vero *l.* 3. de compulsiva, quae voluntatem non omnino excludit. Et distinguendum hic inter rem furtivam et vi possessam; illa in domini potestatem reverti debet, haec expulsi in manus debet venire, *l.* 6. §. 3. *ff. de precar. Donell. lib.* 5. *c.* 28. *et ibi Hillig. lit. C.*

L. Cum sit probatum. 6.

SUMMARIA

An debitor rem suam pignori obligatam subtrahens furtum committat? num. 1.
Res furtiva usucapi nequit. 2.

Debitor, qui rem suam pignori obligatam, sive 1
traditam, sive non traditam subtraxit, furtum etiam circa rem suam committit, per *l.* 66. *et l.* 87. *ff. de furtis,* quod tamen semper de eo casu intelligendum, quando furandi affectus adfuit, per §. 7. *Inst. de obl. ex delicto.* Quid enim, si debitor, alia media solutionis sciens, alienaverit hypothecam? quid si ideo vendidit, ut pecuniam ex venditione redactam solveret credi-

tori? Quando autem cum affectu malo (*den Creditorem zu gefahren*) pignus vel hypothe-
2 ca venditur scienter, est res furtiva, quia furtum afficit rem, et ideo usucapi nequit; Conf. *Donell. et ibi Hillig. lib.* 5. *c.* 28 *Cujac. ad l.* 4. *num.* 21. *Harpr.* de usuc. *Pacius cent.* 6. *q.* 98. *vid. Auct. ad l.* 4. §. 5. *ff. h. t. num.* 3.

L. Sciens. 7.

SUMMARIUM

An et quatenus in re vitio affecta bona fides et justus titulus ad usucapionem proficiant?

Bona fides non proficit ad usucapionem, etiam titulus justus, si vitio sit affecta res, i. e. si sit furtiva vel vi possessa, ac vitium nondum sit purgatum per reversionem in manus domini, vel ejus, qui vi expulsus est. Vitium etiam hoc reale non tollitur per superveniens dominium, v. g. si maritus lucretur dotem ex pacto vel testamento, vel statuto, vel venditor rei furtivae domino succedat. Per *l. cum vir* 47. *ff. h. t. Petr. Barb. in l.* 1. *ff. sol. matr. p.* 5. *num.* 18. *et* 33.

L. Ex causa. 8.

SUMMARIA

Casus legis. num. 1.
Ratio dubitandi. 2.
Ratio decidendi. 3.
Limitatur. 4.
Qui transactionis causa rem tradit, habet animum transferendi dominium. 5.
Qui permittit, ut alter rem suam retineat, liti potius renunciare videtur, quam dominium aut usucapiendi conditionem transferre. 6.
Haec sententia nonnullis displicet. 7.
Transactio est justa usucapionis causa. 8.

1 Possides fundum, quem a te peto, sed transegisti mecum, et placuit, ut fundum traderes, et ego darem centum: *Quid si nullam aliam causam possessionis habeam, an usucapere possim contra tertium, qui vere est dominus?* Videtur quod non: quia transactio non videtur 2
titulus transferendi dominii: Sed affirmatur, 3
quia transactio exceptionem possidenti largitur, et ita usucapienti conditionem, scil. si transactionem traditio secuta est, secus si hoc actum, ut tantum retineam, nisi actor jus suum in me 4
transtulit, *Balb. de praescript. part. secund. tertiae partis q.* 5. et alii, quos citat *Vasq. lib.* 2. *cont. c.* 67. *num.* 2. *et Gilken. de praescr. p.* 2. *m.* 1. *c.* 15. *num.* 2. Propter hanc rationem, quia, qui transactionis causa tradit rem, 5
habet animum transferendi dominium, sed qui permittit, ut alter rem retineat, videtur potius 6
liti renunciare, quam dominium, aut usucapiendi conditionem transferre, per *l.* 33. *C. de transact.* sed haec sententia displicet *Vasq. et* 7
Gilken. d. l. et Donell. ad d. l. 33. Quicquid sit, colligere licet ex *hac lege:* Transactionem 8
esse justam usucapionis causam, *Natta cons.* 15. *num.* 5. *Thomas Michael inter cons. Klock. v.* 1. *cons.* 29. *num.* 769.

L. Eum. ult.

SUMMARIA

In re a pupillo scienter empta, ast sine tutoris auctoritate, usucapio non procedit. num. 1.
Quatenus pupillus rem suam venditam vindicare possit? 2. 4.
Ecclesia ex contractu illicito locupletior facta inde obligatur. 3.

A pupillo quid emisti, sciens eum talem esse, 1
et quidem sine tutoris auctoritate, et usucapio non procedit, *l.* 10. *ff. quemadm. servit. amit. l.* 84. *pr. ff. de usucap.* sed potest pupillus rem 2
suam vindicare, nisi probetur, ipsum locupletiorem redditum, ubi doli mali exceptione submoveri posset: Ex quo notat *hic Bl.* Ecclesiam 3
ex contractu illicito obligari, si inde facta locupletior; locupletior autem factus pupillus 4
(vel Ecclesia) quando est utilitas actu permanens, vel necessitas in actu transeunte, ut scite loquitur *Baldus hic per l. sed an ultro* 10. §. 1. *ff. de neg. gest.*

TITULUS XXVII.

De usucapione pro donato.

LL. 1. 2. et 3.

SUMMARIA

Quatenus in re donationis causa tradita procedat usucapio? num. 1.
In rerum mobilium usucapione ex parte donantis bona fides requiritur. 2.
Quid si haec desit? 3.
Errore falsae causae superveniente cessat usucapio. 4.
Nisi justa sit erroris causa. 5.
An pater filio donare, et filius donatum usucapere possit. 6.

At, qui donationis causa rem traditam acce- 1
pit, pro donato usucapit, si per tempus idoneum possideat, *l.* 1. *h. t.* In rerum mobilium 2
usucapione requiritur etiam bona fides ex parte donantis, alias donans rem alienam, ut an- 3
cillam, etc. furtum committeret, nec usucaperet, *l.* 2. *h. t.* de quo in *tit. praeced.* Non sufficit opinari, sed vere donatum esse oportet, *l.* 1. *h. t. l.* 27. *ff. de usuc.* Sed si error falsae 4
causae superveniat, usucapio non procedit, §. 11.

Inst. h. t. l. 3. *h. t.* v. g. si putem me emisse,
5 tu autem donasses, nisi justa erroris causa, *l.*
6 *quod vulgo* 1. *ff. pro emptore.* Quia autem pater filio donare non potest, quia sibi ipsi videtur adquirere, *l.* 1. §. 1. *ff. h. t. Gomez t.* 2. *resol. c.* 4. *num.* 25. *Beust. ad l.* 1. *ff. de jurejur. num.* 120. *Donell. et ibi Hillig. lib.* 9. *cap.* 5. *lit. D. Auct. ad l.* 1. *ff. h. t.* ideo filium non posse donatum a patre usucapere putant, sed malo cum *Gilkenio p.* 2. *de praescript. m.* 1. *c.* 18. *num.* 6. *et seqq.* tunc temporis non valuisse donationem, sed postea ab Imperatore constitutum, ut morte convalidetur, per *l.* 25. *C. de donat. inter virum et uxor.*

TITULUS XXVIII.

De usucapione pro dote.

L. unic.

SUMMARIA

An et quatenus res pro dote usucapiatur? num. 1.
A quonam tempore incipiat haec usucapio pro dote? 2.
Quid si matrimonium sit nullum, an valeat usucapio? 3.

1 Is pro dote usucapere potest, cui ab uxore dotis titulo res aliena tradita est, si modo sine vitio tradita, i. e. bona fide et uxoris et mariti, imo et dantis, si res mobilis in dotem detur. Sed Quaeritur: *A quo tempore incipiat* 2
haec usucapio pro dote? Et respondetur in *l.* 1. §. 1. *ff. h. t.* Quod incipiat etiam ante nuptias, nisi expresse in traditione dictum, quod non vellet ante ejus fieri, vel nisi dos esset aestimata, *l.* 2. *ff. h. t. Gilken. p.* 2. *num.* 1. *c.* 19.
Sed Quaeritur etiam: *Quid si matrimonium sit* 3
nullum? Resp. cessare usucapionem, *d. l.* 1. §. *pen.* de quo *P. Barbos. p.* 4. *rubr. ff. solut. matrim. num.* 161. *et Stephan. coll.* 965. *vid. Auct. ad l.* 1. *ff. h. t.*

TITULUS XXIX.

De usucapione pro haerede.

L. Cum pro haerede. 1.

SUMMARIA

Facti species. num. 1.
An suus haeres pro haerede usucapere possit? 2.
An possit sui haeredis filius? 3.
Alius casus. 4.
Dupliciter pro haerede quis possidere dicitur. 5.
Titulus pro haerede non probat peculiarem usucapionis titulum, sed tantum novam qualitatem et tituli ejus, quem defunctus habuit, continuationem. 6.
Si defunctus non habet titulum, nec haeres pro haerede res, quas in haereditate reperit, potest usucapere. 7.
An et quatenus verus haeres rem in haereditate repertam usucapiat? 8.

1 Speciem facti ita proponunt aliqui: Mater Theophili succedebat parenti suo, et sic suus
2 vel sua haeres erat, ergo quia suus haeres erat, usucapere pro haerede non poterat, secundum sententiam vulgarem, *Wesenb. in π. ff. h. t. num.* 3. *vid. Auctor ad l.* 2. *ff. h. t.* Sed an
3 *Theophilus usucapiet?* Videtur quod sic, quia est matris suae extraneus: sed Neg. hic *l.* 1. quia initium possessionis est vitiosum. Sed pone:
4 alium successisse Titio, qui tamen haeres de jure non erat, in haereditate autem erant mancipia. Quaeritur: *An haec sint usucapta?* Resp.
quod non. Nam pro haerede possidere dupliciter 5
sumitur: 1. quum quis putans se haeredem esse, possidet haereditatem, ubi pro haerede possidere est simile ei, qui dicitur pro tutore se gerere, i. e. non esse tutorem, *l.* 9. *et* 11. *ff. de petit. haered.* et hic non usucapit, quia deficit titulus. Nam ille falso existimabat, se esse haeredem, sed non erat, ideoque nec in tertium, haeredem suum, usucapiendi conditionem transtulit. Sed aliter pro haerede possidere is dicitur, qui verus haeres est, et rem aliquam in haereditate repertam possidet, et hic potest
usucapere, *l.* 3. *ff. h. t. et Auct. hic.* Verum 6
rectius mihi videtur statuere titulum pro haerede non probare peculiarem titulum usucapionis, sed tantum novam qualitatem, et tituli ejus continuationem, quem defunctus habuit.
Ex quo sequitur: Si defunctus non habuit ti- 7
tulum, nec haeredem pro haerede usucapere posse res, quas in haereditate reperit. Ad *l.* 3. *ff. h. t.* responderi potest, quod de iis rebus loquatur, quas defunctus b. f. et justo titulo possedit, et sic de terminis habilibus, *Gilken. p.* 2. *num.* 1. *c.* 16. Nec admittenda illa sententia, quod sui haeredes non usucapiant: Vid. *Bacchov. ad Wesenb. in π. h. t. Pinell. in l.* 1. *p.* 1. *C. de bon. matr. Duaeren. h. t. Gilken. d.*
l. 1. Verus haeres rem repertam in haeredita- 8
te non usucapiet, licet suus sit haeres, vel extraneus, nisi defunctus habuit titulum specialem, quod ex *l. fin.* apprime colligitur.

L. Nihil. 2.

SUMMARIA

Varius hujus legis intellectus. num. 1.
Facti species. 2.

1 Diversimode *haec l.* intelligitur: Alii enim hunc sensum amplectuntur, quod haeredes sui non usucapiant, quorum sententia in expositione *legis primae* rejecta: Alii vero ita ponunt facti
2 speciem: Filius suus abstinet ab haereditate, cognatus et proximus adit haereditatem: Quaeritur: *An hic rem alienam pro haerede usucapere possit?* Resp. est quidem hic loco haeredis, sed non possidet pro haerede, nisi qui vere haeres, *l. ult. h. t.* ubi autem suus est, licet se abstineat, ibi alius haeres esse nequit, *l.* 88. *ff. de haered. inst.* Conf. *Harpr. in tit. de usucap. pr. num.* 122. Conf. *Gilken. in tract. de praescript. p.* 2. *membr.* 1. *cap.* 16. *num.* 15.

L. Opinione. 3.

SUMMARIA

An agnatus occupans bona falso delata de morte proximi fama usucapionem in bonis justo titulo a defuncto possessis complere possit? num. 1.
Titulus erroneus usucapiendi causam non praebet. 2.
Exceptio. 3.

Falso delata est fama de morte alicujus, ideo 1
agnatus ejus occupat bona, Quaeritur: *An usucapionem in bonis justo titulo a defuncto possessis complere possit?* Quod negatur, quia ti- 2
tulus erroneus non praebet causam usucapiendi, nisi esset justus error, scilicet in facto alieno, vel in facto proprio cum persuasione alte- 3
rius, *l. Celsus* 27. *ff. de usucap. Balbus in rep. hujus legis, Franc. Balth. tit.* 9. *resol.* 8. *num.* 13.

L. Usucapio. ult.

SUMMARIUM

Casus legis.

Hanc legem de putativo haerede intelligit, *Salyc. et alii:* at de eo nullum in textu vestigium. Plane est sententia, quando defunctus non habuit titulum possidendi justum, neque haeres ejus potest usucapere, quia titulus pro haerede non est justus, nisi specialis praecesserit. Vid. *dicta ad l.* 1.

TITULUS XXX.

Communia de usucapionibus.

L. Qui ex. 1.

SUMMARIA

Conductor rem conductam detinet, non vero proprie possidet. num. 1.
Locator per se civiliter, per colonum naturaliter possidet. 2.
Conductor usucapere nequit. 3.
Nec intervertere possessionem, et sibi possidere. 4.
Eadem depositarii ratio. 5.
Exceptio a regula. 6.
An deserente possessionem colono ipse dominus amittat possessionem? 7.

1 Conductor tantum detinet rem conductam, non vero proprie possidet, sed dominus, scil.
2 locator per se possidet civiliter et per colonum
3 naturaliter; Non vero potest conductor usucapere, quia usucapio possessionem praerequirit, *per Instit. de usucap.* nec contra ipsum dominum, neque contra tertium, cujus res locata ipsi est, ut ita utraque lectura conjugatur. Nec
4 potest conductor intervertere possessionem, et sibi possidere, *l.* 2. *C. de praescript.* 30. *annorum.* et nemo potest causam possessionis inter-
5 vertere, *l.* 2. §. 1. *ff. pro haerede.* Eadem ratio
6 depositarii. Excipitur: Nisi conductor facto aliquo intervertat domini possessionem, et dominus acquiescat, ut in *l. fin. C. de acq. possess.* ubi tamen domino succurritur ex condictione dictae legis. Sed Quaeritur: *An deserente pos-* 7
sessionem colono ipse dominus amittat possessionem? Et puto id dicendum, si scil. alius in possessionem veniat praedii deserti, ubi tamen remedium *d. legis fin.* praesto est. Conf. *l.* 25. §. 1. *l.* 31. *et l.* 40. §. 1. *ff. de adquir. poss.*

L. Jam pridem. 2.

SUMMARIA

Facti species. num. 1.
An partus ancillae fiscalis usucapi possit? 2.
Principis bona in quintuplici sunt differentia. 3.
Quaenam inter haec praescribantur, et intra quod tempus? 4.

Emi hominem ex ancilla fiscali natum: Quae- 1
ritur: *An illum usucapere possim?* Resp. quod 2
non: quia partus matrem sequitur. Ergo et hic partus fiscalis est, nisi probare possim, matrem non fuisse fiscalem. Ratio decisionis in §. 9. *Inst. de usucap.* Ubi limitatio, nisi tantum sint bona vacantia, nondum Fisco denunciata. Notetur autem hic, Principis bona esse in quintuplici 3
differentia: 1. enim; Alia bona sunt Fisco delata, et acquisita, et de his hic agitur in *hac l.* 2: 2. Alia sunt Principis ut privati bona patrimonialia: 3. Alia sunt, quae Principi dantur in signum et recognitionem supremae potestatis,

ut tributa et census: 4. Alia, quae propter praeeminentiam Principi debentur, ut jura majestatis seu regalia: 5. Bona, quae regiae corona-
4 nae competunt. *Primum genus* usucapitur ante nunciationem quadriennio, *l.* 1. *C. de quadrien. praescript.* nisi, ubi ex poena debetur, Ubi praescriptio vicennalis, *l.* 13. *ff. de div. et tempor. praescript.* Sed, quae Fisco adquisita, non usucapiuntur, sed proprie praescribuntur 40. annis, *l. omnes* 4. *C. de praescript.* 30. *vel* 40. *annor. Secundum genus* praescribitur 40. annis, *Perez in tit. Cod. ne rei dominicae, num.* 1. et 2. *Guido Papae decis.* 416. Sed Principem hic non gaudere privilegio aliquo, cum respectus habeatur non ad personam, sed ad bona, communiter volunt *DD. Cravett. de antiquitat. temp. p.* 4. §. *absolutis etc. num.* 33. *et seqq. pag.* 224. *Covarr. in c. possessor p.* 2. §. 2. *num.* 16. *Tertium genus* non potest ullo modo praescribi, per *l. competit C. de praescript.* 30. *vel* 40. *annor. Covarr. d. l. num.* 9. *et seqq. Balbus de praescript. parte secunda partis quintae princ. quaest.* 1. *Rosenthal. de feud. c.* 5. *quaest.* 16. *num.* 1. *Peregrin. de jure Fisci lib.* 6. *tit.* 8. *num.* 1. *Gilken. in Auth. quas actiones C. de SS. Eccles. cap.* 9. *num.* 1. *Quartum genus* praescribitur immemoriali tempore, *c. super quibusdam, et praeterea de V. S. Covarr. d. p.* 2. §. 2. *num.* 12. *Rosenthal. d. c.* 5. *concl.* 48. *Quintum genus* voluut nonnulli centenaria demum praescriptione tolli, sed *Covarr. d. l. num.* 15. post *Boerium dec.* 261. *num.* 25. putat 40. annos sufficere, per *l.* 4. *C. de praescr.* 30. *annorum.*

L. Si mala fide. ult.

SUMMARIA

Facti species. num. 1.
An servus mala fide prius possessus, per supervenientem bonam fidem alterius possidentis usucapi possit. 2.
Diversum in successore singulari. 3.
Ratio diversitatis. 4.
An jure Can. mala fides defuncti haeredi noceat vitium ignoranti? 5.

1 Antiochus mala fide possidet servum alienum, ipsius haeredes possident bona fide, a quibus Pantinus vult vindicare, illi excipiunt servum esse usucaptum. Quaeritur: *An usucaptus sit?* 2
Videtur quod sic, ob bonam fidem haeredum, si ipsi per triennium possederint, nec velint uti accessione temporis defuncti: Sed Neg. quia vitiosa origo possessoris gravat etiam successorem, licet bona possideat fide, *l.* 11. *ff. de usucap. et temporal. praescript. l.* 4. §. 15. *ff. de usucap.* Diversum autem in successore singulari, v. g. 3
emptore, qui si nolit uti accessione temporis venditoris, sed ipse solus usucapere velit, non gravatur mala fide antecessoris, *l.* 5. *ff. de divers. et temp. l.* 13. §. 4. *de adquir. possess. Auctor. ad l.* 5. *ff. de divers. temp. praescr. num.* 1. Ratio differentiae est: quia haeres defun- 4
cti personam repraesentat; et ita in universum ejus jus succedit, sed non successor singularis. Sed Quaeritur, an jure nostro Canonico, quo 5
in materia praescriptionum utimur, mala fides defuncti noceat haeredi vitium ignoranti? Quod non puto, quia jus Canonicum, dum bonam fidem requirit, habet tantum rationem conscientiae et peccati vitandi. Sed haeres ignorans non est in peccato. Et quod haeres induat vitia personalia defuncti, est mera subtilitas juris civilis, et est ficta mala fides. Et si contrarium diceremus, sequeretur actionibus personalibus ex contractu nunquam praescribi posse, ne quidem 100. annis: nam, qui debitum contraxit, non potest non esse in mala fide; Et sic ne quidem a tertio, quarto, quinto etc. haeredibus praescribi posset actio ex obligatione ex contractu, cum tamen communiter sit receptum, etiam in tricennali personalium actionum praescriptione bonam fidem requiri, *Panorm. in c. ult. num.* 9. *X. de praescr. Balbus de praescr. part.* 2. *part.* 3. *princ. q.* 13. *num.* 1. *Covarr. in c. possess. p.* 2. §. 11. *num.* 3. *d. R. J. in* 6. *Molina de J. et J. tr.* 2. *d.* 66. *num.* 5. *Ant. Gabriel. l.* 5. *tit. de praescript. concl.* 3. *num.* 2. *in fin. Surdus cons.* 28. *num.* 70. ubi plures citat et hanc communem esse tradit, *Berous cons.* 104. *num.* 20. *vol.* 2. *Gail. l.* 2. *obs.* 18. *num.* 10. *Myns. cent.* 4. *obs.* 6. *num.* 3. ubi de proc. Camerae testatur *Dn. Jo. Franc. Balthasar. tit.* 9. *resol.* 6. *num.* 6. *ampliat.* 2. quam sententiam in facultate solemus sequi, ut conscientiae securiorem, *vid. Auctor ad l.* 2. *ff. de divers. tempor. praescript.*

TITULUS XXXI.

De usucapione transformanda, et sublata differentia rerum mancipi et nec mancipi.

L. Cum nostri. un.

SUMMARIA

Acquisitio olim duplex, usucapio et longi temporis praescriptio. num. 1.
Longi temporis praescriptio erat vel stipendiaria, vel tributaria, et qualis utraque. 2.
Alia divisio. 3.
Hodie ex Constitutione Justiniani *una est usucapio tam mobilium, quam immobilium etc.* 4.
Effectus utriusque est idem, in tempore vero differentia, et qualis. 5. 8.
Haec sententia nec jure Can. est mutata. 6.
Idem in rebus Fisci. 7.
Requisita utriusque usucapionis. 9. 15.
An toto usucapionis tempore, an vero ab initio tantum bona fides requiratur? 10.

In praescriptione immemoriali bona fides praesumitur. 11.

Praescriptio immemorialis probata mala fide irrita redditur. 12.

Cautela circa immemorialis praescriptionis allegationem. 13.

Perfecta praescriptione mala fides superveniens non nocet. 14.

Directum dominium per usucapionem longi temporis acquiritur. 16.

1 Acquisitio olim duplex : usucapio , et longi
temporis praescriptio; illa mobilium omnium
et praediorum italicorum: haec in praediis pro-
vincialibus , quia summo jure in dominio po-
2 puli romani erant, et vel stipendiaria erant ,
vel tributaria; illa erat annalis in mobilibus,
biennalis in immobilibus; haec erat decennalis
inter praesentes , vicennalis inter absentes, *l.* 9.
infr. de praescript. 30. *annor.* Illa dominium
tribuebat; haec olim tantum exceptionem, sed
ex Constit. *Just.* in *l.* 8. *c. de praescript.* 30. *ann.*
3 etiam actionem. Erat et alia divisio rerum man-
cipi et rerum non mancipi , illa erant praedia
italica, res pretiosae, aurum, uniones, servi
et bruta, quae dorso aliquid ferunt. Caeterae
res et praedia provincialia erant res nec man-
4 cipi. Sed *Justinianus* hic omnium rerum tam
mobilium, quam immobilium , tam mancipi ,
quam non mancipi (nam hanc distinctionem
plane abrogat), unam vult esse usucapionem ;
5 ideo effectus utriusque est idem, in tempore
differentia, ut mobilia triennio usucapiantur,
licet sint res Ecclesiae, per *Auth. quas actiones
C. de SS. Eccles. etc.* Quia *Nov.* 131. c. 6. tan-
tum de praescriptione loquitur, *Bacchov.* d.
6 *th.* 4. *lit. E. et F.* Et haec sententia nec jur. Can.
mutata, *Balbus p.* 1. *partis quintae princ. quaest.*
1. *num.* 10. *Covarr. in d. c. possessor p.* 2. §.
2. *num.* 5. *Gilken. in d. Auth. c.* 1. *num.* 41.
7 Et idem in rebus Fisci *Peregrinus* statuit in
Tr. de jure Fisci lib. 6. *tit.* 8. *num.* 44. Immo-
bilia vero decem annis inter praesentes, viginti
8 inter absentes usucapiuntur. Sufficit tamen, ut
alter in eodem territorio domicilium habeat ,
licet actu non inhabitet, *Balbus p.* 1. *partis
quartae princ. q.* 2. *num.* 2. praesentia autem 9
in articulis proponenda et probanda, *Balbus d.
p.* 1. *partis quartae quaest.* 3. *num.* 1. *et* 2.
Conf. *Menoch. l.* 6. *praes.* 19. *num.* 4. Et re- 10
quiritur in utraque usucapione I. ab initio bo-
na fides, nam secuta mala fides non nocet ,
scil. jure civili; nam jure Can. bona fides toto
tempore usucapionis, et sic etiam in progressu
requiritur, *c.* 5. *et ult. X. de praesc. c. possess.*
2. *de R. J. in* 6. Quod in terris Imperii se-
quimur, *Myns. cent.* 4. *obs.* 6. *Gail. l.* 1. *obs.*
18. *num* 6. *Mod. Pist. cons.* 27. *vol.* 2. Et hoc 11
etiam in immemoriali praescriptione locum ha-
bet, scil. ut semper adsit bona fides, *Covarr.
in d. c. possessor p.* 2. §. 8. *num.* 4. *Fachin.
lib.* 1. *c.* 63. quamvis enim in immemoriali prae- 12
scriptione praesumatur bona fides, si tamen
mala fides probari possit, etiam immemorialis
praescriptio irrita redditur, *Covarr. in d. cap.
possessor p.* 2. §. 3. *num.* 8. §. 8. *num.* 5. *Klock.
vol.* 1. *cons.* 29. *num.* 363. ubi plurimos allegat
Mascardus *concl.* 1378. *num.* 63. Unde cautela 13
proponi solet, quod allegans immemorialem
praescriptionem non debeat allegare titulum
primordialem, ne ubi titulus illegitimus, mala
fides colligatur, *Paris. cons.* 10. *num.* 114. *l.* 1.
et cons. 66. *n.* 128. *lib.* 3. *Bursatus cons.* 424.
n. 30. *Caspar. Roder. de ann. redit. l.* 17. *num.*
12. Perfecta autem praescriptione superveniens 14
mala fides non nocet, *argum. l.* 1. *ff. de iti-
nere actuque privato et l. Celsus ff. de usucap.*
nam negotium sic consummatum, *Covarr. in
d. c. possessor part.* 3. §. 2. *num.* 1. *Guttierez
p.* 2. *quaest. civ.* 1. *num.* 24. *Caeval. quaest.*
657. II. Justus titulus. III. Continuatio posses- 15
sionis, per *l.* 2. *de praescript. longi temporis*, et
notandum; hic tempora Auctoris et emptoris
conjugenda esse. Colligunt etiam ex *h. lege unic.*
Directum dominium per usucapionem longi 16
temporis etiam adquiri, *Covarr. in c. possess.
p.* 3. *princ. num.* 12. *Pinell. in Auth. nisi trien-
nalis num.* 36. *C. de bon. mat. Donell. lib.* 5.
c. 29. *Gilken. lib.* 1. *c.* 3. *de praescr.* ubi usum
hujus rei in *princ.* ostendit.

TITULUS XXXII.

De acquirenda et retinenda possessione.

L. Per liberam. 1.

SUMMARIA

Casus legis. num. 1.

Possessio per procuratorem ignoranti acquiritur, sed non dominium, nisi scienti et mediante possessione. 2. 3.

Aliud in servo ex re peculiari acquirente. 4.

Alii casus, quibus quis non quidem ignorans, sed tamen sine actu corporali possessionem acquirit. 5.

1 Procurator meus meo nomine emit equum,
me nesciente possidet ille per triennium, ergo
videor per procuratorem usucepisse, per §. 5.
Instit. per quas pers. Sed negatur. Quia pos-
sessio mihi quidem ignoranti acquiritur, sed
non usucapio, *hic et l.* 49. §. *ult. ff. h. t.* haec
enim bonam fidem requirit, *l. unic. tit. praeced.*
at ignorans nec bonam, nec malam fidem ha-
bet. Colligitur ergo ex *hac leg.* 1. Possessionem 2
adquiri ignoranti per procuratorem, non vero 3
dominium, nisi scienti et mediante possessione,
per *l.* 1. *Cod. per quas personas*, sed non usu-
capionem. Sed si servus ex re peculiari acqui- 4
rit, usucapio datur domino, licet dominus ti-
tulum ignoret, per *l.* 47. *ff. de usucap.* Dan-
tur et alii casus, in quibus aliquis, non quidem 5
ignorans, sed tamen sine actu corporali adqui-
rit possessionem, quos hic notat *Gl. ut et in
l.* 1. §. *pen. et l.* 18. *pr. et* §. 2. *ff. h. t. l. cla-
vib.* 75. *ff. de contrahend. empt. l.* 77. *ff. de rei
vind. et l.* 28. *C. de donat.* Item, si quis al-

lodialia bona recognoscat a Principe, quae vocantur recognita feuda, et in his terris frequentissima, de quibus *Rosenthal de feudis cap.* 2. *concl.* 24. *et cap.* 6. *concl.* 68. *num.* 17.

L. Minus. 2.

SUMMARIA

Casus legis. num. 1.
Possidere post contractum sciente domino, et re uti idem est, quod traditum accipere. 2.
Patientia pro consensu et traditione est, si titulus praecedit. 3.
An per diuturnum tempus 10. *anni intelligantur?* 4.
Quatenus ex Instrumento traditio rei probari possit. 5.

1 Procurator meus emit praedium, ego id diu possedi, venditor id postea avocare tentat, quasi propria auctoritate ingressus sim fundum, *l. extat* 13. *ff. quod metus causa etc.* idque probat ex Instrumento emptionis, in quo nulla traditionis mentio. Resp. ipsa rei veritate consequutum id me esse, quod in Instrumento est omissum, dum sciente venditore tot annis
2 possedi. Possidere post contractum sciente domino, et re uti, est idem, quod traditum ac-
3 cipere, et patientia pro consesu est, et pro traditione, Si titulus praecedat, *Cravetta cons.* 741. *num.* 14. *lib.* 4. et possidere quis praesumitur ex titulo praeambulo, *Alciatus reg.* 2. *praes.* 23. *Menoch. lib.* 6. *praesumpt.* 67. *per*
4 *totam.* Non puto autem per diuturnum tempus decem annos intelligi, cum, si decem annis possedissem, praescripsissem, sed in facto tantum hic refertur, sufficit, si tam diu possederit, ut consensus venditoris possit colligi. Col-
5 lige etiam, ex Instrumento posse probari traditionem, si notarius praesens fuit, et res vendita, de quo *Mascardus de probat. concl.* 1191. Quod hic de vacua possessione dicitur, solet in controversiam trahi, an venditor teneatur vacuam possessionem tradere, sed, quia haec hujus loci non est, remitto me ad dicta in *l.* 12. *supr. de probat.*

L. Donatarum. 3.

SUMMARIA

Casus legis communiter proponi solitus. num. 1.
Ratio dubitandi. 2.
Decidendi. 3.
Verior sententia de hac lege. 4.
Ratio dubitandi. 5.
Decidendi. 6.
Aliud est, per tutorem acquirere, aliud tutore auctore. 7.

1 Quidam ita casum hujus legis proponunt: Donavi infanti rem mobilem vel immobilem, tradidi ipsi rem: Quaeritur: *An possessionem ac-*
2 *quisiverit?* Videtur quod non, ob *l.* 32. §. *fin. ff. de acquir. possess.* et quia animum possi-
3 dendi non habet. Sed Aff. hic, nam speciale est in rebus donatis, ut earum possessionem sibi ipsi infantes per se acquirere possint sine tutore, quia in donatione non vicissim obligantur, et quia avide, quae donantur, accipere solent, *Charond. et Pacius, quos Hillig. citat, loco mox citando.* Et si ratio illa contraria concluderet, ne quidem auctore tutore possessionem acquirerent. Nota bene: Ex hac responsione sequitur, quod lex loquatur de casu, quum sine tutore infanti quid traditur, potissimum mobile. Sed verius est, in *hac lege* 4
sermonem esse de re donata infanti cum tutoris auctoritate, *l.* 4. §. 42. *ff. de usucap. l.* 1. §. 3. *et l.* 32. §. 2. *ff. h. t.* nam ratio dubi- 5
tandi est, quia ipse infans non intelligit. Sed ratio decidendi, si ideo, quia infans non habet 6
intellectum, non potest acquirere possessionem, tum ne quidem infanti per tutorem acquiratur possessio, quia eadem ratio militat: nam aliud 7
est, per tutorem acquirere, et aliud, tutore auctore; illud hic praesupponitur, de hoc vero quaeritur: Vid. *Colleg. Arg. h. t. th.* 8. *num.* 2. *Donell. lib.* 5. *c.* 11. *post. lit. D.* licet aliter alii, quos *Hilliger. citat lit. E.* quam interpretationem ultimam etiam sequitur *Fachin. l.* 8. *quaest.* 19.

L. Licet possessio. 4.

SUMMARIA

In acquirenda possessione regulariter actus corporeus est necessarius. num. 1.
Licet solo animo possessio non acquiri, retineri tamen potest. 2. 10.
Exemplo illustratur. 3.
Possessio animo et corpore simul, imo etiam solo animo, non vero solo corpore amittitur. 4.
Solo animo possessio non acquiritur. 5.
Exceptio. 6.
Aliae exceptiones, remissive. 7.
Statuto induci potest, ut sine actu corporis possessio acquiratur. 8.
Possessio civilis nuda solo animo non acquiritur. 9.
Restrictio regulae num. 2. *datae.* 11.
Mobilium possessionem si alius arripuit, etiam ignorantes amittimus. 12.
Possessio est vel naturalis, vel civilis. 13.
Naturalis iterum dividitur in simplicem et mixtam. 14.
Simplex naturalis iterum dicitur talis vel respectu personae, vel ratione causae, vel ratione modi possidendi. 15.
Mixta quid sit, et quid nuda? 16

Licet in acquirenda possessione regulariter 1
necessarius sit actus corporeus, quia solo animo nemo acquirit possessionem, retineri tamen 2
solo animo potest. Pone ergo: me ob bellum 3
recessisse a praedio, et culturam distulisse, alius interim occupat, et dicit, rem pro derelicto esse habitam, et possessionem esse suam. Resp. licet corpore recesserim, animo tamen possum retinere, *l.* 47. §. *fin. ff. h. t.* Nam amit- 4
titur animo et corpore simul, *l.* 8. *ff. h. t.* non vero solo corpore, sed solo animo etiam amitti potest, *per l.* 3. §. 7. *ff. h. t.* de quo videantur a me notata *ad d. l.* 8. *et ad l.* 3. *ff. h. t.*

5 Collige ergo: I. Nude et solo animo non adquiri possessionem, sed necesse est, ut actus animi et corporis concurrat, per *l.* 3. §. 1. *et* §. 3. *et l.* 8. *ff. h. t. Auct. ibid. l.* 53. *ff. de reg. jur.*
6 est tamen exceptio in *l. raptores* 51. *C. de Episc.*
7 *et Cler.* De caeteris autem exceptionibus, quas *Zasius in d. l.* 3. *pr.* proponit, ex *Glossa in l.* 1. *ff. h. t.* dubitat *Bacchov. in Tr. d.* 21. *th.* 1. *lit. H.* nam in plerisque adest actus corporis, si non naturalis, tamen adscititius, *Hillig. in*
8 *Donell. lib.* 5. *c.* 8. A statuto tamen induci potest, ut sine actu corporis adquiratur posses-
9 sio, *per c.* 2. *de consuet. Hillig. d. l.* Caeterum civilem nudam solo animo adquiri posse negat *Jason. in l.* 6. §. 1. *ff. h. t. num.* 57. *et seqq. Bacchov. d. disp.* 21. *d. lit. th.* 2. II. Nota ex *hoc*
10 *textu:* Solo animo retineri possessionem, *Ma-*
11 *scard. concl.* 1197. *num.* 37. scil. quamdiu res est vacua, vel occupata quidem, sed nobis ignorantibus, vel scientibus quidem, sed ubi speremus possessionem nos recuperare posse: Ubi autem amisimus spem propria auctoritate recuperandi desinimus etiam animo possidere, licet malimus, *l.* 25. §. *ult. l.* 46. *ff. h. t.* sed
12 mobilium possessionem, si alius arripuerit, etiam ignorantes amittimus. Ratio, quod eorum neglecta custodia, *l.* 47. *ff. h. t.* Vid. *Donell. lib.* 5. *c.* 12. *Glossa et DD. hic* agunt de distinctio-
13 ne possessionis in naturalem et civilem. Natu-
14 ralis autem dicitur, vel simplex, vel mixta. 1.
15 Simplex naturalis dicitur, vel respectu personae, et sic servus dicitur naturaliter possidere, *l.* 2. §. 11. *ff. pro emptore l.* 38. §. 7. *de V. O.* 2. Ratione causae, quae jure non est probata: Sicut e contrario civilis dicitur, quae jure approbata est, et hoc sensu, quae naturalis dicitur, vel nullum habet effectum, vel habet, ut possessio per donationem conjugis adquisita, *l.* 1. §. 10. *ff. de vi et vi armata*, quo respectu naturalis in *l. nemo* 10. *h. t.* legitima vocatur, sic absentis praedium sine vi naturaliter possidetur, et contra extraneum dejicientem defenditur, *l.* 2. *ff. uti possidetis*, *Zasius in l.* 3. §. 5. *ff. h. t. num.* 17. - 3. Naturalis dicitur ratione modi possidendi, qui enim corpore insistit, sed sibi non possidet, naturaliter
16 possidet: mixta vero est, quae simul naturalis et civilis, nuda vero, quae competit debitori in pignus, domino in servum fugitivum, Vid. *Bacchov. d. l. lit. F. Mascard. concl.* 1184. *Fachin. lib.* 8. *c.* 5. et alii; Civilissimam vocant, quae ex Statuto solo animò adquiritur, *Menoch. rem.* 1. *recuper. poss.* 37. *num.* 392. *Molin. d.* 12. *num.* 18.

L. Cum nemo. 5.

SUMMARIA

Facti species. num. 1.
Nemo possessionis causam sibi mutare potest. 2.
Limitatur. 3.
Exemplo declaratur. 4.
Si colonus dominum venientem expulerit, propter actum extrinsecum mutata est possessio. 5.
Quibus modis aliis possessio mutari queat? 6.

1 Colonus meus praedium conductum emit ab alio non domino, vel vendit etiam alteri, retenta tamen possessione et nondum tradita; Quaeritur jam: *An hoc facto suo sibi mutaverit possessionis titulum, ita ut post hunc actum jam pro suo possidere incipiat?* Resp. quod non ob regulam: Quod nemo possessionis causam 2
sibi mutare possit, nisi adveniat aliqua extrin- 3
seca me concernens causa, v. g. qui possidet 4
ex empto, non potest postea pro haerede possidere. Sed si colonus dominum venientem ex- 5
pulerit, propter actum extrinsecum mutata est possessio, *l.* 12. *ff. de vi et vi armata.* Sic 6
superveniens gratiosa domini concessio, emptio etc. possunt mutare causam possessionis, *Balbus de praescript. part.* 4. *partis* 4. *princ. q.* 11. *num.* 5. *Klock. v.* 2. *cons.* 6. *num.* 98. *et cons.* 21. *num.* 86. *A. Barbos. lib.* 14. *cap.* 41. *axiom.* 2. vel quando scientia alicujus causae supervenit, *Menoch. cons.* 735. *num.* 17.

L. Si nulla. 6. et L. Improba possessio. 7.

SUMMARIA

Facti species. num. 1.
Occupatio praedii propria auctoritate facta non contrahit vitium reale, nec usucapionem impedit scil. in emptore. 2.
Improba possessio non tribuit titulum. 3.
Secundus possessor, qui a vitioso possessore rem recipit, eam usucapere potest. 4.
Per ingressum vacuae possessionis vitium personale, non reale contrahitur. 5.
Clam possidere, et mala fide possidere sunt synonyma. 6.
Huic legi sextae *per* Auth. malae fidei C. de praescript. long. temp. *est derogatum.* 7.
Legato agro vinea legata non videtur. 8.

Me absente et ignorante, etiam meo actore 1
seu procuratore, ingrederis meum praedium, et id colis, postea supervenio, et suspicor me posse repelli, et tunc amitto possessionem, seu animo desino possidere, *sed possumne per vindicationem recuperare?* Affirm. et quidem cum fructibus, nisi sit usucaptum. Nam occupatio 2
praedii vacui clam propria auctoritate facta, non contrahit vitium reale, nec impedit usucapionem scil. in emptore. Nam ipse, qui ingreditur praedium vacuum, nullum habet titulum, ergo usucapere nequit. Nam improba 3
possessio non tribuit titulum, *l.* 7. *h. tit.* Jam autem titulus est necessarius. Sed secundus 4
possessor, qui a tali possessore vitioso rem accipit, ille usucapere potest, per *l.* 6. Collige: I. Per ingressum vacuae possessionis contrahi vi- 5
tium personale, non reale: Nam clam posside- 6
re et mala fide possidere sunt synonyma, *Longovallius in rep. l. imperitus ff. de jurisdict. num.* 269. Et ideo non impedit usucapionem in eo, ad quem postea res venit cum titulo et bona fide, *Bl. in l.* 6. II. Improbam possessionem dici, quae est sine titulo, sed *huic legi sextae* 7
per *Auth. malae fidei C. de praescript. long. tempor.* derogatum, quae etiam in venditore requirit bonam fidem. Ex *l.* 6. colligunt, quasi 8
obiter legato agro non videri legatam vineam, *Mantica de conject. ult. vol. lib.* 9. *tit.* 2. *num.* 14.

L. Per procuratorem. 8.

SUMMARIA

Per procuratorem immediate dominium non acquiritur, sed possessio. num. 1.
Ignoranti etiam principali per procuratorem quaeritur possessio. 2.
Quatenus negotiorum gestor mihi possessionem acquirere possit? 3.

1 Per procuratorem quidem immediate dominium non acquiritur, quia juris est, sed possessio, quae facti est, ubi licet aliena opera uti, *l.* 39. *ff. de neg. gest. l.* 53. *ff. de acquir. dom.* sed mediante possessione tamen dominium etiam acquirit mandans, *§.* 5. *Inst. per quas*
2 *pers.* Collige ergo: Per procuratorem et ignoranti principali quaeri possessionem, *P. Gilken. de praescript. p.* 2. *m.* 3. *cap.* 5. *num.* 1. *Klock. vol.* 1. *c.* 7. *num.* 836. textus in *l.* 49. *§. ult. h. t. et §.* 1. *Inst. per quas pers. Bacchov. d. d. th.* 3. *lit. B.* Conf. *Donell. lib.* 5. *c.* 8. *et ibi*
3 *Hillig. lit. C. et Donell. lib.* 9. *c.* 7. Sic negotiorum gestor mihi potest acquirere possessionem, et per possessionem dominium, postquam re integra ratum habui, *l. si ego* 24. *ff. de neg. gest. l.* 1. *§.* 20. *ff. h. t. vid. Auct. hic Berous vol.* 3. *cons.* 47. *num.* 27. *Afflictus dec.* 300. *num.* 1. dum is, qui meo nomine possessionem accepit, adhuc possidet, *Steph. Gratianus t.* 3. *discept. for.* 573. *num.* 13.

L. Nec ex vera. 9.

SUMMARIA

Casus legis. num. 1.
Ex solo titulo, vel hoc quoque deficiente, si quis propria auctoritate possessionem arripit, justam eam non habet, nec retinere potest. 2.
Limitatur. 3.

1 Dedisti mihi mutuo centum sine constituto pignore, postea propria auctoritate occupas meum praedium, quod a me tibi venditum esse ais. Quaeritur: *An haec possessio justa?* Resp. Neg. ex *l. extat* 13. *ff. quod metus causa.* Imo, licet vere vendidissem, non debuisses tamen propria auctoritate occupare, *l. si ex stipula-*
2 *tione* 5. *ff. h. t.* Collige: ex solo titulo (et sic multo magis deficiente titulo) si quis propria auctoritate arripit possessionem, non habere eum justam possessionem, nec eum illam re-
3 tinere posse. Limitatur prius, nisi facta potestas ingrediendi a domino, ex *l. creditores C. de pign.* quo tamen casu, si possessore resistente fiat, vis committitur, si vero nemine se opponente fiat occupatio, non est violenta, sed possessio tamen legitima non videtur. Videantur notata ad *l.* 3. *C. de pign.* Quicquid sit, tutius est adhibere auctoritatem judicis, aut a judice, per *l. juste possidet ff. h. t.* posterius limitatur; nisi sciente et non contradicente domino quis ingressus sit, *l.* 2. *h. t.* Vid. *Zas. in l.* 5. *ff. h. t. Menoch. remed.* 4. *adipisc. possess. num.* 592.

L. Nemo. 10.

SUMMARIA

Facti species. num. 1.
Ad possessionem, quae ad usucapionem requiritur, tres necessariae sunt qualitates. 2.
Litis contestatione, si reus succumbit, interrumpitur praescriptio longi temporis, non ita mobilium usucapio, nec praescriptio tricennalis. 3.
An dubitans de justitia possessionis bona fide possideat? 4.
Dubitans quatenus pro sciente habeatur? 5.

Possideo fundum bona fide, et bono titulo, 1
sed ante completum decennium alius mihi controversiam movet. Quaeritur: *An tunc etiam maneat possessio, adeo ut non obstante lite fundum postea usucapione acquirere possim?* Videtur quod sic, quia post litem etiam contestatam vere possidemus, *l.* 19. *ff. de rei vin-*
dic. l. 2. *§. ult. ff. pro emptore.* Sed neg. Quia ad 2
possessionem talem, quae scil. ad usucapionem requiritur, tres necessariae sunt qualitates: 1. Ut corporaliter teneat: 2. ut etiam animo domini sibi possideat: 3. ut possessio sit continua et non interrupta. Si ergo lis moveatur, et contestetur, interrumpitur possessio, quoad adversarium scil. *l.* 10. *tit. seq.* Jam enim vacillare
incipit. Ergo collige: Litis contestatione inter- 3
rumpi praescriptionem longi temporis, non ita usucapionem mobilium, *l.* 2. *§. ult. ff. pro emptore,* quae per sententiam interrumpitur, non etiam praescriptionem tricennalem, quae citatione interrumpitur, de quo infra ad *l.* 2. *de annali except.* illud intelligendum, si reus succumbat, *Molina tr.* 2. *disp.* 78. Conf. *Gail. lib.* 1. *obs.* 74. *num.* 22. *Rauchb. p.* 2. *q.* 28. *Berlich. p.* 2. *concl.* 9. *num.* 23. *et seq. Hillig. in Donell. l.* 5. *c.* 21. *in fine,* quia in fine dubita-
tionis fit mentio. Hinc quaeritur, an si quis 4
dubitet de justitia possessionis, bona fide possideat? Resp. aut ab initio dubitavit, aut ex post facto; Ille procul dubio sine bona fide est, *Balbus de praescript. part.* 2. *partis* 3. *princ. q.* 2. *Gilken. de praescript. part.* 2. *membr.* 2. *c.* 2. *num.* 132. Hoc casu distinguerem inter causas dubitationis urgentes, et minus urgentes: Conferatur *Covarr. in c. possessor pr. §.* 7. *num.* 3. *Barbos. locupl. lib.* 4. *cap.* 52. *axiom.* 2.
Praesertim dubitans habetur pro sciente, si fa- 5
cile scire veritatem potuit, *Surd. dec.* 265. *n.* 47.

L. Vitia possessionum. 11.

SUMMARIA

Duae legis sunt explicationes. num. 1.
Discrimen inter vitia realia et personalia. 2.
Quaenam sint realia? 3.
Personalia quaenam? 4.
Quomodo haec vitia noceant? 5.
Rem a malae fidei possessore accipiens ratione culturae fructus usucapit vel acquirit. 6.

Duae sunt legis explicationes: Prior agit de 1
successore universali, et est sensus Vitia tum

rei tum personalia perdurant, etsi res ad haeredem perveniat, per verbum, *Majoribus*, juncta *l.* 4. §. 2. *ff. de in jus voc.* Haeredi enim omne vitium nocet. Posterior sensus est de vitiis realibus; quod etiam successoribus singularibus noceat vitium rei vel personae, si scil. accessione illius temporis uti velit. Alias enim vitium personale non nocet successori rei, *l. ult. supr. commun. de success.* Utramque lecturam conjungunt, et primam partem de haerede, alteram de successore singulari intelligunt,
2 *Donell. et ibi Hillig. lib.* 5. *c.* 20. Colligitur ergo discrimen inter vitia realia et personalia. Vitia
3 realia sunt, res furtiva et vi possessa. Item quod sit res pupilli praesidi donata, per *l.* 48. *pr. ff. de acquir. dominio.* Item res Fisci, *l.* 24. *ff. de usucap.* et haec in omnem successorem transeunt, singularem et universalem. Tale vitium autem non est precarium et clandestinum. Ve-
4 rum personalia vitia, ut mala fides, nocent
5 tantum successori universali, non vero singulari, nisi novo jure, per *Auth. malae fidei, titulo seq.* ita vitium litigiosi est personale, non reale, et ideo non impedit praescriptionem inchoari de novo in persona singularis successoris, *l.* 1. *tit. seq.* Sic etiam per ingressum possessionis vacantis contrahitur vitium tantum personale, *Balbus de praescript. part.* 2. *partis* 3. *princ. num.* 5. *et* 6. Vitia realia nocent quoad usucapionem, non nocent quoad fructuum adquisitionem, *d. l.* 48. §. 1. *ff. de adquir. rerum domin. Bacchov. in Tr. v.* 1. *d.* 15. *th.* 12. *lit. D.* Nam usucapio ipsius rei una est, adeoque spectatur principium unum et semel tempore adquisitae possessionis; adquisitiones fructuum mul-
6 tae sunt et separatae, *Bacchov. d. l.* Et qui rem accipit a malae fidei possessore, licet per *Auth. malae fidei tit. sequentis* rem ipsam non praescribat, tamen fructus ratione culturae adquirit aut usucapit, *Gilken. de praescript. part.* 2. *memb.* 2. *c.* 7. *num.* 25.

L. Ex libris. ult.

SUMMARIA

Duae quaestiones deciduntur et quaenam sint? num. 1.
Servus domini conditionem deteriorem reddere nequit. 2.
Differentia est, inter lucrum non captare, et de bonis acquisitis aliquid dimittere. 3.
An per hanc legem veteribus legibus derogetur? 4.
Remedium illud possessorium, quod datur domino, cujus colonus possessionem fundi alteri prodidit, DD. *probant.* 5.
Hoc ipsum ad Constitutum possessorium etiam extendunt. 6.
Exemplo declaratur. 7.
Debitor alienando civilem creditoris possessionem intervertere dicitur. 8.
Idem in conductore possessionem in alium transferente. 9.

Duae quaestiones hic deciduntur: 1. Si per 1
procuratorem vel conductorem meum possideam, et ille omittat seu negligat possessionem, vel dolose alteri prodat. Quaeritur: *An istud factum illius mihi, ceu domino, noceat?* Et Neg. ne ex aliena malignitate dominus damnum percipiat: et ipse procurator damnum ex ista traditione emergens domino resarcire tenetur: 2. Quid *si procurator non deserat possessionem, sed rei nondum possessae*, v. g. haereditatis delatae *possessionem apprehendere negligat?* Videtur et hoc casu procuratorem non nocere domino, ob rationem quaest. 1. et quia 2
servus non potest conditionem domini reddere deteriorem. Sed resp. nocere: nam hic non de damno rei possessae et amissae, sed de lucro rei acquirendae agitur in quo deterior conditio domini per procuratorem fieri potest; et maxima differentia est, inter lucrum non capta- 3
re, quod facilius conceditur, et de bonis adquisitis aliquid dimittere, *Carpzov. part.* 3. *cap.* 7. *dec.* 15. et ipse sibi hoc imputet dominus, quod desidem procuratorem elegerit. Sed hic 4
quaeritur: *An per hanc legem veteribus legibus derogetur?* Nam supra dixi, colonum, procuratorem, et servum principali in tradenda possessione praejudicare posse, quod probatur per *l.* 33. §. 4. *ff. de usucap. et l.* 44. §. 2. *ff. h. t.* Sed *DD.* communiter et post eos *Donell. lib.* 5. *c.* 12. *lit. K.* tradunt, hic non corrigi illa jura, sed sermonem esse tantum de prodita dolo aut negligenter habita possessione, quamvis sine absurditate dici possit, derogari illis legibus. Notandum autem ex *hac lege*, Doctores proba- 5
re remedium aliquod possessorium, quod datur domino, cujus colonus prodidit possessionem fundi alteri, de quo remedio pluribus agit *Menoch. rem.* 14. *recup. possess.* quin imo hoc 6
extendunt ad Constitutum possessorium. Nam si debitor precario nomine se loco sui creditoris possidere constituat, et aliquid ex bonis illis alienaverit, potest creditor rem alienatam a tertio recuperare per condictionem hujus legis, non discusso prius principali debitore, quia creditor propter constitutum civiliter possidet, is enim possidet, cujus nomine possidetur, *l.* 18. *ff. h. t. Riminald. cons.* 66. *num.* 16. *vol.* 1. Et ita si constituens rem alterius nomine se 7
possidere, alienaverit, poterit res condici per hanc legem sine excussione constituentis, *Anton. Thes. dec.* 215. *num.* 4. *et seq. et Carol. Ant. Thes. lib.* 3. *qu.* 89. *num. fin.* et ideo debitor 8
alienando dicitur possessionem creditoris civilem intervertere, *Bocr. dec.* 112. *num.* 12. *Gail. lib.* 2. *obs.* 27. *num.* 31. *Tiraq. de constit. possess. part.* 1. *num.* 51. *Menoch. dicto remed.* 14. *num.* 24. *Bald. h. t. num.* 1. sic conductor in alium 9
transferens possessionem contra hanc legem agit, *Mevius p.* 4. *dec.* 90. *num.* 3. Conf. *Gilken. de praesc. p.* 2. *membr.* 5. *c.* 5. *num.* 19.

TITULUS XXXIII.

De praescriptione longi temporis 10. vel 20. annorum.

L. Cum post motam. I.

SUMMARIA

Facti species. num. 1.
Ratio dubitandi. 2.
Decidendi. 3.
Civilis interruptio, quae in longi temporis praescriptione fit, per litem contestatam non operatur nisi contra eum, cui controversia mota. 4.

1 Fuit tibi lis ob praedium mota a Titio, postea Titius deserit litem, et labitur instantia, et tu mihi vendis, quod etiam bona fide inter absentes viginti annis, inter praesentes decem annis possideo. Quaeritur: *An usucepe-*
2 *rim?* Videtur quod non: quia tu non vendidisti bona fide, et ob *l. fin. supr. com. de usu-*
3 *cap.* Sed resp. hic te ob malam fidem, in qua constitutus es, per litem contestatam usucapere non posse, nec me etiam posse, si usus fuero accessione temporis ejus, quo tu possedisti. Sed, si ego totos 20. annos inter absentes implevero, possum usucapere, quia vitium litigiosi tum per lapsum termini, tum quia ad aliam personam res pervenit, expiravit. Collige *ex hac*
4 *lege* 1. Civilem interruptionem, quae in longi temporis praescriptione fit per litem contestatam, non operari, nisi contra eum, cui controversia mota est, quia vitium litigiosi non est vitium reale, quod rem ipsam afficiat, et per lapsum instantiae perit vitium litigiosi quoad tertium.

Auth. Malae fidei.

SUMMARIA

Quando alienator meus mala fide possidet, nec ego usucapere possum. num. 1.
Limitatur. 2.
Bonae fidei possessor, qui rem alienam a malae fidei possessore accepit, domino ignorante, non nisi 30. *annorum praescriptione hodie tutus est.* 3.
Limitatur duobus modis. 4. 6.
Prior limitatio valde dubia, et cur? 5.
Haec Authentica *in praescriptione actionis hypothecariae non habet locum.* 7.
Hypothecariae actioni praescribi potest, licet a malae fidei possessore rem emerim. 8.

1 Sed per *Authent. et Novell.* 119. *cap.* 7. nec ego quidem possum usucapere, quando alienator (ut tu hoc loco) mala fide possidet, nisi
2 1. triginta annis possederim, aut. 2. domino sciente, sed litem non movente 20. vel 10. annis possederim. Ita ergo hodie per *Auth. hanc* bonae fidei possessor, qui rem alienam a ma- 3
lae fidei possessore accepit, domino ignorante, non nisi 30. annorum praescriptione tutus est, *Rittershus. ad Novell. p.* 11. *cap.* 2. *num.* 3. *Bacchov. in Tr. v.* 2. *d.* 22. *th.* 5. *lit. A. et B.* sed limitatur *haec Auth.* 1. ut non habeat lo- 4
cum in mobilibus, quia hic fit mentio longi temporis, *Francisc. Balbus de praescript. part.* 2. *part.* 3. *princip. quaest.* 12. *num.* 7. Sed haec 5
limitatio valde dubia est, nam si possessor rem mobilem vendat, vitium reale contrahit res, et est furtiva, quomodo ergo haec usucapi potest? Quam difficultatem hic vidit *Salyc.* et alii. Confer. *Balbus de praescript. part.* 2. *part.* 3. *princ. quaest.* 12. *num.* 7. *et Gilken. de praescript. part.* 2. *membr.* 2. *cap.* 7. *num.* 9. *et seqq.* nisi praesupponamus casum aliquem, ubi res mobilis sine vitio furtivitatis venditur a m. f. possessore, nec 2. Eo casu, ubi primus posses- 6
sor fuit malae fidei, sed immediatus auctor, a quo comparavi, est bonae fidei, *Balbus d. l. num.* 7. *Balthasar. tit.* 9. *resol. Bavar.* 6. *in fine.* Nam *dicta Authentica* in persona primi alienantis consistit, nec correctoria constitutio extendenda, *Gilken. d. l. num.* 13. sicut etiam mala fides defuncti nocet tantum proximo haeredi, non haeredis haeredi, quia in una re jure duas fictiones detestantur, *Lud. Molina de just. et jure tract.* 2. *disput.* 65. *num.* 7. *Covarr. in cap. possessor* §. 917. *Vasq. lib.* 2. *illustr. cap.* 93. *num.* 19. *Gilken. de praescript. part.* 2. *membr.* 1. *cap.* 16. *num.* 48. Et quia *haec Auth.* loqui- 7
tur de praescriptione dominii, ideo non habet locum in praescriptione actionis hypothecariae, cui praescribi potest, licet a malae fidei pos- 8
sessore rem emerim, *Neguz. de pign. m.* 2. *part.* 6. *num.* 2. *Casp. Roder. de ann. redit. lib.* 2. *q.* 9. *num.* 63. quos sequitur *Balthas. d. l. Gilken. d. l. num.* 18.

Auth. Quod si quis.

SUMMARIA

Inter praesentes 10. *inter absentes* 20. *annorum praescriptio locum habet. num.* 1.
Quid si rei dominus septem annis praesens, tribus vero annis absens fuerit? 2.
Extensio. 3.

Inter praesentes decem annorum praescriptio 1
locum habet, inter absentes viginti annorum. Sed, *Quid si rei dominus septem annis prae-* 2
sens, tribus vero annis absens fuisset? Resp. hic illos annos, quibus quis absens fuisset, esse duplicandos, ut ultra illos septem et tres annos, adhuc alii tres anni requirantur, et sic in aliis, si v. g. octo annis praesens duobus annis

absens, duo illi duplicandi, *Balbus p. 1. partis 4. qu. 5. Rittersh. d. cap. 2. num. 5. Richt.*
3 *dec. 21. num.* 39. Hanc decisionem extendunt *Doctores* ad illum casum, quo Ecclesia succedit privato, ac contra Ecclesiam praescribendum est, *Bartol. in Auth. quas actiones C. de SS. Eccles. num. 15. Salyc. num. 9. Castr. num* 12. *Jason. num.* 36. *Molina tract.* 2. *disp.* 72. *num.* 5.

L. Longi temporis. 2. et L. Nec bona fide. 10.

SUMMARIA

Requisita complendae praescriptionis. num. 1.
Interruptio est duplex, et quid utraque. 2.
Possessio per mortem possessoris defuncti, licet interrupta, ante aditam tamen haereditatem compleri potest. 3.

1 Ad complendam praescriptionem requiritur bona fides, sed non tantum, sed etiam continuata possessio, id est non interrupta. Inter-
2 ruptio autem duplex est: I. Naturalis, quae tum fit, cum unum ex requisitis substantialibus cessat, v. g. possessio civilis, vel bona fides vel titulus in non titulum incidit, *Covarr. in d. cap. possessor p.* 2. §. 10. *Balbus p.* 3. *partis* 9. *quaest.* 1. *et seqq. Molina tract.* 2. *dec.* 78. *num* 10. *et seq.* Et huc etiam pertinet pignoratio ad inhibendam quasi possessionem juris alicujus facta; de qua *Carpzov. part.* 2. *cap.* 7. *et Berlich. part.* 2. *concl.* 9. et haec omnibus prodest, *l. naturaliter* 5. *ff. de usucap.* II. Civilis, et haec in longi temporis praescriptione fit per litem contestatam, quia jam dubitare cogitur, *l.* 10. *tit. praeced.* et post motam controversiam in praeteritum aestimatur, id est, praescriptio non habet locum etiam in praeterito tempore, si nondum perfecta ea superveniat controversia, sed haec interruptio non prodest nisi ei, qui litem moverat, *l.* 10. *ff. de tempor. praescript.* nec interruptio haec aliis praejudicat personis, sed inter eas personas, inter quas actum est, locum tantum habet, *Donell. lib.* 5. *c.* 21. *in fin.* Jure sane singulari
3 receptum, ut, licet possessio per mortem possessoris defuncti interrupta sit, compleri tamen possit usucapio, etiam ante aditam haereditatem, *l. coeptam* 40. *ff. de usucap. Menoch. rem.* 13. *recup. possess. num.* 46. *Alphan. coll.* 260. nec interrumpitur in favorem possessoris, *l.* 44. §. *pen. d. t.*

L. Si vineae. 3.

SUMMARIA

Facti species. num. 1.
Inter conjunctos quoque locum habet praescriptio? 2.
An filius matrem dotare teneatur? 3.

1 Mater mea vineam dedit in dotem suo marito, hic vitricum etiam posse eam vineam usucapere contra meum privignum, statuitur, sed vineam nondum usucaptam potest vindicare privignus. Colligit *Bl.* inter conjunctos etiam 2
locum habere praescriptionem, et filium non 3
teneri dotare matrem, quod ultimum tamen non sequitur, quia hic non agitur de illa quaestione, an filius debeat dotem dare matri, sed si mater ignorante filio ejus fundum in dotem dederit, et matrem juvenem et pulchram a filio dotandam esse dicit *Tiraq. lege connub.* 2. *num.* 9.

L. Diutina. 4.

SUMMARIA

Usucapio sine justo titulo non procedit, licet quis se pro haerede gerat. num. 1.
Titulus vitiosus apparens in longissimi temporis praescriptione, imo et in immemoriali bonam fidem tollit. 2.

Sine justo titulo non procedit usucapio, licet 1
quis se pro haerede gerat, Vide *tit. supr. de usucap. pro haered.* et confirmatur sententia illa supra tradita, titulum pro haerede, per se sine speciali titulo, non esse justum. Et quamvis 2
in longissimi temporis praescriptione non requiratur titulus, et multo minus in immemoriali, titulus tamen vitiosus apparens bonam fidem tollit, etiam in longissimi temporis praescriptione, imo etiam in immemoriali, ut supra dictum. Deterius enim est malum titulum habere, quam nullum, *Molinaeus ad consuet. Paris. tit.* 1. §. 8. *gl.* 1. *num.* 109. *Gilken. de praescript. part.* 2. *membr.* 2. *c.* 7. *num.* 17.

L. Nec petentem. 5.

SUMMARIA

Facti species. num. 1.
Alia casus formatio. 2.
An debite solutum post 10. *annos possit repeti?* 3.

Tu possides praedium meum: Titius tibi ob 1
id controversiam movet, et ego tibi sum patrocinatus, errore quodam deceptus, Quaeritur: *An ex hoc adeptus sis justum titulum, ita ut propterea juste possideas, quia, ut patronus tuus, tuam rem esse asserui?* Sed Neg. *hic* et per *leg.* 54. *ff. de rei vind. et leg.* 18. *C. eodem,* quam vide. Vel potest casus ita formari: puta- 2
vi, me tibi debere Stichum, sed erravi et solvi tibi scienti indebite hoc solvi, Quaeritur: *An* 3
possim post 10. *annos repetere?* Resp. quod sic, quia deficit titulus. Error meus tibi tantum causam possessionis praestitit. Sed aliud, si et tu ignorasti errorem, quia tunc pro suo daretur usucapio, *l.* 3. *ff. pro suo,* quod intelligo de justa erroris causa, per tradita ad *l. Celsus* 27. *ff. de usucap. et ibi Balbus num.* 6. *Hillig. ad Donell. lib.* 5. *cap.* 15. *lit. B.*

L. Si fraude. 6.

SUMMARIA

Ubi non est justus titulus, ibi nec usucapio. num. 1.
Exemplo illustratur. 2.
Limitatur. 3.

1 Ubi non est justus titulus, ibi non est usuca-
2 pio, v. g. quando dolo te induxi, ut venderes, hic dolus, dedit causam contractui; Ergo venditio est nulla, *l.* 7. *ff. de dolo.* Sive ergo nesciam hoc jus, non possum usucapere, *l.* 31. *ff. de usucap.* sive sciam, quia tunc adest mala fi-
3 des, secus ergo, si dolus sit incidens, v. g. in pretio, ubi venditio tenet, et nulla non est, et per consequens talis emptor usucapere potest, salva tamen actione ex laesione ultra dimidiam, quae perpetua est.

L. Longi temporis. 7.

SUMMARIUM

Casus legis.

Emi fundum, et possedi decem annis, postea surripitur mihi per furtum Instrumentum emptionis. Resp. id mihi non praejudicare, quia praescriptione tutus sum, nam amissio Instrumenti non tollit jus suum domino, *l.* 1. *et* 8. *ff. de fide Instr.* si modo titulus aliunde probari possit, *l.* 19. *C. de rei vindic.* Ratio alia in *l.* 47. *ff. de reg. jur.*

L. Si is. 8.

SUMMARIA

Facti species. num. 1.
Titulus injustus ob errorem juris usucapionem vel usucapiendi conditionem non parit. 2.

1 Mater tua adoptat Titium, nullo impetrato rescripto Principis, et ita invalide, §. 10. *Inst. de adopt.* mortua matre Titius, ut filius adoptatus, possidet mancipia matris, quaeritur: *An Titius ea usucapere possit?* Resp. quod non: quia enim adoptio invalida, ideoque Titius, ut filius adoptatus, vel haeres, non potest usucapere pro haerede. Vid. *supr. ad tit. de usucap. pro haered.* Ergo poteris ea vindicare, ratio in
2 *l.* 2. *de usucap.* nam titulus injustus ob errorem juris usucapionem vel usucapiendi conditionem non parit: accedit et alia ratio, quod hic non adsit specialis titulus, nam titulus pro haerede solus non sufficit, ut supra dictum.

L. Emptor. 9.

SUMMARIA

Casus legis. num. 1.
Objectio tacita diluitur. 2.
Excipiens non fatetur actoris intentionem. 3.

Convenior Titio ob fundum, quem bona fide 1
emi a te, oppono ante litem contestatam exceptionem praescriptionis, quod per decem annos possederim. Quaeritur: *An statim tenear* 2
probare? Resp. quamvis haec exceptio sit litis finitae, et sic ad impediendum litis ingressum ante litem contestatam opponi non tantum, sed et probari possit, non tamen tenetur reus eam probare, sed potest probationem differre in tempus post litem contestatam, ut proficiat ad victoriam, et tunc debet actor prius suam intentionem probare, scil. quod dominus fuerit fundi; hoc probato, debeo probare praescriptionem. Ratio in *l.* 9. *infr. de except.* Et inde
probatur: Quod excipiens non videatur fateri 3
intentionem actoris, quia hujus exceptionis probationem praecedere debet probatio intentionis actoris.

L. Super. 11.

SUMMARIA

Res etiam lucrativo titulo possessa decem annis inter praesentes, viginti inter absentes praescribitur. num. 1. 4.
In praescriptione longi temporis non tantum ab initio, sed in progressu etiam bona fides requiritur. 2.
Quomodo probetur bona fides, et anne praesumatur? 3.
Limitatio regulae. num. 1. *traditae.* 5.

Decem annis inter praesentes praescribitur, 1
vel viginti annis inter absentes, etsi lucrativo titulo, v. g. donationis vel legati rem possideam; Nam ex hoc casu usucapere possum, et licet mihi etiam uti accessione temporis ejus, quo prior possessor, v. g. donator, possedit.
Collige: In praescriptione longi temporis non 2
tantum bonam fidem ab initio requiri, sed etiam in progressu, quia debet probare, quod bona
fide per 10. vel 20. annos possederit: Sed *quo-* 3
modo probabitur bona fides? Annon praesumitur? Glossa expeditam suam et solemnem expedit responsionem, quod eo ipso probetur bona fides, quod non probetur contrarium; sed displicuit mihi semper haec resolutio, nam ita omnes leges probationem exigentes eludere possem, sed probationem puto pertinere ad possessionem et detentionem: bona fides autem non probatur, sed praesumitur. Collige etiam:
Ex titulo lucrativo dari praescriptionem et usu- 4
capionem, quod quamvis *Ang. Aretinus in l.* 5
apud Julianum §. constat ff. de leg. Jure Canonico mutatum esse velit, tamen ea sententia refutatur a *Felino in cap. si diligenti X. de praescript.* quem refert *Balthasar. d. t.* 9. *res.* 8. *num.* 5.

L. Cum in longi temporis. ult.

SUMMARIA

Quot modis praesentia, ut per eam res 10. *annis praescribatur, sit consideranda. num.* 1.

Rei vindicatio contra possessorem praesentem etiam re absente recte instituitur. 2.
Jus hodiernum. 3.
Si dominus in eadem provincia domicilium habet, an contra illum possim praescribere, et an domini scientia requiratur? 4.
Quomodo incorporalia usucapiantur? 5.
Degentes duo in civitate, si non habeant ibi domicilium, pro praesentibus non habentur. 6.
Duo domicilium in eadem civitate habentes, licet non convivant, sed in diversis provinciis commorentur, pro praesentibus tamen habentur. 7.
Etiam actiones reales moveri possunt in loco, in quo non sunt sitae, si modo reus habeat domicilium. 8.
Possessor in loco rei sitae conveniri potest, licet ibi non habeat domicilium. 9.
Praescriptio longi temporis etiam contra ignorantem currit. 10.
Sententia contraria nonnullorum rejicitur. 11.
Sententia recepta in judiciis. 12.
Ususfructus et caeterae servitutes longo tempore quasi usucapi possunt. 13.
Exemplo declaratur. 14.
Phrasis, contra ignorantem praescribi, *quomodo intelligenda?* 15.
An discrimen h. l. *inter servitutes personales et reales sit constituendum?* 16.
In praescriptione servitutis scientia domini fundi servientis requiritur. 17.

1 Quoniam supra dictum, inter praesentes decem annis, inter absentes viginti praescribi, Quaeritur: Quomodo ista praesentia 1. ratione rerum, 2. ratione personarum sit consideranda, 3. an in civitate una domicilium habere debeant? Ad *primum.* Resp. ut res sint praesentes non requiri, nam fundus, licet trans mare situs, decem annis a te praescribi potest, si tu prae-
2 sens mihi sis: Quia rei vindicatio contra possessorem praesentem institui potest, licet res sit absens. Et negligentia ipsi domino nocet. Ad *secundum* Resp. personam tam possessoris, quam domini sibi mutuo praesentes esse oportere. Ad *tertium,* Non in eadem civitate, sed
3 provincia domicilium habere debent, hodie sub eodem judice, *Harpr. in pr. t. de usucap. num.* 106. *Bacchov. ad Tr. d.* 22. *th.* 4. *lit. H.* Si
4 ergo dominus in eadem provincia domicilium habeat, tunc contra illum praescribere possum. Sed *requiriturne scientia domini?* Resp. Neg.
5 ne intricabilis litis occasio detur. *Quomodo autem incorporalia, ut servitutes etc. usucapiuntur?* Resp. etiam decem annis inter praesentes, et viginti inter absentes, v. g. si servitutem ex causa justa, et bona fide acceperim a praedii possessore, qui non fuit dominus, §. *ult. h. l.*
6 Collige ergo ex *hac lege:* Si degimus ambo in eadem civitate, si non habeamus ibidem domicilium, pro praesentibus non haberi, et e contrario, si habeamus domicilium in eadem pro- 7
vincia, licet non convivamus, sed in diversis provinciis commoremus, nos tamen pro praesentibus haberi, *Castr. hic num.* 1. *in fine Balbus p.* 1. *partis* 4. *qu.* 2. *num.* 3. *Balthasar. d. t.* 9. *resol.* 1. *num.* 19. *Menoch. lib.* 6. *praesumpt.* 16. *num.* 4. Etiam actiones reales posse 8
moveri in loco, in quo res sitae non sunt, si modo reus ibi habeat domicilium, per vers. *quid enim prodest etc. Trentac. lib.* 2. *tit. de act. resol.* 4. *num.* 10. *Tiraq. retr. cons.* §. 8. *gl.* 5. *num.* 91. *Matth. Steph. lib.* 1. *de jurisd. c.* 31. Et possessor potest in loco rei sitae 9
conveniri, licet ibi domicilium non habeat, *l. ult. C. ubi in rem actio, l. haeres absens* 19. §. 1. *ff. de judic.* Collige etiam ex *hac l. fin. circa finem.* Praescriptionem longi temporis 10
currere etiam contra ignorantem, et quamvis, *Castr. hic num.* 4. ex capite ignorantiae resti- 11
tutionem contra praescriptionem longi temporis concedat, quae sententia etiam communiter recepta, semper tamen displicuit haec sententia, quia *lex haec* manifesto dicit, nullam scientiae vel ignorantiae rationem habendam esse: Et verendum alias est, ne *lex haec* verbis potius, quam rebus scripta dici possit. Vid. *Covarr. in d. c. possessor p.* 3. §. 3. *Wesenb. in* ϖ. *ff. ex quibus causis majores etc. n.* 10. *Pinell. in Auth. tricennalis num.* 58. *Fachin. lib.* 1. *c.* 69. *Vasqu. lib.* 2. *contr. ill. cap.* 65. *Thesaur. dec.* 134. *num.* 15. *Harpr. in* §. *ult. Instit. de usucap. num.* 14. *et seq.* Sed ea sententia com- 12
munis in judiciis jam radices egit altiores, quam ut evelli possit, vide ea, quae notavi ad *l.* 1. *ff. ex quibus causis majores etc. num.* 3. *et seq.* Demum *ex fine* colligitur: usumfructum et 13
caeteras servitutes longo tempore quasi usucapi posse. Si v. g. ususfructus sit constitutus ab 14
eo, qui non erat dominus et esse putabatur, nam tunc contra proprietarium adquiritur, *Castillo de usufructu cap.* 68. *num.* 2. Quaeritur 15
ergo, quomodo dicatur in hac lege, *contra ignorantem praescribi,* cum tamen adquisitio ususfructus vel servitutis requirat patientiam, ergo sic scientiam? Resp. Quando usufructuarius constitutum a non domino habet, tunc titulum habet, et non opus habet scientia, sed quando quis sine titulo praescribit, tunc patientia opus est, *Castillo d. l. num.* 4. Neque hic discrimen 16
facio inter servitutes personales et reales, nec continuas et discontinuas. Vid. *Donell. lib.* 11. *c.* 11. *Wesenb. in* ϖ. *de usucap. Fachin. lib.* 8. *c.* 22. *Carpz. p.* 2. *const.* 4. *def.* 8. *Berlich. p.* 2. *c.* 6. *num.* 12. *Gilk. p.* 2. *num.* 1. *c.* 10. *num.* 12. Scientiam tamen domini fundi servientis re- 17
quirunt, per *l.* 2. *C. de servit.* ubi vide notata. Et sic verbum, *eodem,* ad remotius videtur referendum, Vid. *Caldas de empt. cap.* 12. *num.* 13.

TITULUS XXXIV.

In quibus causis cessat longi temporis praescriptio.

L. Si is. 1.

SUMMARIA

Facti species. num. 1.
Nemo causam possessionis sibi mutare potest. 2.
Quotiescumque quis scit, se bona fide non possidere, et lucri causa possidere incipit, usucapere non potest. 3.

1 Colonus meus instrumenta, quibus dominium probari potest, mihi subtraxit, et suo nomine constituit possidere. Quaeritur : *An usucapere possit pro suo?* Resp. Quod non; quia
2 nemo causam possessionis sibi mutare potest, *l.* 1. *supr. commun. de usucap.* et subtractio instrumentorum pro nova causa haberi nequit.
3 Quotiescumque enim quis scit, se bona fide non possidere, et lucri causa incipit possidere, usucapere non potest, *l.* 33. §. 1. *ff. de usucap.*

L. In servorum. 2.

SUMMARIUM

Casus legis.

In rebus mobilibus, ut servis, non requiritur praescriptio longi temporis, sed sufficit lapsus triennii, nisi certo praedio destinati, et ita ejus quasi pars sint, ut *l.* 3. *ff. de divers. temp. praescript.*

L. Unus. 3.

SUMMARIA

Facti species. num. 1.
Frater solus possidens paternam haereditatem, contra fratrem eamdem non potest praescribere. 2.
Saepe ex pluribus rationibus una tantum in legibus exprimitur. 3.
Non sola actio mixta usucapionem impedit, sed etiam quia socius bona fide titulo destituitur. 4.
Actioni finium regundorum 30. *annis praescribitur.* 5.

1 Habui tecum fundum individuum, seu indivisum, tu illum decem annis solus possedisti, Quaeritur: *An mihi praescriptionem longi temporis opponere possis?* Vid. Quod sic, quia est realis actio: Sed Neg. quia actio non tantum realis, sed etiam personalis est, et mixta, §. 20. *Inst. de action.* Ergo non nisi triginta annis ei praescribi potest, *l.* 1. *infra de annal. except.*
2 Unde probatur fratrem solum possidentem haereditatem paternam, contra fratrem eamdem non posse praescribere, *Balbus de praescript. p.* 2. *partis* 3. *princ. quaest.* 10. *num.* 46. *obs.* 1. *Franc. Balthasar. tit.* 9. *resol.* 4. *num.* 1.
Obiter nota: Saepe in legibus unam rationem 3
exprimi, cum tamen plures sint; nam non
tantum ea ratio impedit usucapionem, quod 4
sit actio mixta, sed etiam, quia socius iste bona fide et titulo distituitur. Divisioni etiam inter socios non praescribitur, *Balbus p.* 4. *part.* 4. *qu.* 13. *num.* 2. *et Balthasar. resol.* 4. *num.*
2. *Petr. Greg. lib.* 4. *tit.* 2. Colligitur etiam: actio- 5
ni finium regundorum 30. annis praescribi, licet ipsa terrae particula longo tempore praescribi possit, *Balb. d. p.* 4. *qu.* 14. aliter *Bacchov. in Tr. v.* 1. *d.* 19. *th.* 8. *lit. C.*

L. Haereditatem. 4.

SUMMARIA

Casus legis. num. 1.
An alterius haereditas per possessionem usucapi possit? 2.
Quale discrimen inter haereditatis petitionem et rei vindicationem? 3.
Haereditatis petitio contra titulo singulari possidentem non datur. 4.
Exceptio. 5.

Possedisti haereditatem mihi delatam decem 1
Annis; Quaeritur: *An usucaperis?* Resp. dist. 2
aut titulo universali possides, v. g. pro haerede aut possessore, et cum contra te hoc casu detur petitio haereditatis; haec autem sit mixta, ut in *l. praecedente*, huic actioni non decem annis vel viginti, sed tantum triginta annis praescribitur, *hic et l.* 7. *supr. de petit. haered.* Aut possides titulo singulari pro emptore, aut donato etc. et cum contra talem possessorem non detur petitio haereditatis, ideo tales res haereditariae singulari titulo possessae decem vel viginti annis praescribi possunt, *d. l.* 7. *et Wesenb. in π. t. de petit. haered. num.* 10. *Donell. lib.* 17. *c.* 13. *Gilken. de praescript. p.* 2. *membr.* 1. *cap.* 16. *num.* 8. *et seq.* Nota igitur 3
discrimen, inter petitionem haereditatis et rei vindicationem, competentem ad rem immobilem, illi tricennio, huic decennio praescribitur, illa non datur contra titulo singulari possidentem, nam si haereditatem a te petam, tu vero specialem titulum dominii alleges, non opus est, ut petitio haereditatis amplius examinetur, sed de rei dominio quaestio est. Vid. *Covarr. cap.* 12. *pract. qu.* 112. *Menoch. rem.* 1. *adipisc. possess. num.* 61. *et DD. hic.* Unde
probant *DD.* petitionem haereditatis non dari 4
contra titulo singulari possidentem, licet post mortem defuncti titulum quaesiverit, *Covarr. pr. q.* 12. *num.* 3. et quos refert ac sequitur,

5 *Fachin. lib.* 2. *cap.* 4. nisi in quibusdam casibus, qui habentur in *l.* 13. §. 4. *ff. de petit. haered.*

L. Si puerum. ult.

SUMMARIUM

Facti species.

Servum meum ab hostibus captum tu, quasi a me pro derelicto habitus esse, occupas; Quaer. *An usucapi possit?* Videtur quod sic; quia titulus pro derelicto aptus est ad transferendum dominium, *l.* 36. *ff. de stipul. serv.* sed Neg. Quia pro derelicto non est habitus, sed si eum agrum curasti, impensas actione negotiorum gestorum repetere, *l.* 10. §. 1. *ff. de n. g.* vel tamdiu servum retinere potes.

TITULUS XXXV.

Quibus (scil. personis, nam praecedens Titulus de causis egit) non objicitur longi temporis praescriptio.

L. Tempus. 1.

SUMMARIUM

Absentibus reipubl. vel alia necessaria ac probabili seu fortuita causa cum effectu non objicitur longi temporis praescriptio.

Non objicitur praescriptio longi temporis his cum effectu, qui reipubl. causa aut alia necessaria ac probabili causa, seu fortuita, *l.* 4. *h. t.* absunt, vel ab hoste captis. Ratio est: Quia hi restituuntur in integrum, *toto titulo C. de rest. militum et eorum, qui reip. causa absunt*, v. g. si miles sit in expeditione, *l.* 1. *h. t.* et *l.* 3. *d. tit. de restit. milit.*

L. Cum per absentiam. 2.

SUMMARIUM

Casus legis.

Medicus castrensis abfuit per 10. annos, interim ejus bona sunt distracta, Quaeritur: *An speciali privilegio ipsi subvenire debeat Imperator, ne contra eum currat praescriptio?* Resp. Imper. non opus esse rescripto, cum jure communi sit tutus per beneficium commune restitutionis ob absentiam necessariam, §. *rursus* 5. *Inst. de act. et ibi DD.*

L. Non est incognitum. 3.

SUMMARIA

Contra res minoris immobiles, nec hodie nec olim currebat praescriptio. num. 1.
Secus contra mobiles. 2.
Jus hodiernum circa has mobiles. 3.

1 Contra res minoris immobiles nec hodie nec
2 olim currebat praescriptio, sed contra mobiles res currebat olim usucapio ipso jure, licet daretur ipsi restitutio, sed hodie contra minorum 3
res nulla longi temporis praescriptio currit, *l. ult. supr. in quibus causis in integr. rest.* ubi Vid. *Donellus lib.* 5. *c.* 22. *et ibi Hillig. et lib.* 2. *c.* 24. *lit. B.* Distinguendum tamen plenius, an praescriptio contra antecessorem minoris inchoata, an vero contra minorem inchoanda, ut illo casu currat praescriptio, sed detur restitutio, hoc posteriori casu non currat ipso jure praescriptio, per *d. l. ult. in quibus causis, et l. un. C. si adversus usucap. Oddus de restit. qu.* 90. *art.* 1. *Zang. de except. p.* 3. *c.* 8. *num.* 17. *Balthasar. d. t.* 9. *art.* 10. *num.* 9.

L. Si possessio. 4.

SUMMARIUM

Sensus legis.

Contra eos, qui reipublicae causa, vel causa fatali et ita necessario absunt, currit quidem praescriptio, sed datur restitutio; nam si voluntarie abessent, non daretur restitutio, *l. sed et si per praetorem* 26. *in fine ff. ex quibus caus. majores. etc.*

L. Neque mutui. 5.

SUMMARIA

Actionibus tantum realibus 10. *vel* 20. *annis praescribitur. num.* 1.
Species actionum personalium. 2.
Personalibus 30. *annis tantum praescribitur.* 3.
Quid juris in actione reali vel hypothecaria ex testamento contra tertium. 4.

Actionibus tantum realibus praescribitur de- 1
cem vel viginti annis, sed non personalibus,
hic et l. 3. *tit. praec.* quales actiones persona- 2
les sunt, quae ex contractu oriuntur, actio mutui, commodati, dispositio; item ex quasi contractu, ut actio tutelae, actio ex testamento, qua haeres ad legata solvenda tenetur, §. 5. *Inst. de obl. ex quasi contr.* Nam his tantum 3

30. annis praescribitur, ut infra dicetur; Sed
4 si actio realis vel hypothecaria ex testamento contra tertium est, tunc, si res immobilis, praescriptio longi temporis, scilicet decem annorum, locum habebit, ut in *tit. seq.*

L. Ab hostibus. 6.

SUMMARIA

Facti species. num. 1.
Usucapio me capto ab hostibus interim completa per fictionem postliminii non rescinditur. 2.
Bacchovius *notatur.* 3.

1 Captus quis ab hostibus, interim quaedam bona ab aliis possessa, alia praescripta plane; *Quomodo consulitur reverso?* Resp. ad ea, quae nondum sunt praescripta, datur actio directa vel utilis, vel publiciana etc. Sed ratione bonorum praescriptorum datur ipsi restitutio,
2 et postea actio rescissoria, quia per fictionem postliminii non rescinditur ipso jure usucapio interim completa, *Bald. ad tit. ex quibus caus. major. cap.* 2. *num.* 4. Vid. *d.* §. 5. *Inst. de*
3 *act. et ibi DD.* licet aliter *Bacchov. ad tit. Ex quibus causis major. cap.* 5. *pag.* 1202. in fine, *et pag. seq.*

L. Praescriptione. 7.

SUMMARIUM

Sensus legis.

Tantum aliud tempus in restitutione dandum, quo quis absens fuit, v. g. si per 7. annos praesens fuisti, per triennium vero absens reip. causa, vel ex causa necessaria et probabili, hoc tantum triennium ipsi restituendum, *hic et l.* 3. *C. de restit milit.*

L. Sancimus. ult.

SUMMARIUM

Sensus legis.

Illud tantum tempus militibus restituitur, quo in expeditione sunt. Ergo, si per quadriennium abfuerint, sed per triennium tantum in expeditione fuerint, illud triennium tantum ipsis restituendum, *Oddas de restit. quaest.* 6. *num.* 16. *Menit. de restit. qu.* 334.

TITULUS XXXVI.

Si adversus creditorem praescriptio opponatur.

L. Diuturnum. 1. et L. Si debitori. 2.

SUMMARIA

Actioni reali 10. *vel* 20. *annis praescribitur. num.* 1.
Sed quid in actione hypothecaria? 2.
Praescriptio actionis hypothecariae ab usucapione ipsius rei pignoratae est distinguenda, et quando? 3.
Authentica Malae fidei supr. de praescript. long. temp. *in praescriptione actionis hypothecariae non habet locum.* 4.
Debitore vel ejus haerede possidente non nisi 40. *annis huic actioni hypothecariae praescribitur.* 5.

1 Actioni reali praescribitur decem et viginti
2 annis, sed *quid de actione hypothecaria?* Resp. Si bona fide possideat pignus vel hypothecam extraneus et tertius, tunc hic decem annis inter praesentes, viginti inter absentes contra creditorem ejusque haeredes actioni hypothecariae praescribit, *l.* 1. *et* 2. *h. t. et l.* 7. *et ult. supra de obl. et act. Neguzan. m.* 2. *de pign. part.* 6. *princ. num.* 1. *Molin. tr.* 2. *de J. et J. d.* 69. *num.* 5. *Jo. Franc. Balthasar. d. t.* 9. *resol. Bavar. resol.* 2. *num.* 1. *et seq.* si modo tertius per totum illud temporis spatium bona fide possedit, de quo *Mevius p.* 4. *dec.* 283. Atque haec praescriptio actionis hypo- 3
thecariae distinguenda est ab usucapione ipsius rei pignoratae. Nam pignus mobile ipsum triennio adquiritur respectu domini seu debitoris, immobile vero 10. annis. Sed ita jus creditoris non est peremptum? nisi ille 10. vel 20. annis taceat. Quid enim si debitor paulo ante completam usucapionem? omnia bona sua obliget pignori, et sic etiam illud praedium, quod prope usucaptum? Nam tunc debitori praescriptum est, non vero creditori. E contrario potest longo silentio creditor jus suum amittere, ubi nulla fit usucapio, ut si fundus pupilli ab ejus patre obligatus pignori a tertio possideatur, nam hic tertius praescribet contra creditorem actioni hypothecariae, non vero contra pupillum, *Donell. l.* 5. *cap.* 29. *Balbus p.* 4. *partis* 4. *qu.* 3. *num.* 3. nec mala fides debitoris, qui scit se obligasse rem illam, nocet tertio, quia *Auth. Malae fidei supr. de praescriptio-* 4
ne longi temporis, locum habet in praescriptione dominii, non actionis hypothecariae, *Tusch. cons.* 560. *num.* 12. *lit. P. Balthas. d. res.* 2. *in cas.* 2. *Bald. p.* 1. *quaest.* 3. *num.* 5. Confer notata ad *Auth. Malae fidei.* Sed si de- 5
bitor ipse vel ejus haeres possideat, non nisi quadraginta annis hic praescribere actioni hypothecariae potest, *l.* 7. §. 1. *infra de praescript.*

30. *ann.* Hic enim non habet bonam fidem, sed priori casu actio personalis ob debitum contra ipsum debitorem salva est, *l.* 1. *h. t.* ipse vero extraneus, v. g. qui donationis titulo rem pignoratam accepit, nec reali, ut quae praescripta est, nec personali actione tenetur, quia non est haeres debitoris: Ergo nec succedit in vitia ejus personalia, per *l.* 2. *h. tit.* De hypothecaria actione plura in *l.* 7. *infra de praescr.* 30. *ann.* dicentur.

TITULUS XXXVIII.

De quadriennii praescriptione.

L. Notum est. 1.

SUMMARIA

Duplex hujus tituli *quaestio, et quaenam? num.* 1.
Quomodo adversus Fiscum praescribatur? 2.
Intellectus hujus legis. 3.
In vectigalibus quid receptum, remissive. 4.
Quid in criminibus. 5.

1 Quaestio in *hoc tit.* duplex: 1. *Quomodo adver-*
2 *sus Fiscum praescribatur?* - 2. *Quomodo Fiscus contra alios praescribat?* De prima est *lex* 1. scil. adversus vindicationem bonorum vacantium seu caducorum, quae Fisco competit, non est necessaria praescriptio longi temporis, sed quadriennium sufficit, si alius justo titulo per quadriennium possideat, quod quadriennium ex eo tempore computandum, quo constitit, non esse haeredem, *l.* 1. §. 2. *ff. de jur. Fisc.* Qui vero per donationem bona vacantia a Principe accepit, non opus habet praescriptione, sed statim fit dominus, *Perez in h. t. num.* 1. Sed
3 *haec lex* intelligitur communiter de bonis caducis Fisco denunciatis, sed ab eo non adquisitis, ubi contra Fiscum etiam sine titulo res praescribitur, *hic et l.* 10. *ff. de divers. et tempor. praescript.* Quod si autem Fisco non sit facta denunciatio bonorum vacantium, et cum titulo et bona fide possideantur, praescribuntur perinde, ut aliorum privatorum bona, scil. mobilia triennio, immobilia decennio inter praesentes etc. *l.* 18. *ff. de usucap.* si vero possideantur sine titulo et bona fide, quam jus Canonicum et mores exigunt, praescribuntur 30. annis, *Molin. tr.* 2. *d.* 73. *num.* 8. *Fagundez*
4 *de J. et J. c.* 15. *num.* 64. quid in vectigalibus sit receptum, dictum est supra in *l.* 2. *C. de*
5 *vectig.* quid in criminibus, Vid. *Covarr. in c. possessor p.* 2. §. 2. *num.* 8. *Balbus p.* 2. *partis quintae quaest.* 1. *Boer. dec.* 264. *num.* 20. de eo infra suo loco.

L. Omnes. 2.

SUMMARIA

Quomodo Fiscus contra alios praescribat. num. 1.
Sententia hujus quaestionis. 2.
Intra quodnam tempus emptor contra Fiscum agere possit ad pretium. 3.
Objectio diluitur. 4.
Mores hodierni. 5.
Fiscus extra casum hujus legis *contra alios praescribere volens communi jure utitur.* 6.
Sensus hujus §. *num.* 7.
Exactor publicus, functionum receptionem confitens, ad exceptionem non numeratae *intra* 30. *dies non admittitur.* 8.

Pr. Haec agit de *secunda quaestione*, et sen- 1
tentia haec est: Qui aliquam rem seu mobilem seu immobilem, sive actionem etiam a Fisco emit, vel a Principe donatam accipit, olim intra quinquennium a domino rei illius, si aliena et non Fisci fuit, poterat conveniri, sed hodie 2
emptor statim securus est, nec ulla actione, vel personali, vel reali, vel hypothecaria tenetur, licet mediate a Fisco acceperit, ut si Fiscus tibi vendidit, tu mihi, nam tunc et ego securus sum, licet non emerim a Fisco immediate, *Cephal. cons.* 633. *num.* 47. et dominus 3
intra quadriennium contra Fiscum agere potest ad pretium: nam hic tria concurrunt, 1. Princeps, se pretium intra quadriennium restituturum promittit: 2. Princeps credit rem esse fiscalem: et 3. concurrit negligentia domini, qui intra quadriennium non repetit pretium, *Riminaldus cons.* 45. *num.* 62. *et seq.* Sed quadriennio elapso, ne quidem contra Fiscum agere potest, *hic et* §. *ult. Inst. de usucap.* Ratio hujus juris, ut res fiscales citius reperiant emptores, et ne munificentia Principis retractetur. Sed videtur obstare *l.* 13. §. 9. *ff.* 4
de petit. haered. Sed responderi debet, hic de alienatione rerum particularium sermonem esse, non vero de haereditate alienata, per *l.* 1. *C. de haered. vendita*, *Perez hic num.* 5. Et hac de re pluribus agunt *DD. in Instit.* §. *ult. de usucap* et res est plana. Et hoc moribus no- 5
stris non observari, vult post *Christinaeum ad hunc tit. Perez num.* 4. *ad hunc eundem titul.* Quod in medio relinquo, siquidem talibus testimoniis *Doctorum*, potissimum extra locum, in quo vixerunt, non multum tribuo. Ex *hac lege* autem colligitur; Quod extra casum hujus 6
leg. secundae Fiscus contra alios si praescribere velit, utatur jure communi, *Peregr. de jur. Fisci lib.* 6. *c. ult. num.* 47.

§. 1. Quum procurator Fisci fateatur, se pre- 7
tium rei fiscalis venditae accepisse, et haec confessio in scriniis reperiatur, non est onerandus emptor, ut numerationem pretii probet, sed confessio procuratoris sufficit. Ut major sit securitas ejus, qui cum Fisco contrahit; Conferatur *l.* 14. §. 2. *supra de non num. pecun.* Collige: Exactorem publicum, si confiteatur, 8
se recepisse functiones, non admitti ad exceptionem *non numeratae pecuniae*, nisi intra 30. dies, quia nullam ex his pecuniis exactor percipit utilitatem, cum exacta statim restituere debeat etc. Vide *infra l. fin. C. de apoch.*

publ. et l. Fisco 2. *de conven. Fisci debitor. et l.* 1. *C. de canone frum. urbis Romae*, *Trentacinq. lib.* 3. *tit. de solut. resol.* 20. *num.* 26.

L. Bene a Zenone. ult.

SUMMARIA

Jus legis praecedentis circa res fiscales obtinet etiam in rebus patrimonialibus Principis. num. 1.
Quatenus donatio 500. *solidos excedens sine facta insinuatione valeat.* 2.
Donatio inter Augustum et Augustam valet. 3.
An et quatenus dicta legis decisio etiam in aliis inferioribus Principibus, qui regalia habent, locum habeat. 4.
An haec ipsa decisio minoribus noceat. 5.
Non procedit haec decisio in venditionis specie. 6.
Nec si Ecclesiae res vendita vel donata. 7.
Quomodo verba, Omnia esse Principis, *sint intelligenda.* 8.
An et quatenus Princeps civitates, arces, vel telonia dare possit. 9.

1 Quae in rebus fiscalibus statuta sunt in *l. praeced.* ea etiam in rebus patrimonialibus Principis statuuntur *in h. l. fin.* scilicet si Augustus vel Augusta (nam haec illi hic, ut et in donationibus excedentibus 500. solidos, item in donationibus inter conjuges aequiparatur, v. g.
2 quamvis donatio excedens 500. solidos sine insinuatione non valeat, quod valeat tamen si a Principe aut ejus conjuge facta, *l.* 34. §. *fin. infra de donat.* et quamvis alias donatio inter
3 conjuges non valeat, valet tamen inter Augustum et Augustam, *leg. penult. supr. de donat. inter vir. et uxor.*) donaverit vel vendiderit rem suam patrimonialem, quod tunc emptor vel donatarius statim securitatem consequatur, is vero, qui dominium rei venditae praetendit, intra quadriennium tantum habeat actionem contra procuratorem rerum privatarum Caesaris, qui eam alienationem fecit consensu Principis, ideoque nec cavere tenentur curatores rerum dominicarum Caesaris de evictione. Et dicta *hujus legis* decisio procedit etiam in inferioribus Principibus, qui regalia habent, juxta 4
veriorem et receptiorem sententiam, *Balbus p.* 2. *partis quintae princ. quaest. ult. num.* 2. *Roland. a Valle cons.* 29. *num.* 17. *Caldas de empt. c.* 12. *num.* 25. *Caevall. quaest.* 823. *Anton. Fab. h. t.* sed locum tantum habet, si intervenerit traditio, *Balbus d. l. Cald. num.* 139. et si bona fide facta fuit alienatio a Fisco vel Principe, *Balbus*, *Farinac. num.* 36. *Cald. d. l. num.* 36. item si ut suam, non jure creditoris vendidit, *Caldas num.* 37. *Balbus d. l.* nec decisio hujus legis minoribus nocet, de quo 5
multis disputat *Sfort. Odd. de rest. quaest.* 18. *art.* 12. *et Caldas d. l. num.* 29. *et seq.* Nec 6
procedit in specie venditionis (nam donatio nullam solemnitatem requirit), quando illa sine solemnitate facta, *Caldas d. l. num.* 37. nec lex haec locum habet, si Ecclesiae res vendita 7
vel donata, *Caldas d. l. num.* 27. *argum. cap. placuit* 8. *c.* 16. *q.* 3. Ex *hac l.* solent *DD.* allegare regulam, *Quod omnia Principis* 8
sint; quod quidem sano sensu dici potest, quoad supereminens illud dominium, et summam potestatem statuendi in casu utilitatis publicae de bonis privatorum, quod tamen improprie dictum. Sed sensus horum verborum plane alienus est, quia Imperator dicit: *et fiscalia et patrimonialia bona Principis esse intelligantur, quod ad privatorum bona haud extendendum.* Ex *hac lege* colligunt *DD.* posse donari a Prin- 9
cipe civitates, vel arces, vel telonia, si non cedat ea donatio in enorme detrimentum regni, *Menoch. cons.* 1003. *num.* 3.

TITULUS XXXVIII.

Ne rei dominicae, vel templorum vindicatio temporis praescriptione submoveatur.

L. Saepenumero. 1.

SUMMARIA

Tenor legis. num. 1.
An coloni in lege recensiti vel liberti 40. *annis possint praescribere libertatem?* 2.
An per l. 4. tit. seq. *aliis legibus, quae praescriptionem plane prohibent, derogetur?* 3.
An non immemoriali praescriptione se subtrahere possint hi subditi? 4.

1 Servi Principis patrimoniales, vel liberti Principis, vel coloni ejus adscriptitii atque eorum liberi, non possunt ullo tempore contra Principem libertatem praescribere, licet honore militiae consequuti sint cingulum. Sed Quaeri-
2 tur: *An* 40. *annis praescribere hi coloni vel liberti libertatem possint*, per *l.* 4. *tit. seq.* et Respondetur *hic a Bl. et aliis*, per *illam legem* 3
quartam non derogari aliis legibus, quae praescriptionem plane prohibent. Ergo non nisi 4
immemoriali praescriptione hi coloni se subtrahere possunt, quia immemorialis praescriptio nunquam censetur prohibita et sublata, per *l.* 3. §. *ductus aquae ff. de aqua quotid. Tiraq. de retr. convent.* §. 1. *gl.* 2. *num.* 25. *Klock. con.* 41. *num.* 186. *et cons.* 48. *num.* 125. *vol.* 2.

L. Universas. 2.

SUMMARIA

Nullum praedium quod in dominio directo et utili, vel directo tantum Principis est, a colono vel emphyteuta vendi potest. num. 1.

Quid si venditur, an usucapi queat? 2.
Civitatis exemptio non potest probari per praescriptionem. 3.
Civitates exceptionem hanc allegare solitae, immemorialem praescriptionem hanc allegant. 4.
Superioritati Principis per immemorialem ejusmodi praescribi potest. 5.
Idem in praediis Ecclesiarum. 6.
Mobilia triennio praescribuntur. 7.
An emphyteuta alienans rem emphyteuticam jus suum utilis dominii amittat. 8.

1 Nullum praedium, quod in dominio directo
et utili, vel directo tantum Principis est, v. g.,
in quo alius habet jus emphyteuticum, potest
2 a colono vel emphyteuta vendi, et si vendatur,
non potest usucapi, nec praescribi, ne quidem
viginti annis, nec emptor pretium poterit reposcere,
si ab eo praedium revocetur, *hic et
l.* 2. *supr. commun. de usucap.* Hinc colligunt
3 *DD.* civitatis exemptionem ab imperio non posse
probari per praescriptionem, *Otto de jur. publ.*
4 *cap.*23. Sed illae civitates, quae solent allegare,
exceptionem solent allegare immemorialem prae-
5 scriptionem, qua omnino superioritati Principis
praebi potest, *Balb. p.* 2. *partis* 5. *princip. quaest.*
2. *num.* 3. et quos allegat *Klock. de collect.*
6 *cap.* 5. *num.* 19. et alibi. Idem est in praediis
7 Ecclesiarum. Sed alia ratio mobilium, quae triennio
usucapiuntur, *Auth. quas actiones supra
de SS. Eccles. Balbus p.* 1. *partis quintae
princ. quaest.* 1. *num.* 10. *Covarr. in d. c. possessor p.* 2. §. 2. *num.* 5. *Molina dec.* 68. *num.*
2. *Berlich. p.* 2. *con.* 3. *num.* 15. et hos referens *Balthas. d. t.* 9. *resol.* 5. *num.* 2. Colligunt
8 etiam *DD.* emphyteutam, alienantem rem emphyteuticam, amittere jus suum utilis dominii,
quod expresse habetur in *l. fin. supr. de jure emphyteut.* quod tamen limitare solent, nisi venditio facta fuerit salvo jure dominii directi seu Ecclesiae, haecque clausula in instrumento expressa, et traditio nondum facta, *Riminald. cons.* 285. *num.* 9. *vol.* 3.

L. Si qua. ult.

SUMMARIA

Facti species. num. 1.
An diuturnitate possessionis, rescripto Principis, et libris censualibus satis dominium praedii, quod in Principis patrimonio fuit, sit probatum? 2.
Aliorum interpretatio. 3.

Possedit aliquis viginti annis praedium, quod 1
in patrimonio Principis fuit, impetravit etiam
rescriptum, ut ei possidere liceat, et professus
est hoc praedium apud magistratum census,
ut suum: ideoque videtur dominium satis pro- 2
batum 1. diuturnitate possessionis: 2. Rescripto
Principis: 3. Libris Censualibus. Sed Resp. Imperator,
non esse probatum. Si enim ex antiquis libris Censualibus possit probari, rem fuisse Principis,
non obstat diuturnitas temporis ob *l. praeced.* nec rescriptum sub et obreptitie impetratum,
nec nova professio apud magistratum census. Alii intelligunt *h. l.* quod de- 3
minutio census soliti et antiqui, non obstante rescripto et temporis cursu ad pristinum statum debeat reduci. Sed illud ex male intellecta lege videtur ortum, nam in lege non de deminuto censu, sed de fundo Principis alienato agitur.

TITULUS XXXIX.

De praescriptione 30. vel 40. annorum.

L. Cum adseveres. 1.

SUMMARIA

Facti species. num. 1.
Contractus, in quo dolus dedit causam, ipso jure nullus est. 2.
Triginta annis praeterlapsis, omnibus actionibus tam realibus, quam personalibus praescribitur. 3.
Cur haec praescriptio sit inventa? 4.
Injustitiae et rapinae fons est, si quis oculos suos alienis bonis imponit. 5.
Objectio diluitur. 6.
Ad venditionem rei fiscalis, quae jure creditoris venditur, quinque requiruntur. 7.
Si quis mala fide rem emit, et ab eo vindicata fuit, non tenetur Dominus pretium restituere emptori. 8.
Alia objectio removetur. 9.
Semper in rei vindicatione pretium, quod in utilitatem domini versum est, restituendum. 10.
Quatenus in hac tricennali praescriptione bona fides non requiratur? 11.
De jure Canon. nec immemorialis praescriptio cum mala fide procedit. 12.
Limitatur. 13.

Me absente Titius amore habendi agrum per- 1
suadet magistratui, multos census ac annonarias functiones seu onera ex meo agro solvendos esse, et per multos annos non esse solutos, persuadet igitur, ut ager meus sub hasta vili pretio illi venderetur; Quaeritur: *An non possim agrum illum a possessore vindicare?* Quia dolus dedit causam contractui; Ergo ven- 2
ditio illa ipso jure nulla est, *l.* 7. *ff. de dolo.* Sed Respond. Imperat. si nondum praeterlapsi triginta anni, posse me vindicare agrum etiam non restituto pretio, cum hoc in meam utilitatem non pervenerit: non enim debui functiones illas annonarias: sed si praeterlapsi triginta anni, omni- 3
bus actionibus praescribitur, etiam personalibus, licet possidens nullam habeat bonam fidem, nec titulum, quia praescriptio haec inventa est solum

in poenam supinae negligentiae rem sibi debitam intra tot annos non repetentium. Notetur
5 hic injustitiae et rapinae fons; scilicet si quis oculos suos alienis bonis imponat. Sed videtur
6 *huic legi* obstare *l.* 2. *et l.* 3. *supr. de quadrien. praescript.* ubi dicitur possessorem vel emptorem statim securum esse. Verum dixi ibi, *legem illam* loqui de casu, quo Fiscus vendit
7 rem suam; verum quando jure creditoris vendit, ut hic, tunc quinque requiruntur, quae *Glossa hic* recenset: 1. Quod mora intervenerit in functione publica solvenda: 2. Ut bona fide res vendatur, quae hic ex parte emptoris et forte ex parte procuratoris Fisci deficit: 3. Justum pretium, quod etiam hic deficit: 4. Subhastatio, quae etiam forte omissa, quia dicitur vili pretio vendita: 5. Praesidis auctoritas, *l.* 2. *et* 3. *sup. si propter publicas pensit. vendit.* Colli-
8 ge ex *hac lege;* Si mala fide quis emerit rem et ab eo vindicata fuerit, quod non teneatur
9 dominus pretium restituere emptori; cui obstare videtur *l.* 1. *C. si vendito pign. agatur.* Sed Respondetur: pretium in utilitatem domini versum, quia solutum debitum creditori, quod
10 hic non est. Alias in rei vindicatione semper pretium restituendum, si in utilitatem domini versum, *l.* 65. *princ. ff. de rei vindicat. leg.* 19. *C. de procur. Pinziger. q.* 49. *num.* 17. Quod
11 vero diximus in hac praescriptione tricennali
12 non requiri bonam fidem, id ex Canonico jure, quo in hac materia utimur, aliter se habet, quo nulla praescriptio, ut supra etiam dixi, sine bona fide procedit, per *c. ult. X. de praescriptione*, adeo, ut nec immemorialis
13 cum mala fide procedat, si mala fides probari possit, nam in immemoriali possessione bona fides in dubio praesumenda est, *Covarr. in dict. cap. possessor part.* 2. §. 8. *num.* 4. *Gilcken. de praescript. part.* 2. *m.* 2. *cap.* 1. *num.* 6. et quos refert *Balthasar. dict. tit. resolut.* 6. *num.* 6. *et Klock. cons.* 37. *num.* 325. *vol.* 1. *et cons.* 21. *num.* 76. *vol.* 2.

L. Male agitur. 2.

SUMMARIA

An conductum praedium elapsis 40. *annis a conductore praescribi possit? num.* 1.

Sine possessione usucapio non contingit. 2.

Actio ad pensionem 30. *annis praescribitur.* 3.

An extendenda haec lex ad depositarium et commodatarium? 4.

Conductores, inquilini, coloni etc. quia non suo, sed alieno nomine possident, non praescribuntur. 5.

An h. l. *praescribatur actioni personali, ut nim. conductor non possit conveniri actione locati?* 6.

Ampliatio. 7.

An et quatenus rei locatae praescribi posse dicatur? 8.

In foro ultra novem annos praedia non locari solent, ne forsan jus in re constituere videatur. 9.

Exemplo illustratur. 10.

An et quatenus Carpzovii *sententia tolerari possit, quod scilicet colonus vel emphyteuta, talem se esse negans, si pensionem solvere recusaverit, praescribere queat?* 11.

Actor in annuis reditibus in uno libello agere potest ad futuras etiam pensiones. 12.

Locavi tibi praedium, quod tu possides qua- 1
draginta annis, his elapsis dicis, te praescripsisse; Quaeritur: *An recte?* Vid. quod sic, ob *l. praeced.* quia tricennio omnes actiones praescribuntur, et sic etiam hic actio locati, licet aliter in mala fide sit; sed Neg. Quia *lex praecedens* intelligenda de iis, qui rem non aliis, sed sibi, et animo domini possident. Sed tu non tibi, sed mihi possedisti praedium a me con-
ductum, et ita precario; Ergo sine possessione 2
usucapio contingere nequit, *l.* 25. *ff. de usucap.* et male ageretur alias cum locatoribus, quia metu praescriptionis cogerentur expellere bonos et frugi colonos, et substituere desides, vel singulis annis coram testibus tenerentur prote-
stari etc. Sed actio ad pensionem triginta annis 3
praescribitur. Et intelligenda *haec lex* etiam de 4
depositario et commodatario. Et sic. nota *ex*
hac lege 2. *et* 7. conductorem, vel colonum, 5
vel inquilinum, item procuratorem et depositarium, commodatarium et similes, ideo non possidere, quia sibi non possident, dum non suo, sed alieno nomine in possessione sunt, §. *possidere Instit. de interdict. l. fin. C. de adquir. possess. l.* 1. *C. si per vim. etc.* et proinde non praescribuntur, *Balb. part.* 4. *quaest.* 11. *num.*
1. Sed *DD.* hic putant, actione personali prae- 6
scribi, ut non possit conveniri conductor actione locati; item actione pro pensionibus praeteritis, si intra 30. annos nihil solvit, sed in futurum non. Sed cum hodie cum mala fide praescriptio non currat, ideo haec hodie locum non habent in ipso conductore, *Balb. d. l.*
num. 3. Deinde nec de jure civili videtur actio- 7
ni locati praescriptum esse, cum per tacitam reconductionem semper renovata videatur lo-
catio. Et quamvis nonnulli *DD.* distinguant in- 8
ter rem per se et absolute consideratam, et inter rem locatam; ut scilicet conductores rei quidem non praescribant, rem tamen tamquam locatam, sive rei qualitatem sic adquirant, ut res perpetuo pro locata sit habenda, hanc tamen distinctionem vanam et ineptam dicit *Cothmannus resp.* 79. *num.* 86. *et seqq.* Sed di-
xerim distinctionem illam in foro non adeo es- 9
se ineptam, nam ideo ultra novem annos non solent praedia locari, ne jus in re videatur con-
stitui. Pone, me locasse ad novem annos prae- 10
dium, postea lapsis novem annis manes in conductione, lapsis aliis novem annis volo augere pensionem, tu contradicis, et dicis te per longum tempus usucepisse jus perpetuae locationis, qua in re quidem falleris, sed ego adquiesco, et te per alios 10. annos retineo, et eamdem pensionem solvis, putarem non absurde dici jus perpetuae coloniae aut locationis tibi esse adquisitum. Sed si per tempus legitimum possedisses rem, non tanquam dom. directus, sed ut emphyteuta, vasallus, vel usufruct. et habuisses titulum a tertio, non posses quidem contra dom. praescribere directum dominium, quia eo animo non possedisti, sed usumfructum vel jus emphyteuticum praescriberes contra
dominum, *arg. l. fin. ff. quemadmodum serv. amitt. Balb. d. l. num.* 4. Quod vero *Dn. Carpz.* 11

part. 2. *constit.* 3. *defens.* 17. *num.* 5. statuit: Si colonus vel emphyteuta qui talem se negans pensionem solvere recusaverit, posse cum praescribere, id intelligo de jure civili. At si mala fide id faciat, jur. Canon. id non procederet.
12 Colligunt etiam *DD. ex hac l.* 2. in annuis reditibus posse actorem in uno libello ad futuras etiam pensiones agere, ne quis pro singulis pensionibus peculiarem processum instituere cogatur, licet alias judicium ad futura extendatur, *Bald. hic num.* 1. *et seq. Gail. lib.* 2. *obs.* 47. *num.* 1. *et seq.*

L. Sicut. 3.

SUMMARIA

Omnes actiones, quaecumque etiam sint, triginta annis ab eo tempore, quo primum intendi potuerunt computandis, praescribuntur. num. 1.
Quando haec praescriptio possit interrumpi. 2.
Quibusnam currat hoc spatium praescriptionis? 3.
Excipiuntur pupilli. 4.
Quid de illis actionibus, qui breviori temporis spatio includuntur? 5.
Quaedam harum species. 6.
Ignorantia hujus legis *nemo se potest tueri, et cur?* 7.
Actiones personales omnes, et eae reales, quae propter defectum bonae fidei vel tituli non possunt longo tempore praescribi, longissimo tamen tempore praescribuntur. 8.
An praescriptio longissimi temporis sola citatione interrumpatur? 9.
Contra pupillum non currunt praescriptiones. 10.
Exceptio est in praescriptione conventionali. 11.
An etiam exceptio in praescriptione legali longi temporis contra defunctum inchoata? 12.
Praescriptio tricennalis contra minores currit. 13.
An et quatenus sine spe restitutionis? 14.
Jus hodiernum circa praescriptiones minorum. 15.

1 Omnes actiones, quae breviori spatio non circumscribuntur, et viginti annis non praescribuntur, sive sint in rem, et quidem vel speciales, ut rei vindicatio aut confessoria actio pro servitute (nam alias actiones in rem 10. annis vel 20. praescribuntur) sive de universitate, ut petitio haereditatis, vel actio famil. herecisc. bonorum possessoria vel fideicommissaria petitio; sive sint personales, ut condictio certi ex mutuo et aliae ex contractibus, item hypothecaria, si instituatur contra extraneum mala fide possidentem (nam si bona fide possideat, decem aut viginti annis praescriberetur, *l.* 1. *supr. si advers. credit. praescript. oppon.*) Omnes hae actiones tolluntur triginta annis, ab eo tempore, quo intendi actiones primum potuerunt, computandis, nam contra filium familias v. g. non potuit agi durante potestate patria, *l.* 1. §. 1. *de annali except.* nec mulier potuit agere durante matrimonio de dote contra maritum, nisi in casu inopiae, idque constitutum ob negligentiam eorum, qui tanto lapsu tem-
2 poris suum non repetunt: nec interrumpitur haec praescriptio supplici libello Principi oblato, sed tum demum interrumpitur, cum Princeps executorem miserit, et hoc spatium tem- 3
poris etiam mulieribus currit et absentibus,
nec non militibus: excipiuntur tamen pupilli, 4
quibus non currit in pupillari aetate praescriptio. Sed quid de illis actionibus, qui breviori 5
temporis spatio includuntur, ut redhibitoria, 6
quae tantum annalis est, item querela inoffic. testam. quae quinquennalis est? Resp. horum terminum fatalem manere, nec *hac lege* abrogari. Caeterum nemo ignorantia hujus legis se 7
tueri potest, quoniam esset ignorantia juris; Quae licet alias in damno rei admittendae non noceat, hic tamen commodum placuit in materia praescriptionis, ob odium negligentiae. Collige ergo: I. Actiones personales omnes, et eas 8
reales, quae propter defectum bonae fidei vel tituli non possunt longo tempore praescribi, longissimo tamen tempore praescribi, *Ricc. collect. decis.* 285. *Molin. decis.* 71. *num.* 1. *et seqq.* II. Praescriptionem longissimi temporis ex com- 9
muni sententia, quae ex *hac lege* probatur, interrumpi sola citatione; Quae sententia insinuatur et probatur per ea verba, quae de misso executore hic habentur: quamvis ad praescriptionem cum mala fide conjunctam hoc restringat *Molina decis.* 78. *num.* 15. *Covarr. in c. possessor part.* 2. §. 12. *num.* 4. *in concl.* 3. *et* 4. III. Contra pupillum non currere 10
praescriptiones, sed in pupillari aetate dormire. Cujus exceptio est in praescriptione con- 11
ventionali per *l. Aemilius ff. de minor. Balbus part.* 1. *part.* 6. *num.* 30. Quamvis autem *Bal-* 12
bus d. l. num. 33. exceptionem statuat etiam in praescriptione legali longi temporis contra defunctum inchoata, et putet, quod illa continuetur in pupillo, sed cum spe restitutionis; puto tamen hanc sententiam cum *hac lege* pugnare, nam si praescriptio longissimi temporis indistincte dormit, utique multo magis longi temporis, *videatur Treutl. et ibi Bacchovius vol.* 2. *decis.* 22. *th.* 3. *lit. H.* vers. *altera principalis propositio, Wesenb. num.* 10. *de usucap. num.* 14. Notetur etiam ex *hac lege:* Praescri- 13
ptionem tricennalem currere contra minores,
et quidem sine spe restitutionis, si contra ma- 14
jorem inchoata, nam si triginta anni cederent post annum 14. finis praescriptionis caderet in annum 44. aetatis, ubi nullum locum haberet restitutio, quae tantum intra annum 29. aetatis locum haberet, sed si contra parentem v. g. minoris inchoata, et in minore aetate finita praescriptio, tunc daretur restitutio. Sed aliae praescriptiones v. g. longi temporis, quae olim currebant minoribus, salvo beneficio tamen
restitutionis, illae hodie ipso jure non currunt, 15
l. fin. C. in quibus causis praescriptio non est necess. nisi contra defunctum, cui minor successit, fuit inchoata, et contra minorem continuata, nam tunc currit, salva tamen restitutione, *l. unic. C. si advers. usucap.* quae vero olim contra minores efficaciter currebant, etiam hodie currunt, ut redhibitoria. Vid. *Balbus p.* 1. *part. sextae princip. num.* 36. *et seqq. Gilken. de praescript. p.* 3. *c.* 1. *num.* 36. *et seqq. Vasq. lib.* 1. *de success. creat.* §. 10. *num.* 39. *et seqq. Oddus de restit. p.* 2. *q.* 88. *et seqq. Bacchov. in Treutl. ad dec.* 22. *th.* 3. *lit. H Zanger. de except. p.* 5. *c.* 8. *num.* 57. *Jo. Franc. Balthasar. tit.* 9. *resol.* 10 *num.* 9.

L. Omnes. 4.

SUMMARIA

An quaedam, et quae actiones non triginta, sed quadraginta annis praescribantur? num. 1.
Generalis dispositio omnes species comprehendit, et expressio generis operatur idem, ac si omnes species essent expressae. 2.
Ampliatio. 3.
Limitatio. 4.
Actioni tantum praescribitur non exceptioni. 5.
Jus excipiendi est perpetuum, et ubi actio ex negotio est temporalis, ibi exceptio est perpetua. 6.
Exceptio praescriptionis non tantum actioni et intentioni actoris, sed etiam processui opponi potest, et sic litis contestationem impedit. 7.
Quid in libertate praescribenda observetur? 8.
Adscriptitii praescribunt libertatem 40. *annis.* 9.
Exceptiones, remissive. 10.

1 De quibusdam actionibus dubium remansit, an
triginta annis praescribantur, tum ex quorumdam interpretatione, tum fortuita aliorum opinione. De his ergo, quae triginta annis non praescribuntur, hic statuitur in *l.* 4. ut quadraginta annis praescribantur, sive illa actio sit de jure privato, sive de jure publico, qualiscumque sit persona, quae agit, qualiscumque etiam res, de qua agitur, *l.* 4. *h. t.* Colligitur ex verbis, *tamquam si per hanc legem specia-*
2 *liter etc.* Generalem dispositionem omnes species comprehendere, et expressionem generis operari idem, ac si omnes species essent expressae, *l. si chorus* 79. *ff. de legat.* 3. quod
3 ad clausulam derogatoriam in legibus et testamentis hic accommodat *Baldus num.* 2. et ad renunciationem, *Berlich. p.* 2. *concl.* 22. *num.* 3. Conf. *Barb. locuplet. lib.* 7. *c.* 2. *axiom.* 11.
4 *et ult.* quae tamen regula fallit in renunciatione casuum fortuitorum, *l.* 4. §. 4. *ff. Si quis cautionibus etc.* item in negotiis, quae speciale mandatum requirunt, *l.* 25. *ff. de minor. l.* 60. *ff. de procur.* in rebus, quas probabiliter quis non est obligaturus, *l. obligatione* 6. *ff. de pign.* et in genere, ubi specialium alia est ratio, *Salyc. hic num.* 1. Ex verbo, *moveatur*, duo
5 possunt colligi: I. Actioni tantum praescribi,
6 non exceptioni: nam jus excipiendi est perpetuum, et ubi actio ex negotio est temporalis, ibi exceptio est perpetua, *l. pure* §. *fin. ff. de except. doli*, *Tiraq. de retract. convent.* §. 1. *gl.* 2. *num.* 29. *Klock. cons.* 14. *num.* 153. *vol.* 1. Colligit II. *Glossa* ex hoc verbo *moveatur:* Quia non debet moveri actio contra praescri-
7 ptionem, ergo praescriptionis exceptio non tantum actioni et intentioni actoris, sed etiam processui opponi potest, et sic litis contestationem impedit, *Schurf. cons.* 32. *num.* 16. *cent.* 1. *Wesenb. cons.* 14. *num.* 67. et hos referens *Zangerus de except. p.* 3. *c.* 10. *num.* 2. Ad illa verba, *sit liber*, Notetur, haec quidem
8 de absolvendo reo intelligenda, sed quid in libertate praescribenda observetur, habuimus supra ad *l.* 1. *et* 2. *de praescript. long. temp.*
9 *quae pro libertate etc.* Adscriptitii praescribunt libertatem 40. annis; et exceptiones habebimus in *tit. de agric. et censitis.* Exceptiones duae
habentur in *legg. seqq.* et quoad causam Fisci 10
criminalem, in *l.* 13. *ff. de divers. praescr.* et *in l.* 9. *ff. de usur. l. fin. de praescr. longi tempor. quae pro libertate.*

L. Praescriptionem. 5.

SUMMARIUM

Exceptio regulae praecedentis.

Nam a regula *praecedentis legis* hic excipiuntur curiales, qui curiae certae serviunt, nam horum status genitalis est immutabilis, adeo ut nulla praescriptio illum liberet, *l.* 5. *h. t.* idem in adscriptitiis colonis, *l. penult. pr. infr. de agric. et cens.*

L. Competit. 6.

SUMMARIA

Alia legis quartae *exceptio. num.* 1.
Nullus subditus ullo aliquo tempore libertatem adversus suum Principem praescribere potest. 2.
Immunitas immemoriali tempore potest praescribi. 3.
Modo titulus non appareat ineptus. 4.
Aliud in rebus Fisci tantum ex crimine delatis, nondum vero acquisitis. 5.
An quis a contributionibus turcicis et aliis Imperii collectis praescriptione se liberare possit? 6.

Hic alia est exceptio: Nam in *l.* 4. dictum est, 1
actiones de publicis rebus, si non breviori tempore, possint tamen praescribi quadraginta annis. Hoc exceptionem habet in tributis et censibus: ii praescribi non possunt, cum solvantur in signum superioritatis, ideoque nec tolli, nec deminui possunt, *l.* 6. *h. t.* Ex *hac lege* Colli-
gunt: Nullum subditum posse ullo aliquo tem- 2
pore praescribere libertatem adversus suum Principem, quia superioritas Principis et obedientia illi debita quasi supremae potestati Principum innata est, *Pan. in c. cum nobis X. de praescript. Covarr. pr. q.* 4. *num.* 1. *et seq. Molina de J. et J. tract.* 2. *d.* 74. *num.* 3. *Stephan. Fagundez de J. et J. lib.* 2. *c.* 15. *num.* 1. *Menoch. cons.* 887. *num.* 34. et quos allegat *Klock. de collect. c.* 16. *sect.* 2. *num.* 17. *et seqq.* sed
immemoriali tempore potest immunitas prae- 3
scribi, sicut ex speciali privilegio, modo titu- 4
lus non appareat ineptus, *Hip. Rimin. vol.* 3. *cons.* 258. *n.* 43. Sed in rebus Fisco tantum dela- 5
tis ex crimine, nondum vero adquisitis, aliud 6
est ex *l.* 13. *ff. de divers. et temp. praescr.* a contributionibus etiam turcicis et aliis Imperii collectis posse aliquem se liberare praescriptione immemorabili, probat *Klock. d. tr. et sect.* 2. *num.* 100. *et seqq. per rec. Imp. de anno* 1544. §. *(Hatte aber)* 59. *et de anno.* 1544. §. 7.

L. Cum novissimi juris. 7.

SUMMARIA

Extraneus non debitor hypothecam creditoris bona fide et justo titulo possidens 10. *vel* 20. *annis praescribit. num.* 1.
Si mala fide vel sine justo titulo possidet, rem triginta annis praescribere potest. 2.
Limitatur. 3.
Si ipse debitor possideat hypothecam vel hujus haeres, illa numquam praescribitur. 4.
Hypothecariae actioni, cum debitor, vel ejus haeres hypothecam possidet, 40. *annis, ab eo tempore a quo hypotheca competere coepit, numerandis, praescribitur.* 5.
Limitatur. 6.
Quomodo extincta actione personali subsistat hypothecaria. 7.
Hypothecaria actio, licet in principio sine personali esse non possit, sine ea tamen subsistere potest si semel adfuit. 8.
Licet hypotheca a principio sine principali obligatione non possit constitui, postquam tamen semel est constituta, tum a principali obligatione potest separari. 9.
Quid si secundus creditor possideat pignus, et creditor prior, cui scilicet res illa prius obligata, velit agere contra secundum creditorem actione hypothecaria, quo tempore secundus praescribat contra primum? 10.
An possit hoc extendi ad eum, qui habet justum titulum, ex quo consecutus est rem ab ipso debitore? 11.
Casus positio et decisio per distinctionem. 12.
Objectio diluitur. 13.
In obligationibus conditionalibus vel in diem quando currere incipiat praescriptio et quaenam? 14.
Exemplis declaratur. 15.
Limitatur. 16.
Casus aliquot, quibus praescriptio hypothecariae actionis interrumpitur. 17. 19. 20.
A quo naturalis interruptio et a quo civilis possit fieri? 18.
Aliud est dormire, cum cessat et suspenditur praescriptio, sed cessante impedimento iterum currit et conjunguntur tempora ante dormitionem lapsa cum temporibus postea secutis; aliud vero interrumpi, ubi post interruptionem, cessante causa, nova praescriptione opus est. 21.
Quando naturalis interruptio soleat fieri? 22.

1 Pr. Hypothecam creditoris si tertius extraneus, non debitor, possideat bona fide et justo titulo, tunc praescribit decem vel viginti annis, Vide *supr. l.* 1. *si advers. cred. Corv. in C. h. t. Perez in h. t. num.* 5. *Castr. in l.* 26. *num.* 2. *de usuris et Balthasar. decis.* 2. *num.* 1.
2 Si vero mala fide, vel sine justo titulo, tunc potest praescribere rem triginta annis, mo-
3 do, 1. Non sit interrupta possessio per conventionem vel actionem propositam, et secuta fuerit missio executoris, juxta *l.* 3. *h. t.* (nam vox *solam* hic litis contestationi opponitur): 2. Modo creditor, contra quem praescribitur non sit
4 impubes, juxta *d. l.* 3. *h. t.* Sed si ipse debitor possideat, vel hujus haeres, hypothecam, hoc casu illa numquam praescribi poterit, sed hoc *seq.* §. declarat Imperator.

§. 1. Hypothecariae actioni etiam cum debitor vel ejus haeres hypothecam possidet, praes- 5
scribitur quadraginta annis, ab eo tempore numerandis, a quo competere coepit hypotheca, Vide *infra* §. 4. nisi possessio haec judiciali 6
conventione vel aetate pupillari fuerit interrupta, juxta *l.* 3. *h. t. et princ. hujus legis.* Personalis autem actio praescribitur triginta annis. *Sed quomodo extincta personali actione subsis- 7
stet hypothecaria?* Resp. Personalem actionem non esse extinctam ipso jure, sed per exceptionem, vel potius sublatum fuisse vinculum juris civilis, quod erat in personali obligatione, sed mansisse vinculum obligationis naturalis, cui accedere potest hypotheca, quamvis possit etiam fieri, ut post triginta annos detur actio personalis pro ipso debito, quum v. g. interruptum est triennium conventione, juxta *l.* 3. *h. t.* Ex *hoc textu* colligunt *DD.* ut et ex *l.* 2. *C. de luitione pign.* hypothecariam actionem, 8
licet a principio sine personali esse non possit, tamen durare posse sine ea, si semel adfuit, *Bart. in leg. fidejussor obligari princ. ff. de fidejuss. Altorf. in cons.* 104. Licet etiam a prin- 9
cipio non possit constitui hypotheca sine principali obligatione, postquam tamen semel constituta est, tum a principali obligatione separari potest, *Bart. d. l. P. Barbosa in repetitione legis hujus in pr. num.* 36. *et seq.* quam refert *Franc. Balthas. d. t.* 9. *resol.* 2. *num.* 4. conferri potest *Gilkenius de praescr. part.* 1. *c.* 4. *num.* 25. *et seqq.*

§. 2. Sed, quid si secundus creditor possideat 10
pignus, et creditor prior, cui scilicet res illa prius obligata, velit agere contra secundum creditorem actione hypothecaria, quo tempore secundus praescriberet contra primum? Resp. Si debitor, qui pignus secundo creditori tradidit, vivat, praescribit non nisi quadraginta annis, non secus, ac si ipse debitor possideret, ut in §. *praeced.* Ratio est: quia posterior creditor rem priori oppignoratam tenens, imaginem principalis debitoris obtinet. Si vero debitor sit mortuus, quia tunc sibi possidere videtur creditor, nec haeres debitoris unquam possessionem habuit, *l. cum haeredes* 23. *ff. de acquir. possess.* (Ergo per creditorem non potest dici possidere). Tunc, inquam, creditor, si ipse solus triginta annos possederit hypothecam, hypothecariae actioni praescribit, quod si autem computare velit annos sui auctoris scilicet debitoris, quadraginta anni ad praescriptionem sunt necessarii. Sed hoc non est extendendum 11
ad eum, qui habet justum titulum, ex quo consecutus est rem ab ipso debitore v. g. per 12
emptionem, nam hic emptor longo tempore poterit praescribere contra creditorem, *arg. l.* 1. *et* 2. *C. si adversus creditorem, Oddus cons.* 82. *num.* 39. quem refert *Fachin. lib.* 12. *c.* 82. Ergo ita dicendum, posterior creditor vivente debitore praescribit contra priorem creditorem 40. annis, mortuo debitore 30. annis, quia destituitur justo titulo ad praescribendum apto. Sed emptor hypothecae contra creditorem praescribit 10. vel 20. annis.

§. 3. Eadem distinctio in sequenti causa adhibenda, v. g. mihi prius obligatus fuit fundus, postea tibi, sed mihi traditus est fundus, hic tibi licet mihi offerre debitum et tibi ita jus

hypothecae confirmare, *l. ultim. infra de his qui in prior. credit. locum etc.* Quaeritur: *An huic juri offerendi praescribi possit?* Resp. tanto tempore finiri hoc jus, quanto tempore finiretur actio hypothecaria, scilicet vivo debitore quadraginta, eo mortuo triginta annis. Sed
13 obstat, quod jus luendi pignoris, quod debitor competit, nullo tempore praescribatur. Respond. Aliud est jus offerendi, quod per modum juris competit, ut jus offerendi vel deponendi debiti, primo creditori a secundo ex *d. l. ult.* et huic praescribitur, quia jus hoc fundatur in actione hypothecaria. Actioni autem hypothecariae praescribi potest, ergo etiam juri huic praescribi potest, cum creditor secundus habeat actionem jam dudum natam, neque primum per oblationem nascituram, *Klock. cons.* 41. *num.* 35. *et seq. vol.* 22. *Perez ad hunc titulum num.* 8. Aliud est jus offerendi, quod per modum simplicis facultatis competit, et huic nunquam praescribitur, quale est jus offerendi, quod debitori competit, *arg. l.* 2. *ff. de via publ.* Nam in debitore est mera facultas, ideoque non praescribitur, cum debito non soluto nullam habeat debitor contra creditorem actionem ad recuperandum pignus, et hanc sententiam ut communem tuentur *Gail. lib.* 2. *obs.* 18. *Perez d. l. Myns. cent.* 1. *obs.* 16. *et c.* 6. *obs.* 30. et quos magno numero allegat *Klock. d. cons. num.* 193. *et multi alii.*

14 §. 4. In obligationibus conditionalibus vel in diem incipit currere praescriptio tam personalium, quam hypothecariarum actionum, post
15 diei vel conditionis eventum, v. g. dabo tibi facta pace centum, huic obligationi non praescribitur, nisi a tempore pacis factae effluxerint triginta anni, atque id est, quod in §. 1. dictum: ex quo competere coepit etc. Aliud exemplum in textu, quum restitutio dotis a marito promittitur in casum mortis vel repudii, huic restitutioni dotis non praescribitur, nisi a tempore mortis mariti triginta anni effluxerint, *hic et leg.* 30. *in fin. supr. de jure dot. Molina tract.* 2. *d.* 69. *num.* 6. *circa fin.*
16 Sed limitat hanc regulam *Lud. Rom. cons.* 84. nisi talis conditio sit, quae in potestate creditoris fuit, quo casu si per negligentiam creditoris differatur actio, praescriptio ab eo tempore sumit initium, *arg. l.* 1. §. 8. *ff. si quis omissa causa testam.* Nam quando est in potestate partis actionem oriri, facile praescribitur etiam actioni nondum natae, *Baldus vol.* 3. *cons.* 29. *Castr. cons.* 293. *Balbus de praescript. p.* 5. *part. quintae q.* 2. ubi hoc declarat per exemplum hypothecariae, quae currit etiam nondum facta excussione etc.

17 §. 5. Aliquot hic casus recensentur, quibus praescriptio hypothecariae actionis interrumpitur: ut I. si creditor voluntate debitoris adeptus est pignoris, non vero alterius rei sine titulo pignoris, possessionem, quia haec instar litis contestationis se habet, nam si violenter adeptus est, hypothecariae quidem actionis praescriptio interrumpitur, *l.* 5. *ff. de usucap.* sed non personalis actionis, dum debitor non agnovit debitum per vim amittendo possessionem pignoris. Alii ita, quum violenter creditor pignus occupat, tunc statim remedio possessorio possessio restituenda est, atque adeo non videtur interrupta praescriptio, sed hypothecariae actionis praescriptio interrupta est, nam deliquit quidem vim adhibendo, non vero possessioni insistendo, *Donell. lib.* 5. *c.* 21. et haec interru- 18
ptio naturalis locum habet, quoad omnes homines, *l. naturaliter* 5. *ff. de usucap. Baldus hic num.* 2. Sed civilis interruptio tantum quoad eum, qui citari fecit, *Molin. d. d.* 78. *num.* 21.
II. Si creditor conveniat debitorem misso exe- 19
cutore, ut in *l.* 3. *h. t.* III. Si debitor ante- 20
quam praeterfluxerint triginta anni, novam cautionem exposuerit, et de novo debitum confessus fuerit. Nam tunc interrumpitur praescriptio, et hoc fine creditor exigit cautionem secundam, ne mora in exigendo debito sibi esset noxia, *Natta cons.* 402. *num.* 64. *Hering. de fidejuss. cap.* 215. *num.* 87. Collige: Aliud es- 21
se dormire, cum cessat et suspenditur praescriptio, sed cessante impedimento, v. g. pupillaris aetatis, belli, pestis, vacantiae Ecclesiae et sim. iterum currit et conjunguntur tempora ante dormitionem lapsa cum temporibus postea secutis; aliud vero interrumpi, ubi post interruptionem, cessante causa, nova praescriptione opus est, *Covarr. in c. possessor part.* 2. §. 12. *num.* 1. *Molina tract.* 2. *decis.* 78. *num.* 1. *et seq.* Colligunt etiam cum *Gl.* in verbo, *innovata*, Duplicem esse interruptionem, 22
naturalem et civilem. Naturalis fit per defectum tituli ex post facto, vel defectum possessionis, vel defectum bonae fidei, *Baldus hic num.* 6. *Covarr. d. c. possessor p.* 2. §. 12. *num.* 1. *et seq.*

§. 6. et L. 8. §. fin.

SUMMARIA

In pensionibus, quae ex stipulatione, vel testamento, vel ex alia causa in annos singulos vel menses praestari debent, a quonam tempore praescriptionis tempora computentur? num. 1.
Quot sunt pensiones, tot etiam actiones et quaelibet pensio suo peculiari tempore praescribitur. 2.
Alii aliter hunc §. *interpretantur et quomodo?* 3.
Bacchovius *notatur.* 4.
An debita ex contractibus annua sigillatim praescribantur. 5.
Variae opiniones. 6.
Quid juris h. l. *in usuris?* 7.
An conductor vel emphyteuta pensionem vel canonem intra 30. *annos non solvendo ipsum fundum praescribat?* 8.

Si sint pensiones, quae ex stipulatione, vel 1
testamento, vel ex alia causa praestari debent in annos singulos, vel menses aut dies singulos, quamdiu quis vivat, tempora praescriptionis non computantur ab initio obligationis, vel testamenti, sed ab initio cujuscumque anni vel diei, quo pensio inferri debuit, ut qui ab eo anno triginta annos solvere cessavit, pensionem ejus anni praescribat, non sequentium annorum, quot enim sunt pensiones, tot sunt actio- 2
nes, et quaelibet ergo pensio suo peculiari tempore praescribitur. Quamvis autem alii aliter 3
hunc §. interpretentur, et non singulas pensiones, sed totam obligationem praescribi velint, ut ad *Treutl. Bacchov. v.* 2. *d.* 22. *th.* 2. *lit.* 1. *pag.* 375. hunc tamen refutat communis Scho- 4

la. Vide *Carpzov. part.* 2. *c.* 2. *d.* 1. *Gail. lib.*
2. *observ.* 73. *Perez in h. t. Scacc. de commerc.*
§. 1. *quaest.* 7. *p.* 2. *ampl.* 9. *pr. de Salgado in*
labyr. credit. part. 1. *cap.* 41. *num.* 66. *Ber-*
lich. p. 2. *concl.* 1. *num.* 5. licet *Bacchovii* sen-
tentia, quam etiam refert ad *tit. de annuis le-*
gatis in ϖ. *Wesenb.* ex verbis, *manifestum est*,
videatur probari: quae sententia etiam *Bulgaro*
adscribitur a *Fr. Barry de success. lib.* 9. *c.* 25.
num. 11. Cui e diametro contraria *Martini* opi-
5 nio, qui omnia, tum legata, tum debita ex con-
tractibus annua sigillatim praescribi dicebat,
cui favent verba *hujus* §. *ult. legis* 7. nam obli-
6 gationum fit mentio et hanc communem esse
tradit *Barry d. l.* et Gratianopoli ita pronun-
ciatum refert *Guid. Papae decis.* 406. Et huic
favent *Fachin. lib.* 8. *cap.* 99. *Petr. Gregor.*
lib. 10. *cap.* 56. *num.* 32. Tertia opinio est *Jo.*
qui distinguebat inter legata et contractus, nam
legata annua plura sunt debita; et cum hoc
facit *Wesenb. in* ϖ. *titul. de ann. leg. num.* 5.
et ibi *Hahnius*, sed in puncto juris placeret
7 opinio *Bulgari et Bacchovii*. Idem in usuris,
l. 8. §. *fin. h. t.* quarum praescriptio non est com-
putanda a die obligationis, sed quaelibet usu-
ra, si praescribenda est, requirit a fine ejus
anni, quo solvi debuit triginta annos. Multo
8 minus autem conductor vel emphyteuta pen-
sionem vel canonem inter triginta annos non
solvendo, ipsum fundum praescribunt, *l.* 2. *h.*
t. Nam licet pensio primi anni per triginta an-
nos praescripta, non tamen secundi anni pen-
sio nec tertii, multo minus ergo ipsa res, pro-
pter quam pensio solvenda, praescripta est:
eadem ratio pensionum ex ultima voluntate et
stipulatione debitorum. Videatur *Berlich. p.* 2.
concl. 4. et ibi citati *DD. num.* 12. *et Wesenb.*
ϖ. *de ann. leg. num.* 12.

L. Si quis. 8.

SUMMARIA

Longi temporis praescriptio, si praescribens possessione cecidit, jus vindicandi contra ipsum dominum tribuit. num. 1.
In longi temporis praescriptione distinguitur, utrum praescribens bonam fidem ab initio habuerit, an malam. 2.
Quid si alius sit novus possessor, qui rem sine causa detinet? 3.
Exemplo declaratur. 4.
Si per vim isti, qui praescripsit, res auferatur, habet interdictum unde vi, *vel condictionem ex* can. reintegranda caus. 3. quaest. 1. *contra quemcumque possessorem.* 5.
Quatenus superius allata distinctio inter bonae et malae fidei possessorem procedat hoc loco. 6.
Ex praescriptione triginta annorum non dominium, sed exceptio tantum acquiritur. 7.
Huic derogat l. un. supra de usucap. transform. 8.
Quid hodie obtineat. 9.
De jure Can. et moribus praescriptio cum mala fide plane non procedit. 10.
An qui praescribit rem 30. *annis bona fide, etiam contra dominum habeat actionem utilem?* 11.
Quatenus conveniant longi et longissimi temporis praescriptio. 12.
Casus §. 3. *num.* 13.

Pr. §. 1. *et* 2. Hoc interest inter praescriptio- 1
nem longi temporis et longissimi, quod illa
tribuat jus vindicandi, si praescribens posses-
sione cecidit, et vindicationem quidem non tan-
tum utilem, sed etiam directam contra ipsum
dominum, *Donell. lib.* 5. *c.* 29. *in princ. Co-*
varr. ad c. possessor p. 3. *princ. num.* 2. vers.
caeterum, *Pinell. ad Authent. nisi tricennalis*
num. 37. *et seq. C. de bon. mat.* Sed in prae- 2
scriptione longissimi temporis distinguitur in
§. 1. Utrum praescribens bonam fidem ab ini-
tio habuerit, an malam? Si illam, possit vin-
dicare rem amissam vindicatione utili, si hanc,
non possit, sed dominus vel creditor, contra
quem praescripta illa res fuit, si ipse de novo
acquisiverit possessionem, possit rem sibi reti-
nere. Si vero alius sit novus possessor, qui rem 3
sine causa detinet, dominus vel creditor possit
rem, licet videatur amisisse dominium, vindi-
care a novo possessore; v. g. rem tuam posse- 4
di triginta annis sine titulo vel mala fide, hanc
rem amitto, et reperit Titius, tu amisisti pos-
sessionem et dominium, quoad ego possideo,
nam tunc exceptione tutus sum, sed quia alius
ut hic Titius possidet, exceptio mea illi pro-
desse nequit, sed tu ab illo rem vindicare po-
tes, in §. 2. Ulterius hoc ita declaratur, si per 5
vim mihi, qui praescripsi, res auferatur, tunc
habeo interdictum *unde vi*, vel condictionem
ex *canone reintegranda caus.* 3. *quaest.* 1.
contra quemcumque possessorem. Et sic antea 6
proposita distinctio inter possessorem bonae fi-
dei et malae fidei non procedit, quando pos-
sessor per vim fuit spoliatus possessione,
nam tunc possessor licet malae fidei sit, po-
test rem vindicare a spoliatore, quia lex in
odium spoliatoris, malae fidei possessorem post
praescriptionem longissimi temporis quasi domi-
num facit, quoad effectum recuperandae pos-
sessionis, *P. Barbos. d. l. si alienam* 12. *num.*
53. *ff. sol. matr.* Si scilicet haec duo concurrant
et in articulis exprimantur: 1. spolium, et 2. tri-
ginta annorum possessio, his enim duobus con-
currentibus facit lex ipsum spoliatum domi-
num, ut rem vindicare possit, *Joan. Domin.*
Gaitus in tract. de credito cap. 4. *titul.* 1. *quae-*
stio 7. *num.* 670. Collige: Ex praescriptione tri- 7
ginta annorum non acquiri dominium, sed
exceptionem tantum, sicut et olim praescriptio-
ne longi temporis non acquirebatur dominium,
sed exceptio tantum. Sed huic derogat *l. un.* 8
supr. de usucap. transform. quae *hac leg.* po-
sterior est, licet prius illud etiam hodie obti- 9
neat; scilicet, quod praescriptione longissima
tantum quaeratur exceptio, si mala fide quis
possederit. Sed saepe dictum est de jure Cano- 10
nico et moribus plane praescriptionem cum
mala fide non procedere, *Gail. lib.* 2. *observ.*
8. *num.* 7. *Myns. cap.* 1. *observ.* 6. Sed *An qui* 11
praescribit rem triginta annis bona fide, etiam
contra dominum habebit actionem utilem? Vid.
quod sic, ex vers. *ita tamen etc.* in §. 1.
hujus legis, ubi eo tantum casu dominus Jus
retinendi habet, quando qui praescripsit in ma-
la fide fuit. Ergo diversum est in contrario ca-
su. Et sic praescriptio longi et longissimi tem- 12

poris, si in utraque concurrat bona fides, ratione effectus conveniunt, *Fr. Balbus p. 2. partis tertiae princ. quaest. 2. num. 1. et 2.*

13 §. 3. Quum novus possessor in rei a priore possessore praescriptae possessionem, propter contumaciam prioris ex primo decreto mittitur, Quaeritur: *An prior possessor audiendus sit, si intra annum veniat, et resarciat sumptus, ac satisdationem praestet de lite persequenda, et an tunc res praescripta, et propter contumaciam oblata restitui debet?* Affir. Ut et in alio idem est, qui pro domino se gerit, *Authent. et qui jurat infr. de bonis auct. jud. poss.*

L. Saepe. ult.

SUMMARIA

Actor olim litem contestatam non prosequens lapso 30. annorum spatio amittebat actionem personalem et realem. num. 1.
Hodie per litis contestationem actio ad 40. *annos usque perpetuatur a tempore novissimae cognitionis computandos.* 2.
An haec perpetuitatem etiam ad haeredes trasferat? 3.
Casus excepti, in quibus, ut ne litis contestatione actiones perpetuentur, expresse prohibitum. 4.
Duplex ex litis contestatione exsurgit effectus, et quinam? 5.
Conventio vel citatio licet interrumpant praescriptionem, non tamen perpetuant actionem. 6.
Alius effectus litis contestationis. 7.
Praeter hanc perpetuandae actionis rationem aliae quoque dantur, et quales? 8.

1 Olim si actor lite contestata quocumque casu
humano impediretur, quo minus litem prose-
qui possit, lapso triginta annorum spatio, ni-
hilominus amittebat actionem personalem et
realem : Sed hodie per litis contestationem per- 2
petuatur actio usque ad quadraginta annos, a
tempore novissimae cognitionis, seu quo ces-
savit actor, computandos. Ratio in textu; *quia*
melior debet esse conditio ejus, qui agit, sed
ab actione desistere fuit compulsus, quam qui
nunquam egit. Et hanc perpetuitatem actionis 3
transfert etiam in haeredes extraneos. Excipe 4
autem casus, in quibus hoc expresse prohibi-
tum, ut ne litis contestatione quidem perpe-
tuentur actiones, ut actio de dolo, *l. fin. supr.*
de dolo l. 1. §. 3. ff. ne de stat. defunct. Colli-
ge ergo duplicem effectum ex litis contestatio- 5
ne exsurgere: I. Praescriptionis interruptionem,
quia praescriptionem jam inchoatam rumpit,
ita ut de novo debeat inchoari a tempore in-
terruptionis. II. Actionis perpetuationem, quia
prorogat vitam actionis, et facit, ut actio, quae
erat brevioris vitae, jam producatur ad annum
40. Sed conventio vel citatio, licet interrumpat 6
praescriptionem, non tamen etiam actionem
perpetuat, *Balbus de praescript. part. 4. part.*
ult. num. 1. et 2. Alius effectus litis contesta- 7
tionis est, quod actionem personalem in hae-
redes non transeuntem, faciat transire in hae-
redes, *Obrecht. de litis contestatione c. 10.*
num. 54. de quo alibi; Praeter hanc rationem 8
perpetuandae actionis dantur etiam aliae, ut
si non stet per reum, quo minus litem conte-
stetur, *l. 2. C. ubi in rem actio.* Item praesta-
tio juramenti litis decisorii, *l. 9. §. 3. ff. de ju-*
rejurando, de quo *Balbus d. l. num. 2. et 3.*
Sed quaeritur: *An non per litis contestationem*
mala fides inducatur, et sic jure Canonico pla-
ne impediatur praescriptio? quod *d. l.* negat,
Balbus num. 7. quia non est statim in mala fi-
de, cui lis movetur, sed ficta tantum, non ve-
ra haec mala fides est.

TITULUS XL.

De annali exceptione italici contractus tollenda, et de diversis temporibus, et exceptionibus, et praescriptionibus, et interruptionibus earum.

L. Super. 1.

SUMMARIA

Quales actiones olim perpetuae et quae praescriberentur. num. 1.
Correxit Justinianus *et quomodo.* 2.
Actiones personales, excepta hypotecaria, hodie 30. *annis praescribuntur.* 3.
Haec exceptio de regula esse non videtur. 4.
Cur excepta haec actio? 5.
An post lapsum triginta annorum in communione invitus quis detinendus sit? 6.
Dividere velle est res merae facultatis. 7.
De quonam casu textus sit intelligendus? 8.
Quando actio pro socio praescribi possit. 9.
Quando currere incipiat hujus actionis praescriptio. 10.
Objectio diluitur. 11.
Res merae facultatis praescribi nequeunt. 12.
An actio furti et bonorum raptorum sint reales vel personales, et quando praescribantur? 13.
Ratio dubitandi quoad prius regulae membrum. 14.
Actiones personales, in judicium deductae, litis contestatione facta, et deinde silentio omissa quadraginta annis, a quo litigantes novissime tacuerunt, praescribuntur. 15.
In bonis filiifam. non maternis tantum, sed in aliis quoque ubi proprietatem, pater vero usumfructum acquirit, nulla currit praescriptio. 16.
Qui impedimento juris agere impeditur, illi non currit aut nocet praescriptio. 17.

Secus si impedimentum illud juris extrinsecus accedat. 18.
Aliae limitationes. 19.
Pignoratitiae actioni debito non oblato non praescribitur. 20.
Juri offerendi praescribi nequit. 21.
An idem, quod de adventitiis dictum, locum etiam habeat in iis, quorum ususfructus non acquiritur patri, sed plenum dominium acquiritur filio? 22.
Praescriptio contra vasallum impleta non nocet agnatis aliis jus simultaneae investiturae ex jure communi vel statutario habentibus. 23.
Pinellus *notatur.* 24.

1 *Princip. et* §. 1. Personales actiones olim in provinciis tantum erant perpetuae, in Italia vero praescribebantur anno utili, non continuo, sed quia haec distinctio et praesertim observantia anni utilis multas confusiones et lites
2 introducebat, ideoque constituit Imperat. ut tam in Italia, quam in provinciis eadem esset
3 natura praescriptionis, et actiones personales praescriberentur triginta annis: excepta actione
4 hypothecaria, quae quidem exceptio non videtur esse de regula: cum actio hypothecaria sit
5 realis non personalis, sed ideo hic videtur excepta, quia accedit ad personalem actionem et eam sequitur; sed de quibusdam actionibus dubitatur, an triginta annis praescriberentur v. g. *de act. fam. hercis. communi dividundo, et finium regundorum*, quia actiones mixtae sunt, §. 20. *Instit. de act.* Sed et has actiones hic placet triginta annis tantum praescribi, quia ex quasi contractu nascuntur, §. 3. *et seq. Instit. de oblig. ex quasi contr.* et eatenus pro persona-
6 libus habenda. *Sed an post lapsum triginta annorum quis in communione invitus detinendus est?* Id videtur colligi ex *hoc* §. sed neg. per *l. fin. supr. com. divid.* nam durante communione non nascitur actio *communi dividundo*, neque currit, ideoque si fratres vel 40. annis steterint in communione, facultati dividendi non
7 praescribitur, et dividere velle est res merae facultatis, et donec stant in communione, unus recognoscit alterum ut socium, et praescriptio introducta est ad lites dirimendas, sed si divisioni praescriberetur, multiplicarentur lites, quia communio est mater discordiarum. Ergo
8 *textus hic* de eo casu intelligendus, quando alter tantum ex consortibus possidet, *Fr. Balbus dict. tract. p. 4. partis quartae quaest.* 13. *et Bach. in Treutl. vol. 1. disput.* 10. *th.* 8. *lit. A. et B.* Tunc enim ille qui possidet, bene praescribit contra alium non possidentem. Ideoque si unus haeredum res haereditarias solus possideret aut divisione postulata cohaeres ejus causam persequi distulerit, vel etiam praestationes illas personales fructuum, et expensarum per spatium ejusmodi petere neglexerit, hoc casu juste praescriptio objici potest, *Kremberg. ad* §. *quae-*
9 *dam* 20. *Instit. de action.* De actione etiam pro socio forte dubitatum, quia videtur ad communium rerum divisionem pertinere, *l.* 1. *ff. comm. divid.* Sed cum sit actio personalis etiam haec, triginta demum annis praescribitur. Et
10 hujus actionis praescriptio incipit currere a tempore finitae societatis, non vero durante societate, *l.* 5. *supr. pro socio, Balbus part.* 4.
11 *partis quartae quaest.* 15. nec obstat, quod durante societate eidem renunciari potuerit, nam non semper, certe nec intempestive licet illi renunciare, et ipsa renunciatio est res merae facultatis et arbitrii, quales res non possunt 12
praescribi per *leg. viam publicam* 2. *ff. de via public. Glossa hic.* quod exemplis aliis declarat *Balbus quart. quintae quaest.* 1. *per totam.* Sed si venandi jus alicui concessum non amittitur id per non usum, si occasio venandi se non offerat, *Carpzov. parte* 3. *constit.* 32. *defens.*
18. Idem in actione furti et bonorum raptorum, 13
licet enim videatur aliis ad reales actiones (cum re furtum fiat) quoad praescriptionem referri debere. Sed male, cum sint actiones personales ex delicto, vel ratio dubitandi in eo forte 14
consistit; quod fur contrectando subinde novum furtum facere, et sic actioni furti se obligare videri possit, sed hoc negatur per *leg.* 9. *ff. de furt.* quando autem actiones personales in 15
judicium deductae, litis contestatione facta, et deinde silentio omissa, quadraginta annis, a quo litigantes novissime tacuerunt, praescribuntur, per *hunc* §. 1. *in fin. et l. ult. tit. praeced.* ubi dixi.

§. *Ultim.* Filiofamilias ratione bonorum ma- 16
ternorum, ne quidem ante *Justinianum* currebat praescriptio, sed idem, quia par ratio in aliis quoque bonis, quorum proprietas filio, ususfructus vero patri acquiritur, constituit hic *Justinianus.* Ratio in *leg. ult.* §. 3. *supr. de bonon. quae lib.* quia de bonis his adventitiis solus pater agit in judicio: consentiente tamen filio nisi is minor, vel absit. Ergo quia filius agere nequit, ipsi etiam non potest nocere praescriptio tricennalis, ita ut jus ipsum directo faciat inhabilem. Quum quis impeditur age- 17
re impedimento juris, v. g. filius in bonis adventitiis, uxor in bonis dotalibus, ut *hic*, tunc ei non currit, aut nocet praescriptio, quum vero impedimentum juris extrinsecus adveniat, 18
currit praescriptio et restitutioni est locus, *l.* 26. *pr. et* §. 7. *ff. ex quibus causis maj.* vel si im- 19
pedimentum non sustulit jus agendi; sed si non ultra litis contestationem procederetur, tunc currit praescriptio, sed datur restitutio, quo pertinet *l.* 16. *ff. de offic. praes.* Sic etiam, quando quis impeditur impedimento facti, justo tamen, et legibus approbato, tunc nocet quidem, sed datur restitutio, *l.* 6. *ff. de serv. rust. praed.* qua de re *Panorm. et Felinus in c. ex transmissa* 10. *X. de praescript. Balbus d. tr. prima sextae num.* 17. *Pacius cent.* 1. *Enantiop. qu.* 52. *Pinellus in Auth. nisi tricennalis C. de bonis matern. num.* 42. *Lud. Gomez ad* §. 5. *Instit. de act.* cum enim jus ipsum introduxerit praescriptiones, rationis est, ut ubi jus ipsum facit, ne quis agere possit, quoque faciat ne currat praescriptio, *Bacchov. ad tit. ex quibus causis majores cap.* 4. *n.* 4. Et ex *hoc* §.
Colligitur: pignoratitiae actioni non praescribi, 20
debito non oblato, nam debito non oblato vel soluto, pignoratitia actione agi non potest, *Balbus quarta quintae qu.* 2. *in fin.* Juri autem offerendi 21
praescribi non potest, quia res est meri arbitrii et facultatis. Sed anne idem, quod hic de adven- 22
titiis dicitur, in iis etiam locum habet, quorum ususfructus non acquiritur patri, sed plenum dominium acquiritur filio, v. g. si ea lege sint donata, ne acquirantur patri ullo modo? Negat. *Donell. lib.* 17. *c.* 4. Quia haec invito patre alienare potest, per *l. ult.* §. 5. *supr. de*

bon. quae lib. Et ex hac regula concluditur,
23 praescriptionem contra vasallum impletam non nocere agnatis aliis jus simultaneae investiturae ex jure communi vel statutario habentibus, quia caeteri agnati proximo agnato vivente jus agendi non habuerunt, ut contra *Pinellum* multis defendit hanc communem sententiam *Hartm. Pist. lib.* 2. *q.* 8. *num.* 40. *et seq.* Et quamvis
24 *Pinellus* huic regulae respondere tentet, quod ea sit intelligenda, quando in initio ipsius praescriptionis objicitur tale obstaculum, ne quis possit agere, pluribus tamen eam exceptionem refutat *Hartm. Pist. d. l.*

L. Ut perfectius. 2.

SUMMARIA

Interruptionis varii modi, et quinam? num. 1.
Quaenam in interrumpenda possessione observentur? 2.
Peculiaris interrumpendae praescriptionis modus, per denunciationem scil. extrajudicialem. 3.
Quatuor casus, ubi haec interruptio locum habet, remissive. 4.
Triennalis praescriptio, licet ne quidem litis contestatione interrumpatur, in his tamen casibus, ubi reus absens, vel infans, vel furiosus, vel in potestate constitutus, ea interrumpitur per solum libellum et denunciationem. 5.
Ad praescriptionem interrumpendam denunciatio facta sufficit. 6.
Objectio removetur. 7.
Denunciatione et citatione judiciali, aut si ea haberi nequeat, extrajudiciali, testato facta, quaelibet praescriptio etiam brevis et longi temporis interrumpitur. 8.

1 Interruptionis varii sunt modi, ut 1. Litis contestatio: 2. Missio executoris, *l.* 3. *tit. praec.* 3. Nova cautio, *l.* 7. §. 5. *d. t. prec.* 4. Intermedia possessio, *dict.* §. 5. - 5. Solutio partis vel usurarum, *l.* 8. §. *ult. tit. praeced.* hic additur 6. Si adversarius, qui rem meam vel hypothecam possidet, absens sit vel infans, nullumque habeat curatorem, vel furiosus curatore destitutus, vel in potestate constitutus, ut conveniri non possit, *l.* 2. *ff. de in jus voc.* non debeo propria auctoritate possessionem inter-
2 rumpere, sed porrigere possum 1. libellum Praesidi: 2. vel hoc absente, Episcopo: vel 3. Defensori civitatis: vel 4. his absentibus, possum libellum mittere ad aedes adversarii, et hic libellus debet habere subscriptionem Notarii vel trium testium, et hic modus plenissime interrumpit praescriptionem tricennalem et vicennalem, nec non quadraginta annorum. Confer. *l. si praesens* 21. *et l. sancimus* 31. *supra*
3 *de Episc. audient.* Colligitur ergo I. Ex *hoc textu* peculiaris modus interrumpendae praescriptionis: Per denunciationem extrajudicialem, quando scilicet servatur forma hujus legis, *Balbus d. l. p. tertia sextae quaest.* 4. *num.* 20. Et haec
4 interruptio locum habet in 4. casibus supra
5 expressis. II. Licet triennalis praescriptio ne quidem litis contestatione interrumpatur, in his tamen 4. casibus, ubi reus absens vel infans, vel furiosus, vel in potestate constitutus, interrumpi eam per solum libellum vel denunciationem, *Gl. et Salyc. hic.* III. Sufficere de- 6
nunciationem factam, cui obstare videtur 1. §. 3. *ff. quae sententiae sine appellatione rescind.* 7
Sed ibi defectus edicti peremptorii rite propositi concurrit, et hic in casibus specialibus versamur. Probabilis sane mihi videtur sententia ex *hac lege;* Quod denunciatione et citatione 8
judiciali, aut si ea haberi nequeat, extrajudiciali, testato facta, quaelibet praescriptio etiam brevis et longi temporis interrumpatur, *Dn. Hahn. ad Wesenb. tit. de usucap. in fin.*

L. Si ex multis. ult.

SUMMARIA

Tres casus. num. 1.
Ratio dubitandi in altero casu. 2.
Decidendi. 3. 4. 5.
Generalis petitio sufficit ad interrumpendam praescriptionem in omnibus, quae sub illa generalitate comprehendi possunt. 6.
Generalis libellus, licet non debeat procedere, antequam declaretur, quantum tamen ad interrumpendam praescriptionem sufficit. 7.
Ampliatur. 8.
Creditor unum eumdemque debitorem actionibus specie et numero diversis sibi obligatum unico libello convenire potest. 9.

Tres casus sunt: 1. Debet quis mihi decem 1
ex mutuo et alia decem ex testamento; Ego peto decem generaliter, non addito, an ex testamento vel mutuo petam, Quaer. *An ratione utriusque debiti interrupta sit praescriptio?* Quod hic constituit Imperator, ex ea forte ratione quod possessor sibi imputare debeat, quod non petierit libelli declarationem. Sed diversum esse putant, si dissimiles sint qualitates: 2. Casus: debes mihi centum et obligas mihi praedium tuum, Quaer. *An si agam ad illa centum, actionis hypothecariae praescriptio sit interrupta?* Videtur quod non, quia sunt diversae 2
actiones; sed Aff. quia hypothecaria est alterius 3
accessoria. Ergo conservata personali actione etiam haec conservatur, per *regul. vulg.* Quod 4
accessorium sequatur suum principale: 3. Casus: teneris mihi ex pluribus causis ad diversas quantitates, sed ego generalem propono libellum, te esse mihi obligatum, nec exprimo causam, vel quantitatem, *An omnium istarum obligationum praescriptio sit interrupta?* Aff. quia potuisses de libello inepto excipere, sed 5
id non facis, et ita litem contestaris, nec ego hoc casu deses, et otiosus dici possum. Colligunt *DD. ex hac lege*, generalem petitionem 6
sufficere ad interrumpendam praescriptionem in omnibus, quae sub illa generalitate comprehendi possunt, ut licet talis libellus non 7
debeat procedere, antequam declaretur, tamen, quantum ad interrumpendam praescriptionem sufficit, *Petr. de Ravenna sing.* 24. imo etiam libellus generalis, obscurus et incertus 8
sufficit, et procedit parte non opponente, et potest libellus in processu ex actis, praesertim ex probationibus, declarari, *Maranta in Spe-*

cido part. 6. *tit. de libell. obl. num.* 22. *Gail. lib.* 1. *obs.* 62. *num.* 11. *et obs.* 64. *num.* 7. *et obs.* 66. *num.* 6. *Scaccia de jud. lib.* 1. *c.* 50. *num.* 13. et quos allegat *Hilliger. in Donellum lib.* 23. *c.* 1. *lit. D. pag. mihi* 1047. Conferatur *Gerhardus de Petr. Sancta Sin. quaest.* 4. ubi de
hoc disputat. Colligitur etiam: Creditorem unum 9
eumdemque debitorem, actionibus specie et numero diversis sibi obligatum, unico libello convenire posse, *hic et l.* 52. §. 12. *ff. pro socio et simil. Carpzov. p.* 1. *constit.* 2. *defin.* 1. *t.* 2.

TITULUS XLI.

De alluvionibus, et paludibus, et pascuis ad alium statum translatis.

L. Quamvis. 1.

SUMMARIA

Inundatione praescriptio interrumpitur. num. 1.
Quid si flumen alveum suum derelinquat, et alium faciat, an ager ille, quem circumfluit, prioris domini maneat? 2.
Species naturalis interruptionis est inundatio. 3.
An contra eam detur restitutio, et quatenus? 4.
Meum agrum contra inundationes munire possum, et eo fine aggerem in meo fundo extruere, licet id tendat in praejudicium alterius per consequentiam, modo non fiat animo nocendi. 5.

1 Inundatione etiam interrumpitur praescriptio,
l. 3. §. 17. *ff. de acq. poss.* quia dominium adimit, *l.* 23. *ff. quibus modis ususfructus amit.* Sed
2 quid si flumen alveum suum derelinquat, et
alium faciat? Quaer. *An ager ille, quem circumfluit prioris domini maneat?* Quod aff. Nam aliud est circumfluere agrum, et aliud latenter per alluvionem aliquid agro objicere, et hoc modo, non illo, mutantur agrorum dominia, §. 20. *Instit. de rer. divis. l.* 1. §. 10. *ff. de flum.* Ut igitur alluvio haec ab agro meo avertatur, i. e. ne fluminis vis adimere aliquid agro meo possit, vel circumfluere possit, possum ego ripam meam quocumque modo munire, licet fluvii cursum alio deducere non possim, quia flumina sunt publica, ergo nihil in iis mutare licet, *l.* 3. *ff. de flum. l. un. ff. ne quid in flum.*
3 *publ. fiat.* Collige ergo I. ex *hac lege;* speciem
naturalis interruptionis, scilicet inundationem,
4 contra quam tamen dari volunt restitutionem,
si fiat sine culpa possessoris, si scil. agens tractet de damno ex jure quaesito amittendo, aliud si agatur non de jure quaesito, sed lucro, *Balbus de praescr. part.* 6. *qu.* 1. *num.* 9. *et*
5 *seq.* II. Posse me meum agrum contra inunda-
tiones munire, et eo fine aggerem in meo fundo extruere, licet id tendat in praejudicium alterius per consequentiam, modo non fiat animo nocendi, *l.* 1. §. 12. *et l.* 2. §. *pen. ff. de aqua pluv. arc. Coepolla de S. R. P. cap.* 5. *num.* 3. *Mind. lib.* 2. *cap.* 38. *Rauchb. p.* 2. *qu.* 27. *Vivius dec.* 198. *num.* 19. *et seq*

L. Hi quos inundatio. 2.

SUMMARIA

Quatenus in iis, quae per alluvionem accrescunt, vel decrescunt, census et tributa quoque augeri vel minui debeant. num. 1.
Aucto commodo bonorum registratorum augendum etiam est onus, ut amplius aestimentur bona registrata, et ad ampliores collectas obligentur. 2.

Cui per alluvionem aliquid accrescit, illius 1
census et tributa de praedio solvenda debent augeri, cui vero decrescit, ejus census et tributa debent minui, quia haec sunt onera fructuum: Demiuuto autem praedio, deminuuntur etiam fructus et onera, facit *l.* 10. *ff. de R. J.*
Unde probatur: Aucto commodo bonorum re- 2
gistratorum, augendum etiam esse onus, ut amplius aestimentur bona registrata, et ad ampliores collectas obligentur, *Cravetta vol.* 1. *consil.* 195. *num.* 6. *Klock. de contrib. cap.* 17. *num.* 143.

L. Ea quae per alluvionem. ult.

SUMMARIA

Census per alluvionem augeri hic prohibetur. num. 1.
Quid si emphyteuta vel agri dominus paludes atque alia loca minus fructuosa suo labore et sumptu ad frugem fertilitatemque transtulerit, an propterea augendus sit census? 2.
Quod per alluvionem accessit, separatim censeri non potest, nec separatim functiones ab eo augmento postulandae. 3.

Dictum, per alluvionem augeri censum, sed 1
hic prohibetur, ne separatim pars quae accrevit censeatur, neque separatim tributa exigantur, multo minus Fisco adjiciatur pars, quia alluvio transfert dominium in eum, cujus ager ille est, non in Fiscum, *d.* §. 20. *Inst. de R. D.* sed augeri potest tamen census agro prius indictus,
per *l. praeced.* Sed quid si emphyteuta vel agri 2
dominus, paludes atque alia loca minus fructuosa, suo labore et sumptu ad frugem fertilitatemque transtulerit, an propterea augendus

est census? Vid. quod sic, ob *l. praeced.* sed Neg. ne diligentia eorum ipsis damnosa, et alia ratio alluvionis, quae sine labore meo quid agro meo adjicit; additur et poenae sanctio scil. quadraginta librarum auri condemnatio in transgressores. Non igitur hoc textu colligitur: Non augeri tributum per alluvionem, ut videtur colligere, *Petr. Gregor. lib.* 20. *syntag. c.* 8. *num.* 5. sed ex *praeced. lege* contrarium colligitur; Quod scilicet aucto ob alluvionem fundo, possit tributum augeri, sed hoc sequitur ex *hac*
lege, Quod illud, quod per alluvionem acces- 3
sit, non possit separatim censeri, nec separatim functiones ab eo augmento postulandae. Et sic neque ab eo pro augmento tributum exigendum, qui locum aliquem palustrem exsiccavit, sicut *hanc legem* intelligit *Glossa hic et Salyc. et Colleg. Arg. in tit. de aqua pluv. arc. th.* 26. *in fin. Boer. decis.* 50. *num.* 8. Conf. *Parmensis in tr. de alluv. lib.* 2. *cap.* 6. *num.* 48. *et Doering. in bibliothec. sua* §. *Alluvio num.* 33.

TITULUS XLII.

De sententiis Praefectorum Praetorio.

L. Litigantibus. un.

SUMMARIA

A sententia praefecti Praetorio appellari non potest. num. 1.
Sed per viam supplicationis Princeps potest adiri. 2.
Quomodo biennium illud sit computandum. 3.

1 A sententia Praefecti Praetorio, propter summam summi magistratus prudentiam et auctoritatem appellari non potest, *l. un.* §. 1. *ff. de*
2 *off. Praef. Praetor.* sed per viam supplicationis adiri potest Princeps, *l.* 5. *supr. de prec. Imp. offer.* cum hac ratione sententia non impugnetur ob iniquitatem, sed ad clementiam Principis quatenus ad asylum recurratur, *Perez hic*, idque non tantum privatis conceditur, sed licet pro curia i. e. pro utilitate publica sententiam tulerit, interim mandatur sententia executioni, cautione a victore praestita de tanto restituendo, quantum occasione sententiae medio tempore percepit, si adversarius reformatoriam obtinuerit, quae cautio omittitur, si intra decem dies non offeratur supplicatio, *Auth. quae supplicatio, C. de prec. Imper. offer. Perez hic.* Sed
quomodo computandum illud biennium? Si le- 3
ctionem vulgarem retineamus, utut *Glossa* varie se torqueat, fatendum est, biennium hoc currere ab eo tempore, quo successorem accepit, sicut intelligit *hanc legem Perez ad hunc tit. et Godof.* in voce, *successionem.* Sed non probabilis videtur mihi haec sententia, cum procul dubio saepius in multos annos prorogatum Praefecto Praetorio imperium, et nescio annon melius legatur cum Theodosiano, *post cognitionem.*

TITULUS XLIII.

Quomodo et quando judex sententiam proferre debeat, praesentibus partibus, vel una parte absente.

L. Non semper. 1.

SUMMARIA

Sententia non nisi praesentibus partibus lata regulariter valet. num. 1.
Limitatur. 2.
An judex absente reo sententiam ferre compellatur? 3.
Quomodo verba, judicem posse absentem condemnare, non compelli, *sint intelligenda.* 4.
An reus ob solam contumaciam causa cadat? 5.
Quomodo et quando judex in contumaciam procedere possit ac debeat, remissive. 6.

1 Regulariter non valet sententia, nisi lata sit praesentibus partibus, *l. de unoquoque* 47. *ff. de*
reg. jur. sed interdum fieri potest, ut absente 2
altera parte sententiam ferre possit judex his tribus scilicet concurrentibus: 1. Si lis sit contestata: 2. Si ex actis judicii judex plene possit cognoscere de justitia causae: 3. Si actor
hoc desideret; non ergo compellitur judex 3
absente reo sententiam contra eumdem ferre, nisi praedictis requisitis concurrentibus, imo et tunc tenetur judex, nisi litem facere velit
suam. Et ideo quod hic dicitur, judicem *posse* 4
absentem condemnare, non compelli, non est ita intelligendum, ac si judex, etsi absentis contumacis causam meliorem esse perspexerit, condemnare, tamen ob solam contumaciam possit, si velit, sed si aliud judici videatur, possit eum absolvere, nam ita daretur occasio gratificandi uni magis, quam alteri, quod admitti exemplo est perniciosum. Ideoque *posse* hic non absolutum arbitrium, sed jure adstrictum

denotat *Hilligerus in Donell. lib.* 28. *c.* 3. *lit. E.*
5 nam ob solam contumaciam reus non cadit
causa, si ea contumacia in non veniendo con-
sistet, *Gail. l.* 1. *obs.* 60. *num.* 8. *Menoch. lib.*
2. *A. Q. casu* 280. *num.* 4. *Hillig. d. l.* quomo-
6 do autem et quando judex in contumaciam
procedere possit et debeat, de eo actum in
l. properandum supra de jud.

L. Cessante. 2.

SUMMARIA

Ut quis pro contumace habeatur per edictum peremptorium citari necesse est. num. 1.
Forma ejusmodi Edicti in Camera. 2.
An citatio viva voce peremptorie semel vel ter simpliciter facta vim edicti perpetui habeat? 3.
Vox peremptorie *in citatione omissa aliis verbis declarari potest.* 4.
Unica monitio judicialis ab ipso judice facta citationi peremptoriae aequipollet. 5.
Ut edicta peremptoria proponantur semper necesse non est. 6.
Gravior et magis exosa est illius contumacia, qui praesens judici non obtemperavit, quam qui non comparuit. 7.

1 Ad hoc ut quis pro contumace habeatur,
atque adeo ut sententia contra ipsum absentem
fieri possit, requiritur, ut per edictum perem-
ptorium citetur, cujus forma describitur *leg.*
68. *et seqq. ff. de jud.* v. g. ut in Camera fieri
2 solet, nempe: Citamus te ut intra sex septi-
manas compareas, quarum duas pro prima,
duas pro secunda, duas pro tertia citatio-
3 ne damus. Sed si viva voce aliquem peremptо-
rie semel vel ter simpliciter jussisset, ut co-
piam sui faceret, *An et hoc habebit vim edicti
peremptorii?* Affirm. quia satis est, jussum ju-
dicis in citati notitiam pervenisse, licet palam
non fuerit propositum. Unde probare solent
4 *DD.* licet in citatione omissa sit vox, *perem-
ptorie*, aliis tamen id declarari verbis potest,
v. g. quod judex, etiamsi reus se non sit sti-
turus, nihilominus in causa pergere velit, nam
talis comminatio vim habet peremptorii edicti,
Dan. Moler. ad Const. Aug. 3. *num.* 18. *p.* 1.
Berlich. p. 1. *conclus.* 10. *num.* 9. *et seq. et no-
vissime Carpzovius in process. tit.* 7. *art.* 1. *num.*
15. *et seq.* Colligit et post *Br. et Castr. hic*
5 *Sichardus num.* 14. ex presente textu; quod u-
nica monitio judicialis ab ipso judice facta ae-
quipolleat citationi peremptoriae. Et sic posset
judex, si praesentem citasset ad sequentem ju-
ridicam, eo non comparente procedere, tam-
quam contra contumacem; sed id ex hoc textu
non puto colligi posse, sed hoc tantum, non
6 esse necesse semper, ut edicta peremptoria
proponantur, *Donell. lib.* 28. *c.* 3. *lit. C. Scac-
cia de judic. lib.* 1. *cap.* 91. *num.* 25. *et seqq.*
et Conf. notata ab *Hillig. in Donell. lib.* 23.
7 *c.* 11. *lit. S.* quamvis gravior et magis exosa sit
contumacia illius, qui praesens judici non ob-
temperavit, quam qui non comparuit, ut ita
non sit iniqua dicta *Sichardi* traditio, quam
probant etiam alii relati a *P. Barbosa in l. ad
peremptorium* 68. *num.* 31. *ff. de judic.*

L. Ab eo. 3.
et L. Cum praesentibus. ult.

SUMMARIA

Sensus legis. num. 1.
Semel citatus ad faciem nec non comparens, si postea sit citandus, an citatio ad domum sufficiat? 2.
An sententia, qua reus cum quo lis contestata, postea propter absentiam condemnatur, valeat? 3.
Absens domi procuratorem reliquisse, aut certe relinquere debuisse praesumitur. 4.
Ab hac sententia datur appellatio. 5.
Quid si non appellet? 6.
Si sententia contra absentem in terminis illis, ubi sententia non est nulla, et ubi procuratorem non habuit, lata, decendium currit a die scientiae. 7.

Quando reus, cum quo lis contestata, postea 1
absens est, et condemnatus, quia scilicet cita-
tus est ad domum, cum personaliter inveniri
non potuerit; (nam si semel citatus ad faciem 2
et comparuit, postea vero citandus sit, volunt
sufficere citationem ad domum, *Scaccia de
judic. lib.* 1. *cap.* 45. *num.* 4. *Hillig. ad Do-
nell. lib.* 23. *cap.* 2. *lit. D.*) hic quaeritur: *An* 3
haec sententia valeat? Vid. quod non, cum
proprie contumax dici nequeat, de quo adhuc
incertum, an citatio ad ejus notitiam pervene-
rit; Unde tunc vere contumacem fieri negant.
Sed affirmat. quod teneat sententia, quia prae- 4
sumitur absentem domi reliquisse procurato-
rem, aut certe debuisse relinquere, *leg.* 1. *ff.
Eum qui appell. in provincia defendi.* Sed
hic poterit appellare, cum alias contumax non 5
appellet, *leg.* 23. §. *fin. ff. de appell.* Sed si non 6
appellet condemnatus intra decendium a tem-
pore scientiae computandum, per *leg.* 3. *h. t.*
videtur consensisse in sententiam, Collige; Si 7
sententia contra absentem in terminis illis, ubi
sententia non est nulla, et ubi procuratorem
non habuit, lata, decendium currere a die
scientiae, *l.* 1. §. *ult. ff. quando appellandum etc.*
Gail. lib. 1. *obs.* 139. *num.* 9. *et seq. Donell.
lib.* 28. *c.* 6. *et ibi Hillig. lib.* 55.

L. Si ut proponis. 4.

SUMMARIA

Facti species. num. 1.
Sententia altera parte non citata, vel die feriato data, nulla est. 2.
Differentia inter judicem ordinarium et delegatum. 3.
Usus fori hodierni. 4.
Quid juris in delegato Principis. 5.
Excipitur casus, si delegatus formam delegationis non observavit. 6.
Quando judex nullitatem corrigat. 7.

Actor delegato judici persuasit, ut me ab- 1
sente, quasi essem citatus peremptorie, quod

tamen non factum, pronunciaret contra me,
2 et quidem die feriato. Haec sententia duplici ex causa nulla est: 1. quia me non citato lata, per *l.* 47. *ff. de re jud.*: 2. quia die feriato lata. Ideoque Praeses hanc litem cognoscendam al-
3 teri judici committere potest. Nota bene: Differentiam inter judicem ordinarium et delegatum, nam hic, si nulliter judicet, non potest suam sententiam corrigere, quia Praeses delegans ipsi jurisdictionem de primo actu videtur sensisse, *argum. leg.* 89. §. 1. *ff. de V. S.* et postquam pronunciavit, jurisdictio ejus finita est. Sed ille, si nulliter judicet, ipse suam sententiam corrigere potest, si hoc velit gravatus, *l.* 6. *h. tit. Panormit. in cap. quaerenti X. de off. Jud. deleg. Vant. de nullit. tit. coram quo judice nullitas etc. Gail. lib.* 1. *obs.* 127. *num.* 6. *Mynsing. cent.* 5. *obs.* 92. *num.* 6. *pag.* 44. Sed
4 hodie ex usu fori ubique fere obtinuit, ut judex superior de nullitate ab inferiore commissa cognoscat, praesertim si nullitas ex malitia et injuria judicis provenerit, *Gail. d. l.* 1.
5 *num.* 7. In delegato Principis aliud statuunt *DD.* quos sequitur *Menoch. lib.* 1. *A. Q.* 67. *num.* 28. *et seq.* Quia enim hic cum ordinario judice comparatur et ordinario major est, et immediate ab eo jurisdictionem habet, qui ordinariam confert jurisdictionem, ideo ad exemplum ordinarii potest ipse de nullitate ferre sententiam, cum hic de delegato Praesidis manifesto sermo sit, *Ceph. cons.* 359. *n.* 31. *et seqq.* sed contrariam sententiam ut communiorem defendit *Jo. Guttierez can. quoque l.* 2. *n.* 17. *et seqq.* si scilicet sit delegatus ad unam certam ac singularem causam. Nam si universitas causarum delegata, ipse delegatus posset secundum omnes
6 corrigere nullitatem commissam. Excipiunt etiam casum; Si delegatus formam delegationis non observavit, *cap. dilecta X. de rescriptis*,
7 *Menochius d. l. num.* 27. Sed quando ipse judex corrigit nullitatem? Resp. *hic Gl.* ut si nullitas in sententiando solum commissa, non in actis, ex ipsis actis emendet sententiam. Aliud si in ipsis actis commissa sit nullitas, tunc ex iis, vel ex parte ea actorum, quae nullitate laborat, non posset emendari nullitas. Confer. *Afflictus dec.* 28.

L. Si ut proponis. 5.

SUMMARIA

Pacti species. num. 1.
In citatione loci mentio facienda est. 2.
Limitatur. 3.

1 Citatus sum a Praeside, ut compaream in hac urbe, sed cum Praeses mutaret locum actor persuasit Praesidi mihi significatum esse in alio loco, quo scil. nunc Praeses versatur judicium peractum iri, ideoque cum ego in mutato illo loco non comparerem, sententiam contra me tulit Praeses. Haec sententia nulla est, quia non sum vere contumax: Inferunt
2 ex *hac lege:* in citatione mentionem faciendam esse loci, *l.* 59. *ff. de judic. Specul. in tit. de citat.* §. 1. *num.* 9. *Maranta parte* 6. *tit. de ci-*
3 *tat. num.* 61. Quod de judice ordinario, qui fixam habet sedem vel tribunal negant; in aliis vero ordinariis, qui non habent fixum tribunal, sed quibus tota provincia pro tribunali est, nec non in delegatis, verum est, *Hilliger. in Donell. lib.* 23. *c.* 2. *lit. N. Umnius disp. ad processum* 5. *th.* 11. *Maranta d. num.* 64. *Vant. de nullitate tit. ex defectu citat. num.* 61. *et sequent. Gail. lib.* 1. *obs.* 2. *Carpz. in processu tit.* 7. *art.* 2. *num.* 34. *et seq.*

L. Si Praeses. 6.

SUMMARIA

Casus legis. num. 1.
Minor, personam standi in judicio non habens, Eremodicium contraxisse non dicitur. 2.
Sententia, qua appellatio deserta pronunciatur, interlocutoria quidem est, sed tamen vim definitivae continet. 3.

Minorennis mihi condemnatus, curator et 1
actor ejus, qui hic adjutor dicitur, appellant nomine minoris, sed postea moritur tam curator, quam actor, ideoque prosequi appellationem non possunt. Judex circumducit causam i. e. ab instantia appellationis me absolvit, *Donell. lib.* 17. *cap.* 26. *in princip. et Hillig. ibidem lit. A.* et dicit appellationem esse desertam, Quaeritur: *An sententia ipso jure sit nulla?* Affirm. *hic et l.* 45. §. *fin. et l.* 54. *ff. de re jud.* Ratio; quia minor, qui non ha- 2
bet personam standi in judicio, non potest dici Eremodicium contraxisse, per ea quae allegat *Menoch. q.* 67. *et Carpzovius in processu tit.* 16. *art.* 4. *num.* 33. Colligitur ex *hac lege:* Sententiam illam, qua appellatio deserta pro- 3
nunciatur, esse quidem interlocutoriam, sed habere vim definitivae, quia confirmat in effectu priorem, *Bald. Castr. hic*, *Maranta in spec. tit. de citat. num.* 26. *Guido Papae decis.* 11. *et* 220.

L. Ea quae. 7.

SUMMARIA

Sententia altero litigantium absente lata ipso jure nulla est, nec vim rei judicatae obtinere potest. num. 1.
Partes ad audiendam sententiam jure communi sunt citandae. 2.
Sententia definitiva ferenda est partibus vere, vel per interpretationem praesentibus. 3.
Ubi citatio generalis ad totam causam locum habet, ibi non obtinet specialis citatio ad audiendam sententiam. 4.

Sententia altero litigantium absente lata ipso 1
jure est nulla, nec obtinere potest vim rei judicatae, etiam si pro absente lata sit, *arg. l. furioso* 9. *ff. de judic.* Ex qua lege colligitur: Partes ad audiendam sententiam jure commu- 2
ni citandas esse et sententiam definitivam fe- 3
rendam esse partibus vere, vel per interpretationem praesentibus, quod ultimum fit, si vera vel ficta sit contumacia, v. g. si ad domum citatus, *Gail. lib.* 1. *obs.* 109. *num.* 1. *Menoch.*

lib. 2. *praesumpt.* 74. *Hilliger. ad Donell. lib.* 27. c. 6. *lit. E.* Sed ubi citatio generalis ad to-
4 tam causam locum habet, ut in *Camera Spir.* ibi citatio specialis ad audiendam sententiam non habet locum, *Mynsing. d. l. et Gail. d. l. num.* 3.

L. Consentaneum. 8.

SUMMARIA

Facti species. num. 1.
An ter citatus non comparens sit contumax? 2.
An quarta citatio seu edictum peremptorium requiratur? 3.
An post unicam citationem peremptorie factam cum solita clausula aliquis non comparens fiat contumax? 4.
Simpliciter citatus se nolle venire dicens, poenas contumaciae incurrit. 5.
Quaenam sint remedia contra contumacem. 6. 21.
Objectio diluitur. 7.
An actor horum remediorum electionem habeat? 8.
Si antecessor judicis ter citavit, successor ejus potest contra contumacem procedere, quamvis unam adhuc citationem addere solcant. 9.
Quid juris, si reus ante litem contestatam sit contumax? 10.
Tempora in jure sunt descripta, quibus lapsis in contumacem procedi potest. 11.
Loco trium edictorum una peremptoria potest dari. 12.
Qualis haec esse debeat? 13.
Ut quis in contumaciam condemnetur, perseverantia requiritur, et admittitur purgatio morae. 14.
Ob nimiam contumaciam aliquis personaliter capi potest. 15.
Excipitur matrona et is, qui domi suae degit. 16.
Casus, ubi regula haec locum habeat. 17.
An abundet h. l. *particula* vel? 18.
In causa civili quis capi non potest, antequam fiat executio in bonis. 19.
Exemplo declaratur. 20.
Diversa missio in bona est ante et post litem contestatam. 22.

1 Convenio te ob praedium, quod ajo esse meum, sed tu litem contestando negas, ego ad probationem me offero, sed postea ter ci-
2 tatus non compares. Quaeritur: I. *An contumax sis?* II. *Quae contra te habeam remedia?* Quod attinet ad primum: quando impleta est contra te absentem solemnitas juris, i. e. ter es citatus a judice, *d. l. ad peremptorium* 68. *ff. de judiciis*, et forte etiam ab ejus successore, jam
3 es contumax, quamvis aliqui praeter citationem trinam etiam quartam seu edictum peremptorium requirant, ut *Petr. Barbosa ad l. ad peremptorium* 68. *ff. de judic. n.* 127. *et seq.* ubi verba textus, *impleta juris solemnitate*, de hoc edicto peremptorio interpretatur: sententia tamen contraria receptior est, et nihil iniqui
4 continet, imo si et unica vice esses citatus, sed peremptorie, cum clausula *(Du erscheinest oder erscheinest nicht, so soll in der Sachen auf, Klagers anhalten ergehen was Recht ist)* et si tu non compareas contumax es, imo si simpliciter citatus esses et tum ve- 5
ram contumaciam commisisses, i. e. dixisses, te nolle venire, incurris poenas contumaciae, *Zasius ad l. contumacia* 53. §. 1. *ff. de re judic. num.* 13. si citatio ad totam causam facta, *Scaccia lib.* 1. *de judic. cap.* 88. *num.* 11. *Sed quae mihi contra contumacem remedia?* Resp. 6
Tria juxta vulgarem intellectum: 1. possum petere, ut reus capiatur et invitus ad judicium perducatur, quod alias nisi in flagitiosis aut criminosis locum non habet, de quo infra plura: 2. possum petere, ut rei litigiosae possessio mihi tradatur, ac reus postea non audiatur super possessorio, sed in petitorio: (neque obstat 7
l. 8. §. *penul. de praescr.* 30. *annor.* nam illa de eo casu loquitur, quando lis nondum est contestata) 3. Possum petere, ut sententia definitiva feratur, quod fieri potest, si lis sit contestata, et judici de meritis causae liqueat, et electio horum remediorum est actoris. Nota 8
bene: Si antecessor judicis ter citaverit, posse 9
successorem contra contumacem procedere, quamvis soleant adhuc unam citationem addere, *l.* 55. *ff. de jud.* sed Vid. *Donell. lib.* 17. *c.* 26. *in fin. et ibi Hillig.* Et quando reus ante litem contesta- 10
tam est contumax, tum locum habet missio ex primo decreto in realibus et personalibus: Sed tunc reo venienti intra annum, si restituat expensas, possessio restituitur, *d. l.* 8. §. *pen. C. de praescript.* 30. *annorum.* Collige ergo I. ex *hac lege:* Esse tempora in jure descripta, qui- 11
bus lapsis, in contumacem procedi potest, de quibus in *l. per intervallum ff. de judic. l.* 1. *et l. properandum* 13. §. 1. *supr. eodem et Auth. seq.* II. Posse loco trium edictorum dari unam 12
peremptoriam, quae continet tantum tempus, 13
quantum trina citatio, scil. 30. dies, et tunc necesse est, addere vocem *peremptorie*, vel *clausulam peremptoriam*, *Carpzov. part.* 1. *constit.* 2. *defin.* 22. *et in process. tit.* 7. *art.* 1. *num.* 25. Idem est, si dicat, se citare semel, loco trium citationum, *Baldus hic num.* 1. III. Perseverantiam requiri, ut quis in contuma- 14
ciam condemnari possit, *Baldus hic num.* 5. nam admittitur purgatio morae, *l. et si post tres* 8. *ff. si quis cautionibus etc.* IV. Ob 15
nimiam contumaciam posse aliquem personaliter capi, excepta matrona, et eo, qui domi 16
suae degit, *l. plerique* 18. *ff. de in jus vocando.* Quamvis autem non negem, in nonnullis casi- 17
bus, ut quando quis de fuga suspectus, vel quando alicujus praesentia ob interesse publicum vel ob causae qualitatem est necessaria visa judici, de quibus casibus *Sigism. Scaccia de judic. lib.* 1. *cap.* 37. *Gail. lib.* 2. *obs.* 44. *et Umnius ad process. disp.* 11. *num.* 19. id tamen ex *hac lege* firmiter non puto posse probari, si non tam practicorum mentem, quam legum verba ponderemus. Nam illud, *Vel*, quod 18
proponitur verbo, *Possessionem*, procul dubio abundat, et ideo in manuscriptis exemplaribus non reperiri referunt. Regula est: in causa ci- 19
vili quem capi non debere, antequam fiat executio in bonis, *l.* 1. *C. qui bonis cedere possint.* Si enim debitor habeat bona etiam propter ni- 20
miam contumaciam rei ejus persona capi non potest, nisi prius executio fiat in bona et illa non sufficiant ad solutionem, *P. Barbosa ad l. haeres absens* 19. §. *fin. n.* 57. *ff. de judic.* Hic vero agitur de rei vindicatione, et sic adfuit res,

in quam fieri potuit executio et immissio, et cui bono igitur peteretur captura personae?
21 *Barb. d. l.* Sensum igitur esse puto: Duo esse remedia procedendi contra contumacem, nimirum ut transferatur vera possessio in actorem, atque ita compellatur reus, si suam recuperare velit, adire judicem, et petere, ut super principali negotio feratur sententia. Et sane alias verba nec commodam constructionem patiuntur. Nam verba sunt haec, *Non abs re erit, vel ad cogendum eum, ut sese repraesentet etc.* Sed *quid non erit abs re?* Id sequiquitur postea scil. *possessionem transferre*, aque ideo si tria remedia faciamus, in primo, nulla est constructio, si vero duo tantum, optima erit constructio. Collige etiam V. Diversam
22 missionem in bona esse ante litem contestatam. et post litem contestatam. Ante litem contestatam transferri non veram possessionem, sed detentionem et custodiam, sed post litem contestatam veram possessionem, quia petitorium tantum reo reservatur, *Castr. hic num.* 7.

Auth. Qui semel.

SUMMARIA

Authentica haec praecedentem legem *supplet et agit de actoris contumacia. num.* 1.
Exemplum subjicitur. 2.
Quomodo actor a judice ordinario vel delegato citetur? 3.
Quid si ne tunc quidem actor citatus veniat? 4.
Quid si intra annum veniat actor? 5.
Quid si ante annum venerit, et restituerit expensas, sed postea iterum sit contumax? 6.
An per hoc remedium illud, quod habuimus in l. properandum 13. §. 2. supra de judic. *sit sublatum?* 7.
Si quis libellum contra me judici offert, sed poenitentia ductus citationem non insinuet, an contra eum ex hac Authent. *agi possit?* 8.
An idem in delegatis Principis? 9.
Dilatio legalis citra causam gravem a judice non potest restringi. 10.

1 Haec *legem praecedentem* supplet, nam illa de reo contumace loquitur, haec de actore;
2 v. g. moves mihi litem in realibus vel personalibus coram judice ordinario, vel petis a Principe, ut det judicem delegatum, quod impetras, et literas commissionales insinuas judici delegato, qui et communicata copia commissionis me citat. Sed postea neque renuncias actioni, quod facere licet ex *l.* 3. *C. de edendo.* Vid. *Donell. et ibi Hilliger. lib.* 23. *c.* 5. *lit. I.* neque prosequeris actionem. Hic datur
3 mihi remedium; possum enim petere, ut a judice ordinario vel delegato citetur actor tribus edictis (non voce praeconis, quia haec paucis innotescit) quae tria edicta contineant intervalla triginta dierum, et hoc quidem fieri potest, licet lis nondum coepta, i. e. nondum
4 contestata. Quod si ne tunc quidem veniat citatus actor, et litem prosequatur, anni lapsus expectandus, quo finito, judex me reum audiet, et meas probationes examinabit et sententiam feret vel me absolvendo, vel etiam condemnando. *Sed quid si intra annum veniat actor?* Resp. Tunc audiendum eum non esse, 5
nisi impensas litis restituat et caveat, quod se velit imposterum judicio sistere, *Authent. et qui jurat. C. de bon. autc. jud. possid.* Sed *Quid si ante annum venerit et restituerit expensas, sed postea iterum contumax sit?* Resp. 6
Tunc reum esse definitive absolvendum, atque haec est contumaciae repetitae poena, quod actori hoc casu perpetuum imponatur silentium. Sed notandum: per hoc remedium non 7
esse sublatum illud, quod habuimus in *l. properandum* 13. §. 2. *supra de judic.* Quod scilicet reus contumaciter emanente actore possit petere, ut absolvatur, non quidem definitive, sed ab instantia? Hoc vero remedium, quo reus contra actorem contumacem etiam lite nondum contestata ad sententiam definitivam pervenire potest, est longe illo utilius, *Sichardus ad hanc Authent. num.* 30. *Mindanus lib.* 2. *de processu cap.* 20. *num.* 7. *Gail. lib.* 1. *obs.* 59. *num.* 4. *Mynsing. cent.* 4. *obs.* 65. *Scaccia lib.* 1. *de judic. c.* 93. *num.* 3. Et est recentius remedium, atque ita ex *hac Auth.* non colligitur, mutationem libelli ante litem contestatam non esse permissam, *Fachin. lib.* 11. *cap.* 100. *seu ultimo.* Colligitur etiam ex *hac lege:* Si quis 8
libellum contra me judici offerat, seu poenitentia ductus citationem non insinuet, non posse contra eum agi ex *hac Auth.* Collige: quod 9
etiam de delegatis Principis in specie hic dicatur, *Scaccia lib.* 1. *de jud. c.* 34. *Vant. de nullit. tit. ex defect. citat. num.* 25. *Hillig. in Don. lib.* 23. *c.* 2. *lit. H.* Collige: Dilationem 10
legalem a judice citra causam gravem restringi non posse, de quo *Menoch. lib.* 2. *A. Q. casu* 52. *num.* 5. *et* 6.

L. Tres denunciationes. 9.

SUMMARIUM

Casus legis.

Tres denunciationes vel citationes habent vim edicti peremptorii et sufficiunt illae ad id, ut valeat sententia lata contra absentem. Si tamen citatus responderit, se nolle venire in tota causa, tunc unam sufficere putat *hic Bald. num.* 3. Conf. *Scaccia lib.* 1. *de jud. c.* 88. *num.* 13. *Vant. de defectu ex citat. num.* 98. *et* hos citans *Hillig. in Donell. lib.* 23. *c.* 2. *lit. B. in fine.*

L. Cum non. 10.

SUMMARIUM

Sensus legis.

Post litem tecum contestatam, probabili ex causa et necessaria, v. g. legationis, peregre abeo, sed judex contra me absentem quasi contumacem fert sententiam, Quaer. *An valeat?* Resp. Valere quidem, sed mihi dari restitutionem, *hic et l.* 4. *supr. de procur. et l.* 53. §. 2. *ff. de re jud. l.* 7. §. *ult. ff. de minor.*

TITULUS XLIV.

De sententiis ex breviculo (vel periculo) recitandis.

L. Arbitri. 1.

SUMMARIA

Arbiter quoque et judex delegatus sententiam oretenus proferre et partibus scriptam edere tenentur. num. 1.
Quid si secus fiat? 2.
Perversus nonnullorum judicum mos est, qui partibus tantum significat, quod sententiam crastino vel sequenti die a Protonotario accipere possint. 3.

1 Non tantum judex ordinarius, sed et arbiter, et ideo etiam judex delegatus debet oretenus proferre sententiam, et non tantum scriptam
2 edere partibus; si autem contra fiat, et judex sententiam scriptam tantum partibus edat, nulla est sententia, nec opus est, ut provocetur, sed ex integro causa cognoscenda est a judice ordinario vel alio delegato. Hic exemplaria omnia fere in Rubrica habent, *periculo*, quod volunt *Hill. in Don. lib.* 28. *c.* 3. *lit. H. Cujac. lib.* 5. *obs.* 25. *et Contius* significare *Breviculum*, idque ex *Aemilio Probo et Cicerone* probant; Ex
3 *hac lege prima* notari potest; perversus mos nonnullorum judicum, qui partibus tantum significant, quod sententiam crastino vel sequenti die a Protonotario accipere possint.

L. Hac lege. 2. et L. Statutis. 3. et Auth. seq.

SUMMARIA

Quaenam circa sententiam concipiendam notanda? num. 1.
An judex ipse sententiam recitare debeat? 2.
Quaenam sententiae etiam sine scripto possint fieri? 3. *et seqq.*
Viri illustres vel illustrem administrationem gerentes, et judices delegati scriptam quidem ferre debent sententiam, sed ipsi eam recitare non tenentur. 4.
Forum Camerae Spirensis. 5.
Lites breves et vilium personarum vel rerum scripturam non requirunt. 6.
An causae summariae? 7.
An Clericorum coram Episcopo, et scholarium? 8.
An sententia Principis? 9.
An solemnitas haec scripturae a partibus possit remitti? 10.
An et quatenus lata a judice sententia corrigi possit? 11.
An judex sedens sententiam ferat? 12.
Id quod ex schedula legitur, in scriptis propositum videtur, et ideo ubi statuto prohibitum ne partes per scripturas disputent, ut in Saxoniae Electoratu, ibi etiam prohibitum, ne ex scripto recitentur Recessus. 13.
Judices illiterati per alios sententiam recitare possunt. 14.
An illiterati quoque possint delegari? 15.

Inter alias solemnitates sententiae requiritur, 1
ut sententia non subito praecipitetur, sed prius deliberetur, postea concipiatur brevi charta, concepta examinetur, et demum ab ipso judice partibus recitetur, *l.* 2. *h. t.* ubi ratio; *Card. Tusc. concl.* 133. *num.* 2. *et seqq.* et si hoc non fiat a judice ordinario, vel arbitro, sententia ipso jure est nulla, ut citra appellationem a Praeside possit et debeat reformari, *l.* 1. *et* 2. *h. t.* licet ultimum, quod scil. ipse judex de- 2
beat recitare sententiam, non soleat in judiciis semper observari, *Hillig. in Donell. lib.* 28. *cap.* 3. *lit. I. Perez h. t. Marant. p.* 6. *tit. de sentent. num.* 12. *Vant. de nullitat. tit. ex defectu process. num.* 69. *et Bacch. ad Treutl. v.* 2. *d.* 23. *th.* 3. *lit. E.* Nihilominus tamen has solemnitates temere negligendas esse non puto. Nam ut nonnulli judices, ut dixi ad *l.* 1. *h. t.* solent sententias oretenus non promulgatas, sed scriptas edere partibus, ita e contrario videmus alios sententias memoriter sine scripto publicare, utrumque vitiose. Ideoque saepe fieri videmus et audimus cum magna justitiae jactura, sententias aliter latas esse, aliter vero scriptas. Sed a tali necessitate excipiuntur I. Sententiae 3
interlocutoriae, quae etiam sine scripto fieri possunt, per *l. fin. h. t.* ibi, *ultimas definitiones etc. Treutac. lib.* 2. *resol. tit. de sentent. resol.* 2. *num.* 7. II. Excipiuntur Praefecti Prae- 4
torio et alii, qui illustrem administrationem gerunt, ut ad Quaesturam, aut Praefecturam urbis, vel alii viri illustres, qui sunt judices delegati, et hi quidem scriptam sententiam ferre debent, sed ipsi eam recitare non habent necesse, sed possunt recitare per Officiales seu Secretarios suos, *l.* 2. *h. t.* Ut in *Camera Spi-* 5
rensi per protonotarium praesente Praetore aut Praesidum uno, de quo *Hillig. d. cap.* 3. *lit. I.* III. Lites breves et vilium personarum vel re- 6
rum, *Nov.* 7. *c.* 3. *Novell.* 28. *c.* 3. *Auth. nisi breves h. t.* nam hae scripturam non requirunt, *Gail. lib.* 1. *obs.* 134. *num.* 18. Non autem 7
quaevis causae summariae, *Clement. saepe* 2. §. *sententiam de V. S.* nam et in causis summariis scripturam necessariam esse ex *d. Clement.* probat *Marant. d. tit. num.* 17. *Vant. d. t. num.* 70. *Hillig. d. l. lit. I.* Quae autem breves vel breviores causae sint, non potest thesi certa definiri, sed arbitrio judicis committendum, qui non tantum rei, sed etiam personarum habebit rationem in definienda causa modica vel magna. Conf. *Menoch. lib.* 2. *arb. qu. casu* 72. IV. Causae Clericorum coram Episcopo, 8

Nov. 83. *pr. et d. Auth.* V. Causae scholarium, *l. ult.*
9 *C. de priv. schol.* VI. Sententia Principis, *l.* 3.
10 *C. de quaest.* Sic et partes possunt remittere
hanc solemnitatem, *Spec. lib.* 2. *tit. de sent.* §.
8. *num.* 12. *Afflict. decis.* 191. *num.* 7. *Corset.*
sing. 323. quod *Trentac. d. res.* 2. *num.* 5. *et* 6.
male ad modicas causas restringit, nam commodum reipubl. hic non vertitur, si partes
malint, ut sine scriptura feratur sententia. Lata
11 autem sententia a judice, mutari et corrigi non
potest, *l.* 2. *h. t.* nisi a Principe, *l.* 1. *in fin.*
12 *infr. d. quaest.* Requirunt etiam, ut sedente
judice fiat, *arg. l.* 6. *C. de postulando, Nov.* 82.
cap. 3. partim ob auctoritatem magistratus,
partim ut innuatur, quod sedente, et re accurate perpensa judicandum, *Menoch. lib.* 1.
A. Q. 61. *Trentac. d. l. num.* 7. *Hillig. d. l.*
Colligitur etiam ex *hac lege* 2. *et* 3. Id quod 13
ex schedula legitur, videri propositum in scriptis, et ideo ubi statuto prohibitum, ne partes
per scripturas disputent, ut in *Saxoniae Electoratu*, ibi etiam prohibitum, ne ex scripto
recitentur Recessus, *Carpzovius p.* 1. *c.* 1. *def.* 2.
num. 3. Colligit etiam *Bart. majores* judices 14
illiteratos posse per alios recitare sententiam,
et posse delegari etiam illiteratis, in quibus in- 15
terdum experientia et usus ac discretio naturalis defectum literarum supplet, praesertim si
defectum hunc delegans Superior noverit, *Cephal. cons.* 304. *num.* 160. *et seqq.*

TITULUS XLV.

De sententiis et interlocutionibus omnium judicum.

L. Non videtur. 1.

SUMMARIA

Sententia de lite per procuratorem meum peracta contra me lata ipso jure nulla est. num. 1.
An judex vel ejus successor eam retractare possit? 2.
Contra quem executio sententiae fiat? 3.
Jure Canon. quid obtineat? 4.
Forum Camerae. 5.

1 Quando lis per procuratorem meum peracta
est, et sententia fertur in me, et ego condemnor, tunc sententia ipso jure nulla est,
ratio 1. quia procurator meus in judicio quasi
contraxit, non ego: 2. Sententia debet esse conformis libello: 3. Procurator contestando litem
2 dominus litis factus est, ideoque sententia retra-
3 ctari potest. Sed executio sententiae fieri debet
contra principalem, *l.* 4. *pr. ff. de re jud.* quamvis
quaedam sententia contra procuratorem ferri
non possit, sed contra principalem, ut in ma-
4 trimonialibus, et criminalibus, sed jure Canonico haec subtilitas non observatur, sed sententia omnis in principalem ferri potest, *Camill. Borell. lib.* 2. *decis. tit.* 30. *num.* 396.
Guido Papae decis. 431. *Card. Tuschus con-*
5 *cl.* 136. *n.* 27. *et seq. lit. S.* ut nec in Camera,
excepta causa injuriarum, ob metum infamiae,
Gail. lib. 1. *obs.* 111. *n.* 2. *Mynsing. cap.* 6. *obs.*
11. nam si injuriarum actione conventus per
procuratorem etiam in Camera litigat, poterit
sententia in procuratorem ferri, ut reus principalis evitet infamiam, *Gail. lib.* 2. *obs.* 102.
num. 7. ubi id restringit ad infamiam juris. Sed
infirma et dubia mihi videtur haec cautela; melior est, si fama expresse reservetur.

L. Si arbiter. 2.

SUMMARIA

Servus judex esse prohibetur. num. 1.
Quid si servus publice pro libero habeatur, et ut judex sententiam ferat, postea vero in servitutem vindicetur? 2.
An instrumenta ab eo confecta, qui se pro Notario gessit, cum tamen non esset, sint valida? 3.

Servus judex esse prohibetur, *l.* 12. §. 2. *ff.* 1
de jud. et l. 32. §. 8. *ff. de arb.* Sed *quid si* 2
servus publice haberetur pro libero, et ut judex
sententiam ferret, postea vero in servitutem vindicaretur? Resp. sententiam valere ob utilitatem scil. eorum, qui litigarunt, et quia populus romanus etiam servo hanc potestatem decernere potuit, et procul dubio ob dotes animi fecisset, si servum scivisset, *l. Barbarius* 3.
ff. de offic. Praet. Et ex *hac leg.* 2. *et d. l. Barbarius* decidi solet quaestio: *An instrumenta* 3
ab eo confecta, qui se pro Notario gessit, cum
non esset, sint valida? Quod ex his legibus
nonnulli affirmant, sed cum etiam haec ratio
in *d. l. Barbarius* addatur, quod potuerit populus servo decernere hanc potestatem, et cum
Notarius ille putativus falsum committere videatur, *l. eo* 5. §. *fin. ff. de crim. falsi*, et solus
Princeps notariatum conferat, non vero usus
populi, ideoque sententia negans videtur tutior,
Pacianus de probat. lib. 2. *cap.* 21. *Farinac. q.*
155. *part.* 5. *per totam*, *Tiraq. de ll. connub.*
q. 8. *num.* 154.

L. Praeses provinciae. 3.

SUMMARIA

Sententia definitiva condemnationem vel absolutionem continere debet, vel formalibus verbis, vel aequipollentibus. num. 1.
Interdum fieri potest, ut quis in uno puncto condemnetur, in alio absolvatur. 2.

Sententia definitiva debet continere damnatio- 1
nem vel absolutionem, *l.* 1. *ff. de re jud. et l.*
27. *ff. famil. hercisc.* quia natura dirimi lis aliter nequit, sed nihil refert, quibus verbis condemnatio fiat, *l.* 59. *pr. ff. de re jud.* ideoque

regula ex hoc textu colligitur: Quod sententia definitiva condemnationem vel absolutionem continere debeat vel formalibus verbis, vel aequipollentibus, *Vantius tit. ex defectu process. num.* 92. *Ummius ad process. d.* 19. *num.* 43. *Matthesil. ad hanc leg.* 3. *Donell. et ibi Hillig.*
2 *lib.* 26. *c.* 3. *lit. L.* Sic interdum fieri potest, ut quis in uno puncto condemnetur, in alio absolvatur.

L. Prolatam. 4.

SUMMARIA

Sententia, causa mature deliberata et cognita, ferri debet. num. 1.
Sententia, non observato ordine judiciario lata, ipso jure nulla est. 2.
Quatenus haec regula procedat? 3.

1 Sententia debet ferri causa mature deliberata
2 et cognita, *l.* 2. *tit. praeced.* Ideoque si non observato ordine judiciario judex ferat sententiam, haec ipso jure nulla est, v. g. Si nullo oblato libello, vel nulla contestatione litis praecedente, vel antequam altera pars suam inten-
3 tionem probaret, causam definiat. Quod intelligendum de iis, quae sunt de substantia processus. Est enim aliquis ordo judiciarius non substantialis, quo omisso sustineri potest judicium, *Petr. Gregor. lib.* 48. *tit.* 1. *num.* 3. *Donell. et ibi Hillig. lit. A. lib.* 23. c. 1. et hoc variis exemplis declarat *Matthesilanus ad hanc legem, et caeteri.* Et ideo quoties pars dicit, judiciarium ordinem fuisse neglectum, solent allegare *h. l. prolatam* 4. Exempla passim sunt obvia in *tractatu Vantii de nullitatibus tit.* de *nullit. ex defectu process.* Praesertim exempla et huc referenda, in quibus ille actus, qui de jure postponitur, a judice praeponitur, v. g. probationem injungere ante litem contestatam in principali negotio, antequam reus cum sua defensione audiatur ad sententiam properare, et simili.

L. Cum eorum. 5.

SUMMARIA

Casus legis. num. 1.
Ratio pronunciandi, si probaverit, *de consuetudine adhuc observatur.* 2.

1 Titius debet Fisco 10. pro eo fidejussit Cajus, hunc convenit Fiscus, Cajus excipit, oportere sibi tradi bona Titii, ut principaliter obligati, juxta *l.* 45. §. 9. *ff. de jure Fisc.* Procurator Fisci pronunciat, bona Titii ea lege et conditione Cajo esse tradenda, ut hic Fisco satisfaciat, Quaeritur: *an haec valeat sententia?* Videtur quod non, quia est conditionalis, et ita incerta, cum tamen sententiam esse oporteat certam, §. *curare* 32. *Inst. de act. et l.* 59. *ff. de re judic.* Sed affir. Quia haec non est conditio, sed modus seu causa finalis, nec omnem conditionem respicit sententia, sed illam, quae non potest in continenti impleri, sed sententiam illam post se requirit, ut si probaverit. Vid. quae notantur ad *l.* 1. §. *biduum* 5. *ff. quando appellandum.* Vid. etiam tradita a me ad processum civilem, c. 27. *num.* 34. *et seqq.* Sane haec ratio pronunciandi, *si proba-* 2
verit, de consuetudine ita observatur. Conf. *Fachin. l.* 11. *cap.* 16. *et seqq.*

L. Cum sententiam. 6.

SUMMARIA

Quonam in loco sententia feratur? num. 1.
An et quatenus etiam sententia in privato loco ab ordinario judice dici possit? 2.

Sententia fieri debet loco ordinario et consue- 1
to seu publico, non privato. Ratio *in l. pen. in fin. ff. de justit. et jure, c. Episcop. causa.* 15. *quaest.* 7. *d. l.* 59. *ff. de re judic.* quod de ordinariis judicibus et delegatis iis intelligendum, quibus universitas causarum commissa. Interdum ta- 2
men et ordinarius potest privato in loco sententiam dicere, quum de plano procedit, *l.* 18. §. *ult. ff. de quaest. l.* 83. §. 8. *ff. de bon. possess.* vel quum magistratus ob vim hostium ordinario loco jus dicere nequit, *arg. Clement. unic.* vers. *eisdem etiam de foro competenti*, vel si consensus partium accedat. Vid. *Borellus tom.* 2. *decis. tit.* 30. *num.* 76. *Marant. d. t. num.* 72. *et seqq. Carpan. lib.* 1. *stat. Midiolan. c.* 31. et quos recenset *Hillig. lib.* 28. *cap.* 3. *lit. O.*

L. Ex stipulatione. 7.

SUMMARIA

Tenor legis. num. 1.
Pax et transactio suaderi a judice potest, non juberi, nisi metus scandali accedat. 2.

Si judex actori suadeat, ut transigat cum reo 1
ex stipulatione illi obligato, haec verba nullam habent vim sententiae, *l.* 7. *h. t.* ob rationem in *d. l.* et quando concordiam ceu bonum persuasibile commendat judex, non aliquid definit, nec omnis vox judicis vim sententiae habet, sed quae continet condemnationem vel absolutionem. Collige pacem et transactionem 2
sauderi a judice posse, non juberi, nisi scilicet metus scandali accedat, ubi partes ad concordiam compelli possunt, *Menoch. lib.* 2. *A. Q. cas.* 442. *num.* 8. *Parthen. litigiosus lib.* 2. *cap.* 4. *num.* 22.

L. Libera. 8.

SUMMARIA

Facti species. num. 1.
Objectio resolvitur. 2.
Datio in solutum pro quantitate et pecunia, emptio videtur, et agitur de evictione. 3.
Excipitur dos. 4.
Si pro specie aliquid in solutum datur, remanet pristina actio. 5.

Licet venditor non sit citatus ad sententiam, haec tamen ipsi praejudicat, si pendente lite lis ei denunciata fuerit. 6.

1 Vendidisti mihi Theodoram, vel, cum deberes jumentum, illam in solutum dedisti, sed haec postea in libertatem asseritur, et fertur pro ea sententia, quae transiit in rem judicatam. Resp. intra decendium potuisse me appellare, quae mihi datur actio? Sed si denunciaverim (ut quilibet tenetur, qui vult alium ad evictionem habere sibi obligatum, *l.* 53. §. 1. *ff. de evict. etc.*) habeo actionem ex empto in priori casu, quando mihi vendidisti, vel actionem pristinam ad jumentum in secundo casu, quia nihil videtur solutum, ergo reliqua est pristina actio, non vero actio empti, quia Theodora est extra commercium. Ergo pristina actio integra manet, *Bacchov. de pign. lib.* 3.
2 *cap. ult. num.* 9. Nec obstat *l.* 24. *princ. ff. de pign. action. et l.* 4. *ff. de evict.* ubi dicitur, dari actionem utilem ex empto, quia ibi in solutum data species pro pecunia, hic pro specie.
3 Colligunt ex *hac lege:* Dationem in solutum pro quantitate et pecunia videri emptionem, et agi
4 de evictione. Excipitur tamen dos, per *l. qui res* 98. *ff. de solut. et ibi Br. Paulus Castr. Boer. dec.* 337. *num.* 2. *Petr. Barbos. in l. aestimatis* 51. *num.* 20. *ff. solut. matr. Baldus Novell. de*
5 *dote p.* 8. *privil.* 19. Sed si pro specie aliquid detur in solutum, remanet pristina actio, *Bald. hic num.* 1. *et* 2. *Matthesil. hic num.* 3. *Salyc. hic num.* 1. *et* 2. Colligit etiam, *Castr. ex hac*
6 *lege:* Licet venditor non sit citatus ad sententiam, hanc tamen ipsi praejudicare, si pendente lite lis ei fuerit denunciata, quia debuit venire et emptorem defendere. Demum colligit *Castr. ex Gloss.* quando tempore dationis conventum, actionem pristinam non esse tollendam, nisi res perfecte efficeretur recipientis, quod tunc supersit actio pristina.

L. Post sententiam. 9.

SUMMARIA

An sententia definitiva a judice possit mutari et corrigi? num. 1.
Quae rationes dubitandi? 2.
Interdum etiam interlocutoria causam perimit, et sic mutari et rescindi non potest. 3.
Sententia contra sententiam, quae in rem judicatam abiit, lata, ipso jure nulla est. 4.
Sententia in possessorio definitiva dicitur, et cur? 5.
Interlocutoria licet non terminet causam, dantur tamen casus, in quibus causa vel instantia per consequentiam determinetur. 6.
Casus ejusmodi. 7.

1 Quaeritur: *An sententia quae finibus certis concluditur,* id est quae definitiva est, et vel condemnationem vel absolutionem continet, juxta *l.* 3. *mutari et corrigi a judice vel Preside possit?* et recte Negatur, *hic et in l.* 14. *et* 55. *ff. de re jud. et toto tit. C. sententiam rescindi non posse.* Tum quod sententia lata, judex esse desinat, *d. l.* 55. tum quod publice intersit, sententiam non rescindi propter rerum judicatarum auctoritatem, *l.* 65. §. 2. *ff. ad SC. Trebell.* Sed duae hic proponuntur rationes du- 2
bitandi: *Prima* est, atqui judex, qui pro me in possessorio judicavit, in petitorio contra me judicare potest? Sed resp. non est correctio prioris sententiae, sed est nova causa, nihil enim possessorium cum petitorio commune habet: *Secunda ratio dubitandi,* atqui interlocu- 3
toriae sententiae mutari possunt? Resp. id propterea fieri, quia non perimunt causam, nec judex desinit esse judex. Et voce, *plerumque,* inferunt, interdum etiam interlocutoriam perimere causam, et sic mutari et rescindi non posse, quando scilicet ex decisione puncti decisio totius causae pendet, v. g. si pronunciat, testes productos esse idoneos, vel quando ab observantia judicii aliquem absolvit. Collige ex *hac lege:* I. Sententiam contra sententiam, quae in rem 4
judicatam transiit, esse ipso jure nullam. Vide notata infra in *tit. quando provocare non est necesse.* II. Sententiam in possessorio dici defi- 5
nitivam, eo quod negotium possessionis definiat, *Matthesil. hic num.* 4. III. Licet interlocutoria 6
causam non terminet vel definiat, dari tamen casus, in quibus determinetur per consequentiam causa vel instantia, v. g. si judex se in- 7
competentem dixit, si ineptum libellum pronunciavit. Caeterum casus, quibus interlocutoria revocari non possit, videantur apud *DD. hic et Ummium ad processum d.* 5. *th.* 3. *num.* 21. *et Mollerum lib.* 4. *semest. c.* 1. *Hilligerum in Donell. lib.* 27. *c.* 1. *lit. E.*

L. Nulli. 10.

SUMMARIA

Nec jurisdictionem, nec merum imperium habentes relegare nequeunt. num. 1.
An Consules? 2.
An minores Magistratus et judices pedanei? 3.

Qui non habent jurisdictionem, imo qui non 1
habent merum imperium, nec relegare possunt. Nam Princeps, Praefectus, Praeses, Senatus relegare possunt, non item Consules, *l.* 14. §. 2. *ff.* 2
de interdict. Ergo multo minus minores magi- 3
stratus vel judices pedanei, praesertim, cum merum imperium delegari non possit, *l.* 1. *ff. de offic. ejus, cui mandata est jurisdictio.*

L. Cum judex. 11.

SUMMARIA

Sensus legis. num. 1.
Sententia judicis jurare me sine ratione jubentis inepta est. 2.
Sub hac conditione sententia ferri potest, si juraverit. 3.
An conditio haec sententiae addi solita, si probaverit, *sit fundata in jure?* 4.

Dixit judex, me debere jurare, Titium mihi 1
debere centum, sententia haec est inepta, quia 2
nihil additur, quid tunc fieri debeat, si jura-

vero, an tunc condemnandus sit Titius vel non? Sed quia in *lex* 3. 11. *et* 12. *supra de rebus creditis* dicitur, judicem juramentum decernere posse ideoque *illae leges* de interlocutoria sententia intelligendae. v. g. si super hoc articulo, an debeam jurare, controversia sit: haec vero *lex* 11. de sententia definitiva. Collige
3 etiam ex *hac lege* 11. Sub hac conditione sententiam ferri posse, *si juraverit*, quia haec meri facti est, nam expresse hic dicit Imper. *addendum fuisse, quid ex recusatione vel praestatione juramenti fieri oporteat;* Ergo conditionaliter pronunciare debuit. Nec aliquid incertum continet, quod judicis sententiam post se
4 expectet. Longe aliud in conditione, *si probaverit*, quod non meri facti, sed judicis sententiam post se expectat, et ideo licet in multis judiciis haec conditio usitata, *si probaverit*, in jure tamen non est fundata, quia aliam sententiam post se requirit, et est vel definitiva, vel non definitiva, nam super probatione cognosceudum, *Vantius d. tit. n.* 12. *Perez in h. t. num.* 26. *Socinus in reg.* 459. *Carpzov. part.* 1. *jurispr. constit.* 29. *defens.* 9. *et seq. et in process. tit.* 16. *artic.* 2. *Hartmann. Pistor. observ.* 119. *num.* 7. *Anton. Gabriel. tit. de sentent. concl.* 22.

L. Judices. 12.

SUMMARIUM

An sententia a judicibus etiam in alia lingua, quam quae in ea Provincia usitata est, fieri possit?

Pro-Consul Asiae, ubi Graeca lingua erat nota et familiaris, quaerit, *An etiam ibi judices in latina lingua ferre possint sententiam?* Videtur quod non, quia, ut Praetores Romae latine sua decreta promulgare debent, *l.* 48. *ff. de re judicat.* ita in provinciis in lingua provincialibus usitata. Sed respondet Imperator: nihil interesse scilicet in provinciis, qua lingua proferatur, modo lingua ea partibus cognita. Nam hic res geri non potest per interpretem, nisi necessitas jubeat. Vide *Donell. Enucl. lib.* 28. *cap.* 3. Etiam alia ratio est: quia Romanis magna cura erat linguae latinae propagandae.

L. Nemo judex. 13.

SUMMARIA

Judex non secundum aliorum in simili casu praecedentem responsionem, sed secundum leges judicare debet. num. 1.
Ampliatur. 2.
Non exemplis, sed legibus judicandum. 3.
Limitatur. 4.

1 Judex judicaturus non debet attendere, quid ante se alii responderint in simili casu, imo
2 ne quidem quid Princeps ad consultationem alicui responderit, quia potuit esse subreptum Principi, sed secundum leges pronunciabit,
3 *non enim exemplis, sed legibus judicandum, h. l. et l.* 1. *de vet. jur. leg.* 12. *ff. de offic. Praesidis, Menoch. cons.* 996. *num.* 27. *Surd. cons.* 34. *num.* 21. tum quia potest in simili causa alius alio in deferendo, agendo, probando esse instructior, et ut omnia paria sint, potest nancisci aequiorem et religiosiorem judicem, *Dn. Ziegler. ad Lancell. l.* 3. *tit.* 15. §. 10. nisi tot 4
essent res judicatae, ex quibus consuetudo colligi possit, nam et haec juris species est; vel nisi jus esset dubium, quod exemplis declarari posset, nam exempla tantum declarant jus dubium, *Klock. vol.* 2. *cons.* 41. *num.* 207. *et seq. A. Barb. lib.* 5. *c.* 28. *axiom.* 9.

L. Cum Papinianus. 14.

SUMMARIA

Quomodo communiter hanc legem soleant interpretari, et quidem optime? num. 1.
Facti species juxta hanc interpretationem. 2.
Actor in reconventione cogitur excipere actiones ibi, ubi alias judicium pati non cogeretur. 3.
Objectio tacita removetur. 4.
Duo principales reconventionis effectus. 5. 7.
Quatenus proroget reconventio jurisdictionem judicis? 6.
In reconventione licet actor probaverit, non tamen prius est judicandum, quam de reconventione rei et ejus jure constiterit. 8.
Quid si actor nihil probaverit? 9.
Quando cesset alter effectus reconventionis? 10.
An ante litem contestatam opponi debeat reconventio? 11.
Quid si post litem contestatam opponatur? 12.
Quando prior causa celerem expeditionem requirit, et cum animae periculo conjuncta, locum non habet reconventio. 13.

Communiter hanc legem de reconventione 1
intelligunt. Sed *Baccov. ad lib.* 2. *Pandect. tit. de jurisdictione prorogata num.* 15. ita intelligit hanc legem, ut si etiam citra reconventionem reus objiciat aliquid, possit judex actorem condemnare. Sed hoc ita intelligo, si reus hoc petat. Haec igitur rei petitio instar reconventionis est; ergo retenta communi interpretatione formo hanc speciem facti. Convenit me perso- 2
na Ecclesiastica ob debitum, vel actione reali coram laico judice. Ego ipsum reconvenio ex causa civili coram ipso eodem judice. Quaeritur, *An possim?* Et Resp. quod sic, quia actor 3
cogitur excipere ibi actiones, ubi alias judicium pati non cogeretur, *l.* 22. *ff. de judic.* et quamvis ille non peccaverit me conveniendo coram 4
meo judice, et nemo suam conditionem reddat agendo deteriorem, *leg.* 87. *ff. de R. J.* hic tamen aequitas compensationis attenditur, *l.* 6. *C. de compens.* et abbreviatio litium et alia ratio in fine legis: *cujus enim in agendo actor observat arbitrium, eum habere et contra se judicem in eodem negotio non dedignetur*, ubi verba, *in eodem negotio*, negotium facessunt, nam nonnulli colligunt ex his verbis, reconventionem jure Codicis ante Novellas non fuisse concessam, nisi in negotio connexo. Sed nihil impedit, quo minus per negotium hic ipsum processum judiciarium intelligamus. Conferatur tamen *Dn. Ziegler. ad Lancell. lib.* 3. *tit.* 9. §. 1. in verbis *in eodem negotio*. Et ita haec 5
reconventio duos habet principales effectus:
I. Quod proroget jurisdictionem, ut scilicet is 6
judex sit actoris reconventi qui alias ejus judex esse non potest, ut in nostro casu lai-

eus judicat de causa Ecclesiasticae personae, *Gisebert. in tract. de reconvent. c. 11. Pet. Barb. in l. 29. ff. de judic. num.* 82. modo judicis jurisdictio ratione causae vel rei, quae reconventione continetur, fundata sit, *Zanger. de except. part. 2. c. 1. num.* 133. et ita jurisdictio judicis prorogari possit. Secus si causae jurisdictionem judicis respuerent, ut si vellem Clericum convenire coram laico in causa Ecclesiastica seu matrimoniali, *Zanger. de except. d. l.* item; si vellem actorem personam Ecclesiasticam reconvenire coram judice causarum civilium ob crimen aliquod, per *cap. unic. de Clericis conjug. lib. 6. Petr. Barb. d. l. num.* 87. item; si causa est feudalis, reconventio locorum non sortiretur, *Marant. p. 4. dist. 6. num.* 33.
7 *Petr. Barbos. d. l. num. 79. et seqq.* II. Effectus est, quod tam causa conventionis quam reconventionis uno processu ventilanda et de utraque simul una sententia judicandum, *Ord. Cam. p. 3. tit. 30. Carpz. p. 1. constit. 7.*
8 *def. 1.* Et licet actor suum jus probaverit, non tamen prius judicandum, quam de reconventione rei et ejus jure constiterit, *l. 1. §. ult. ff. quae sententiae sine appellatione etc.* et hic effectus vocatur processus simulta-
9 neus. Et si actor nihil probaverit, tamen de mutua petitione judicandum, si mutua petitio tempore litis contestatae, aut non multo post illata, non si prope impleta petitione actoris morae injiciendae causa proponatur, *l. ult. C. de compensat. Vide Donell. et ibi Hillig. l. 17. c. 18. Sicard. ad Auth. et consequenter h. t. num. 5. et 6.* ubi reconventio non potest habere effectum simultanei processus, sed tantum effectum prorogativum jurisdictionis, *Trentac. part. 2. tit. de mut. petit. resol. 1. num. 4.*
10 sed cessat hic effectus simultanei processus, si causa conventionis sit ordinaria, sed causa reconventionis sit summaria; nam hoc casu prorogationis effectus locum habet, sed non simultaneus processus, nisi reconveniens renunciet privilegio causae et consentiat, ut etiam reconventio ordinario in processu tractetur: qua de re *Petr. Barb. in l. 29. ff. de judic. num. 34. et seqq. Mantica ad c. 1. num. 25. X. de mutuis petit. Ummius d. d. 10. num. 18. Mind. de process. lib. 3. cap. 7. num. 7. Schwartzenthaler de process. lib. 1. titulo de reconv.*
11 *c. 4. num. 2.* Sed quaeritur: *An ante litem contestatam opponi debeat reconventio?* et affirm. hoc, si quoad utrumque effectum debeat
12 habere locum, si vero post litem contestatam opponatur habet quidem effectum hunc, quod proroget jurisdictionem, sed non simultaneum processum, *Petrus Barbosa ad d. l. 29. num. 20. et seqq. Zanger. de except. p. 2. cap. 1. num. 383. Hillig. in Donell. lib. 17. c. 18. lit. T. Carpzov. d. c. 1. def. 2. Berlich. p. 1. concl. 22. num. 52.*
13 Quando etiam prior causa celerem expeditionem requirit, et cum animae periculo conjuncta, locum non habet reconventio, *Menoch. lib. 2. A. Q. casu 181. Ummius n. 11. et 21. Molin. q. 441. Card. Tusch. concl. 61. num. 15. lit. R.*

Auth. Et consequenter.

SUMMARIA

An conventus in reconventione propter suspicionem judicis convenientem coram alio judice reconvenire possit? num. 1.
An etiam ordinarius judex recusari queat? 2.

Convenior a te in causa civili, ego volo te 1
reconvenire, sed coram alio judice, quia judicem tuum suspectum esse puto: Respond. Non posse me coram alio judice actorem convenire, nisi lite finita, quia utilius est coram uno litigare et actori et reo. Ergo reus vel apud eumdem judicem mox eum reconvenire, vel litis sibi illatae terminum expectare cogitur, *Dn. Zieglerus ad Lancell. l. 3. tit. 9. §. 1. in verb. compellendus erit.* Sed si judex mihi sit suspectus, posse me causas suspicionis intra viginti dies a transmissione libelli computandos proponere, et his probatis coram alio surrogato utramque litem ventilare, *hic et Novell. 96. c. 2.* Conf. *Nov. 53. et Auth. offeratur C. de litis contestat. Petr. Wesenb. cons. 50. num. 19. et seqq. Don. et ibi Hillig. lit. B. l. 7. c. 19.* Disputant hic *DD. An etiam ordinarius judex* 2
recusari possit? Quod videtur ex *hac Authentica* colligi posse, cum in originali textu *d. Nov. 96. c. 2.* agatur *in princ.* de gloriosissimo judice, sed argumentum id adeo firmum non est, et ea de re actum supra ad *l. apertissimi 16. de judic.*

L. Cum solitum est. ult.

SUMMARIA

Quibusnam conditionibus Superior det judicem delegatum? num. 1.
Non ante sententiam delegati, sed ab ista demum appellatur. 2.
An et quatenus reus delegatum judicem, ut suspectum recusare possit? 3.
Obscura nimis haec lex est. 4.

Superior delegatum dat judicem hac condi- 1
tione, ut non liceat partibus ante sententiam definitivam appellare, nec recusare judicem. Prius illud, quod ante sententiam non liceat appellare, est juris communis, nam a senten- 2
tia demum appellatur. Sed circa posterius quaeritur; Volebat reus recusare judicem suspectum 3
ante litem contestatam, quod jure communi licet, *l. apertissimi 16. supr. de judic. An possit?* Videtur quod non, nam illa verba, *ante sententiam*, ad posterius membrum recusationis etiam referenda esse videntur. Copula enim arguit paritatem extremorum, et sequentia juxta naturam praecedentium intelligenda, *l. 41. §. 4. ff. de vulg. et pupill. subst. l. 28. §. 1. ff. de haered. inst.* Sed affirmatur, quia ut prius juri communi conforme, ita et posterius jam non esset juri communi conforme, nisi ante litem contestatam recusare suspectum liceret, et si verba illa, *ante sententiam*, ad posterius referenda essent, sequeretur absurdum, post sententiam judicem recusari posse. Suadet igitur Imperator, ut cautius et distincte magis verba ponantur; sed obscurior *haec lex* est, 4
et vix ex ea aliquid probari potest.

TITULUS XLVI.

De sententia quae sine certa quantitate profertur.

SUMMARIA

Sententia, qua sine certa quantitate quid restitui jubetur, nulla est. num. 1.
Idem, si quid restitui jubetur, quodnam autem illud sit, non exprimitur. 2.
An in universalibus v. g. in dote, sententia incerta admittatur? 3.
Limitatur. 4. 5. 6. *et seqq.*
An sententia haec, Solve quod debes, *valeat?* 7.
Harprechtus *notatur.* 8.
Quid si sententia de sorte ex futuris simul usuris a tempore morae computandis lata, an valeat? 9.
Jus de futuro ad officium judicis non pertinet. 10.
Nisi illud dependentiam habeat a praesenti. 11.
Quid si fidejusserim Fisco pro ejus debitore, et procurator Fisci ad petitionem advocati pronunciet, me indemnitatem praestare debere Fisco, an valeat haec, ut incerta sententia? 12.
In universalibus judiciis v. g. petitione haereditatis etc. ut libellus, ita etiam sententia universalis admittitur. 13.
Melius est, si hoc quoque casu res singulae exprimuntur, et cur? 14.

1 Quando sine certa quantitate quid restitui jubetur, v. g. omne debitum solvendum cum usuris, nulla est sententia, *l. pen. h. tit.* vel si
2 quid restitui jubetur, quodnam autem illud sit, non exprimitur, v. g. bona quae accepisti, solve vel restitue, *l. ult. h. t.* Ratio *in* §. *curare* 32. *Inst. de actionib.* sed videbatur dicen-
3 dum in specie *legis finalis*, in universalib. v. g. in dote admitti sententiam incertam; verum hic non tantum incertum erat, quantum dotis datum sit, sed etiam quid. Et an etiam aliquid titulo dotis datum, ideo merito talis sententia inutilis reputatur, *P. Barbos. p. 3. rubr. ff. solut. matr. num.* 11. *et Vind. Salviolus in rep. d. rubr. num.* 38. *Matthes. ad hanc legem et*
4 *Bart. et idem rubr. ff. solut. matr.* nisi quantitas intelligi possit ex actis, *d. l. pen. l.* 5. §.
5 *ult. l.* 39. *ff. de re jud.* quod tunc contigit, si sententia se referat ad certam partem actorum, sive ea probationem sive assertionem tantum contineat, v. g. *(die libellierte Schuld)* vel ad locum, ad tempus etc. *Zas. ad l.* 5. §. 1. *ff. de re jud. Bacchov. ad Treutl. d. l. th.* 3. *lit. A.* vel si non quidem se referat ad certam partem 6
actorum, sed reperiantur in actis plenae probationes, alias non, quia jus vetat ex assertione partis jus ferri, *P. Barb. p.* 3. *d. rubr. num.* 47. *et Hillig. in Donell. lib.* 27. *c.* 6. *lit. M.* Et ideo nonnulli etiam hanc sententiam valere vo- 7
lunt, *Solve quod debes,* si tacite ad acta se referat, per *d. l.* §. 1. *et l.* 59. §. 1. *ff. de re jud. Zas. ib. num.* 6. *Bacchov. ad Treutl. d.* 23. *th.* 3. *lit. A.* licet diss. *Harpr.* §. *curare Inst. de act num.* 9. 8
Vel ex jure ipso ac legib. v. g. condemno te, 9
ut Titio solvas 100. cum usuris futuris a tempore morae computandis. Hic usurarum nulla quantitas determinata. Ergo videtur sententia nulla esse, *l.* 59. §. *pen. ff. de re jud.* Sed neg. in lege prima. Nam non expressa usurarum quantitas satis intelligitur ex ipso jure, *et tit. C. de usur. rei jud.* Nota bene: Jus quidem de 10
futuro non pertinere ad officium judicis, *l.* 1. §. 2. *ff. de usur.* Nisi jus futurum dependentiam 11
habeat a praesenti, ut hic *DD.* Sed. quid si 12
fidejusserim Fisco pro ejus debitore? Advocatus Fisci petit, ut indemnitatem Fisco praestem. Procurator Fisci pronunciat, me indemnitatem praestare debere Fisco: Quaeritur: *An haec sententia ut incerta sit nulla?* Resp. *in l.* 2. quod in Fisco hoc sit speciale, ut scil. talis sententia valeat in hoc casu, quia Fisci vel reipubl. rationes sunt liquidae et certae, ex quibus ratio indemnitatis facile explicari potest. Secus in causis privatorum, ubi res adeo liqui- 13
da esse nequit, in universalibus etiam judiciis, v. g. petitione haereditatis, querela inofficiosi testamenti, bonorum possessione et interdicto *quorum bonorum*, admittitur, ut libellus, ita etiam sententia universalis, per *l.* 7. *in fin. ff. si pars haereditat. petat.* licet melius sit, si a- 14
ctor in his judiciis universalibus etiam res singulas exprimat, ut super singulis illis rebus certior sententia ferri possit, et ne alias super executione, si de rebus haereditariis, an hae vel illae tales sint, controversia moveatur, idque non sine maxima actoris molestia, temporis sumptuumque jactura, *Gail. lib.* 1. *obs.* 168. *num.* 2. *et seqq.*

TITULUS XLVII.

De sententiis, quae pro eo, quod interest, proferuntur.

L. Cum pro eo. unic.

SUMMARIA

Quomodo sententia super interesse sit ferenda? num. 1.
Quomodo interesse illud possit aestimari? 2.
Interesse quid sit? 3.
Disting. hoc loco inter casus certos et incertos. 4.
Quomodo in utroque aestimatio interesse sit facienda? 5. 7.
Exemplis declaratur. 6. 8.
Judex h. l. *machinationes, i. e. iniquas actoris aestimationes sequi non debet.* 9.
An in delictis hujus legis *dispositio locum habeat?* 10.
Si ob dolum damnum datum et latam culpam quid contingit, etiam ultra duplum, damnum praestatur. 11.
An interesse plurium annorum ita sit constringendum, ut ultra alterum tantum non possit extendi? 12.
An in poenis conventionalibus eadem Justiniani *Constitutio locum habeat?* 13.
Deciditur per distinctionem. 14.
In incertis casibus interesse ita stipulari convenit, quatenus ab initio verosimiliter interfuturum speratur. 15.
An stipulatio poenae ultra duplum concedatur? 16.
In probatione interesse non damni tantum, quod quis passus est, sed etiam lucri habenda est ratio. 17.
An commune interesse hic intelligatur? 18.

1 Incerta sententia non valet, per *tit. praeced.* sed *quid si super interesse sententia sit ferenda?* Resp. In certam tamen quantitatem sententiam esse ferendam, *l.* 3. *in fin. infr. de inutil. stipul.*
2 sed cum difficile sit, illud interesse aestimare, cum in facto et varietate circumstantiarum constitat, *l. ult. ff. de praetor. stipul.* Ideoque hic Imper. post veterum lites constituit, quomodo judex interesse ad certam quantitatem redigere
3 possit. Est autem interesse nihil aliud, quam utilitas justa, quae nobis abest, quam habere potuissemus, si damnum datum non esset, aut
4 lucrum non esset interceptum; distinguit tamen Imper. inter casus certos et incertos: Casus certi sunt, in quibus de certa quantitate agitur vel certa natura, i. e. specie, v. g. hic
5 servus, hic ager, atque hinc aestimatio ejus, quod interest, facienda est ita, ut non excedat duplum quantitatis, vel duplum pretii rei, v.
6 g. res mihi vendita est a te 10. flor. quae hodie digna est 25. flor. numeravi jamdudum pretium, sed rem nondum accepi, jam ergo ago ad interesse. Hoc interesse ita moderandum est, ut mihi restituere pretium cogaris, et praeterea alterum tantum, i. e. adhuc alios 10. flor. et ita conjunctim 20. flor. non plus, sed tantum duplum pretii conventi, *Fachin. lib.* 1. *cont.* 48. Ratio Imperatorem haec movit; quia aequius, culpa poenam mitiorem esse, quam majorem, atque asperiorem; in casibus autem 7
incertis, qui certam aut finitam quantitatem non habent, ad finem dupli non taxavit *Justinianus* interesse, sed arbitrio judicis permisit, ut ille aestimaret, quantum in rei veritate interesset actoris. Incertum enim et infinitum certa regula comprehendi nequit, v. g. cum 8
agitur de facto, aut de possessione, quae certo aestimari nequit, aut ex delicto, aut ex contractu, qui potissimum in faciendo consistit, ut societatis, mandati, tutelae, neg. gestorum a partibus non aestimato, nam in venditione et locatione factum traditionis certo pretio aestimatum, *Donell. lib.* 26. *c.* 17. *Dn. Tabor de altero tanto p.* 3. *art.* 13. §. 10. Monet tamen 9
Imper. judicem non debere sequi machinationes, i. e. iniquas aestimationes actoris, v. g. si tu mihi promisisses, te aedificaturum aedes, si ego dixero, me potuisse donare illas aedes Principi, ut amoeno loco sitas, et potuisse a Principe triplo plus recipere. Talis machinatio et taxatio ejus, quod interest, admittenda non est. Et haec, quae de damno emergente in casibus certis et incertis dicta, etiam in lucro cessante locum habent. Vid. circa hanc materiam *Cujac. hic in* ϖ. *et Donell. lib.* 26. *C.* 13. *et seqq. Et Trentac. lib.* 1. *tit. de interesse res.* 1. in delictis dispositionem legis hujus locum non habere vult *Fachin. lib.* 1. *contr.* 49. *Zasius hic.* 10
Si etiam ob dolum, damnum vel culpam latam contigerit, v. g. si morbosum pecus sciens vendiderit, etiam ultra duplum damnum praestatur, *l.* 13. *pr. ff. de act. empti, Perez ad hunc tit. n.* 11. *Dn. Tabor de altero tanto p.* 3. *art.* 13. *num.* 13. Hic quaeritur I. Cum nonnul- 11 12
li voluerint *hanc legem* ad unius anni interesse restringere, *annon interesse plurium annorum ita constringendum, ut ultra alterum tantum non possit extendi?* Et quidem hoc negant *Berlich. Zangerus,* quos refert *Carpzov. lib.* 4. *resp.* 50. *num.* 8. et quo forte collimat sententia informatoria praedecessorum nostrae facult. allegata a *Dn. Richter. p.* 2. *dec.* 74. *num.* 4. Sed cum interesse non soleat dijudicari juxta annos, ut usurae, *et l.* 2. §. 8. *ff. de eo, qui certo loco etc.* possit de pecunia trajectitia intelligi propter *vers. praeced.* nec absurdum sit dicere, *legi* 2. §. 8. *d. t.* ex qua litem inter veteres fuisse colligi potest, fuisse derogatum, et verba hujus legis aequissimae satis fundant sententiam communem; huic ut justissimae, aequissimae et charitati christianae accomodatae merito assurgimus cum *Doctorib.* illis, quos citat *Dn. Tab. d. tr. p.* 2. *art.* 5. §. 8. quam sententiam pluribus rationibus solidis probat idem *Auctor* accuratissimus *d. tr. P. Ant.* 13. §. 6.

13 *et seqq.* sed quaeritur etiam: *An in poenis conventionalibus eadem constitutio* Justiniani *locum*
14 *habet ?* Et placet distinctio *Romani* , quam probat *Menoch. lib.* 2. *de A. Q. cas.* 260. *num.* 18. aut poena loco interesse adjicitur contractui habenti certitudinem quantitatis, et tunc duplum excedere nequit; aut adjicitur contractui continenti quid incertum, et tunc non potest
15 excedere verum interesse; Nam in incertis casibus interesse ita stipulari convenit, quatenus ab initio verosimiliter interfuturum spere-
16 tur, *Zasius h. t. q.* 3. Et licet concedatur, valere quidem stipulationem poenae ultra duplum, *arg. l. stipulatio ista* 38. §. *alteri* 7. *ff. de verb. obl.* judicem tamen moderari debere istam poenam, nec pati, ut immoderata exigatur poena, statuit *Fachin. lib.* 1. *cap.* 50. *in fine per C. suam* 9. *X. de poenis.* Aliter *Mart. Naurat. ad hunc tit. in Zas.* 10. *lit. D.* Probari etiam solet ex *hac lege:* Non tantum damni, 17
quod quis passus est, sed etiam lucri habendam esse rationem, quando quis interesse vult probare, *Carpz. p.* 3. *c.* 30. *def.* 8. Illud autem inter omnes convenit, interesse affectionis hic 18
non considerari; sed an interesse commune hic intelligatur? Quod negat *Cagnolus in repet. hujus legis in tom. suo* 2. *num.* 58. *et seqq. et Riminald. junior. cons.* 166. *num.* 33. qui ad singulare restringunt. Sed videtur, *Dn. Tabor* de interesse etiam communi intelligere intrinseco, *d. art.* 13. §. 14. qui in praecedentibus et sequentibus paragraphis accuratissime hanc legem resolvit. Extant etiam in volumine repetitionum juris civilis aliquot repetitiones hujus nobilissimae legis, scil. *Petri de Bellapertica*, *Raynerii de Forlivio*, *Sebast. Sapiae*, *Andreae Alciati*, *Petr. Rebuffi*, et *Berengarii e Paulbacko.*

TITULUS XLVIII.

Si a non competente Judice judicatum esse dicatur.

L. Judex. 1. et L. ult.

SUMMARIA

Sententia a non competente judice lata ipso jure nulla est. num. 1.
An Judex ad certam causam delegatus super alio negotio non commisso, accedente partium consensu, pronunciare possit? 2.
An sententia judicis, qui ad certam usque quantitatem restrictam jurisdictionem habet, sed limites excedit, ad concurrentem summam valeat? 3.
Quid si tutores causam pupilli incompetenti judici submiserint? 4.

1 Sententia a non competente judice (v. g. qui respectu rei est incompetens) lata, est ipso ju-
2 re nulla, *l. fin. h. t.* Si ergo judex ad certam rem vel causam sit delegatus, et super negotio non commisso, etiam accedente partium consensu, pronunciaverit, non est valida sententia, *c.* 40. *de off. jud. deleg. Marant. p.* 4. *dist.* 5. *num.* 31. *Hillig. in Don. lib.* 17. *c.* 10. *lit. P.* nisi illa causa non commissa incidat in commissam, et ei accedat, *l.* 25. §. 8. *ff. de*
3 *aedil. edict.* Et ne quidem valebit sententia, si judex, qui ad certam usque quantitatem restrictam jurisdictionem habet, et limites excedit, ne quidem ad concurrentem summam valet sententia, quia judex in illa causa fuit incompetens, per *l.* 11. §. 1. *ff. de jurisd.* Vid. *Bacch. in Treutl. vol.* 2. *d.* 23. *th.* 3. *lit. A.*
4 Nec obesse minori, si tutores vel curatores causam pupilli submiserint judici incompetenti, et litem contestati sint; nam nihilominus nulla est sententia, *Mev. p.* 6. *dec.* 77.

L. Si militaris. 2.

SUMMARIA

Omnis sententiae fundamentum est jurisdictio, et hac deficiente, sententia quoque nulla est. num. 1.
Nisi consensus partium accedat. 2.
Privati jurisdictionem ejus, qui alias jurisdictionem habet, prorogare possunt. 3.
Quando ex errore incompetens judex aditur, aut judex, delegatus ad hanc rem datus de alia judicet sententia nulla est. 4.

Jurisdictio fundamentum est omnis senten- 1
tiae, ergo ubi deficit jurisdictio, sententia nulla est, nec opus habet appellatione, sed hoc fit dupliciter: Aut enim quis judex est ordinarius, qui habet jurisdictionem, licet in me nullam jurisdictionem, vel de hac causa jus dicere non possit, et exemplum est in *l.* 2. *h. t.* v. g. Si militiae praefectus de causis civilibus pronunciet, vel datus sit judex ab eo, qui dare non potest, *l. unic. C. qui pro sua jurisd.* et in his regula superior hanc habet limitationem, nisi consensus partium accedat; 2
Privati enim ejus, qui alias jurisdictionem ha- 3
bet, jurisdictionem prorogare possunt, *l.* 3. *supr. de jurisd.* Quando autem ex errore adi- 4
tur judex incompetens, talis sententia est nulla, *l.* 15. *ff. de jurisd.* Aut qui judex est delegatus, et si de alia re datus, de alia re judicet, sententia est nulla, v. g. si de causa locationis datus judicet de mutuo.

L. Si de proprietate. 3.

SUMMARIA

Judex datus ad certam rem. v. g. ad proprietatem decernendam in causa emptionis, si de possessione judicat, ejus sententia nulla est. num. 1.
Fines mandati diligenter sunt custodiendi. 2.
Limitatur regula num. 1. *data.* 3.
An judex datus in petitorio recte etiam pronunciet in possessorio? 4.
Sententia lata in possessorio non praejudicat in proprietate. 5.

1 In causa emptionis, *l.* 1. nulla est sententia, si datus judex de proprietate, non judicet de proprietate, sed tantum de possessione, *l.* 3. *h. t.* quia fines mandati diligenter custodiendi. Vid. 2
Hillig. in Don. lib. 17. *c.* 10. *lit. P.* Sed haec ita intelligenda sunt, nisi aliud, de quo etiam judex 3
pronunciat, accessorium sit illius, quod principaliter judici sit mandatum, v. g. fructus, *l.* 25. §. 8. *ff. de aedil. edict.* Vel si quaestio sit incidens, *l. si quaestio supr. de ord. jud.* Ratio in *l.* 2. *ff. de jurisd.* Et ita judex datus in petitorio recte 4
pronunciabit in possessorio, si quaestio de possessione incidat, ut petitorium sine hac decidi non possit. Quod fieri solet in interdicto *uti possidetis*, ubi hoc praemittendum est judicio proprietatis, ut sciatur quis petat, et a quo petatur? Alias si proprietas tantum commissa, vix poterit de possessione pronunciare. Collige etiam: Sententiam latam in possessorio, non 5
praejudicare in proprietate, *l.* 14. §. *ult. ff. de except. rei judic. Menoch. retinend. possess. remed. num.* 808.

TITULUS XLIX.

De poena judicis, qui male judicavit, vel ejus, qui judicem vel adversarium corrumpere curavit.

L. Constitit. I.

SUMMARIA

Actor corrumpens judicem vel advocatum, actionem et causam perdit, et reus debet absolvi. num. 1.
Ampliatur. 2.
An idem in reo, quod scil. ob corruptionem amittat jus defensionis? 3.
Data judici, etiam in bona causa, repeti non possunt. 4.
Secus si quis dedit, ut celerius judicaret. 5.
Alia limitatio. 6.
Moralistae illius sententia, qui judicem corruptum injuste judicantem accepta non restituere teneri, et injustitiam vendere non prohiberi statuit, merito damnatur. 7.

1 Actor, qui pecunia corrumpit judicem, vel procuratorem rei, aut ejus advocatum, perdit actionem et causam, et ideo reus debet absol-
2 vi, licet actor actionem habeat fundatam, cum videatur diffidentia causae alium contra jura
3 corrumpere, sed quaeritur, *An idem sit in reo, quod scil. ob corruptionem amittat jus defensionis?* Quod aff. *hic Bl. Cl. et Matthesil. etc.* nisi poena sit sanguinis, *l.* 1. *ff. de bonis eorum,*
4 *qui ante sententiam etc.* praeterea is, qui dedit judici etiam in bona causa, datum non repetit, *l.* 2. §. *sed si dedi ff. de cond. ob turpem causam, Menoch. lib.* 2. *A. Q. cas.* 343. *num.* 6.
5 Secus est, si dedit, ut celerius judicaret, *Covarr. in c. peccatum p.* 2. §. 3. *num.* 1. *Menoch.*
6 *d. l. num.* 5. *et* 8. Secus etiam, si indemnitatem praestet judici in justa causa, *l.* 1. *C. magistr. conveniend. Menoch. l.* 2. *A. Q. casu* 34. *num.* 2. *in fin.* Merito autem damnatur illa 7
alicujus moralistae sententia, qui putat, si judex corruptus injuste judicet, non teneri ipsum restituere accepta, quia injustitiam vendere non prohibetur, sed justitiam, quem refert *Dn. D. Ziegler. ad Lancell. lib.* 3. *tit.* 15. §. 8.

Authent. Novo jure.

SUMMARIA

Sententia per imprudentiam vel gratiam injusta, non est ipso jure nulla, sed valet, nisi appelletur. num. 1.
Secus si judex pecunia corruptus male judicavit. 2.
Ordinatio Camerae hoc in passu. 3.
Poena judicis ob pretium male judicantis quaenam? 4.
Quid si judex in causa pecuniaria corrumpi se patiatur. 5.
Promissiones et pactiones judici non conveniunt, et sordide ille gerit, qui officium, quod gratis impertiendum erat, turpi pactione vendit. 6.
Poena judicis in causa criminali. 7.
Eamdem poenam judex incurrit, si intra 10. *menses a die latae sententiae aliquid ipsi datum fuisse probetur, licet pars juraverit, se nihil dedisse vel promisisse.* 8.
Quid si pars ultro fateatur, se quid dedisse judici? 9.
Singularia quaedam hujus Authenticae. 10.

1 Quando sententia injusta per imprudentiam vel gratiam lata est, sententia non est ipso jure nulla, sed valet sententia, nisi fuerit appel-
2 latum. Sed si judex pecunia corruptus male judicavit, sententia ipso jure nulla est, *l. venales infr. quando provocare non est necesse.*
3 Et ideo etiam in Ordinatione Camerali *p.* 3. *tit.* 53. §. 5. *et* 6. distinguitur, utrum per imprudentiam male judicatum, an vero per dolum; illo jure appellationem necessariam esse, hoc
4 casu de syndicatu teneri judices. Sed poena judicis ob pretium male judicantis est, 1. ut judex incidat in poenam criminis repetundarum, *l.* 3. *C. ad l. Jul. repet.* - 2. quum sententia talis executioni data, omne damnum litis parti laesae restituere tenetur, et fit infamis, *l.* 2. *h.*
5 *t.* 3. Per *Nov.* 124. *cap.* 2. si judex in causa pecuniaria corrumpi se patiatur, triplum ejus, quod datum, aut ejus, quod promissum duplum, Comiti Rerum privatarum praestare tenetur, et dignitatem amittit. Unde colligitur:
6 promissionem et pactionem non convenire judici, cum sordide et ille gerat, qui officium, quod gratis impertiendum erat, turpi pactione vendit, *Ant. Matth. ad lib.* 48. *ff. tit.* 8. *c.* 2.
7 *num.* 7. Si in causa criminali, confiscatis bonis in exilium mittitur, *Auth. novo jur. C. h. t.* Maxime si judex fuerit pedaneus, *l.* 38. §. 10. *ff. de*
8 *poen.* Et eamdem poenam incurrit, si intra decem menses a die latae sententiae aliquid datum fuisse judici probatum fuerit, licet pars juraverit, se nihil dedisse, aut promisisse, per
9 *hanc Authent.* Sed *quid si pars ultro fateatur, se quid dedisse judici?* Resp. pars est extra poenam hoc casu, sed judex debet juramento se purgare; recusans jurare habetur pro con-
10 fesso, *d. Auth.* Et in *hac Authentica* nonnulla mihi singularia videntur: 1. quod de perjurio quaeratur contra regulam iu *l.* 1. *C. de rebus cred.* - 2. quod pars dedisse se fassa non probans, calumniari videatur: 3. quod juramentum judici deferatur, licet pars nihil probaverit, et nullum sit indicium corruptionis, quae omnia ita constituta in odium corruptorum judicum.

L. De eo qui pretio. ult.

SUMMARIA

Poena judicis pretio corrupti aut gratia perperam judicantis. num. 1.
Quid si judex sine sordibus ex gratia vel odio iniquam dixerit sententiam? 2.
Sententia per sordes lata quamvis nulla sit, si tamen impetrata, non est nulla, sed rescindenda. 3.
Poenae hujus legis *sunt compatibiles, nec infamia alias poenas tollit.* 4.
Pars corrumpens non repetit, quod dedit. 5.

Judex, qui pretio corruptus, aut gratia per- 1
peram judicavit, efficitur infamis, et tenetur parti laesae ad aestimationem litis. Sed circa hoc distinguendum; nam si corruptus perperam judicavit, sententia est nulla, et tenetur ex *lege repetundarum* ad quadruplum, *l.* 1. *et ult. C. ad l. Jul. repetund.* vel ex *praeced. Auth.* ad triplum. *Sed si judex sine sordibus,* 2
ex gratia vel odio iniquam sententiam dixerit, subdistinguunt jura, an ex culpa aut imperitia hoc fecerit, an ex dolo; si illud, in quantum aequum superiori visum fuerit, condemnandus est, *l. ult. ff. de extraordin. cogn. princ. Instit. de oblig. ex quasi delict. Menoch. lib.* 2. *A. Q. casu* 339. si autem dolose litem suam fecerit, ad omne interesse in solidum tenebitur, *l.* 15. *pr. ff. de judic. et ibi Petr. Barbos. num.* 10. *et seq. Don. l.* 28. *c.* 2. et quos ibi citat *Hilliger.* Et quamvis, ut dixi, sententia per 3
sordes lata nulla, si tamen per gratiam impetrata, non est nulla, sed rescindenda, Vid. *Vasq. p.* 2. *illustr. l.* 2. *q.* 37. *num.* 4. *et seq. Vant. de nullit. ex defectu process. num.* 135. *Menoch. d. lib.* 2. *cas.* 343. *num.* 12. Et poe- 4
nae, quae in *hac lege* 2. habentur, sunt compatibiles, nam infamia alias poenas non tollit, *Menoch. lib.* 2. *A. Q. casu* 342. *num.* 13. *et seq.* deinde pars corrumpens etiam non repetit quod 5
dedit, de quo *Menoch. lib.* 2. *casu* 343.

TITULUS L.

Sententiam rescindi non posse.

L. Neque suam. I.

SUMMARIA

Sententia contra priorem sententiam lata ipso jure nulla est, nec indiget appellatione. num. 1.
Judex sententiam a se latam mutare non potest. 2.
Ampliatur. 3.
Restringitur tripliciter. 4.

1 Sententia contra sententiam priorem lata, est ipso jure nulla, *hic et l.* 9. *supr. de sent.* nec opus est appellatione *hic et d. l.* 9. *l.* 1. *C. quando provocare non est necesse*, et sententia prior in actis reperta a judice omnino attendenda, licet a parte non opponatur, *Vultej. ad cons. Marpurg. cons.* 30. *num* 271. *vol.* 2. *Hillig. in Don. l.* 27. *c.* 2. *lit. I. Pruckm. vol.* 2. *cons.* 24. *num.* 45. Et non potest ipse 2
judex mutare sententiam a se latam, licet non- 3
dum in rem judicatam transierit, quia sive bene, sive male judicaverit, functus est officio suo, *l.* 53. *ff. de re jud.* scil. si sententia sit definitiva. Nec habet hoc locum in expensis et 4
accessoriis, ubi judici permissa licentia mutandi, scilicet eodem die, quo lata est sententia, *l. Paulus* 42. *ff. de re judic.* item si sententia ipso jure nulla, et judex sit ordinarius, non delegatus, per *l.* 62. *ff. de re jud.* Vid. *Cravetta de antiq. temp. p.* 1. *pr. num.* 53. *Zasius in d. l.* 55. *num.* 11. *Donell. et ibi Hillig. lib.* 27. *c.* 1. *lit. G. Perez in h. t. num.* 5.

L. Peremptorias. 2.

SUMMARIA

Facti species. num. 1.
Exceptio peremptoria ante sententiam opponi debet. 2.
Limitatur remissive. 3.
Jure civili exceptiones peremptoriae usque ad sententiam possunt opponi. 4.

1 Debui ex empto centum, sed transegi tecum vel pactus sum; exceptionem transactionis vel pacti non opposui ante litem contestatam vel paulo post; Quaeritur; *Si non opposita hac exceptione sim condemnatus, an sententia ipso jure nulla sit?* Quod hic Neg. Sed si essem minorennis, datur restitutio. Colligitur etiam ex
hac l. 2. Exceptionem peremptoriam ante sen- 2
tentiam opponi debere, cujus regulae exceptio- 3
nes collegit *Riccius coll. dec.* 238. Colligitur e-
tiam: Jure civili exceptiones peremptorias usque 4
ad sententiam opponi posse, *Zas. in l.* 2. §. *ult. et l. seq. de except. num.* 5. *Hilliger in Donell. lib.* 22. *c.* 8. *lit. H. et alii*, de quo ibi.

L. Impetrata. ult.

SUMMARIUM

Casus legis.

Rescripta Principum non debent opponi rebus judicatis. Ratio in *l.* 32. *et* 56. *ff. de re judic. et l.* 1. *supr. ut lite pendente. etc.*

TITULUS LI.

De fructibus et litium expensis.

L. Hoc fructuum. 1.

SUMMARIA

An judex condemnare reum ad restituendos fructus rogatus, eum ad omnes condemnet, an vero deducere possit reus, id quod in quaerendis et conservandis fructibus impendit? n. 1.
Id tantum in lucro ponendum, quod deducto omni damno superest. 2.
Fructus semper intelliguntur deductis expensis. 3.
Exceptio. 4.

1 Quum judex rogatur condemnare reum ad fructus restituendos, Quaeritur, *An judex eum condemnare debeat ad omnes fructus, an vero deducere possit reus id, quod in quaerendis et conservandis fructibus impendit?* Resp. aff. posterius, qualiscumque sit possessor, etsi sit praedo, *l.* 36. §. *ult. ff. de haered. petit. l.* 51. *pr. ff. famil. hercisc.* quia fructus non intelliguntur, nisi deductis impensis, *l. fructus* 7. *pr. ff. sol.*
2 *matrim.* Id enim tantum in lucro ponendum, quod deducto omni damno superest, *l.* 30. *ff. pro socio*, exceptio tamen in *l. fin. C. de fund.*
3 *rei priv.* Collige ex *hac lege:* fructus semper intelligi deductis expensis, *hic et l.* 36. §. *ult. ff. de petit. haered. l.* 7. §. 16. *ff. sol. matr. l. ult. ff. de oper. libert. Garc. de exp. cap.* 1. *num.* 11. *Cast. de usufr. cap.* 77. *num.* 5. *Carpz. p.* 3.
4 *const.* 32. *def.* 12. *num.* 5. Exceptionem notant ex *l. quoties* 34. §. 1. *ff. de usufructu*, ubi vide a me notata.

L. Litigator. 2.

SUMMARIA

Facti species. num. 1.
Post litis contestationem possessor, qui bonae fidei fuit, malam fidem induit. 2.
Limitatur a Glossa. 3.
Mala fides ex lite mota resultans ficta vocatur. 4.
Differentia inter malam fidem veram et fictam. 5.

Possedisti fundum meum bona fide, atque 1
hactenus teneris ad fructus extantes tantum restituendos, *l.* 22. *C. de rei vindic. Mevius part.* 4. *dec.* 143. *num.* 3. sed cum litem tibi moverim a tempore litis contestatae, seu quod in judicio summario loco litis contestationis haberi debuit, *Mevius d. l.* malae fidei es possessor, *l.* 10. *supr. de acq. poss.* Ergo non tantum ad perceptos fructus restituendos teneris, sed et percipiendos, i. e. quos percipere potuisti, et hoc vitium malae fidei, quod post litem contestatam accedit, etiam haeredi nocet, *l. fin. supr. com. de usuc.* Collige ex *hac lege secunda:*
post litis contestationem possessorem, qui bo- 2
nae fidei fuit, induere malam fidem, *hic et l.* 10. *ff. de acq. poss. l.* 38. *ff. de jur. Fisc. Carpz. p.* 3. *const.* 32. *def. ult. num.* 12. *Rauchb. p.* 1. *q.* 28. *n.* 4. *Obrecht. in tr. de litis contest.*
c. 10. *num.* 30. *et seqq.* Sed id tamen recte tem- 3
perat *hic Glossa*, quod hoc sit ratione fructuum restituendorum. Nam ratione usucapionis manet bona fides, *l.* 2. §. *fin. ff. pro empt.* nec sustinet periculum, quia non debet propter periculum hoc jus suum temere indefensum relinquere, *l.*
illud 40. *pr. ff. de pet. haer.* Et ideo malam fidem 4
hanc, quae resultat ex lite mota, vocant fictam.
Sed hoc interest inter malam fidem veram et 5
fictam, in illa possessor tenetur de omnibus fructibus, qui percipi potuerunt, etiam a petitore, sed in ficta mala fide, quae per litis contestationem inducitur, tenetur tantum de illis, quos ipse percipere potuerat, adhibita communi diligentia. Et hanc distinctionem cum *Bart.* communiter *Doctores* amplecti tradit *Jason. in l. apud Julian.* 39. *in pr. n.* 4. *ff. de leg.* 1. *P. Barb. in l. de divisione* 5. *num.* 59. *ff. sol. matr.*

L. Terminato 3.

SUMMARIA

Sensus legis. num. 1.
Expensae in sententia causa finita non determinatae, post sententiam peti nequeunt. 2.
Judex tamen eodem die expensarum adjudicationem supplere potest. 3.
An sequenti etiam tempore condemnationem expensarum possit addere? 4.
Expensae, cum ortum ex lite habeant, una cum ipsa etiam finiendae sunt. 5.
Quomodo hoc intelligendum? 6.
Quid si judex non quidem certam quantitatem expensarum nomine victori adjudicet, sed victum debere restituere expensarun petitionem victori reservaverit? 7.

1 Quaudo causa per sententiam est finita, si
2 sententia nullam facit mentionem expensarum,
hae post sententiam peti non possunt, quia
petuntur officio judicis mercenario. Ratio in *l.*
55. ff. de re jud. facit *l. 4. C. depositi.* Sed potest
3 tamen judex eodem die supplere expensarum
adjudicationem, per *l. Paulus 42. ff. de re judic. et ibi DD. Sichardus in l. 1. C. de sentent.*
4 *ex brevic. recit. num.* 57. Sed sequenti tempore non potest addere condemnationem expensarum, ne quidem si rescriptum Principis de
expensis insinuetur, ratio in *l. ult. tit. praec. et*
in fin. legis hujus, ubi notabiliter dicitur: *Post*
absolutum dimissumque judicium, nefas esse litem alteram consurgere ex litis primae mate-
5 *ria.* Cum enim expensae illae ortum habeant
ex lite, una cum ipsa etiam finiendae, *Afflict.*
dec. 42. num. 2. Boer. dec. 18. et 52. num. 7.
6 *Klock. cons. 96. num. 7. t. 2.* Sed hoc intelligendum de expensis, quae officio judicis debentur; aliud in iis, quae per viam principalis
actionis ex instrumento peti possunt, si v. g.
et expensarum restitutio expresse in instrumento promissa, *Surdus dec. 261. num. 8. Cavalc. dec. 15. num. 29. p. 1. Magon. dec. 42.*
num. 15. Klock. d. cons. 96. num. 36. Carpz.
7 *p. 1. const. 31. def. 21.* Sed quid si judex non
quidem certam quantitatem expensarum nomine victori adjudicet, sed victum debere restituere expensas, vel in genere tantum expensarum petitionem victori reservaverit? Resp. his casibus peti post sententiam expensas posse, licet nondum determinata sit eorum quantitas. Unde sententia ratione expensarum nulla videtur, per *tot. tit. supr. de sent. quae sint certa quant.* sufficit tamen expensas taxari posse in executione.

L. Non ignoret. 4.

SUMMARIA

Facti species. num. 1.
An expensae adjudicentur, si actor ob calumniam condemnatus? 2.
Expensae judiciales sunt quadruplices. 3.
An et quatenus procurator Fisci calumniose litem intendens in expensas condemnandus? 1.
An etiam in damna fieri debeat condemnatio? 5.

Titius me convenit et petit judicem delega- 1
tum in civitate aliqua imperiali, quo cum me
contulissem, vel plane se non stitit, vel actionem distulit vel deseruit, vel non potuit intentionem probare. Quaeritur: *qua poena ille,*
qui ad longissimum locum me traxit, affici debeat? Resp. dist. inter criminalia et civilia; si
lis est criminalis, punitur similitudine supplicii, quia calumniator, *l. fin. infra de accusat.*
si civile sit judicium, condemnatur ille in expensas, pro ratione ejus, quod petitum est, *§.*
tripli 24. Inst. de act. Colligunt nonnulli ex
hac lege: Expensas non adjudicari si actor ob 2
calumniam condemnatus, quia expensarum hic
in civilibus tantum negotiis fit mentio, sed contraria sententia probatur *hic a Baldo et Castr.*
per *legem seq. circa medium,* ibi: *pro quacumque criminali vel civili causa etc.* Et *Farinac.*
plurimos allegans *q. 16. num. 8. Ant. Matthaei*
ad l. 48. digest. tit. 17. cap. 4. num. 1. Notat 3
Castr. quadruplices esse expensas judiciales: 1.
Temerariae citationis, de qua in *l. eum qui temere ff. de judic:* 2. Dilatae cognitionis, de
qua hic: 3. Victoriae, de qua in *l. sancimus*
C. de judic: 4. Si procurator Fisci calumniose 4
litem intendat, et non sit praesumpta, sed
manifesta et vera contumacia, procuratorem
Fisci in expensas condemnandum, secus si praesumpta sit calumnia, statuit *Farinac. d. q. 16.*
num. 24. Peregr. de jure Fisci lib. 7. t. 2. num.
7. et Ant. Matth. d. l. num. 3. Quamvis autem
hic non fiat damnorum mentio, ex *§. 1.* tamen
Instit. de poenis temere litigantium, apparet,
etiam in damna debere fieri comdemnationem, 5
non quidem extrinseca, ut spoliatio latronum,
sed intrinseca, ut distinguit *Thesaur. dec. 67.*
num. 4. et Hilliger. in Donell. lib. 26. cap. 3.
lit. E.

L. Cum quidam. ult.

SUMMARIA

Casus legis. num. 1.
Ratio dubitandi. 2.
Decidendi. 3.
Privilegium uni ex litigatoribus datum in alterius quoque persona locum habet. 4.
Limitatur regula. 5.
Privilegium litis decisionem continens alteri non communicatur. 6.
Limitatur. 7.
Exemplis declaratur. 8.

Impetravit quidam rescriptum, quod non te- 1
neatur solvere sportulas judicii, vel tantas non
quantas alii, is convenit me in causa criminali,
civiliter tamen, ex verbis, *obnoxios suos,* (nam
si criminaliter conveniret, non obnoxius ipsi 2
essem, sed reipub.) Quaeritur: *An ego etiam*
simili privilegio utar? Videtur quod non, quia
privilegia non egrediuntur personam, *l. 1. pr.*
ff. de constit. princ. Sed affirm. ut servetur 3
aequalitas in judiciis, ideoque privilegium communicatur etiam alteri ob correlatorum naturam, quas ergo sportulas solvit unus litigantium, has etiam solvit alter, quamvis potius
aequalitas in judiciis causa sit hujus extensionis,
quam natura correlativorum, *Cephal. cons.* 481.

4 *num.* 84. *lib.* 3. Collige ergo: privilegium uni
ex litigatoribus datum, in alterius quoque per-
sona locum habere, *hic et l. fin.* §. 3. *C. de re*
milit. Acacius Enenkelius Baro de priv. lib. 2.
5 c. 4. *num.* 9. quod tamen *DD. hic* ad privilegia
litis ordinandae causa concessa, non vero litis
decidendae restringere solent, ut post *Bart.*
6 *hic Castr. num.* 4. Nam si privilegium concer-
nat decisionem litis, non hoc communicatur
alteri parti, nisi negotium tale sit, cujus ex
natura concessio uni facta porrigitur ad alte-
rum, ut restitutio in integrum, *l. un. C. de*
reputat. aut nisi alter jus iniquum impetraverit. 7
Exempla alia ad *hanc legem* pertinentia recen- 8
set *D. Enenkelius Baro d. l. num.* 90. *et seq.*
Si impetrassem privilegium, ut omnes, contra
quos litigo, teneantur in persona comparere,
contra regulam in *l. fin. C. de procurat.* tunc et
ipse in persona semper comparere teneor. Sic
si causa mea delegetur cum clausula, remota
appellatione, tunc nec ipse possum appellare;
vel si impetraverim, ut causa tractetur sum-
marie, et causa reconventionis summarie tra-
ctanda.

TITULUS LII.

De re judicata.

L. Rebus. 1.

SUMMARIA

Facti species. num. 1.
Contra rem judicatam opponi potest exceptio, intus habes, quod petis. 2.
An etiam contra instrumentum guarentigionatum? 3.
Exceptio, quae oritur post sententiam, etiam in executione opponi potest. 4.
An omnis exceptio, quae post sententiam, sed non contra sententiam opponitur, i. e. quae non repugnat sententiae, executionem impediat? 5.

Commodasti mihi equum, mihi hic surreptus,
ergo agis contra me, per §. 16. *Instit. de oblat.*
ex delict. et condemnor tibi ad pretium resti-
tuendum, interim equum a fure recuperas;
quaeritur: *An ex judicato tenear?* Videtur quod
sic, ob auctoritatem rei judicatae: Sed hic ne-
gatur, quia intus habes, quae petis. Ergo op-
pono tibi exceptionem doli, imo si solvissem
pretium, et tu interim equum recuperasses,
daretur mihi contra te actio, *l.* 17. §. *fin. ff.*
commodati, l. 2. *ff. de condict. sine causa.* Col-
2 ligunt ex *hac lege:* Contra rem judicatam op-
poni posse exceptionem, *intus habes quod petis,*
3 et sic etiam contra instrumentum publicum
habens paratam executionem, quia instrumen-
tum guarentigionatum non habet majorem vim,
quam sententia, *Castr. hic num.* 1. Colligitur
etiam, exceptionem, quae oritur post senten-
tiam, etiam in executione opponi posse, *Castr.*
hic num. 2. *Ummius ad process. d.* 8. *num.* 59.
Colligit etiam ex *hac lege Gail. lib.* 1. *obs.* 113.
5 *num.* 5. Omnem exceptionem, quae post sen-
tentiam, sed non contra sententiam opponi-
tur, hoc est, quae non repugnat sententiae
impedire executionem; sed hic videtur exceptio
contra sententiam opponi. Ideoque non vide-
tur hoc firmiter ex *hac lege* probari, licet alias
non possit negari in aliis exemplis.

L. Res judicatae. 2.

SUMMARIA

An praetextu erroris calculi res judicata retractari queat? num. 1.
In quantum ejusmodi sententia, ubi ipse error expressus, valeat? 2.
Sententia, in qua alius conspicuus error expressus, pariter nulla est. 3.
Plures causae, quae sententiam nullam reddunt. 4.

Praetextu erroris calculi res judicata retracta- 1
ri nequit, etsi ipse error fuerit expressus in
sententia, *l.* 1. §. 1. *ff. quae sentent. sine ap-*
pell. Trentacinq. l. 2. *tit. de confess. resol.* 1.
num. 43. *Heig. p.* 1. *q.* 20. *num.* 24. quia sen-
tentia seipsam refutat: ubi tamen sententia 2
usque ad eam quantitatem valet, in qua non
est erratum, *arg. l.* 34. *C. de donat.* quae sen-
tentia aequitati consentanea, licet *DD.* distin-
guant, utrum sententia diversa capitula conti-
neat, vel non, ut in casu primo valeat in eo,
in quo non est erratum, *argum. l. sancimus*
C. de donat. Ita sententia etiam nulla, si alius 3
error conspicuus in ea sententia expressus,
Medic. de casibus fortuitis p. 1. *quaest.* 2. *num.*
24. Vel si lata ex causa, expressa scilicet, quae 4
manifesto falsa est, si sit unica, vel si senten-
tia se referat ad acta, quae nulla sunt, vel in
quibus error expressus, *Tiraq. post leges con-*
nub. gl. 7. *num.* 184. *et Hilliger. in Donell. lib.*
7. *c.* 6. *lit. C.*

L. Si pecuniam. 3.

SUMMARIUM

An Sententia, qua quis ad rem furto surreptam restituendam, et simul poenam dupli condemnatur, nulla sit?

Surripuit mihi Titius librum, hunc convenio actione furti, et praeterea rei vindicatione (potest enim talis cumulatio fieri actionum, *l. 7. §. 1. ff. de condict. furt.*) et possum ad interesse, et ad poenam simul agere, *Gail. lib. 1. obs. 65. num. 2. et seq. Altorfin. consil. 38. et alii.* Judex condemnat ipsum, ut mihi librum restituat, et praeterea duplum. Haec sententia non est nulla, sed libello conformis, et ita, nisi suspensa sit per appellationem, transit in rem judicatam.

L. Sub specie. 4.

SUMMARIA

Facti species. num. 1.
Obtentu instrumentorum noviter repertorum sententia rescindi nequit. 2.
Excipiuntur ab hac regula quaedam causae. 3.
An admittenda limitatio illa, si quis ex justa et probabili ignorantia non produxerit instrumenta ? 4.
In praxi aliud observatur. 5.
An et quatenus post conclusionem in causa documenta adhuc produci possint ? 6.

1 Ex mutuo te conveni, sed non potui probare, ideo fuisti absolutus. Postea vero reperi chirographum; Quaeritur, *An ex hoc contra*
2 *te de novo agere possim?* Neg. quia obtentu instrumentorum postea repertorum sententia rescindi nequit, *hic et l. 35. ff. h. t. arg. l.*
3 *sub praetextu 19. supr. de transact.* Excipiuntur I. causa publica, *d. l. 35.* i. e. causa Fisci vel civitatis, per *l. 16. et seq. ff. de V. S.* et Ecclesiae, per *l. 1. §. 2. ff. de justit. et jure.* II. Nisi fraus adversarii arguatur, *argum. dict. l. sub pratextu*, vel si aliter subtraxerit. III. Si sententia ex juramento suppletorio, atque sic probatione privilegiata, lata sit, *l. admonendi ff. de jurejur.* IV. Excipiuntur causae eae, in quibus sententia nunquam transit in rem judicatam, ut criminales et matrimoniales. V. Excipiuntur, si instrumentum contineat nullitatem sententiae, v. g. sententiam priorem, hoc enim casu sententia posterior esset nulla, *l. 1. supra sententiam rescindi non posse.* Vid. *Donell. et ibi Hilliger. lib. 27. cap. 7. et Peregrinus de jure Fisci lib. 7. cap. ult. Socinus reg. 447. Fachin. lib. 1. centur. 51. et duabus seqq. Mynsing cent. 1. obs. 60. Duarenus in l. Imperatores 35. ff. de re judic. Treutl. et ibi Bacchovius vol. 2.*
4 *disp. 23. th. 5. lit. D.* Non autem admittunt accuratiores illam limitationem, si quis ex justa et probabili ignorantia non produxerit instrumenta, ob generalitatem hujus textus, *Fachin.*
5 *d. c. 51. Bacchovius d. l.* Sed in praxi ac foro
6 aliud ex *hac lege* probare solent: Neque post conclusionem in causa produci posse documenta, *Fachin. lib. 11. cap. 26.* Sed omnino magnum est discrimen inter sententiam et inter conclusionem in causa, nam fieri potest, ut sit ignorantia probabilis, et culpabilis quidem, sed non dolosa. Et si non admitteret judex, in appellationis tamen instantia admitti deberet.

L. Ad solutionem. 5.

SUMMARIA

Casus legis num. 1.
Is, qui terminum petit ad solvendum, appellationi renunciat, et acquiescit sententiae. 2.
Multo magis, si alter sententiae acquievit. 3.
Qui facit actum suo juri contrarium, tacite eidem renunciare videtur. 4.

Sententia contra me lata est in causa pecu- 1
niaria; appello, sed postea peto dilationem ad solutionem faciendam. Resp. me hoc facto renunciasse appellationi, et sic sententia transit in rem judicatam, *l. 4. ff. de pactis, l. 7. §. fin. ff. ad SCtum Macedon.* modo ex errore id non factum, *l. 4. §. fin. ff. si quis cautionibus etc.*
Collige: Eum, qui terminum petit ad solven- 2
dum, renunciare appellationi et acquiescere sententiae, *Ant. Fab. in Cod. suo tit. quorum appell. non recip. def. 12. Hillig. in Donell. lib. 28. c. 6. lit. O. Gabr. lib. 2. tit. de appell. concl. 3. Scaccia de appellat. quaest. 17. limit.*
2. num. 19. et passim, multo ergo magis, si al- 3
ter sententiae acquievit, *Maranta p. 6. tit. de appellat. num. 317. et 342.* Et generalius ex *hac*
lege infertur, eum, qui facit actum contrarium 4
suo juri, v. g. juri primogeniturae, videri tacite renunciare suo juri, *Cephal. cons. num. 85.* si modo ejus notitiam habuit, *Cephal. d. l. n. 99.*

L. Gesta. ult.

SUMMARIA

Facti species. num. 1.
Publicari quando acta videantur ? 2.
Perempta instantia acta probatoria non pereunt, sed in secunda quoque instantia plenam fidem merentur. 3.

Coram judice delegato ventilata est causa, et 1
gesta seu acta in publica monumenta sunt redacta, imo et publicata, Quaeritur: *An ea gesta etiam mortuo judice delegato firmitatem habeant?* Quod affirm. *hic et l. 60. ff. de judiciis, arg. leg. publicati 2. supra de testamentis.* Publicari autem videntur acta, si prae- 2
sentibus partibus in scripturam a notario judicii redacta. Quae vero secreto fiunt, ut examinationes testium, ea non valent, nisi publicentur. Colligunt ex *hac lege:* Perempta instantia 3
acta probatoria non perire, sed in secunda quoque instantia plenam fidem mereri, *Maranta p. 5. speculi num. 55. Gail. lib. 1. obs. 103. num. 1.*

TITULUS LIII.

De executione rei judicatae.

L. Nimis. 1.

SUMMARIA

Processus non ab executione debet incipi, sed aliter, et quomodo? num. 1.
Semper executionem responsio rei et cognitio causae praecedat. 2.
Inhibitio non statim decernenda, sed prius causa est cognoscenda. 3.

1 Executio non debet esse principium processus, *Auctor in l.* 58. *ff. de re judic. num.* 1. sed primo debet de causa cognosci, et per sententiam definitivam terminari, postea capi possunt pignora, non vero ante rem judicatam. Vide *expl. l. unicae supr. de prohib. sequestr.*
2 Unde vulgare axioma solet probari; ab executione processum non esse inchoandum, et semper executionem responsio rei et cognitio causae praecedere debet, *Carpz. p.* 1. *c.* 28. *d.* 1. *num.* 3. *et d.* 6. *num.* 2. *Wesenb. cons.* 220. *num.* 33. *Kirchov. tit.* 1. *var. juriscons. cons.* 1. *q.* 3.
3 Unde probatur etiam, non esse statim inhibitionem decernendam, sed prius de causa cognoscendum, *Dn. Mev. p.* 6. *dec.* 217.

L. Si causam. 2.

SUMMARIA

Ex re judicata oritur executio, ita ut citra libellum executio officio judicis peti possit, et quomodo? num. 1.
Limitatur. 2.
Observantia Camerae. 3.
Provisio hominis tollit provisionem legis. 4.

Ex re judicata oritur parata executio, ita ut citra libellum executio possit officio judicis peti, ut scilicet captis pignoribus compellat reum
2 parere sententiae, nisi scilicet novata sit obligatio, adeo ut reus non ex sententia, sed nova obligatione sit obligatus. Ibi enim non ex judicato agendum, sed stipulatione, in quam obligatio vetus transfusa; sed si nulla stipulatio nova accessit, officii judicis imploratione executionem petere possum, vel etiam sine novo processu ex judicato agere, *Gail. lib.* 1. *obs.* 113. *num.* 10. *Berlich. p.* 1. *concl.* 81. *num.* 3. In Camera etiam citra libellum, citraque processum decernitur, 1. Mandatum executoriale per executorem insinuandum, deinde executoriales, juxta *ordinat. Camerae p.* 3. *tit.* 48. Insinuatur etiam hic ordo executionis, ut primo pignora mobilia capiantur, si scilicet hypothecam ullam habeat, nam si hanc habeat, in hac prius fieri debet executio, *l.* 8. *ff. de distract. pign. Carpz. in s. process. t.* 25. *art.* 3. *num.* 2. Sed hypotheca non existente, in mobilia paratiora per bimestre spatium in judicio conservanda, *l. debitoribus* 31. *ff. de re judic.* quae postea sub hasta venduntur, et emptore non reperto addicuntur creditori taxata, *l.* 15. §. 3. *ff. de re judic. Donell. lib.* 27. *c.* 3. *litt. Aa.* Colligunt etiam ex *hac lege* regulam: Quod provisio hominis tollat provisionem legis, *Carpz. p.* 3. *c.* 3. *def.* 1. *num.* 3. *et Barbosa locuplet. lib.* 14. *cap.* 104. *axiom.* 5. 4

L. Ordo. 3.

SUMMARIA

Ordo executionis sententiae praescribitur. num. 1.
Licet quis habeat hypothecam in bonis immobilibus, non tamen potest creditorem propria auctoritate sibi addicere, sed tenetur primum subhastari facere, vel immissionem petere. 2.
Quando circa aestimationem rei pignoratae actor et reus non possunt convenire, triplex actori datur remedium. 3.

Hic praescribitur ordo executionis sententiae. 1
Primo enim ea immobilia bona, quae specialiter obligata, subhastanda sunt, et haec non debet emere creditor, nisi ea velit emere sub hasta, ut quilibet extraneus, *l.* 2. *infr. si in causa judic. pign.* Sed ea ideo subhastanda sunt, ut ei addicantur, qui plurimum licitatus est. Si vero pignora non reperiant emptorem, forte ob potentiam adversarii, quia quilibet timet, ne emendo pignus ipsum offendat, vel ob machinationem ejus, potest ipsi creditori pignus dari in solutum, ut tamen pignoribus iis debeat esse contentus, licet minus valeant, *l.* 15. §. 3. *ff. de re judic.* nisi cum protestatione in solutum accipiantur, *Berlich. part.* 1. *concl.* 81. *num.* 123. *Colerus de process. p.* 3. *cap.* 9. *n.* 50. quamvis et creditor jus dominii a Principe impetrare possit, *l. ult. infra de jure dom. impetr.*
Collige ergo: Licet quis habeat hypotecam in 2
bonis immobilibus, non tamen posse creditorem propria auctoritate sibi addicere, sed teneri primum subhastari facere, vel immissionem petere. Nam quando circa aestimationem 3
rei pignoratae non possunt convenire actor et reus, triplex actori remedium datur, ut scil. 1. aut res subhastetur: 2. aut immittatur actor, tamdiu usurus, donec satisfiat: aut potest 3. ipse actor non reperto emptore licitari, *Coler. d. l. c.* 9. *num.* 65.

L. Stipendia. 4.

SUMMARIA

Militum stipendia in causa judicati capi nequeunt, quoties in aliis potest fieri executio. num. 1.
An etiam in instrumentis agriculturae locum hoc habeat? 2.

An salarium aliis deficientibus mediis militi togatae vel sagatae militiae capi possit? 3.
An eadem Athletarum ratio? 4.
An reditus beneficiorum Ecclesiasticorum pro executione capi possint? 5.

1 Stipendia militum in causa judicati capi nequeunt, quoties in aliis executio fieri potest, quae limitatio a contrario sensu ex *hac lege*
2 probatur, ex qua *DD.* quidam volunt etiam agriculturae instrumenta capi hic posse, quando non adsunt alia media, sed ab his discedit *Menoch. lib.* 2. *A. Q. casu* 378. *num.* 11. quia per ablationem stipendii miles non abstrahitur a militia plane, sicut per capturam instrumentorum agriculturae rusticus. Unde etiam *DD.*
3 quos sequitur, *Menoch. d. l.* hanc limitationem sublimitant, quod etiam aliis mediis deficientibus non debet capi salarium, quoties militi sagatae vel togatae militiae fame pereundum vel discedendum esset, quia reip. interest militibus non auferri stipendia sua, et ne deserant mili-
4 tiam. Alia ratio Athletarum, *l.* 42. *ff. de re jud. Auct. in l.* 40. *ff. de re judic. num.* 1. Nec ca-
5 pi possunt pro executione reditus beneficiorum Ecclesiasticorum, *arg. cap. pervenit* 2. *X. de fidejussorib.* nisi haeredi expresse obligato. Vid. *Colerum part.* 2. *de process. c.* 3. *num.* 139. *Hillig. in Donell. lib.* 27. *c.* 3. *lit. P. et Mozzius de contract. tit. quae res pignori obligari possunt num.* 30. *et* 31.

L. Etiam nomen. 5.

SUMMARIA

Quatenus nomina in causam judicati capi possint? num. 1.
Quid si nomina sint liquida et facile exigibilia, et creditor etiam facile sumptus ad executionem suppeditare queat? 2.

1 In causam judicati capi etiam possunt nomina, si scilicet primo mobilia idonea non reperta, sed nec immobilia, nam illis deficientibus venitur ad nomina, adeo ut si ordo hic sit inversus, executio sit nulla, *Colerus d. c.* 9. *num.* 17. *Camill. Borell. lib.* 2. *decis. tit.* 32. *num.* 188. *Berlich. p.* 1. *concl.* 81. *num.* 49. Sed
2 si nomina sint liquida et facile exigibilia, creditor etiam facile sumptus ad executionem suppeditare posset, ex aequitate audiendum esse reum, si deprecetur ignominiosam et gravem bonorum immobilium subhastationem et venditionem, offeratque nomina, tradit *Carpzov. d. t.* 25. *art.* 3. *Idem in asylo debitorum c.* 4. *num.* 163. *hic et l.* 15. *§.* 8. *ff. de re judic. et ibi Doctores:* Vide etiam expl. *l.* 2. *sup. quando Fiscus vel privatus debitoris sui debitores etc.*

L. Si ut proponis. 6.

SUMMARIA

Casus legis. num. 1.
Si nova exceptio coram executore opponenda, ea ad judicem, qui sententiam tulit, remittatur. 2.
De quibusnam exceptionibus haec regula sit intelligenda? 3.
Judex etiam ordinarius pro executione rei judicatae requisitus ab alio judice, potest de validitate sententiae inquirere. 4.

Sententia pro me lata est, mittitur executor 1
ad capienda pignora. Executor sibi sumit cognitionem causae, et nonnulla in meum praejudicium definivit, Quaeritur: *An recte executor de causa cognoverit?* Videtur quod sic, ob *l.* 4. *supra si contra jus. etc.* Sed neg. quia non cognitio causae, quae jam dudum cognita est et definita, sed executio ipsi tantum injuncta est, *Anton. Faber lib.* 7. *Cod. tit.* 20. *def.* 9. Ergo quae ab ipso statuta sunt, ipso jure nulla sunt, *arg. l.* 1. *et* 3. *supra si a non competente judic. etc.* Ergo si coram executore nova 2
exceptio opponatur, ea ad judicem, qui sententiam tulit, remittenda est, *hic et c. de caetero X. de re jud. Gail. lib.* 1. *obs.* 113. *num.* 8. *Berlich. p.* 1. *concl.* 79. *num.* 43. *Faber d. l.* Sed haec accipienda sunt de 3
exceptionibus sententiam impugnantibus, et causae merita concernentibus, sed alia ratio earum exceptionum, quae ordinem executionis concernunt, v. g. an in hac vel illa re debeat fieri executio? nam super eo puncto executor omnino cognoscit, *l. a Divo Pio* 15. *§.* 2. *et* 4. *ff. de re judic. Mynsing. c.* 3. *obs.* 69. *Berlich. p.* 1. *concl.* 79. *num.* 44. vel si exceptio talis sit, quae non impugnat sententiam, ut compensationis, competentiae, alimentorum, intus habes quod petis, divisionis et similes, *Berlich. d. concl.* 79. *num.* 47. *et seq. Gail. lib.* 1. *obs.* 113. *num.* 8. *et lib.* 2. *obs.* 17. vel si exceptio coram executore opposita non opponatur confessioni, sed respiciat executionem, per tradita a me ad *l.* 7. *ff. de confessis.* Judex etiam or- 4
dinarius pro executione rei judicatae requisitus ab alio judice, potest de validitate sententiae inquirere, *Guido Papae dec.* 23. *et* 574.

L. Si longis. 7.

SUMMARIA

Casus legis. num. 1.
Malae fidei possessor rei interitu liberatur. 2.

Convenio te ob servos et jumenta, et obtineo 1
causam, sed tergiversationibus efficis, ut executio diu suspendatur, interim quidam servi mortui, e diverso jumenta quaedam pepererunt, Quaeritur: I. *An servorum mortuorum aestimationem praestare tenearis?* Quod affirm. quia malae fidei possessor non liberatur interi- 2
tu rei, *l.* 47. *ff. de legat.* 1. *l.* 17. *ff. de rei vind.* II. Quaeritur: *Ad quem foetus animantium spectent?* Resp. et eos mihi praestandos esse, cum sint in fructu, *l.* 40. *ff. de petit. haered.*

L. Executorem. 8.

SUMMARIUM

Sensus legis.

Continet tantum descriptionem executoris, est enim is, qui sententiam latam inter partes ad effectum perducit, et qui exigit, capit, distrahit, addicit pignora.

L. Eos quos. ult.

SUMMARIA

Quando executio peti debeat? num. 1.
Executio rei judicatae in actionibus personalibus non statim debet peti, sed post tempus in l. fin. tit. seq. *definitum.* 2.
In actionibus realibus mox fieri potest executio. 3.
Facilius res aliena restitui, quam pecunia explicari potest. 4.
De Jure Sax. quale spatium ad executionem rei judicatae requiratur? 5.
Dantur casus excepti, ubi determinatum in actionibus personalibus spatium locum non habet. 6.

1 Tunc demum petenda est executio, quando reus confessus est, vel si negavit, si est convictus et condemnatus, sed tunc non statim, sed lapso quadrimestri, per *hanc legem* juncta *lege fin. tit. seq.* petenda executio, et sic *ut supra dictum*, capi prius, et postea distrahi possunt
2 pignora. Notetur ex *hac lege* executionem rei judicatae non statim peti posse, sed post aliquod spatium temporis, quod in *d. l. fin. t. seq.* definitur. Sed haec in personalibus actionibus, 3
nam in realibus potest mox fieri executio, §. *etsi in rem Inst. de offic. jud. Coler. de process. execut. p.* 3. *c.* 6. *num.* 14. *Ummius de process. disp. ult. n.* 17. quia facilius res aliena restitui, 4
quam pecunia explicari potest, ex *Giphanio Hilliger. ad Donell. lib.* 27. *cap.* 4. *lit. C.* ubi alias examinat rationes intra tempus arbitrarium tamen a judice aestimandum, *Menoch. lib.* 2. *A. Q. casu* 28. In Foro Saxonic. est spatium 14. 5
dierum, *Carpz. d. t.* 25. *art.* 3. *num.* 3. Nec tamen in omnibus personalibus actionibus hoc 6
spatium locum habet, nam excipe casus; ubi quis ex delicto convenitur, *Menoch. lib.* 2. *A. Q. casu* 23. *num.* 4. Sed et in civilibus non semper quadrimestre illud spatium, sed interdum prorogatur pro causae qualitate, vel quantitate, vel personarum qualitate interdum, rarius tamen arctatur, et intra illud tempus instituitur, *l.* 2. *ff. de re judic.* ut si causa dilationem non patiatur, ut si alimenta constituta, vel si pecuniam paratam vel nomen idoneum ipsum habere constet, *l.* 31. *ff. de re jud.* vel si minori subveniendum, *d. l.* 2. vel si utilitas publica requirat, *Gl. hic Zas. ad d. l.* 2. *Ummius d. l. Coler. d. c.* 6. *num.* 8. *etc. Hudelinus de jure noviss. lib.* 4. *cap.* 16. *Christin. dec.* 168. *num.* 19. *vol.* 5. qui putant, judicem ex juxta causa tempus hoc etiam prorogare posse. Et ante lapsum tempus miserationis causa indultum reus liberari potest. Vid. a me notata *ad l. intra* 7. *ff. de re judic.*

TITULUS LIV.

De usuris rei judicatae.

L. Is qui bona. I.

SUMMARIA

Poena non obtemperantis sententiae post tempus quadrimestre. num. 1.
Executor sententiae in distrahendis pignoribus etiam poenae hujus rationem habeat. 2.
An hoc observari soleat? 3.

1 Non obtemperans sententiae, post tempus quadrimestre, ad usuras centesimas tenetur, et
2 ideo executor sententiae in distrahendis pignoribus etiam usurarum centesimarum rationem
3 habebit. Sed non vidi hoc observari. Et, ni fallor, merito has usuras adversus condemnatum nimis graves esse dicit ad *hunc tit. Perez num.* 4.

L. Eos qui. 2.

SUMMARIA

Quadrimestre spatium, de quo in l. ult. tit. praec. et l. fin. h. t. *agitur, a quo tempore appellanti et a quo non appellanti currere incipiat?* num. 1.
Vetus illa constitutio, qua duplex centesima usura condemnatis imponebatur, abrogatur. 2.
Justinianus *propriam Constitutionem, qua dimidia centesimae, seu sex pro centum conceduntur, abrogat.* 3.
Cursus usurarum ultra duplum post rem judicatam admittitur. 4.

Quadrimestre tempus, de quo in *l. ultim. tit.* 1
praeced. diximus, et de quo agitur in *l. fin. h. t.* currit non appellanti a die sententiae, appellanti vero a die, quo confirmata est senten-
tia, et abrogatur haec vetus Constitutio, qua 2
duplex centesima usura condemnatis imponebatur, et abrogat *Justinianus* propriam Consti- 3
tutionem, qua dimidia centesimae, i. e. semissalis usura seu sex pro centum concedebatur. sed ut dixi ad *l.* 1. hae centesimae usurae vix decernuntur hodie; sed ex *hac lege* 2. probant etiam *DD.* cursum usurarum ultra duplum 4
admitti post rem judicatam, quia quasi ex nova causa debentur, et ideo anteriores usurae non sunt computandae, et quia condemnatus malitiose protrahit solutionem, *Berlichius decis.* 30. *num.* 7. *Tabor. de altero tanto p.* 3. *sect.* 2. *artic.* 2. *Finckelthaus. obs.* 40. *num.* 25. quos refert *Carpzov. in asylo cap.* 1. *num.* 301. ubi tamen id ex *hac lege* non colligi posse putat, quod non displicet, nisi quod prior ratio, scilicet novitas causae ex his legibus probetur.

L. Sancimus. 3.

SUMMARIA

An centesimae hae usurae de sorte tantum, quae per sententiam definita, an vero de usuris sint solvendae? num. 1.
Ratio dubitandi. 2.
Decidendi rationes. 3.
Actio vetus per sententiam novatur, dum novationem per litis contestationem inchoatam perficit. 4.
Intellectus absurdus ab omni descriptione est arcendus. 5.
An praeter debitorem etiam fidejussor et mandator hoc quadrimestre spatium habeat? 6.
Quoties ipse, cui datum est privilegium, non potest frui privilegio, nisi ad alios vis ejus porrigatur, toties privilegium ad alios quoque pertinet. 7.
Sententia lata contra reum sine novo processu executioni contra fidejussorem tradi potest. 8.
De quonam fidejussore intelligendum? 9.

1 Sed quaeritur hic: *Annon hae centesimae usu-*
rae de sorte tantum, quae per sententiam de-
finita, an vero de usuris sint solvendae? Ratio
2 dubitandi forte erat, quia prima novatio vide-
tur facta, et tam usurae, quam sors in unam
massam confusae sunt per sententiam. Sed re-
spondet Imperator, eas de sorte tantum, non
3 vero de usuris solvendas. Quia 1. generali Con-
stitutione usurae usurarum prohibitae, *l.* 28.
C. de usur. - 2. Cum minores usurae debeantur
ex contractibus, et post 4. menses demum fiant
majores, absurdum esset, si reus gravaretur du-
plici onere, ut et usuras centesimas et quidem
tam de usuris, quam sorte solvere teneretur:
3. Praesertim cum impossibile interdum reo es-
se possit intra id tempus solutionem expedire.
Quamvis ergo novata videatur per sententiam
prior actio, et ita differentia inter sortem et
usuras abolita, quamvis et ipse judex sortem
et usuras confundat, et in unam summam re-
digat, non tamen id eo pertinet, ut ipsa na-
tura usurarum cum sorte confundatur. Haec
ita Imperator in *princ. l. ult.* Unde notari so- 4
let: actionem veterem novari per sententiam,
dum novationem, per litis contestationem in-
choatam perficit, *Goed. de stipulat. c.* 5. *concl.*
8. *num.* 48. *Donell. lib.* 16. *c.* 21. *lit. N. et seqq.*
et intellectum absurdum ab omni descriptione 5
arcendum esse, *Wesemb. consil.* 149. *num.* 10.
Besoldus consil. 29. *num.* 23.

§. 1. Hoc spatium non habet tantum princi- 6
palis debitor, ut olim, *l.* 1. *ff. judicatum solvi*,
sed etiam fidejussor et mandator, nam si hi
ante lapsum illorum quatuor mensium conve-
niri possent, convenirent actione mandati ipsum
principalem, et sic debitor principalis in effe-
ctu nullum haberet spatium, quod tamen hu-
manitatis intuitu ipsi dedit Imperator, *l. fin. ff.*
h. t. Colligitur ex *hoc* §. 1. Quoties ipse, cui 7
datum est privilegium, non posset frui privile-
gio, nisi ad alios vis ejus porrigatur, toties pri-
vilegium ad alios quoque pertinere; Quemad-
modum ex ea ratione quadrimestres induciae
condemnatis datae, etiam ad fidejussores hic por-
riguntur, ne si isti solvere compellantur, ipsi
quoque reum ad solutionem compellant, et ita
condemnatus nullum sentiet fructum humani-
tatis Imperatoriae, *Georg. Acac. Enenkelius Ba-*
ro de privileg. lib. 2. *cap.* 1. *num.* 18. Colligunt
ex *hoc* §. sententiam latam contra reum posse 8
sine novo processu executioni tradi contra fi-
dejussorem, ut *Glossa* hic, quod tamen intelli-
gendum esse hic monet *Matthesilanus* de eo, 9
qui de judicato solvendo fidejussit, non de fi-
dejussore contractus, et sic fidejussor datus pro
judicato solvendo a sententia lata contra reum
pro suo interesse potest appellare, *Castrensis*
hic.

TITULUS LV.

Si plures una sententia condemnati sunt.

L. Si non singuli. 1.

SUMMARIUM

Pluribus una sententia condemnatis, quomodo executio respectu singulorum facienda?

Quando plures condemnati sunt, executio fit pro virilibus partibus, et sententia ipsa divisa est in personas, nec potest unus eligi, et in solidum conveniri, etsi alter non sit solvendo, *l.* 43. *ff. de re jud. ibique Auctor*, *l.* 10. §. 3. *ff. de appellat. l.* 59. §. 3. *ff. mandati*, quia propria natura copulae est, partiri in partes aequales, *l. reos* 11. §. 1. *ff. de duobus reis, l.* 59. §. 2. *ff. mandati*, *Balduin. cons.* 251. *num.* 1. *vol.* 2. *Menoch. cons.* 158. *num.* 27. *et seqq.* Sed limitatur haec regula, si scilicet simpliciter in unam summam sint condemnati: secus si singuli in solidum expresse condemnati, *Afflict. dec.* 215. *num.* 2. aut tacite, si expresse additur, ut quod ab altero servari non posset, id alter suppleret, aut res sit individua, aut jus pignoris et servitutis, *argum. l.* 195. *pr. ff. de R. J.* aut agatur ex delicto quatenus poenam persequor, non vero rei restitutionem, *l.* 1. *C. de condict. furtiva.* Quas et alias exceptiones recenset *Zasius ad l.* 43. *ff. de re judic. Perez ad hunc tit. in fine*, et *Martinus Naturatus ad Zasium h. t.* Imo licet ex maleficio agatur, si tamen ad litis sumptus condemnatus correus, ad partem virilem videtur condemnatus, *Anton. Faber in h. t. defin.* 1.

L. Quoties. ult.

SUMMARIA

Ampliatio legis praeced. *num.* 1.
Exemplo declaratur. 2.
Afflict. *ob datum aliquid inidoneum exemplum notatur.* 3.
Per sententiam vetus actio omnino novatur. 4.
Qui in una sententia per copulativam condemnantur, pro parte etiam obligantur, licet alias ex ipso contractu in solidum fuerint obligati. 5.
Tacita objectio diluitur. 6.
An haec decisio locum habeat, quando plures debitores obligati in solidum omnia sua bona in solidum obligaverunt? 7.
An obtineat idem, quando judex per modum praecepti pronunciet? 8.

1 Et quidem ea, quae in *l. praeced.* dicta sunt, etiam eo casu vera sunt, quando plures ab ini-
2 tio in solidum obligati sunt, v. g. tutores plures gesserunt tutelam, et sic in solidum obligati sunt, *l.* 55. *ff. de adm. tutel.* sed si condemnentur simpliciter, tunc divisum est per sententiam periculum, et jam non in solidum, sed pro parte omnes obligati sunt, licet caeteri solvendo non sint, licet non omnes in judi-
3 cium vocati sint, *Afflict. d. dec.* 215. ubi exemplum de 16. in solidum obligatis, ex quibus 4. in judicium vocati et condemnati sunt, quos pro rata non quatuor praesentium, sed pro rata sexdecim debitorum, quemlibet ex iis condemnatum esse ait, quod mihi (pace tanti consilii dixerim) per quam absurdum videtur, nam caeteri 12. non sunt condemnati, sed soli illi quatuor, ergo inter condemnatos istos 4. judaeos distribuenda erat summa, neque ullam video hic aequitatem in illa sententia, conferatur *Ronchegallus ad l.* 3. §. *ubi duo n.* 136. *ff. de duobus reis.* Ex quo apparet: Per senten- 4
tiam omnino novari actionem veterem, per *l. fin. pr. tit. praeced.* Vid. *Donell. lib.* 16. *c.* 20. *et ibi Hillig. lit. N.* Et ex *hac lege singulari* Colligitur: Eos qui in una sententia per copu- 5
lativam condemnantur, pro parte obligari, licet alias ex ipso contractu in solidum fuerunt obligati: quamvis enim hoc absurdum videatur, 6
ut aliquis juvetur ex sententia contra se lata, per *l.* 16. *ff. de except. rei judicat.* respondet tamen *Zasius in d. l.* 43. *num.* 9. illud verum esse in pura condemnatoria, non in ea, quae pro parte vim absolutoriae sententiae habet, nam quatenus in viriles partes condemnati, eatenus sunt pro parte absoluti. Sed haec de- 7
cisio non habet locum, quando debitores plures in solidum obligati obligassent in solidum omnia sua bona, quia jus hypothecae est individuum, ut dixi ad *l.* 1. *Lud. a Pereira in decis. Cat.* 181. Nec locum habet, quando judex 8
per modum praecepti pronunciat, nam tunc non fert sententiam, nec ideo priorem obligationem novat, *Vinc. de Franchis dec.* 680.

TITULUS LVI.

Quibus res judicata non nocet.

L. Si neque. I.

SUMMARIA

Casus legis. num. 1.
Significatio vocabuli defensionis. 2.
Conjuncta persona pro conjuncta agens vel excipiens admittitur quidem sine mandato cum cautione de rato, illud tamen conjunctae personae absenti non praejudicat. 3.
An praejudicet isti praesenti? 4.

1 Frater meus, meo nomine agit contra Titium,
2 (vocabulum enim *defensionis* actionem hic significat, sive curam aut tuitionem, ut vult post *Gl.* et caeteros *hujus legis* interpretes, *Bacchov. ad Tr. vol.* 1. *disp.* 9. *th.* 4. *lit. C.* licet non sit absurdum etiam de defensione proprie dicta intelligere) sed succumbit, et fertur sententia, non esse probatum, rem esse meam: Quaeritur; *An haec sententia quoad me transire possit in rem judicatam, et mihi adeo praejudicet?* Videtur quod sic, quia frater ut conjuncta persona sine mandato agit, *l.* 35. *pr. ff. de procur.* Sed neg. quia admittitur quidem sine mandato, sed tamen judicium illud non praejudicat absenti, *h. l. et supr. de reb. credit. l.* 3.
3 §. 3. *ff. judicatum solvi.* Collige *ex hac l.* conjunctam personam pro conjuncta persona agentem vel excipientem quidem admitti cum cautione de rato, hoc tamen conjunctae personae absenti non praejudicare. Imo hoc ex illo sequitur, nam si praejudicaret absenti personae, 4
non opus haberet praesens persona cautione de rato; sed quia pro absente tenetur cavere. Exinde colligitur, si non caverit, nec praesentem nec absentem teneri, non illum, quia non suo, sed alterius nomine egit, non hunc, quia non consensit. Sed si caverit, tunc suo nomine tenetur.

L. Res inter alios. 2.

SUMMARIA

Casus legis num. 1.
Res inter alios gestae aliis nec emolumentum afferunt, nec praejudicium. 2.
Exemplo illustratur. 3.
Limitatur. 4.
Si alius meo nomine agere velit, tria requiruntur. 5.
Exempla subjiciuntur. 6.

Avus neptis causam agebat contra ejus cohae- 1
redem sine mandato, et succumbit, hoc non praejudicat nepti, ut in *l. praeced.* Ratio additur: *Quod res inter alios gestae aliis nec emo-* 2
lumentum adferant nec praejudicium. Sic licet 3
unus haeres in judicio victus fuerit, id tamen

in eadem causa non nocet alteri, qui non litigavit, licet cum cohaerede agi sciverit, vide pluribus exemplis haec declarata in *Coll. argent.*
4 *ad tit. de re judic. c.* 73. Limitatur autem haec regula ex *l.* 63. *ff. de re judic.* si alium meo
5 nomine agere sciam et patiar. Ubi tamen tria requisita concurrere necesse est: I. Ut tertius sciat litem, et patiatur causam agi ab alio, cui praejudicare debet. II. Ut hujus litis defensio praecipue spectet ad eum tertium, non ad litigantem, licet hujus intersit, illum victoriam obtinere. III. Ut in hac lite tractetur de jure et dominio litigantis, a quo, velut ab auctore proprium constat jus vel dominium ipsius, qui patitur rem istam cum alio tractari, quia hic non sine fraudis suspicione tacet, *Covarr. pr. quaest. cap.* 13. *num.* 17. vers. *tandem in summa, Petr. Barbos. in l. quae dotis* 34. *num.* 160. *ff. sol. matrim. Klock. vol.* 1. *cons.* 56. *num.* 1.
6 *et seqq.* Exempla habentur in *d. l.* 63.— 1. Si creditor experiri passus est debitorem de proprietate pignoris: 2. Maritus socerum de proprietate rei in dotem datae: aut 3. Possessor venditorem de proprietate rei emptae. Vid. *Hartm. Pistor. p.* 4. 29. et *Donell. lib.* 27. *c.* 1. *Carpz. lib.* 3. *resp.* 17. *et p.* 1. *jurisprud. const.* 26. *def.* 13. *Gail. lib.* 1. *obs.* 69. *et obs.* 70. *num.* 13. *obs.* 126. *num.* 2. *Bacchov. in Tr. v.* 2. d. 23. *th.* 5. *lit. E.* conferantur notata ad *d. l.* 63. *seu penult. ff. de re judic.* et quae notantur a *Panorm. in c. pen. X. de re judic.*

L. Juris manifestissimi. 3.

SUMMARIA

Regula legis praeced. *ad criminalia extenditur. num.* 1.
Inter plures ejusd. criminis socios absolutio vel condemnatio unius neque prodest, neque nocet caeteris. 2.
Exemplo declaratur. 3.
Limitatur. 4.

Haec regula, quae habetur *in l. praeced.* extenditur ad criminalia. Sic si plures sunt ejus- 1
dem criminis socii, absolutio vel condemnatio unius neque prodest neque nocet caeteris, *arg.* 2
l. 2. *C. si reus vel accusator mortuus fuerit.* Sic adultero accusato et condemnato, adulterae
condemnatio non nocet, *l.* 17. §. *fin. ff. ad leg.* 3
Jul. de adulter. Decianus in pract. crimin. lib. 3. *cap.* 30. sed haec vera sunt, nisi reus fuerit
absolutus, nam tunc regula illa locum non habet, v. g. Titius accusavit Cajum, sed hic absolutus est, Sempronius Cajum de eodem crimine accusat, quaeritur: *An possit?* Resp. quod non, quia Cajus semel absolutus, nisi Sempronius prius probet, Titium, sive primum accusatorem esse praevaricatum, *l.* 3. §. 1. *ff. de praevar. l.* 7. §. 2. *ff. de accusat. Tiraq. loco mox citando limit.* 25. *Anton. Matthesil. ad lib.* 48. *ff. tit.* 19. *cap.* 2. *num.* 2. 4

L. Nec in simili. ult.

SUMMARIA

Regulae in l. 2. *extensio. num.* 1.
Non exemplis, sed legibus judicandum. 2.
Aliae a regula limitationes. 3.

Est extensio regulae illius, quae in *l.* 2. habetur: In tantum me gravari non posse senten- 1
tia inter alios lata, ut ne quidem ex sententia argumentum duci possit ad casum hunc similem, quia non exemplis, sed legibus judican-
dum, *l.* 13. *supra de sentent.* De qua regula passim et praesertim apud, *Barbosam locuplet. lib.* 5. *cap.* 28. *axiom.* 9. Aliae limitationes pe- 2
tantur ex tractatu *Tiraq. tom.* 5. *in fine in tit. res inter alios acta,* ut, si solum per consequentiam tangat lis tertium, si praesens non potuisset impedire, idem, quod praejudicium aliquam praesumptionem faciat contra tertium, etc. et conferantur quae notata ad *l. ingenuum* 25. *ff. de statu hom.* 3

TITULUS LVII.

Comminationes, epistolas, programmata, subscriptiones auctoritatem rei judicatae non habere.

LL. 1. 4. 5. 6. et 7.

SUMMARIA

Formulae comminationum, quibus judices partibus interdum quid injungere solent. num. 1.
An hae comminationes, vel decreta habeant vim sententiae? 2.
Causae cognitio sententia praecedat, et post allegationes partium auditas et examinatas ea demum ferri debet. 3.
Comminatio in publico programmate contra absentem proposita non nocet. 4.
Nisi eadem istiusmodi causa cognita et per modum decreti fiat. 5.
Decretum, si naturam sententiae interlocutoriae habet, causa cognita retractari potest. 6.
An judex propositam in mandato monitorio poenam vel mulctam augere vel minuere possit. 7.
Quid si gravior contumacia? 8.

Judices solent interdum aliquid injungere par- 1
tibus, addita comminatione, v. g. nisi inter mensem centum solveris, praestabis usuras centesimas, *l.* 1. *h. t.* vel, nisi debitum solveris,

duplum praestare debebis, *l.* 4. et similibus
clausulis. Item si libellum actoris statim exe-
quantur, et sententiam fulminent ac praecipi-
2 tent, *l.* 5. *h. t.* Quaeritur: *An hae commina-
tiones vel decreta habeant vim sententiae?* Quod
negatur in *lege prima*, ubi negatur, quod ta-
lis comminatio habeat vim tacitae stipulationis,
v. g. si dicam, solves mihi centum, si nonagin-
ta non dederis, stipulatio est, sed non ita in
voce judicis, quae non per modum contractus,
3 sed in invitum emanat; quia sententiam causae
cognitio, i. e. plena rei discussio praecedere, et
post allegationes partium auditas et examinatas,
ferri debet, *l.* 9. *supra de jud. l.* 1. *et ult. su-
pra de execut. rei judic. l.* 7. *in fine supra de
sentent. l.* 5. *h. t.* Sententia enim magno con-
flictu decerni debet, et ita absurdum est, com-
minationi, quae temere saepe fit et paucis ver-
bis, vim sententiae tribuere, *l. fin. h. t.* Hinc
4 talis comminatio non nocebit, si in program-
mate, i. e. in publico edicto contra absentem
5 sit proposita, *l.* 6. *h. t.* nisi comminatio istius-
modi causa cognita fiat, et per modum decre-
ti, *l.* 7. §. 7. *ff. de adm. tut.* Sicut etiam man-
data sine clausula dantur in casu, ubi factum
jure prohibitum, vel subest timor armorum,
aut periculum in mora, quibus solet annecti
citatio ad docendum de paritione, vel viden-
dum se declarari in poenam mandati, *Gail.*
6 *l.* 1. *obs.* 15. *num.* 3. Quamvis etiam decre-
tum, si naturam sententiae interlocutoriae ha-
beat, causa cognita retractari possit, per *l. quod
7 jussit ff. de re judic.* Hic quaeritur; *An judex
propositam in mandato monitorio poenam vel
mulctam augere vel minuere possit?* Et quidem
*Bart. in l. unic. ff. si quis jus dicenti non ob-
temperaverit*, affirmat, per *l.* 4. *et* 6. *h. t.*
Quia quando judex aliquid mandat sub poena,
voluntas potius comminantis quam sententia ju-
dicantis sit, nec rei judicatae auctoritatem ob-
tineat. Verum id negat cum *Albano Petr. Frider.
Mind. lib.* 2. *de mand. judic. cap.* 4. *num.* 2.
Quoniam citatus majoris poenae metu fortasse
inobediens non fuisset. Quod quidem concedo,
nec puto judicem facile exasperaturum poenam,
sine aliqua justa causa. *Quid vero si gravior sit* 8
contumacia? Tunc poenam exasperari posse
concedit *Mind.* per *c. cum super* 2. *X. de te-
stibus cog.* At vero minui posse puto; Imo ex-
perientia testatur, plane remitti tales mulctas
comminatas, non sine justitiae detrimento, sed
minui tamen posse ex eo patet, quia non est
sententia. Ergo potest retractari, multo ergo
magis minui, si ita videbitur judici, praesertim
ob paupertatem hujus saeculi. Quin et ipsa ve-
ritas divina, poenas in monitoriis suis expres-
sas, saepe minuit, et mitigat, quia etiam in
monitoriis suis innumerabiles simul, et ineffa-
biles et incorporabiles promissiones, gratias,
benedictiones, clementias, salutem hujus et
futurae vitae offert facientibus: o ter milliesque
felices, qui talibus mandatis, monitoriis et edi-
ctis et tanto talique monitori obediunt atque
morem gerunt! Sunt verba *Mindani d. c.* 4.
num. 7.

LL. 2. et 3.

SUMMARIUM

An epistola vel rescriptum judicis, aut quum libello supplici subscribit, v. g. fiat secundum petita etc. *habeat vim sententiae?*

Eadem ratione epistola vel rescriptum judicis, *l.* 2. *h. t.* aut quum libello supplici subscribit, v. g. *fiat secundum petita etc.* non habent vim sententiae, multo minus ergo talis subscriptio sententiam priorem tollit, *l.* 3. *h. t.* quam nec posterior sententia tollere potest, *l.* 1. *supr. sententiam rescindi non posse.* Res est plana, et ideo non immoror.

TITULUS LVIII.

Si ex falsis instrumentis seu testimoniis judicatum sit.

SUMMARIA

Quando judex falsis instrumentis vel attestatis deceptus sententiam contra me tulit, non obstat res judicata. num. 1.

Quid si conveniar vel conveniam, et reus excipiat, se pro se habere rem judicatam? 2.

Rationes decidendi. 3.

Tria probanda veniunt ejusmodi sententiam impugnanti. 4.

Quid juris, si alia instrumenta producta, vel aliae probationes allatae? 5.

An necesse sit circa falsitatem attestatorum probare, quod testes fuerint pecunia corrupti? 6.

Corruptio testium sententiam non evacuat, si testes, licet pretio empti, verum dixerint. 7.

An sententia, quam falsis allegationibus quis pro se meruit, impugnari possit? 8.

Quaenam allegationes hic intelligantur? 9.

Quando judex instrumentis falsis vel falsis at- 1
testatis deceptus, sententiam contra me tulit,
non obstat res judicata, sed si conveniar, pos- 2
sum excipiendo crimen falsi opponere, vel si
conveniam, et reus excipiat, se pro se habere
rem judicatam, replicando possum crimen fal-
si opponere, *l. ult. h. t. l.* 75. *ff. de jud.* cujus
duplex ratio: 1. Ne alter indebite damnum sen- 3
tiat: 2. Ne alter ex sua malitia et dolo commo-
dum sentiat, *Caevall. in spec. qu.* 841. *num.* 1.
Sed probanda mihi tria sunt: 1. Quod attestata 4
vel instrumenta illa sint falsa, *l.* 1. *h. t.* - 2.
Quod adversarius sciens illis usus sit, et ideo

est de crimine hoc falsi convincendus, *l.* 2. *et* 3. *h. t. l.* 4. *de fals.* 3. Quod judex fidem eorum secutus sit, *d. l.* 1. *et* 3. *h. t.* Si autem
5 praeterea alia instrumenta producta, vel probationes aliae allatae, aliud obtinet. Nam si quaedam instrumenta vera producta, quaedam falsa, judex potius vera secutus praesumitur, nisi actor velit probare ex tenore sententiae vel actis vel aliter, judicem falsa documenta esse secutum, *Castrens. ad d. l.* 1. *num.* 5.
6 Sed: *An necesse est probare circa falsitatem attestatorum, quod testes fuerint pecunia corrupti?* Resp. affirm. *Donell. lib.* 27. *c.* 7. per *l.* 33. *ff. de re judic.* quod tamen improbat *Hillig. lit. H. et Trentac. lib.* 2. *de sent. resol.* 3. *num.* 22. *Vasq. p.* 2. *lib.* 2. *cap.* 36. *num.* 4. nec enim in rescriptis a contrario sensu arguere licet, et qui corruptionem allegat, eam probare debet, *c. licet causam X. de probat.* Et communem hanc sententiam ex *l. fin. C. si minor se majorem dixerit*, probat *Oddus de restit. q.* 78.
7 *art.* 5. Sed nec corruptio testium sententiam evacuat, si testes, licet pretio empti, verum di-
8 xerint, *Oddus d. q. art.* 7. sic si falsis allegationibus quis sententiam pro se meruit, sententia impugnari potest, *d. l.* 75. *de judic.* quod
9 de illis allegationibus juris intelligendum videtur, quando judex in tali loco constitutus peritiores consulere non potuit. Vid. *Oddus de restit. q.* 78. *art.* 2. Sane si ex consilio sapientis sententiam tulit judex, juris non adeo gnarus, et sapiens corruptus malum consilium suggessit, sententiam impugnari posse puto.

L. Si tabulas. 1.

SUMMARIA

Facti species. num. 1.
Casus l. fin. C. de fid. instrum. 2.

1 A Titio petii haereditatem, sed dum producit testamentum fuit absolutus: Et illa sententia transit in rem judicatam, Quaeritur: *An possim postea impugnare sententiam?* Quod affirm. si velim probare illud esse falsum, quia de crimine falsi nondum quaesitum est, et judicem illius fidem esse secutum, quod ex ipsa sententia facile patet. Ex qua lege patet, si in primo judicio replicassem de falso, sed judex non attenta illa replica pronunciasset pro testamento, quia forte non probavi, non possum
2 denuo de falso quaerere, de quo casu intelligenda *l. fin. C. de fide instrum.* et inde probandum etiam esse dicit *Perez hic num.* 2. quod in priori judicio nulla facta fuerit de falso cognitio, et sufficit hic civiliter de falso quaeri, *l.* 23. *ff. de falsis*, et licet de falso non fuerit in sententia pronunciatum, ad excludendam tamen falsi querelam sufficit de falso ibi esse actum, et tacite pronunciatum, *Castr. hic num.* 2. *et Oddus de restit. q.* 78. *art.* 1. *n.* 12.

L. Et qui. 2.

SUMMARIA

Duo in hac lege veniunt notanda, et quaenam? num. 1.
Restitutio ex generali causa ad absentem tantum, non ad alios quam qui sine culpa sua absunt, juxta multos Neotericos pertinet. 2.
An isti restitutio competat, qui non appellavit, si adversarius fraudis conscius? 3.
An sententia ejusmodi ex instrumentis lata pariat exceptionem rei judicatae? 4.
Ad l. Divus 33. *respondetur.* 5.
Receptior hac in parte sententia. 6.

Est repetito *legis primae* nisi quod hic de instrumentis falsis agatur, sed notanda sunt in *hac lege* duo: I. Posse a tali sententia provocari, et propterea eam non absolvi a vitio nullitatis. II. Sententia ex instrumento falso lata, causam ex integro esse audiendam, unde videtur Colligi: Non hoc fieri per restitutionem, quia haec phrasis tantum de iis usurpari solet judiciis, quae ipso jure nulla sunt, *Carpzov. p.* 1. 1
c. 15. *def.* 2. *in fine.* Et restitutio ex generali 2
causa ad absentem tantum pertinet juxta multos Neotericos, per *l.* 26. §. *ult. et l.* 28. *pr. ff. ex quibus causis major.* nec ad alios, quam qui sine culpa sua absunt, *d. l.* 26. §. *ult.* hic autem in culpa est, quod non appellavit, quamvis 3
communiter restitutionem concedant ei, qui non appellavit, si adversarius fraudis conscius, *Oddus d. q.* 77. *art.* 4. Et talis sententia non 4
parit exceptionem rei judicatae, per *l.* 11. *ff. de exception. rei judic.* Et *ad l. Divus* 33. po- 5
test responderi, quod causa dicatur restitui, quando nulliter decisa, *l.* 3. §. 9. *ff. de jure Fisci.* Et ita *Donell. lib.* 27. *c.* 7. *post lit. H. et ibi Hilliger et Zasius lib.* 1. *resp. sing.* 13. et quos citat *Hillig. d. lit. H. Perez ad hunc titulum num.* 13. licet receptior sit sententia, opus es- 6
se restitutione in integrum, nisi sit lata contra absentem aut contra minorem, per *l.* 1. *C. si tutor vel curator ex falsis allegat. Menoch. lib.* 2. *A. Q. casu* 15. *Vasq. lib.* 2. *contr. c.* 36. *num.* 16. *Trentac. lib.* 2. *tit. de sentent. resol.* 3. *Bacchov. d. disp. th.* 5. *lit. B. Oddus d. q.* 178. *et praeced. passim.*

L. Falsam. 3.

SUMMARIA

Extensio superiorum ad falsam testationem seu falsa testimonia. num. 1.
Quale instrumentum h. l. *intelligatur?* 2.

Superiora extenduntur ad falsam testationem, 1
seu falsa testimonia, sive pecunia corrupti, sive gratia seducti testes falsum dixerint. Sicut enim in instrumentis falsis non opus est, ut probetur corruptio tabellionis, ita nec in testimoniis falsis, *Castr. ad l.* 1. *num.* 6. *Hillig. et Trentac. et Vasq. jam allegati.* Quod autem 2
hic de instrumento dicitur, procul dubio de tali intelligendum, in quo testimonia erant descripta.

L. Judicati. ult.

SUMMARIA

Lite super rescissione vel nullitate sententiae pendente, ejus suspenditur executio, et si sen-

tentia rescissa vel nulla declarata, soluti datur repetitio. num. 1.
Nullitatis quaestio Jure Can. non impedit executionem prioris sententiae. 2.

1 Pendente lite super rescissione vel potius nullitate sententiae, ejus suspenditur executio, et si sententia rescissa vel nulla declarata sit, soluti datur repetitio. Sed Jure Canonico nullita- 2
tis quaestio non impedit executionem prioris sententiae, *Clem.* 1. *de sentent. et re judic. Sigismund. Scaccia de appellat. q.* 1. *remed.* 19. *concl.* 4. *Berlich. p.* 1. *concl.* 11. *num.* 11.

TITULUS LIX.

De confessis.

L. Confessos. un.

SUMMARIA

Confessus in jure et in judicio pro judicato habetur, et quodammodo sua sententia condemnatur. num. 1.
Ab hac confessione recedi nequit. 2.
Confessus pro judicato quidem habetur, neque tamen judicatus, sed adhuc judicandus est. 3.
In civilibus nulla alia cognitio requiritur. 4.
Secus in criminalibus, ubi praeter confessionem, de corpore delicti constare debet. 5.
An confessus debeat condemnari? 6.
Donellus *notatur.* 7.
Confessio judicialis ut quis pro judicato habendus sit, requiritur. 8.
Quando extrajudicialis locum habeat? 9.
Confessio ab actore acceptari debet. 10.
In dubio quomodo confessionem judex interpretetur? 11.

1 Confessus in jure, et judicio coram judice competente, *Donell. lib.* 28. *cap.* 1. *lit. B.* pro judicato habetur, *Auct. in l.* 1. *ff. h. t. num.* 1. *et* 4. et quodammodo sua sententia condemnatur, *hic et l.* 1. §. 3. *l.* 6. *pr. et* §. 2. *ff.*
2 *h. t.* nec ab hac confessione recedi potest, et nullae sunt partes judicantis in confitentes, *l.* 25.
3 §. *ult. ff. ad l. Aquil.* Verum pro judicato habetur tantum, non tamen est judicatus, nam adhuc omnino judicandus et condemnandus
4 est, *l.* 3. §. 5. *ff. eod.* quamvis nulla alia cognitio requiratur, scilicet in civilibus, *d. l.* 25.
5 §. *ult. ff. ad l. Aquil.* nam in criminalibus, non sufficit confessio rei, sed de corpore delicti constare debet, vid. *Donell. lib.* 28. *c.* 1. *et Wesenb. in* ϖ. *h. tit. num.* 7. *Anton. Faber in Cod. lib.* 7. *tit.* 24. *def.* 1. *et ult. Auct. in l.* 1. *ff. h. t. num.* 2.
Caeterum in illa quaestione, an confessus 6
debeat condemnari, communiter distinguitur inter civilia judicia et criminalia: In civilibus subdistinguitur, an ante litem contestatam facta sit, an vero post litem contestatam: Illo casu non opus est sententia, hoc casu autem opus est, *DD. hic, Alex. Trentac. clas.* 2. *resol. tit.* 2. *de confess. resol.* 2. *num.* 28. *et seq.* per *l.* 3. *et* 5. *ff. h. t. Bacchov. in Treut. vol.* 1. *disp.* 4. *th.* 1. Quamvis autem hanc *Doctorum* senten- 7
tiam refutare nitatur *Donell. lib.* 28. *c.* 1. puto tamen eam satis esse probabilem, nam si quis ante litem contestatam fuerit confessus, non potest sequi litis contestatio, ergo nec sententia; sed post litem contestatam sequi potest. In criminalibus sane confessus nunquam habetur pro judicato, sed sententia opus est, quia hic non sufficit sola confessio, *Trentac. d. l. num.* 3. *Franc. Vivius dec.* 68. *Ricc. dec.* 912. *arg. l.* 5. *ff. de custod. reor.* Illud procul dubio verum est, si quis pro parte confessus sit, illum numquam pro condemnato haberi, sed opus esse sententia. Sed quod superius di- 8
ctum, confessum in jure pro judicato esse, id de judiciali confessione intelligendum, *Auct. in d. l.* 1. *ff. h. t. num.* 5. non vero de extra- 9
judiciali confessione, nisi ea sit geminata. Nam ea judiciali aequivalet, per tradita *Berlich. p.* 1. *concl.* 36. *num.* 101. *et seq. et Martinus Nauratus ad hunc titulum lit. D. Carpzov. p.* 1. *c.* 16. *d.* 61. *Auct. in l.* 6. *ff. h. t. num.* 6.
Debet autem confessio rei ab actore acceptari, 10
Masc. concl. 347. *et Naurat. d. l. lit. B.* In dubio autem confessionem rei ita interpretabitur 11
judex, ut in partem meliorem accipiatur, *Mevius part.* 6. *dec.* 404. *Farin. q.* 81. *cap.* 1. *Dn. Nauratus in notis ad h. t. lit. E.*

TITULUS LX.

Inter alios acta vel judicata, aliis non nocere.

L. Inter alios. I.

SUMMARIA

Casus legis. num. 1.
Res inter alios actae aliis non praejudicant. 2.
Limitationes hujus regulae. 3. 4. 5.

Titius mihi debuit centum, convenio ejus 1
haeredem, vinco et obtineo; Quaeritur: *An et contra reliquos haeredes probaverim?* Neg. quia est res inter alios acta, et in re judicata requiruntur eaedem personae, *l.* 14. *et* 27. *ff. de except. rei judic.* Quamvis interdum noceat, quoties eadem causa vincendi, idemque status causae apud judicem eumdem. Vid. *Carpzov.*

part. 1. *jurispr. constit.* 26. *defin.* 16. *et* 17.
2 Et sic colligitur regula ex *rubro et nigro:* Res inter alios actas aliis non praejudicare, de qua integrum tractatum scripsit *Tiraquellus tom.* 5.
3 et ejus limitationes proponit *ibidem, et Card. Tusch. concl.* 265. *lit. R. Vasq. p.* 2. *lib.* 2. *c.* 23. *num.* 15. et ex veteribus *Bart. ad hanc le-*
4 *gem* 1. Praecipue vero non habet locum regula in causa ingenuitatis, quae omnibus praejudicat, et in causis status, *l. ingenuum* 25. *ff. de statu hom. l.* 27. §. 1. *ff. de lib. causa, Carpzov. d. def.* 16. *num.* 2. Quod ad eum casum extendit *Carpzov. defin. seq.* si inter unum creditorem et debitoris haeredem pronuncietur, hunc cum beneficio legis et inventarii esse haeredem, nam haec sententia etiam caeteris cre-
5 ditoribus praejudicat. Nec habet locum, si secundario et per consequentiam mediante uno ad caeteros pertineat sententia: Sic sententia lata contra haeredem, vergit etiam in praejudicium substituti, per *l.* 1. §. *pen. ff. de inspic. ventre*, et quos allegat *Tiraq. d. tr. limit.* 1. Conf. *Mascardus concl.* 1274. *per totam*, *A Barbosa locuplet. l.* 16. *cap.* 40. *axiom.* 15.

L. 2. et ult.

SUMMARIUM

Pactum vel transactio inter duos interposita non nocet aliis.

Sic neque transactio vel pactum inter duos interpositum nocet aliis, v. g. avia mihi donavit mancipium, de quo haeredes aviae transigunt, id mihi non praejudicat, *l.* 2. Unde probant: Transactionem factam cum uno, aliis non praejudicare, *Card. Mantica de tac. et amb. convent. lib.* 26. *t.* 4. *per totum.* Nec praejudicat mihi fratris, et ejusdem cohaeredis mei pactum cum debitoribus factum, *l.* 3. *h. t.*

TITULUS LXI.

De relationibus.

L. Si quis. 1.

SUMMARIA

Relatio quid sit? num. 1.
Factum Princeps h. l. *supplere non potest.* 2.
Ubicumque vel expresso jure destituimur, vel judex de intellectu legis dubitat, Principem aut Praesidem consulit, et quaerit, quid sit pronunciandum? 3.
Quid si tulerit sententiam, an adhuc referre possit? 4.
Relatio quomodo debeat esse comparata? 5.
Si relatio in uno vel altero, alteri parti minus plena videatur, haec offerre potest preces refutatorias, quibus Principem rogabit, ne relationi fidem habeat. 6.
Quotuplex judicuum relatio. 7.
Judex non tantum in relationibus ante appellationem, sed etiam post appellationem relationis exemplum partibus edere debet. 8.
Relatio non minus atque appellatio jurisdictionem judicis suspendit, ita ut ea pendente a judice nihil sit innovandum. 9.
Limitatur. 10.
Hodie transmissa causa in Collegium Juridicum judex in causa nihil decernere debet. 11.
An a sententia, quae ex Principis consilio fertur, appellare liceat? 12.

1 Relatio est, cum judex Principem vel Praesidem consulit de jure dubitans, non de facto, *l.* 79. §. 1. *ff. de judic. l.* 3. §. 1. *ff. de testibus.*
2 Nam factum supplere Princeps non potest, sed
3 jus, et ideo, ubi vel expresso jure destituimur, vel si judex de intellectu legis dubitet, *Speculator lib.* 2. *p.* 2. *h. t. de relat.* §. 2. *num.* 1. consulit aut Principem, aut Praesidem, et quaerit, quid sit pronunciandum, *l.* 1. *h. t. et l.* 22. *et* 26. *ff. de appell.* Sed ipse, si semel referendum dixit, a sententionando debet abstinere. Quod si autem tulerit sententiam, non 4
potest postea referre, et licet fecerit, partes tamen possunt a sententia judicis appellare. Relatio autem debet esse plena, ut in facti specie 5
nihil desideretur inquirendum, et relationis exemplum edendum est partibus, qui vel consentient, vel si in uno aut altero relatio alteri 6
parti minus plena videatur, haec refutatorias preces offeret, quibus rogabit Principem vel Praesidem, ne relationi fidem habeat, hoc enim in ea adhuc considerari posse. Quintuplex au- 7
tem relatio judicum: 1. Ex natura causae Principi reservatae: 2. Delegati judicis ad delegantem ex rescripto: 3. Ad consilium sapientum perquirendum: 4. Post appellationem quando transmittuntur acta: 5. Quae ob difficultatem fit in puncto juris, Confer. *Maranta in Spec. p.* 4. *part.* 6. *princ. num.* 5. *Lancellot. de attent. p.* 2. *cap.* 8. *num.* 2. *et seq. Arnold. Reyger. de process. disp.* 10. *d.* 21. Colligitur autem: I. Debere judicem non tantum in relatio- 8
nibus ante appellationem, de qua hic sermo est, sed etiam post appellationem, relationis exemplum partibus edere, cum ratio, praesertim in *l.* 2. posita generalis sit, *Donell. lib.* 28. *cap.* 7. *post lit. N.* II. Quod relatio, non mi- 9
nus atque appellatio suspendat jurisdictionem judicis, ita ut ea pendente a judice nihil sit innovandum, *Specul. d. t.* §. 5. *Masc. concl.* 987. *num.* 8. *Lancellot. de attent. p.* 2. *c.* 8. *num.* 1. *Zanger. ad rubr. X. de appell. in fine.* Quia referendo ad superiorem suum judex jurisdictionem suam ipse suspendit, *c. licet X. de officio judicis deleg. Mevius part.* 1. *dec.* 215. *num.* 2. quod tamen limitandum, nisi judex re- 10
lationem revocaverit, *Lanc. d. l. num.* 15. Sic etiam hodie transmissa causa ad Collegium Ju- 11
ridicum, judex in causa nihil debet decernere, *Lancellot. d. tract. p.* 2. *Maranta d. t. de ap-*

pell. num. 10. III. A sententia, quae decreta relatione fit, posse appellari, cum tamen videatur esse nulla; quippe contra prohibitionem
12 facta. Sed quaeritur: *An a sententia, quae ex consilio Principis fertur, possit appellari?* et quidem id affirmandum per *l.* 1. §. 1. *ff. de appell.* quia videtur potius provocari adversus errorem relatoris, quam adversus sententiam Principis, *Scacc. de appell. q.* 16. *limit.* 1. *num.* 135.

L. Super delictis. 2.

SUMMARIA

Extensio eorum, quae dicta in l. 1. *ad delicta. num.* 1.

Ea, quae in civilibus causis necessaria, magis in criminalibus erunt necessaria. 2.

1 Repetit quod in *lege prima* dixerat, idque ad criminalia extendit, quod scil. etiam in delictis exemplum relationis sit prius edendum partibus, ut eam vel adsensu comprobent, vel re-
2 futent. Unde probatur: ea, quae in civilibus causis necessaria sunt, multo magis necessaria esse in causis criminalibus, quia in majus periculum.

L. Si quando. ult.

SUMMARIA

Relatio juxta actorum modum omnes causas et circumstantias facti comprehendat, ut recensione, iterata examinatione opus non sit. num. 1.

Acta relationi jungenda et cur? 2.

Acta judici, qui consulitur, integra transmitti debent. 3.

Cur inrotulatio actorum fieri soleat? 4.

Quomodo relatio ex actis fiat? 5.

1 Relatio omnes omnino causas et circumstantias acti comprehendat, juxta modum actorum, ut recensione, iterata examinatione actorum,
2 non sit opus. Acta tamen relationi jungenda sunt, ut si dubium occurrat, ad acta recurri, et ex his relatio explicari possit. Unde conclu-
3 dunt, quod acta integra judici, qui consulitur, sint transmittenda. Et ideo acta transmittenda, citatis et praesentibus partibus inrotulari solent, 4
ut partes, si desiderare aliquid possint, hoc moneant, et acta integra transmitti possint. Colligitur etiam ex *hac lege:* Quomodo relatio- 5
nes ex actis debeant fieri, scilicet debet ita factum perspicue proponi, ut ex ea facti omnes circumstautiae haberi et sciri possint. Quomodo autem ex actis referendum sit, Vid. *Ord. Camer. p.* 1. *tit.* 13. *Petr. Denaysius in Jure Can. cap.* 259. *et seqq. Dn. Stypmannus profess. Acad. Gryphisw. p. m. in pec. tract. de modo referendi.*

Auth. Novo jure.

SUMMARIA

Relationes ante appellationem fieri solitae per Nov. 125. cap. 1. *sunt sublatae. num.* 1.

Judices in dubio occurrentes, vel ipsi, quod juris putant, pronunciare, vel ut hodie fieri solet, peritiores consulere debent. 2.

Appellatio non statim recipitur, sed ad judicem a quo *rescribi, et informatio super narratis requiri solet.* 3.

An interim inferior judex in causa principali aliquid decernere possit? 4.

Per Nov. 125. *cap.* 1. relationes sunt sublatae, 1
quae scil. ante appellationem fiebant, quia moram judiciis longiorem adferre solebant, quae sententia esse videtur communiter recepta, *Matth. Steph. ad Nov.* 125. *Rittershus. p.* 9. *c.* 7. *num.* 6. *Andr. Vallensis in* ϖ. *Jur. Can. tit.* de appell. §. *fin. Dn. Hahn. in obs. ad* ϖ. *Wesenb. de appell. in fine,* ideoque judices, quum 2
ipsis dubium occurrit, ipsi debent pronunciare, quod juris esse putent, aut, ut hodie fieri solet, possunt peritiores consulere, *Dn. Hahn. d. l.* Illa vero relatio, quae a judice post appellationem, ad judicem ad quem, est dirigenda, de qua *l.* 24. *tit. seq. per Nov. istam et Auth.* non est sublata. Nam solet superior ju- 3
dex interdum non statim recipere appellationes, nec appellatorios processus statim decernere; sed prius ad judicem *a quo* rescribi solet, et informatio seu relatio super narratis requiritur, quo facto inferior in causa principali 4
decernere nihil quicquam potest, sed si quid decernat, attentata ea sunt, et merito revocanda, non secus, ac si appellatio jam recepta esset, *Mevius part.* 6. *dec.* 418.

TITULUS LXIII.

De appellationibus et consultationibus.

SUMMARIUM

Triplex vocabuli appellationis *acceptio.*

Vocabulum *appellationis* sumitur tribus modis: 1. Proprie, et sic est ab inferiori judice ad superiorem, a sententia vel gravamine facta provocatio: 2. Improprie, pro aliqua consultatione, qua per sententiam gravatus appellat non ad superiorem, sed ad alium judicem quasi interpretem et peritiorem juris hujus, et sic a nonnullis civitatibus appellatur ad Senatum Lubecensem tamquam juris Lubecensis interpretem, quae proprie appellatio non est, et ideo nec compulsoriales nec inhibitoriales Senatus Lubecensis decernit, sed tantum requisitoriales, *Matth. Steph. de jurisdict. lib.* 11. *cap.*

7. num. 362. Hillig. lib. 28. cap. 7. lit. A. Dn. Hahn. in obs. ad Wesenb. h. Et. n. 2. t 3. accipitur adhuc generalius, pro provocatione partis a privato laesae ad judicem ordinarium, cap. 51. X. h. t. et ibi Panorm. Scacc. de appell. quaest. 2. num. 33.

L. Prius de possessione. 1.

SUMMARIA

Facti species communiter proponi solita. num 1.
Duplex inde deducta quaestio. 2.
Alia facti propositio. 3.
Quando in accusatione criminali vis turbativae contingit dubitari de possessione, prius de possessione agi debet, et de ipsa prius pronunciari, quam de crimine violentiae. 4.
Causa civilis tanquam judicialis criminali praefertur. 5.
Ad leges obstantes respondetur. 6.

1 Communiter ita speciem facti proponunt: Titius me dejecit possessione, ideoque contra ipsum intendo interdictum *unde vi;* causa pendente accusavi Titium criminaliter de eadem vi commissa, *ex ff. ad legem Juliam de vi publica;* judex prius de crimine inquirit et pronunciat, suspenso interim possessorio, quod tamen prius
2 intentatum; Quaer. 1. *An recte? - 2. et an possit appellari?* Ad *primum*, videtur quod sic, *ex l.* 37. *ff.* de *jud. et l.* 5. §. 1. *ff. ad l. Jul. de vi publ.* Sed negatur hic, quia possessorium hic prius intentatum, et hoc prius expediendum. *Ad secundam quaestionem* quod attinet, videtur illa sententia esse nulla, per *l. prolatam* 4. *Cod. de sent.* Sed illa *lex* 4. agit de praeposteratione processus substantialis in una causa, non vero de praeposteratione causarum, quando plures actiones concurrunt, ideoque appellandum est. Vel potest etiam species fa-
3 cti ita proponi: Accusavi Titium criminaliter de turbata possessione, Titius excipit negando, se me turbasse, sed possessionem suam tantum continuasse, hinc quaestio est: *An non prius de possessione cognoscendum?* quod Aff. quia haec est quaestio praejudicialis, nam si possessio mea fuit, potuit Titius de vi accusari, si possessio fuit Titii, non potuit de vi criminali-
4 ter conveniri. Et ideo *ex hac lege*, potest probari: quando in accusatione criminali vis turbativae contingit dubitari de possessione, ut puta, quia accusatus dicit, se vim non intulisse, sed possessionem sibi competentem continuasse, quod tunc prius agi debeat de possessione, et de ipsa prius pronunciandum, quam
5 de crimine violentiae, et sic causa civilis tamquam praejudicialis praefertur hic criminali, *Natta cons.* 138. *num.* 1. *et seqq. et num.* 26. *Cravetta cons.* 280. *num.* 3. *Farin. quaest.* 100. *num.* 62. *Fachin. lib.* 8. *cap.* 8. *Conf. Menoch. rem.* 1. *recup. possess. num.* 351. *et seqq.* Et
6 quamvis adversari videantur *l.* 5. *ff. ad l. Juliam de vi publ. et l.* 37. *ff. de judic.* respondet tamen *Fachin. d. l.* in dictis legibus *possessionis* vocem de proprietate intelligendam.

L. Novum. 2. et L. Eos etiam. 16.

SUMMARIA

An a sententia delegati a Principe possit appellari? num. 1.
Ratio dubitandi. 2.
Decidendi. 3.
Quando ordinarius judex suam mandat jurisdictionem, tunc ad judicem mandante superiorem appellatur. 4.
Quando vero causam cognoscendam dedit, a judice dato ad hunc appellatur. 5.
Hodie a delegato ad delegantem appellatur. 6.
Quatenus distingui h. l. *soleat?* 7.
Quid si totam causam vel articulum aliquem causae subdelegaverit? 8.
Alia casus formatio. 9.

Dedit Princeps judicem delegatum, cui per 1
rescriptum injunxit, ut causam cognoscat inter partes, delegatus fert sententiam, qua alter se putat gravatum; Quaer. *An alter possit appellare?* Videtur, quod non, quia loco Prin- 2
cipis judicavit, *arg. l.* 1. §. *fin. ff. quis et a quo appell. et l.* 16. *h. t.* ubi ratio dubitandi, quod imaginem principalis disceptationis repraesentet, sed affirm. *hac lege* 2. *et* 16. Quia perso- 3
na judicis delegati est a Principe approbata, non vero sententia, *Castr. hic.* Et aliud est mandare jurisdictionem, et judicem dare. Conf. tradita *Fachin. lib.* 1. *controv. c.* 78. *et Coll. Argent. tit. quis et a quo appell. th.* 2. *num.* 2. Licet enim Princeps judicis delegati personam approbaverit, non tamen ejus sententiam approbavit, ut *Castr. ad d. l.* 2. notat *Bacchov. ad Treutl. v.* 2. *d. d.* 33. *th.* 6. *lit. C. et D.* Nam quando ordinarius judex mandat jurisdi- 4
ctionem suam, tunc ad judicem mandante superiorem appellatur, *l.* 1. §. 1. *ff. quis et a quo appelletur, Auct. in l. fin. ff. h. t. num.* 5. 6. Ratio est, quia mandatarius vice mandantis fungitur: quando vero causam cognoscendam 5
dedit, a judice dato ad hunc appellatur, *per l.* 2. *et* 3. *ff. d. t. l.* 21. §. 1. *ff. h. t.* Sed cum jam sublata sit illa, quae tempore *Justiniani* fuit, judicis dandi ratio, et pura postea haec distinctio observata, receptum est hodie, ut a 6
delegato ad delegantem appelletur, *Bacchov. d. l. Gail. lib.* 1. *obs.* 121. *Brederod. de appell. p.* 1. *t.* 15. *lit. D. p.* 137. *Scacc. de appellat. q.* 8. *num.* 14. Nec hic distinguunt jura, an tota cau- 7
sa, an vero pars sit delegata, *Scacc. d. l. num.* 17. nisi ideo facta delegatio, quia suspectum agnoverit, *Scacc. d. l. num.* 19. Sed si delegatus forte a Principe subdelegaverit, tunc recepta est distinctio *in c.* 27. §. *porro X. de officio jud. delegat.* aut subdelegavit totam causam, 8
et ad delegantem primum fit appellatio, aut subdelegavit tantum articulum aliquem causae, et tunc ad subdelegantem fit appellatio, *Molina de J. et J. tr.* 5. *d.* 21. *num.* 5. *Fachin. d. l. Brederod. d. t.* 15. *p.* 171. *Scacc. d. q.* 8. *num.* 32. *et seqq. Besold. de appellat. c.* 4. *num.* 95. *et seqq.* Alii ita casum proponunt; Quod 9
judex retulerit ad Principem, et accepto responso, judex sententiam tulerit, hic parti li-

est appellare, quia non appellat a sententia Principis, quod fieri non potest, sed judicis, et sic a judice, secundum rescriptum Principis judicante appellari potest, *l.* 2. *h. tit.* quia longe alia ratio ejus, quod judex super rescripto ut judex decernit, et quod super mandato a Principe misso ut minister exequitur. Nam hoc casu non admittitur appellatio, bene tamen illo casu, *Mevius part.* 1. *dec.* 244. et a judice a Principe delegato appellabitur, *l.* 16. *h. t.*

L. Appellatione. 3.

SUMMARIA

Facti species. num. 1
Pendente appellatione nihil innovandum a judice a quo. 2.
Nisi ratione fructuum apud sequestrum collocandorum. 3.
Ampliatur regula. 4.

1 Appellavi a sententia judicis, judex appellationem rejicit, ego tamen a rejectione appello; Quaer. *An judex interim*, dum deliberat ipse, an appellatio sit recipienda, vel dum ipse delibero, an prosequi appellationem velim, *sententiam exequi possit?* Resp. Quod non,
2 nam regula est: Pendente appellatione nihil
3 innovandum esse a judice *a quo* (nisi ratione fructuum apud sequestrum collocandorum *l.* 21. §. *fin. ff. h. t.*), idque non tantum verum est quando appellatio recepta, *l. un. ff. nihil*
4 *innovari*, *l.* 6. *ff. h. t.* sed etsi nondum sit recepta, *d. l. un. princ.* quasi licet judex non putet admittendam appellationem, forte quia putat causam non esse appellabilem, judicis tamen jurisdictio per appellationem est suspensa, et non aliquid innovare potest, *Castrens. hic et Lancellot. in tract. de attent. p.* 2. *cap.* 12. *ampliat.* 5. *num.* 2. *et* 3. *Rolandus a Valle consil.* 77. *num.* 5. *lib.* 2. ubi plura in eam rem ex aliis citat.

L. Si ad scribatum. 4.

SUMMARIUM

Discrimen inter officia mere publica et tutelam.

Inter officia mere publica et inter tutelam hoc est discrimen, quod is, qui ad officium publicum nominatur, statim, si nolit eo fungi, appellare habeat necesse, *hic et l.* 1. §. 1. *et* 2. *ff. quando appellandum.* Tutor vero nominatus appellare non habeat necesse, *d.* §. 1. *et* §. 16. *Instit de excus. tut. ubi DD.* rationes exponunt, vid. *Donell. lib.* 3. *c.* 9. *lit. R. et lib.* 28. *c.* 5. *lit. A. et ibi Hillig. Marant. h. t. num.* 324. *Ant. Fab. h. t. def.* 8.

L. Praeses. 5.

SUMMARIA

Appellans a judice a quo *literas dimissorias petere, easque intra tempus a judice* a quo *statutum judici* ad quem *insinuare debet. num.* 1.
Quid si per judicem steterit vel casum fatalem, quod non insinuaverit? 2.
Judex a quo *appellanti certum terminum praestituere potest, intra quem si sistat superiori, et appellationem introducat, et inhibitoriales adferat.* 3.
Fatalis casus et impedimentum in causa est, cur contra desertionem appellans in integrum restituatur. 4.

Appellans debet petere a judice *a quo* epistolas, i. e. literas dimissorias, et eas intra 1
tempus a judice *a quo* statutum, insinuare judici *ad quem. Sed quid si per judicem steterit* 2
vel casum fatalem, quod non insinuaverit? Resp. Nec culpam judicis, *l. un. in fin. ff. de libell. dimiss.* nec casum fatalem, v. g. mortem Tabellari, praejudicare appellanti, *arg. l.* 8. *supra qui pet. tut.* Collige: I. *Ex hac lege* 5. posse judicem *a quo* appellanti praestituere cer- 3
tum terminum, intra quem si sistat superiori, et appellationem introducat, et inhibitoriales adferat, per verb. hic in textu, *praescriptum est, et c.* 4. *X. eodem, Carpz. p.* 1. *c.* 20. *def.* 9. *Scacc. de app. q.* 13. *art.* 10. *Lancellottus de attent. p.* 2. *cap.* 12. *limit.* 14. *Lud. Rom. sing.* 163. *et* 167. *Caepolla cautela* 15. *Guido Papae decis.* 336. II. Fatalem casum, et impe- 4
dimentum in causa esse, cur contra desertionem appellans restituatur in integrum, *Ant. Faber in t. de tempor. app. def.* 15. idque coram judice *ad quem*, *Gail. lib.* 1. *obs.* 143. *num.* 1.

L. Eos. 6.

SUMMARIA

Judex ad quem *non debet causam remittere ad judicem* a quo. *num.* 1.
Judex, licet confirmet priorem sententiam, modo confirmet expresse causae meritis excussis, ipse tamen exequitur. 2.
Carpzovius h. l. *contrarius quomodo possit conciliari?* 3.
Judex alterutrum horum pronunciare debet, justam vel injustam esse appellationem, justam vel injustam fuisse sententiam. 4.
Si judex priorem sententiam honoris causa forte declarat, hoc confirmatoriae magis accedit. 5.
Appellans qui non deduxit et probavit in prima instantia, potest probare in secunda. 6.
Quid si appellans aliquid alleget nondum allegatum in prima instantia, an judex appellationis pronunciare possit injuste appellatum? 7.
Appellans novos testes producens sumptibus suis id facit. 8.
Quando novi testes produci possint, et an etiam super iisdem vel directo contrariis articulis? 9. 10.
Jus civile et Saxon. 11.
In criminalibus quando condemnatus quis appellat quid juris? 12. 15. 16. 17.
Quando in his appellare liceat? 13.
An capitalis criminis rei oblatis fidejussoribus sint relaxandi? 14.

1 *Pr.* Judex *ad quem* seu appellationis non debet causam remittere ad judicem *a quo* seu
priorem, cum enim appellans semel se gravatum dicat, metuere potest, ne adhuc grave-
2 tur. Sed judex, licet confirmet priorem sententiam, modo confirmet expresse causae meritis
excussis (non si propter desertionem, quo casu
executio remittitur ad judicem priorem) ipse tamen exequitur. Vid. *Hillig. in Donell. lib.* 28.
cap. 9. *lit. C. Scaccia de appellationibus q.* 11.
n. 162. *et seqq. Coler. de process. p.* 1. *c.* 1. *num.*
97. *Mynsing. cent.* 4. *obs.* 94. quae sententia
probatur *ex Auth. si quis litigantium C. de*
3 *Episc. audient.* ut ita *Dn. Carpz. qui p.* 1. *const.*
1. *def.* 27. contrarium statuit, forte de interlocutoria sententia intelligi debeat, aut de consuetudine, cum sane citatum ab ipso *cap.* 59.
X. de appell. et Gail. ac Mynsing. de interlocutoria sententia expresse loquantur. Colligitur
4 etiam *ex hac lege:* Judicem debere alterutrum
horum pronunciare justam vel injustam esse
appellationem, justam vel injustam fuisse sententiam. Quod tamen verbis aequipollentibus
fieri potest, *Hillig. in Donell. lib.* 28. *cap.*
5 19. *lit. E.* Si autem priorem sententiam honoris causa declarat, hoc confirmatoriae magis
accedit, *Carpz. p.* 1. *c.* 20. *def.* 27.
6 §. 1. Appellans, qui non deduxit et probavit
in prima instantia, potest probare in secunda,
7 Vid. *l. per hanc* 4. *tit. seq.* Sed quid, si appellans aliquid alleget nondum allegatum in prima instantia, Quaer. *An tunc judex appellationis pronunciare possit injuste appellatum?* Quod
aff. non quidem, quod judex prior injuste vel
contra officium judicaverit, sed quod quoad
jura partis injusta tantum sententia ex post facto reperiatur, nam utraque pars allegare potest novas exceptiones vel replicas, modo super
eadem re, quae prius in judicium deducta, et
modo illud post litem contestatam in prima instantia opponi potuerit, *Hartm. Pistor p.* 1.
quaestion. 23. *num.* 2. *Scacc. de appell. quaest.*
11. *num.* 25. nam si in prima instantia per rem
judicatam deducendi via praeclusa sit, non est
admittendus appellans, ad ejus puncti probationem, *Mevius p.* 3. *dec.* 48. *num.* 9. modo
appellans id probare neglexerit, sine fraude et
animo protrahendi litem et fatigandi adversarium, *Mevius p.* 2. *dec.* 153.
§. 2. Quum autem appellans producit novos 8
testes (quod quando fieri possit, Vid. *d. l. per* 9
hanc), tunc id sumptibus appellantis fieri debet, ratio aequissima *hic et l.* 11. *ff. de testibus*, et super iisdem vel directo contrariis ar- 10
ticulis testes novi non possunt produci etiam
in instantia appellationis, *per Clement. fin. de*
testibus, cui merito et in Foro Civili et Saxon. 11
standum, *Carpz. p.* 1. *c.* 21. *def.* 2. *Mynsing.*
c. 1. *obs.* 41. *in fine Gail. l.* 1. *obs.* 105. *num.*
2. *Farin. q.* 75. *c.* 4. *num.* 75.
§. 3. In criminalibus quando quis condemna- 12
tus est, et appellat (nam ante sententiam non
potest appellare, *l. pen. infra quorum appellat.*
non recip. regulariter sc. nam interdum et
ad interlocutoria appellari potest, v. g. si tortu- 13
ra dictetur, quia hoc gravamen per sententiam
definitivam tolli non potest, *l.* 2. *ff. de appell.*
recip. Et sic a decreto carcere appellari posse
post alios tradit *Ant. Matth. ad l.* 48. *tit.* 14.
cap. 2. *num.* 9.), tunc debet condemnatus vel
satisdationem praestare, et hac praestita, si crimen non sit atrox, dimitti, aut si non possit
praestare, in custodia detinendus, *hic et l.* 12.
infra eod. Unde contra receptam sententiam
vult probare *Menoch. lib.* 2. *A. Q. casu* 303.
num. 20. capitalis criminis reos, oblatis fidejus- 14
soribus relaxandos esse, sed puto posse responderi *ad hunc textum*, quod in legibus Codicis
non semper a contrario sensu argumentemur.
Postea opinionis seu relationis exemplum sive 15
copiam partibus edat judex, vid. *l.* 1. *supra de*
relat. Nam praepositio *ab* hic abundat: quia
exemplum relationis non *ab* appellatoribus, sed
appellatoribus edi debet, vid. *Donell. lib.* 28. *c.*
7. *lit. O.* Postea si appellans vel appellatus aliquid in relatione desideret, refutatorias suas 16
preces insinuet pars ea, quae aliquid desiderat,
juxta *d. l.* 1. Et ita ad scrinia seu tabelliones 17
judicis *ad quem*, seu superioris acta transmittantur. Et cum haec jure civili constituta sint,
puto judicem *ad quem* teneri parti petenti exhibere relationem inferioris judicis, quando pro
sua informatione judex *ad quem* relationem
petiit, licet hoc neget *Mevius p.* 3. *dec.* 251.
nec potest negari parti praejudicium creari
posse; nam ex tali relatione commotus judex
ad quem processum appellatorium denegat, quo
ipso appellans laedi potest. Ideoque appellantem
super ea relatione audiendum esse putarem.
§. 4. Qui temere appellavit, non tantum a- 18
mittit causam et restituere tenetur expensas,
sed et mulcta judicis coercetur, quae hic non
exprimitur, sed *in l.* 5. *infra quorum appellationes non recipiantur*, determinatur, quamvis
in d. l. 5. de specie temerariae appellationis
loquatur Imperator, sc. ubi ab initio non potuit appellari, vid *Menoch. lib.* 2. *A. Q. casu*
415. *num.* 4. *et seq.* Ideoque hic intelligitur
poena arbitraria, *Cynus, Baldus, Salycetus,*
Menoch. d. l. Ferrar. de appell. lib. 2. *cap.* 2.
Jure Canonico temere appellans tantum expen- 19
sas restituere tenetur, *c. ut debitus* 59. *h. t.*
Carpzov. p. 1. *constit.* 20. *def.* 29. sed in nu-

perrimo *recessu imperii de an.* 1654. temere
appellans ad 20. marcas auri condemnatur, vel
etiam corporali poenae subjicitur, §. *Und
nachdemmahlen neundtens, etc. n.* 120. Quamvis
21 si statim appareat, calumniose appellatum esse
non spe victoriae, sed ut judicati vires suspen-
dantur, et subterfugia quaerantur, non reci-
piendae sunt appellationes, *P. Gregor. de ap-
pellat. lib.* 1. *cap.* 13. *et c. ult. Menoch. lib.* 2.
A. Q. casu 197. *et Maranta h. t. num.* 345.
quos laudat *Hilliger. in Donell. lib.* 28. *cap.* 6.
lit. C. quamvis distinguendum sit inter calu-
mniosam appellationem et temerariam. Non
omnis temeraria appellatio calumniosa est, sed
omnis calumniosa temeraria, nam saepe appel-
latur, non ex gravi causa, non tamen calu-
22 mniose statim. Notandum tamen solam appella-
tionem temerariam, si appellatio statim rejecta
sit, poenam non mereri, *Carpzov. dec.* 50. sed
quando quaesita est justitiae remora, et ex di-
latione altera pars damnum sensit, per tradita
Mevii p. 4. *dec.* 252.
23 §. 5. *et Auth. seq.* Non ante, sed post sen-
tentiam appellandum, §. 3. *legis hujus*, et olim
quidem in propria causa intra biduum, in alie-
na intra triduum, *hic et l.* 1. §. 5. *ff. quando
appell.* Nunc autem intra decendium *per hanc*
24 *Auth. et Nov.* 23. *c.* 1. quod computandum de
momento in momentum, quia idem erat in bi-
duo, *l.* 1. §. 8. *ff. quando appellandum, Maran-
ta d. t. num.* 214. *Gail. lib.* 1. *obs.* 139. *num.*
4. *Scacc. de appell. quaest.* 12. *num.* 49. *Besol-
dus de appellat. c.* 9. *num.* 13. *Berlich. p.* 1.
concl. 50. *num.* 106. et ab hora ea, in qua sen-
tentia recitata, et ideo, si die undecima inter-
ponatur appellatio de hora constare debet,
Scaccia de appellat. quaest. 12. *num.* 50. Si
25 contra absentem publicata sententia, decendium
computandum est a die sententiae, *l.* 1. §. *ult. ff.
quando appell.* quod referenti appellanti cre-
dendum, donec ab appellato contrarium pro-
26 betur, *Mev. p.* 2. *dec.* 373. nisi procurator ad-
fuit, *d.* §. *ult.* nam quando procurator constitu-
tus, non succurritur principali, nisi procura-
tor damnum resarcire non possit, *Gail. lib.* 1.
obs. 139. *num.* 9. Sed in Ordinatione Tribunalis
Regii Succini p. 2. *cap.* 2. §. 3. videtur statui,
procuratoris negligentiam domino seu princi-
pali non nocere, *Mev. p.* 5. *dec.* 207. Et sane
video magnam difficultatem in sententia com-
muni. Nam nulla sequela esse videtur: Procu-
rator meus non appellavit, ergo tenetur mihi
damnum litis restituere. Ergo principalis prio-
ris sententiae iniquitatem prius debet probare,
antequam a procuratore satisfactionem petat,
vel nisi personaliter citatus fuerit, nam si ad
domum citatus, vel per edictum, ficta tantum
est contumacia, *Scacc. de appell. q.* 12. *num.* 8.
et seqq. Lancellot. d. limitat. 50. *num.* 158. Et
ideo tempus hoc ratione initii est utile, ratione
decursus vero continuum, *Scacc. d. l. num.* 49.
27 Et ideo quia tempus continuum, etiam die fe-
riata interponi appellatio potest, *Brederod. de
appellat. p.* 1. *t.* 23. *num.* 641. *d. l. num.* 51.
28 Et hoc decendium etiam tertio appellanti ob-
servandum, si tertius scil. velit appellare, *Lan-
cellot. de attent. p.* 2. *c.* 12. *limit.* 50. *num.* 59.
Scacc. d. l. num. 69. *Gail. lib.* 1. *obs.* 122. *num.* 1.
Idem in appellatione ab interlocutoria. Licet *ex l.*
29 *quod jussit.* 14. *ff. de re judic.* etiam post de-
cendium possit revocatio peti, *Lancellot. num.*
84. *Scacc. d. l. n.* 90. Sed non habet locum hoc 30
fatale, si gravamen non transiens, sed succes-
sivum, v. g. carcer, vel ubi dolus judicis in-
tervenit, vel ubi appellans paupertate fuit im-
peditus, quod tamen vix in facto contingere
potest, nec habet locum in criminalibus. Conf.
Trentac. de appell. resol. 6. *Mind. de mand.
lib.* 1. *cap.* 8. *in fin. Scacc. d. l. num.* 144. *et
seqq. Brederod. d. t.* 23. in verbis, *post tempora
statuta, p.* 653. *Lancellot. d. l. num.* 144. *et seqq.
Ricc. decis. coll.* 276.
§. *ult.* Judex *a quo*, interposita appellatione, 31
apostolos seu testes receptae appellationis, qui
relationis vocabulo veniunt, *l.* 24. *h. t.* dare ap-
pellanti debet, etiam non petenti, et ultro,
hoc §. *ult.* et quidem intra 30. dies, nec non
acta mittere integra ad judicem *ad quem*, et
contra faciens, judex cum suis assessoribus pu- 32
nitur, *l.* 24. *h. t.* nec tamen mora judicis 33
prodest appellanti, ut appellanti pro deserta non
habeatur, *l. un.* §. *ult. ff. de dimiss. libell.*
nam et judicis et partis est culpa, illius in non
offerendo, hujus in non petendo, *Donell. lib.*
28. *cap.* 7. *Bacchov. in Tr. v.* 2. *d.* 33. *th. fin.*
lit. E. et F. Quod si vero recuset judex dare 34
apostolos, hoc appellanti non nocet, modo de-
bitam diligentiam adhibuerit, et eos saepius
petierit, *l. un.* §. *ult. ff. de dimiss. lib.* Hodie haec 35
clausula, *instanter, instantius, et instantissi-
me*, solet addi. Nec opus est, ut appellans de 36
lite prosequenda caveat, quia *Auth. generali-
ter C. de Episc. et Cler.* de prima instantia lo-
quitur.

LL. 7. 11. et 27.

SUMMARIA

Facti species. num. 1.
*Etiam lege excusati qui sunt, appellare neces-
se habent.* 2.
*Idem in iis, qui rescriptum Principis impetra-
runt.* 3.
Secus in tutela. 4.
*Quid si excusatio illius, qui nominatus est, sit
manifesta et notoria?* 5.
Appellatio coram judice ad quem *est justifican-
da et probandum est ab appellante, juste
vel rite se appellasse.* 6.
*Sententia nulliter dicta appellatione non habet
opus.* 7.
*Falsa illorum sententia qui statuunt, ubi reus
appellat, appellatum justitiam primae instan-
tiae probare debere.* 8.

Fuit quis vocatus ad Decurionatum, et quidem 1
solemniter ex decreto civitatis (nam alias nul-
la esset nominatio, nec opus esset appellatione,
l. 27. *h. t.*). Sed habet iste privilegium exem-
ptionis ab oneribus publicis, Quaeritur: *An ob
hoc privilegium teneatur appellare contra sui
nominationem?* Aff. Nam et qui lege excusati 2
sunt, necesse tamen habent appellare, *l.* 1. §.
1. *ff. de vacat. et excusat. munerum.* Ergo et 3
ii necesse habent appellare, qui rescriptum
Principis impetrarunt, secus in tutela, *l.* 4. *h. t.* 4
Sed quid si excusatio illius, qui nominatus 5
est, sit manifesta et notoria? Resp. de hoc ca-
su appellandum esse, *l.* 1. *h. t.* speciale autem

privilegium habent milites veterani, *l. pen. infra quando provocare non est necesse.* Colligitur
6 ex *l.* 7. appellationem coram judice *ad quem* esse justificandam, et probandum ei esse ab appellante, se juste et rite appellasse; rite quoad formalia, juste quoad materalia. *Ex lege* 11. Nota: etiam manifestam excusationem habenti, opus esse appellatione, quia alias videtur renunciare juri suo; licet *Guid. Papae sing.* 413. constituat differentiam inter notorium
7 et manifestum. *Ex l.* 27. *notetur:* Sententiam nulliter dictam non opus habere appellatione, *Auctor in l.* 19. *ff. h. t. num.* 1. *seq.* de quo
8 infra, et sic corruit eorum sententia, qui statuunt, ubi reus appellat, appellatum debere probare justitiam primae instantiae, ut *Guido Papae decis.* 10. *Sich. h. l. num.* 13. et quos allegat *Hilliger. in Donell. lib.* 28. *c.* 8. *lit. G.*

L. Si contra. 8.

SUMMARIA

Facti species. num. 1.
Appellatio intra annum non justificata deserta est. 2.
A quo judice facienda prioris sententiae executio? 3.
In dubio appellatio deserta non praesumitur. 4.

1 Contra te majorennem (nam si minorennis esses, daretur restitutio, *l. pen. supra si adversus rem judic.*), sententia est lata, a qua appellas, quam appellationem tamen non prosequeris intra annum, Quaeritur: *An prior sen-*
2 *tentia executioni danda?* Quod aff. Quia appellatio intra annum non justificata deserta
3 facta est: sed *a quo judice facienda executio?* Resp. a judice *a quo*, ad quem jurisdictio revertitur, et judex *ad quem*, ob admissam desertionem, jurisdictionem in illa causa amisit, *l. ult.* §. 4. *infra de temp. appellat.* Vid. *Scaccia d. tract. quaest.* 11. *num.* 169. *et Hilliger. in Donell. lib.* 28. *cap.* 8. *lit. G.* Sed intelligenda est lex, nisi interim transactum; poterit igitur appellatus adire judicem *a quo*, et petere, ut citetur reus ad allegandum causas, quare
4 non sit deserta, *Castr. hic.* In dubio sane appellatio non praesumitur deserta, licet judex *a quo* et appellatus id dicant, nisi hoc ex actis judici *ad quem* liqueat, *Mevius p.* 3. *dec.* 221.

L. Dominus litis. 9.

SUMMARIUM

Casus legis.

Quando procurator meus appellavit meo nomine, ut potest, *l.* 17. *supra de procur. sed* postea non vult prosequi causam appellationis, Quaeritur: *An ego possim appellationem prosequi?* Resp. Quod sic, *hic et in l. fin. ff. an per alium causae appellat. etc.* ubi ratio dubitandi et decidendi.

L. Si actor. 10.

SUMMARIA

Quatenus procurator appellare teneatur? num. 1.
Quatenus tutoris vel curatoris actor? 2.
An actor hic appellationem prosequi possit? 3.
Quid si ipse adolescens interim ad legitimam aetatem pervenerit, aut veniam aetatis consecutus fuerit, an interpositam a curatore appellationem prosequi queat? 4.
Deteriorem calculum reportare, *idem est ac succumbere?* 5.

Procurator tenetur appellare in causa domini, 1
si iniquam sententiam reportet, *l.* 17. *supra de procurat.* Vid. *Scacc. de appellat. cap.* 5. *num.* 10. *et seqq. Bacchov. in Tr. d. disp.* 3. *th.* 2. *litt. D. et E.* et de hoc inter omnes convenire dicit *Hillig. ad Donell. lib.* 18. *cap.* 6. *lit. C. per c. pen. X. de procurat. Vasq.* 2. *cont. cap.* 19. *num.* 1. Nec hic requiritur, ut dominus intra decendium ratum in habeat, ut in appellatione extranei, *Mevius p.* 1. *dec.* 216. Sed alia ra- 2
tio actoris, qui rogatu tutoris vel curatoris pupillo ob litem datur a Praeside, ad certum negotium expediendum. Hunc autem posse certum est, imo et debere, *Gl. hic et Castrens.* aliique statuunt. Verum prosequi non potest, sed tutor et curator prosequi debet. Nam acto- 3
ri, propter utilitatem pupillorum atque adultorum, non plus mandatum intelligitur, quam quod nominatim injunctum, ut quam minimum de tutoris ac curatoris potestate decedat, ne quod horum fidei commissum est, per alios corrumpatur, et est loco simplicis procuratoris, *Job. Ferrar. in tr. de appell. lib.* 2. *c.* 1. *num.* 117. *Scacc. de appellat. quaest.* 5. *num.* 40. Sed hoc limitant *DD.* si ad omnia negotia forensia pupilli fuerit actor constitutus, *Ferrar. et Scacc. dd. locis.* Sed *quid si ipse adolescens* 4
interim ad legitimam aetatem pervenerit, aut veniam aetatis consecutus fuerit, poteritne ille interpositam a curatore appellationem prosequi? Affirm. ex ratione *legis praeced.* Notari 5
ex hac lege potest modus loquendi veterum: *deteriorem calculum reportare* i. e. succumbere, Vid. *Gothofred. in not. h. lit. Y.*

L. Minime fas est. 12.

SUMMARIA

Appellator in causa civili in carcerem trudi vel reali injuria pendente appellatione affici non debet. num. 1.
Imo nec in criminalibus. 2.
Si modo fidejussorem praestare possit. 3.
In appellatione ab incarceratione potest facinorosus etiam pendente appellatione in carcere detineri sine attentatorum metu. 4.

Appellator non debet in causa civili in car- 1
cerem trudi, vel reali injuria affici pendente appellatione; Ratio *in l.* 3. *supra h. t.* Imo nec 2
in criminalibus quidem incarcerandus est appellator, si modo fidejussorem praestare pos- 3

sit, *l.* 6. §. 3. *h. tit.* quamvis circumstantiae personarum attendendae sint, *l.* 1. *et duabus se-*
4 *quent. ff. de cust. reorum.* Et ideo in appellatione ab incarceratione, potest facinorosus etiam pendente appellatione in carcere detineri, sine metu attentatorum, quia talis detentio tendit ad expeditionem causae, nam alias potuisset ille aufugere, et sic impedire faciliorem expeditionem causae, *Maranta in spec. h. t. num.* 189. *Fr. Marci in quaest. Delphin. q.* 915. *Lancellot. de attent. cap.* 12. *ampl. num.* 21.

L. Ex illo tempore. 13.

SUMMARIA

Facti species dupliciter formata. num. 1. 2.
Quando causa commissa est consilio sapientum et conclusum in causa, judex partium allegationes audire non debet. 3.
Si judex in praejudicium appellantis attentavit et novavit, licet confirmatio Principis accesserit, attentatum est revocandum. 4.
Lite pendente, Principi supplicare aut rescriptum impetrare, nisi facta litis mentione, non licet. 5.

1 Litigavi tecum coram Praeside, causa ventilata dicit Praeses sibi non constare, quid pronunciandum sit, se relaturum causam Principi, et hunc consulturum: vel (quia hodie relationes istac non frequentantur, alium casum
2 ponamus) tu fuisti condemnatus, et appellationis solemnia sunt impleta, i. e. interposita est appellatio, et a Praeside recepta datique ab eodem sunt apostoli: Ego autem pendente appellatione impetro rescriptum, ac privilegium aliquod, Quaer. *An hoc privilegium sit cum actis conjungendum?* Quod Neg. *per totum titulum Cod. Ut lite pendente etc.* Scd acta more solito, sine talibus rescriptis specialibus per sub et obreptionem impetratis, ad Principem vel prudentes transmittenda. Nota
3 benc; Quando causa commissa est consilio sapientum et conclusum in causa, judex non debet audire partium allegationes, *Castr. hic*, et
4 exinde concluditur si judex aliquid in praejudicium appellantis attentasset et novasset, licet confirmatio Principis accesserit, attentatum revocandum esse, *Lancell. de attent. p.* 2. *cap.* 12.
5 *limit.* 52. *num.* 21. *et seq.* Et lite pendente non licet Principi supplicare aut rescriptum impetrare, nisi facta litis mentione, *t. t. Cod. ut lite pendente etc. Lancell. d. tr. p.* 2. *c.* 4. *praefat. illat.* 7. *num.* 729. *et seqq.*

L. Litigatoribus. 14.

SUMMARIA

An viva etiam voce appellari possit tam in civilibus, quam in criminalibus? num. 1.
An ex intervallo viva voce recte appelletur? 2.
Quamnam vim et efficaciam ejusmodi appellatio habeat? 3.
An ab interlocutoria h. m. *appellare liceat?* 4.

Quamvis acta regulariter scripturam requirant, et appellatio regulariter per scripturam fieri debeat, non tamen dubitandum, quin et viva voce quis appellare possit, tam in criminalibus quam civilibus si confestim, sive illico, id est, judice adhuc pro Tribunali sedente, *l. divus* 7. *ff. de in integr. rest.* dicat: Appello, *l.* 2. *l.* 5. §. *ult. ff. h. t. Wesemb. in* ϖ. *ff. h. t. num.* 9. *et ibi Bacchov. lit. H. Auctor in l.* 2. *ff. h. t.* Et licet *Bacch. ibi in notis* putet, 2
viva voce etiam ex intervallo appellari posse, recte tamen *Wesembecium* tuetur *Hahn. d. l.* et sententia illa ex hoc textu facile probatur.
Et habet haec appellatio vim suspensivam, ut 3
suspendat jurisdictionem judicis *a quo*, licet appellans postea debito modo introducere debeat coram superiori, *Ant. Faber C. h. t. defin.*
12. Sed ab interlocutoria viva voce appellari 4
nequit, *Auctor in d. l.* 2. *Gail. lib.* 1. *observat.* 130. *Petr. Greg. lib.* 6. *de appellat. cap.* 1. *Mynsing. cent.* 3. *ob.* 15. *per c. cum causam* 62. *X. h. t. Scacc. de appellat. quaest.* 4. *art.* 1. *num.* 9. *Hillig. lib.* 28. *c.* 6. *lit. T.*

L. Ne causas. 15.

SUMMARIA

Sensus legis. num. 1.
A Principis sententia appellari nequit. 2.
In causis, quae non retractantur, cum cautius agendum, judex, qui allegationes partium et probationes actis non inserit, infamia perpetua plectitur. 3.
Integra acta in appellatione sunt edenda, et si non fit, judex parti laesae ad interesse tenetur. 4.
In Camera quaenam poena? 5.
An acta originalia vel exemplum tantum pure descriptum transmittatur? 6.

Quando a sententia judicis appellatur, plena 1
acta Principi transmittantur, ne causa appellationis, nondum cognito negotio, definiatur, et quoniam a Principis sententia appellari nequit, *hic* 2
et l. 1. *ff. a quibus app. non licet;* ideo in causis quae non retractantur, in his cautius agendum 3
est, et judex, qui allegationes partium et probationes actis non inserit, infamia perpetua plectitur. Collige *ex hac lege:* Integra acta e- 4
denda, quod si non fiat, judex parti laesae ad interesse tenebitur, *Gail. lib.* 1. *obs* 143. *num.* 14. *Mynsing. c.* 1. *obs.* 11. *et cent.* 2. *obs.* 16. In Camera poena est extraordinaria, *Gail. d. l.* Et 5
edenda vel transmittenda non sunt acta origi- 6
nalia, sed exemplum pure descriptum, nisi ob paupertatem vel negotii gravitatem, aliasque causas, Superior originalium et authenticorum seu judicialium actorum editionem injunxerit, *Grav. pract. concl.* 134. quem refert *Hillig. lib.* 28. *c.* 7. *lit. N.* Optandum esset, ut semper originalia acta transmitterentur ad Superiorem, nam descriptio actorum multas expensas requirit in re interdum leviore. Et dici non potest, quantas remoras judicio injiciat haec actorum descriptio, praesertim, quando vasta sunt deductionum volumina. Sic in Saxonico Electorali foro regulariter originalia acta eden-

da, *Carpz. in processu titul.* 8. *art.* 5. *in fine.* Et in concursibus creditorum in supremo Tribunali Regio Suecico Wismmuriensi acta originalia transmittenda, Ordin. Tribunalis *p.* 2. *tit.* 3. §. 7. ubi ratio: *weil die sämmtliche* acta *abschreiden zu lassen überflüssig, eine* separation *damit vorzunehmen bedencklich, auch nict wohl möglich* etc. Utinam ubivis in judiciis hoc reciperetur!

L. Si apud utrumque. 17.

SUMMARIUM

Sensus legis.

Sententia, si lata a Praetore urbis, urbano vel peregrino, appellatur ad Praefectum urbis. Nota bene, vocem *utrumque* hic non universaliter et conjunctim, sed divisim accipi, i. e. alterutrum, ut *in l.* 6. §. 1. *in fin. ff.* de empt.

L. Quoniam. 18.

SUMMARIA

Debitor Fisco vel privato condemnatus si appellaverit, quatenus isti appellationi renunciasse praesumatur? num. 1.
Propter apostolos debito tempore non petitos in Camera Imperiali appellatio pro deserta non habetur. 2.
Aliud de jure communi. 3.
Condemnati habent quidem delationem quadrimestrem, hoc tamen non gaudent ii, qui appellaverunt, et in secunda instantia superati sunt. 4.

1 Quicumque Fisco, vel etiam privato (nam hic nihil peculiare Fiscus habet, nisi in hoc, quod debitores Fisci sine strepitu judicii juberi possint debita ut inferant) condemnatur, ille si appellaverit et intra triginta dies exemplum relationis non petat, et si opus sit, preces refutatorias (Vid. *l.* 1. *supr. de relat.*) componat, et justo tempore judici *ad quem* insinuet, praesumitur renunciare appellationi, et haec habetur pro deserta, et sententiam
2 exequitur judex *a quo;* sed ob apostolos debito tempore non petitos in Camera imperiali appellatio pro deserta non habetur, *Gail. lib.* 1.
3 *obs.* 139. *num. fin.* Licet jure communi aliud, quo si appellans in termino dandis apostolis assignato non compareat, hic renunciasse videtur appellationi, *Clement.* 2. *h. t. Carpz. p.* 1. *c.* 29. *def.* 8. *Scacc. quaest.* 13. *art.* 6. Et col-
4 ligitur *ex l.* 18. *in fine.* Quod condemnati quidem habeant dilationem quadrimestrem, ob *l. fin. supr. de usur. rei judic.* hoc tamen non gaudeant illi, qui appellaverunt et in secunda instantia superati sunt, *Socin. reg.* 396.

L. A Pro-Consulibus. 19. et L. Quoniam. 21.

SUMMARIA

A quibusnam judicibus appellare non liceat? num. 1.
Quid si judex, ad quem licet appellare, appellationem admittere nolit? 2.
Si appellans vincitur et acquiescit, cum secundo appellare possit, infamia notatur. 3.
Quatenus haec regula procedat? 4.
Quid si vincat appellans, quomodo judex, qui appellationem recipere noluit, puniatur? 5.
Quaenam poena hodie sit? 6.
De Jure Can. quomodo puniatur? 7.
An Assessores etiam delinquente judice puniantur? 8.
A sententia Praefecti Praetorio appellare non licet, secus quam ab ejus vicariis vel locumtenentibus. 9.
Intellectus hujus legis. 10.
Judex in dubio appellationi defert cum clausula, in quantum de jure. 11.

Regulariter ab omnibus judicibus appellare li- 1
cet, praeterquam a Principe, *l.* 1. §. 1. *ff. a quibus appell. non licet;* a Senatu, *d. l.* §. 2. a Praefecto Praetorio, *hic et l.* 30. *ff. h. t. l. un. ff. de offic. Praef. Praetor.* ubi ratio, et quia ita datur judex, ut non liceat ab eo appellare, *d. l.* 1. §. *ult.* Caeteri ergo judices tenentur appellationem recipere, *Sed quid si nolit judex ad-* 2
mittere appellationem, ut saepe fit, *quid tunc faciendum?* Tunc pars gravata debet adire Praefectum vel superiorem judicem, et coram eo appellationem interponere, ac si recepta esset, introducere. Si autem vincitur et acquiescit 3
(potest enim secundo appellare) appellans infamia notatur, per *l.* 19. (quod tamen ad ca- 4
sum hunc restringendum, scil. si quis appellans refutatorios apostolos tulit, sed tamen non adquiescit, sed ulterius a rejectione appellat, *Marq. Freherus in infam. lib.* 3. *cap.* 12. *num.* 10. *Hillig. in Donell. lib.* 18. *cap.* 8. *lit. O.* Et tamen hoc etiam casu vix hodie locum habet, nisi verbis injuriosis judicem *a quo* tractaverit). Sed si vincat, judex inferior debet puniri, quod 5
appellationem recipere noluerit, et quidem triginta auri pondo mulctatur, *l.* 21. *h. t.* Quamvis hodie damnum litis sustineat et libris decem 6
auri mulctetur, *Nov.* 127. *c.* 3. Jure Can. vero 7
est poena arbitraria, *c.* 31. *X. h. t.* et ibi *Panorm. Maranta p.* 6. *h. t. num.* 399. et punitur officialis, quod judicem non monuerit. Nota: Assessores etiam puniri quoties delinquit ju- 8
dex, modo sententia sit, a qua appellatur, nam ab executione non appellatur, *d. l.* 2. *et l.* 5. *infr. quor. appell. non recip.* Colligitur *ex hac lege,* qua statuitur, a sententia Praefecti Prae- 9
torio appellari non posse, et tamen ab ejus vicariis et delegatis appellari posse, nullam consequentiam esse: Ab hoc non potest appellari, ergo nec ab ejus vicario vel locum tenente, *Castr. hic Tholos. de appell. lib.* 3. *cap.* 13. *num.* 1. sed notandum, *legem nostram,* qua 10
dicitur, non recepta appellatione causam coram superiori ex integro esse ventilandam, intelligendam esse de casu, quo sine justa causa appellationem rejicit, *Donell. lib.* 28. *c.* 6. *post. litt. Aaa.* nam frivolae appellationi deferri non debet, *cap.* 29. *X. h. t. et cap.* 5. *lib.* 6. *h. t.* Sed debet dare apostolos refutatorios, *Petr. Greg. Tholos. d. tr.* 16. *c.* 2. *num.* 2. In dubio 11
autem deferet cum clausula, *in quantum de jure, Scacc. q.* 17. *limit.* 6. *num.* 100. *Lancellot. de attent. p.* 2. *cap.* 12. *lim.* 1.

L. Et in majoribus. 20.

SUMMARIA

In quibusnam causis licita sit appellatio? num. 1.
Causae in Nov. 23. c. 3. et Nov. 69. c. 1. *ad certam quantitatem sunt restrictae.* 2.
In Camera Spirensi quaenam summa requiratur, ut appellari possit? 3.
Causae appellationem respuentes, remissive. 4.
In minoribus quoque causis appellatio admittitur. 5.
An judici a quo *per appellationem fiat injuria?* 6.

1 Regulariter in omnibus causis licet appellare, sive sint majores et graviores, sive minores et leviores, *hic et c.* 11. *X. h. tit. Besoldus de appell. c.* 7. *num.* 2. Ratio hic additur; quia non impingitur injuria judici *a quo*, cum injustam etiam ideo potuerit ferre sententiam, quod non
2 bene fuerit informatus, sed *in Novell.* 23. *cap.* 3. *et Novell.* 69. *cap.* 1. causae ad certam quantitatem sunt restrictae, ut causa infra eam quantitatem constituta, appellationem respuat,
3 ut hodie ad Cameram non appellatur, nisi summa sit 300. flor. per Conclusum Deputatorum, *de anno* 1600. §. *Wiewohl nun auch. Matth. Steph. lib.* 1. *de jurisd. cap.* 31. *in fine, sed per ultimum Recessum Imperii de anno* 1654. summa non appellabilis ad 400. joachimicos seu thaleros est extensa, adeo, ut si summa non excedat 400. thaleros, appellatio ad Cameram Spirensem non sit admittenda in §. *recessu ultimi, Vierdtens soll die, summa appellabilis etc.*
4 Causas, quae appellationem alias respuunt, recenset *Colleg. Argentor. ad lib.* 49. *tit.* 5. *th.* 4. *Petr. Greg. de appell. lib.* 2. *Besold. eodem tract. capit.* 7. Collige etiam *ex hac l.* 20. ut
5 jam dixi, in minoribus etiam causis admitti appellationem, ut *Besoldus d. cap.* 7. *num.* 2. et
6 per appellationem injuriam judici non fieri, nisi verbis injuriosis utatur appellans, sed si iniquam sententiam dixerit, convicium non est, hoc enim plerumque appellans intendit, sed solent hodie cum praefatione honoris talia verba etiam praestari.

L. Lata sententia. 22.

SUMMARIA

An etiam contra Fiscum et quatenus admittenda appellatio? num. 1.
Ampliatur. 2.
Limitatur. 3.
Intellectus legis. 4.

1 Etiam adversus Fiscum, quando v. g. advocatus Fisci bona a me possessa dicit esse vacantia, nec me haeredem esse, pro quo me gero, vel quando dicit, me haereditate esse indignum, et illam Fisco vindicat, in his inquam et similibus causis si condemnet, omnino admittenda appellatio, nec pretextu favoris Fisci deneganda, *hic et l.* 18. *supr. h. t.* Et sic
2 a sententia declaratoria criminis pro Fisco lata appellari etiam potest, *Peregrinus de jure Fisci lib.* 4. *t.* 5. *num.* 9. Sed aliud in tributariis functionibus, ubi debitor Fiscalis evidenter convi- 3
ctus, *per l.* 4. *et fin. infr. quorum appellationes non recip. Petr. Greg. d. tract. lib.* 2. *cap.* 9. *num.* 1. *Maranta d. t. num.* 300. *Farin. quaest.* 101. *num.* 70. *Scacc. d. tract. quaest.* 17. *limit.* 17. *num.* 1. Ergo *haec lex* intelligenda de lu- 4
cro Fiscali, seu de poena, non vero, quando agitur contra debitorem Fisci aut aerarii Principis, ubi Fiscus certat de damno, non de adventitio lucro, et sic non admittitur appellatio, *Scacc. d. l. num.* 4.

L. Cum appellatio. 23.

SUMMARIUM

Sensus legis.

Est lex localis, et dicit a provinciis quibusdam nominatis ad Praefectum urbis Constantinop. appellari. Sed eheu mutata forma Imperii et urbis Constantinopolitanae!

L. Judicibus. 24.

SUMMARIA

Summa legis. num. 1.
Acta a judice a quo *statim edi debent partibus, nec opus est compulsorialibus hactenus in praxi receptis.* 2.
Intra quodnam tempus acta edantur? 3.
Recessus Imperii. 4.

Summa est haec: quod judex, a quo appel- 1
latum est, teneatur intra 30. dies a die latae sententiae numerandos, acta cum relatione partibus tradere, et quidem integra, non mutilata, sub mulcta. Exinde Collige: Acta a judice 2
a quo statim debere edi partibus, nec opus esse compulsorialibus hactenus in praxi receptis. Nam acta debent edi intra 30. dies a lata sen- 3
tentia numerandos, intra quos compulsoriales impetrari et judici *a quo* insinuari et acta desribi non potuerunt. Et hoc etiam *in Recessu* 4
Imperii placuit *de anno* 1654. *Ob er auch schon die urthel* §. 61. ubi dicitur, judicem ab appellante requisitum, licet a superiore judice non compulsum, teneri edere acta, nam de apostolis solis *haec lex* exaudiri non potest.

L. Et in mulctis. 25.

SUMMARIA

A mulctae injustae indictione appellare licet. num. 1. 4.
Alia ratio poenae. 2.
Objectio removetur. 3.

Quando judex injustam mulctam irrogat, a 1
mulctae indictione potest appellari: alia ratio 2
poenae, ubi confessus delictum, aut ejus convictus, non potest appellare, *l.* 244. *ff. de verb.*

sign. quia poena certa est, mulcta incerta est,
3 *d. l.* 244. nec obstat, quod contumax non appellet, mulcta autem irrogatur ob contumaciam, nam prius verum est in sententia lata super causa principali, *Scacc. quaest.* 17. *limit.* 3. *num. fin.* Unde *ex hac lege* solent probare:
4 a mulctae dictione licere appellare, si condemnatus dicat vel injuste se mulctatum vel immodice, *Mynsig. c.* 3. *obs.* 43. *Petr. Greg. de appell. l.* 2. *c.* 6. *num.* 1. *Farinac. quaest.* 101. *num.* 16. *Scacc. quaest.* 27. *limit.* 47. *memb.* 1. *num.* 182. *Camill. Borell. t.* 2. *decis. tit.* 33. *num.* 681. *lit. C.*

L. Cum post sententiam. 26.

SUMMARIA

Facti species. num. 1.
Ratio dubitandi. 2.
Decidendi. 3.
Judex ad quem *ob longinquitatem viae et negotii mediocritatem causam appellationum alteri delegare potest.* 4.
Judex integra acta non edens cum Assessoribus parti ad interesse tenetur. 5.

1 A sententia lata a Rationali seu procuratore Caesaris fuit appellatum ad Praefectum Praetorio, causa non est adeo magna, sed mediocris, et partes longius absunt, ut non nisi magnis sumptibus ad locum judicis ad quem pervenire possint: Quaer. *An propter mediocritatem negotii et absentiam partium causa appellationis alii ut Praesidi, delegari possit?* Vi-
2 detur quod non, quia videtur industria electa
3 personae; Sed aff. Nota bene: Ob longinquitatem viae causam appellationis in loco, ubi degunt partes, per delegatum expediri posse; facit etiam *l. fin. supra ubi de ratiocin.* Observa
4 igitur: Judicem *ad quem*, ob longinquitatem viae, et mediocritatem negotii posse causam appellationum delegare alteri, *Donell. lib.* 28. *cap.* 9. *lit. K. ubi Hillig.* citat *Zoannettum re-*
5 *rum quotidianarum cap.* 21. Nota etiam: Judicem acta integra non edentem cum suo officio seu Assessoribus esse puniendum, et teneri parti ad interesse, *Gail. lib.* 1. *obs.* 134. *num.* 14. *Mynsing. consil.* 9. *num.* 7. *Besoldus de appellation. cap.* 11. *in fine.*

L. Si quis libellos. 28.

SUMMARIA

An oblato appellationis libello poenitere, aut appellationem revocare liceat? num. 1.
Ratio dubitandi. 2.
Decidendi. 3.
An nondum emissa adversae parti citatione appellanti recedere concedatur? 4.
Quando appellationi renunciari possit? 5.
Renunciatio alia expressa, alia tacita, et quid utraque? 6.
An sumptus alteri hoc casu a renunciante sint restituendi? 7.

Appellavi a sententia judicis, et obtuli libel- 1
lum appellationis, quaeritur: *An poenitere aut appellationem revocare possim?* Vid. quod non, 2
ob *l. fin. pr. h. tit. et l.* 10. *infra quando provocare non est necesse.* Sed aff. nam contra 3
humanitatem esset, si cogerer litigare. Ergo renunciare licet appellationi, in praejudicium scil. appellantis, sed non in praejudicium appellati, si et ille sententiam impugnare velit, nam appellatio ab una parte interposita, utrique communis est, ut infra dicetur. Et in praejudicium appellati renunciari non posse, pluribus tradit *Camill Borell. t.* 2. *decis. tit.* 33. *num.* 1200. *et seqq.* Sed puto antequam intro- 4
ducatur appellatio et citetur pars adversa, integrum esse appellanti ab appellatione recedere, ut nec appellatus possit interesse praetendere, in qua sententia est *Castrens. hic per Auth. qui semel C. quomodo et quando judex, etc. et Donell. lib.* 28. *c.* 9. *post lit. M.* licet dissentiat *Scacc. de appell. quaest.* 17. *limit.* 2. *num.* 99. *et seqq.* nec a sententia illa *Castrens.* alienus, *Lancellot. de attent. p.* 2. *c.* 12. *ampl.* 12. *num.* 11. ubi dicit, tunc per renunciationem non praejudicari alteri, si alter adhaesit, ergo aliud si nondum adhaesit, et consentit, *Daniel. Moell. lib.* 4. *semestr. c.* 35. statuens, ante 5
emissam citationem licere parte altera invita renunciare. Idem statuit, et *Castrensis* sententiam probat, *Trentacinq. lib.* 2. *tit. de appell. resol.* 8. *num.* 3. *et* 5. *Gail. lib.* 2. *observ.* 122. *num.* 3. *Farin. qu.* 99. *num.* 175. *et q.* 101. *num.* 23. sed et sine adversarii consensu appellationi renunciare possum, si appellationem ipse impugnavit, vel desertam eam esse opposuerit, si consensit etiam tacite appellatus vel procurator ejus, vel si nihil appellari intersit, vel ab interlocutoria appellatum sit, *Dn. Mev. p.* 5. *dec.* 191. Renunciatio autem alia expressa, alia ta- 6
cita. Expressa, vel ab utriusque consensu pendet, vel unius tantum, de qua *hic.* Tacita est, quando v. g. pendente appellatione comparet coram judice *a quo.* Intelligenda etiam *haec lex* est rebus integris, *cap. quamvis de elect. lib.* 6. nisi alter fecerit sumptus, qui omnino resti- 7
tuendi, *cap. interposit.* 70. *X. h. t. Ant. Faber in Cod. suo lib.* 7. *t.* 27. *d.* 8. scil. si petantur. Sed et licet petiti sint, restituendi tamen non sunt, ubi apparet, non temere appellatum esse, sed ex probabili ratione, *D. Mev. p.* 6. *dec.* 192.

L. Addictos. 29.

SUMMARIA

Sensus legis. num. 1.
Suo arbitratu perire cuiquam non licet. 2.
Restrictio legis. 3.
Tertius quoque in criminalibus appellare a sententia condemnatoria volens decendium observare debet. 4.
Male ad tertii appellationem requiritur, ut condemnatus eam ratam habeat. 5.
Prosecutio appellationis condemnato male injungitur. 6.
In processu inquisitionis licita est appellatio. 7.
Contrarium consuetudine observatur. 8.

De quonam casu Gail. et Myns. h. l. *loquantur?* 9.
Sententia Auctoris, *an scil. et quatenus in criminalibus appellare liceat?* 10.
Quando ad Cameram concedatur appellatio? 11.

1 *Haec lex* supra *in l.* 6. *de episc. audientia*
est explicata. Sensus est: damnatos ad capitale
supplicium non esse vi eripiendos, sed quem-
libet pro his posse appellare intra decendium,
etiam pro invitis, *l. non tantum* 6. *ff. h. t.*
Scacc. de appell. c. 5. *num.* 44. *et seqq.* Nec
2 enim licere debet cuiquam suo arbitratu peri-
3 re, idque ad supplicium mortis vel poenam
corporalem recte restringit, sed personas utrius-
que sexus admittit, *Ant. Matth. ad lib.* 48. *ff.*
tit. 17. *cap.* 5. *num.* 2. *et seqq.* quin et puerum
admitterem rationis usum habentem. *Ex hac*
4 *lege* probatur; etiamsi tertius in criminalibus
velit appellare a sententia condemnatoria, eum
tamen decendium observare debere per tradi-
ta *Scacc. d. tr. q.* 12. *num.* 172. licet post
decendium deductio fiat, quo faciunt tradita
Carpz. pr. crim. q. 139. *num.* 37. *et seqq.* Male
5 vero ad appellationem tertii requirit *Hostiensis*, ut condemnatus appellationem ratam ha-
beat, *Petr. Greg. d. tr. lib.* 2. *c.* 7. *num.* 10.
6 et male *Besoldus d. tr. c.* 7. *num.* 11. pro-
secutionem ipsi condemnato injungit, *Petr.*
Greg. d. 7. *num.* 12. *Hillig. in Donell. lib.* 28.
c. 6. *lit. G. et ex hac lege*, ut et *c.* 5. §. *praeterea et cap.* 13. *X. h. tit.* qui textus generali-
7 ter loquuntur; sequitur etiam in processu in-
quisitionis licitam esse appellationem, *Berlich.*
p. 2. *decis.* 230. *Auct. in l.* 1. *ff. h. t. num.* 2.
8 Sed contrarium videntur probare de consuetu-
dine *Mynsing. c.* 4. *obs.* 41. *per ord. Cam. p.*
2. *tit.* 28. §. *item (nach dem auch.) Gail. de*
P. P. lib. 1. *c.* 20. *Besold. de appellat. c.* 7.
num. 41. *Carpz. pr. crim. q.* 139. *num.* 14. *et*
9 *seqq. sed Gail. et Mynsing.* loqui videntur de
casu quo quis a statu Imperii ad Cameram Spi-
rensem vellet appellare, sed hic loquimur de
eo casu, ubi quis a judice inferiori ad superio-
rem Principem scil. Imperii vult appellare, et
10 puto consuetudinem illam allegatam esse de
confesso vel notorio delicto intelligendam, et
ubi poena a lege certa est statuta; sed ubi de-
lictum probandum est, vel de qualitate delicti
sermo, vel paulo gravior poena dictata, pu-
tem etiam in processu inquisitorio dari appel-
lationem. Et ideo communis error est, quasi
in criminalibus plane non admittatur appella-
tio, qui error tamen plane absurdus et intole-
rabilis est, ut liceat appellare, quando de agel-
lo lis, d. quando de vita hominis agitur, ut
hoc casu, non liceat appellare, quasi dicas de
glande legenda licere appellare, sed non de
nucibus, castaneis vel de re minimi pretii ap-
pellari posse, *Auct. in l.* 6. *ff. h. t. num.* 2. sed
de re impretiabili non esse admittendam ap-
11 pellationem; sane *ex Ord. Cam. p.* 2. *cap.* 28.
§. *pen.* apparet, licentiam appellandi ad Came-
ram non tantum esse datam, quando de pro-
cessus nullitate atque iniquitate quaestio est,
sed etiam, quando iniquam et injustam senten-
tiam dictam esse demonstrari potest, *Mevius*
part 2. *dec.* 272. *num.* 10. *et per totam, Auct.*
in l. 1. *ff. h. t. num.* 5.

L. Si quis. 30.

SUMMARIA

A Praefecto Praetorio nemini, nisi cum dispendio causae et sumptuum appellare permittitur. num. 1.
Quid si contumeliosis verbis utatur judex, vel etiam verbera minitetur, aut verberaret appellantem, vel executioni sententiam tradat? 2.
A quovis injuria et potissimum reali appellari potest. 3.
Judex si injuriam parti infert, ab executione inchoanda vel incarcerando, vel convitiando, a tali injuria pars appellare potest, non ut revocetur, sed ut jurisdictionem ejus declinet, ne imposterum magis laedat. 4.

In causa tam criminali quam civili licet ap- 1
pellare (praeterquam a Praefecto Praetorio,
a quo nemini permittitur appellare, nisi cum
dispendio causae et sumptuum); *Quid si vero* 2
verbis contumeliosis utatur judex, vel etiam
verbera minitetur, aut verberaret appellantem,
vel executioni sententiam tradat? Resp. Hoc
modo judex se magis reddit suspectum, ideo-
que appellari potest a quavis injuria, potissi- 3
mum reali, non tantum inferenda, sed etiam
illata; non quasi factum infectum reddi possit,
sed ut ad superiorem devolvatur jurisdictio.
Notes ergo *ex hoc textu* egregiam practicam;
Si judex mihi injuriam inferat, ab executione 4
inchoanda, vel me incarcerando, vel convi-
tiando, quod possim a tali injuria appellare,
non ut revocetur, sed ut jurisdictionem ejus
declinem, ne in posterum me magis laedat,
Castr. hic et sic quando futurum gravamen
trahit originem ab illato, ab illo potest appel-
lari, *Scacc. q.* 5. *num.* 113. Conf. *Mevius part.*
1. *dec.* 64.

L. Si appellationem. 31.

SUMMARIA

Judex a quo *appellationem recipere et dare apostolos tenetur. num.* 1.
Quid si nolit? 2.
Intra quodnam tempus pars ob denegatos apostolos gravata ejusmodi judicem in jus vocare possit? 3.
Inferior judex, qui appellationem non vult admittere, injuriam facit superiori. 4.
Statuta magistratuum, ut ab iis non liceat ad superiorem appellare, non valent. 5. 9.
Nec attenduntur in Camera Imperiali. 6.
Jus appellandi partes pacto sibi invicem auferre possunt. 7.
Appellationem auferre nihil aliud est, quam defensionem, quae juris naturae est, tollere. 8.
Recursus ad Principem non tollitur. 10.
An judex a quo *ab appellante juramentum calumniae, vel cautionem de refundendis expensis in casum succumbentiae, vel depositionem certae summae pecuniariae requirere possit?* 11.

1 Judex *a quo* tenetur recipere appellationem
et dare apostolos, nisi velit subire poenam, *l.*
21. *h. tit.* potest etiam pars ipsum judicem re-
2 cipere appellationem recusantem, in jus voca-
re ad Superiorem, et conqueri ob denegatam
sententiae copiam et apostolorum. Et si appel-
3 latio interposita sit ad Praefectum Praetorio,
hoc gravatus facere intra annum, si vero ad
inferiorem Praefecto Praetorio, potest hoc fa-
cere intra 6. menses, si vero judex *a quo* sit
arbiter, potest de ipso conqueri gravatus intra
4. menses. Nota bene: haec sunt tempora non
introducendae appellationis, sed querimoniae,
4 ob denegatos apostolos. Collige: I. Judicem in-
feriorem, quando non vult admittere appella-
tionem ad superiorem, superiori facere inju-
5 riam. II. Non valere statuta magistratuum, ut
ab iis non liceat appellare ad Superiorem, *Scac-*
6 *cia de appell. q.* 7. *num.* 54. Et talia statuta in
Camera Imperiali non attendi testatur *Gail.*
lib. 1. *obs.* 135. *num.* 11. *Mynsing.* c. 1. *obs.* 14.
7 *Wurmser. tit.* 24. *obs.* 29. licet pacto auferre
sibi partes mutuo possint jus appellandi, quia
ita non tollunt jus superioris directo, *Mynsing.*
8 *d. l.* Et auferre appellationem nihil aliud est,
quam defensionem, quae juris naturae est,
tollere, *Menoch. cons.* 761. *num.* 4. Et licet
9 statutum tale potuerit probari, non tamen
tollitur appellatio, si laesio evidens, *Menoch.*
10 *cons.* 415. *num.* 29. nec recursus ad Principem
tollitur, *Decius cons.* 532. *Gail. d. obs.* 135. *in*
fin. Menoch. cons. 406. *num.* 26. *et seqq.* Ideo-
11 que judex *a quo* ab appellante juramentum
calumniae, vel cautionem de refundendis expensis in casum succumbentiae, vel certae summae pecuniariae depositionem requirere non potest, nisi hoc publica lege aut consuetudine fuerit introductum, *Mevius p.* 2. *dec.* 8.

L. Praecipimus. 32.

SUMMARIA

Lex haec *ad statum imperii illius temporis directa et localis apud nos in usu non est. num.* 1.
Summa legis. 2.
Imperator negotiis publicis intentus privatorum litibus superesse nequit. 3.
Judex superior exequitur sententiam, modo expresse meritis causae excussis non propter desertionem, priorem confirmet. 4.
A delegato ad delegantem appellatur. 5.
Dignitas alicujus quando attenditur, ea attendenda est tempore sententiae, licet antea privatus fuerit. 6.
Quod quis non habet per se, potest habere per socium, quoties causa est indivisibilis. 7.
Ea, quae prioribus legibus habentur et posterioribus legibus non specialiter abrogata sunt, adhuc stare videntur. 8.
Quomodo hac regula DD. *multi de correctione in dubio vitanda abutantur?* 9.

1 *Lex haec* localis est, et ad statum Imperii,
qui tunc fuit, directa, ideoque in usu apud
2 nos non est, et dicit in summa: Si appellatur
ad Principem a sententia spectabilium, tunc
cognoscit Praefectus Praetorio et Quaestor pa-
latii. Ratio, quia Imperator, negotiis publicis 3
intentus, litibus privatorum superesse nequit;
si a sententia clarissimorum, Praefectus Prae-
torio tantum cognoscit; si a sententia delegati,
cognoscit ille, qui delegavit, sed in delegato
Principis distinguitur: Utrum sit illustris, an
non, ut illo casu cognoscatur causa appellatio-
nis in Consistorio Principis, hoc casu tantum
a Praefecto Praetorio et Quaestore. Colligunt
ex §. 2. *hujus legis:* Superiorem judicem exe- 4
qui sententiam, modo expresse meritis causae
excussis, non propter desertionem, prio-
rem confirmet, *Mynsing. c.* 4. *obs.* 94. *et*
c. 5. *obs.* 94. *Col. de process. executiv. p.* 2. *c.*
1. *num.* 94. sed animadvertit, *Hillig. in Donell.*
lib. 28. *c.* 9. *lit. C.* id *ex hoc* §. vix probari,
quia de correctoria accipi potest. Sed loquitur
tantum Imper. generaliter. Clarius autem, *in*
Auth. si quis litigantium C. de Episc. et Cleric.
Collige *ex* §. 2. A delegato appellari ad dele- 5
gantem, quod *ex hoc* §. colligit *Gail. lib.* 1.
obs. 121. *num.* 2. *et Guido Papae in tr. de ap-*
pell. num. 31. et multis persequitur, *Scacc. d.*
tr. q. 7. *art.* 2. *num.* 14. *et seqq.* et quos citat,
Hillig. ad Donell. l. 28. *cap.* 7. *lit. B. Et ex* §. 5.
Notand. Quod quando dignitas alicujus attendi- 6
tur, ea attendenda sit tempore sententiae, li-
cet antea privatus fuerit, nam hic dicitur, si
non illustri commissa sit causa, sed sententia
ab eo lata, quando illustrem consecutus est dignitatem, quod tunc ad ipsum Imperatorem
appelletur, unde hic probat *Castr.* si non
doctori commissa causa, sed tempore sententiae sit doctor, honorarium doctori debitum et
ipsi dandum. *Ex eodem* §. 5. Collige: ubi dici-
tur ab illustri appellari ad Imperatorem, licet
sit non illustris: Quod quis non habet per se, 7
posse eum habere per socium, quoties causa
est indivisibilis, *arg. l.* 10. *ff. quemadmodum ser-*
vitut. amittunt. Dignus enim trahit ad se minus
dignum, *A. Barbos. lib.* 4. c. 24. *axiom.* 4.
Klock. vol. 2. *cons.* 153. *num.* 102. Item *ex* §.
ult. quod ea, quae prioribus legibus habentur, 8
et posterioribus legibus non specialiter abroga-
ta sunt, adhuc stare videntur, ideo hujus *l.* §.
ult. semper allegatur *a Cravet. consil.* 307. *num.*
4. *Menoch. lib.* 6. *praes.* 38. *num.* 1. *Aug. Bar-*
bos. lib. 3. *cap.* 6. *axiom.* 6. *et DD. passim;*
licet *DD.* multi ea regula, de correctione in 9
dubio vitanda, admodum abutantur, dum nullam fere correctionem, sed fictas potius conciliationes admittunt.

L. Eo casu. 33.

SUMMARIUM

Sensus legis.

Apparitor sive minister magistri militum, qui forte in provincia versatur, patitur controversiam de statu, quasi curiae obnoxius esset, vel tributa de suis praediis deberet, et ideo detinetur in provincia. Res defertur ad magistrum militum; hic casum delegat Praesidi ejus provinciae, Quaer. *Ad quem appellandum sit?* Resp. ad Praefectum Praetorio et magistratum militum simul, estque *hacc lex* localis.

L. Jubemus. 34.

SUMMARIA

De quonam abrogata haec lex agat? num. 1.
Summa legis. 2.
Quicquid a Consiliariis Principum nomine Principis pronunciatur, vel a Curiis, ut Spirensi, ab eo appellari non potest. 3.
Idem de Parlamentis Galliae. 4.
Adversus rescriptum Principis appellari potest. 5.
Ratio differentiae. 6.

1 Agit de relationibus judicum, ideoque relationibus abrogatis, et *haec lex* abrogata. Summa
2 autem legis est haec: Quando judex dubitat, quam sententiam ferre debeat, vel duo sint judices, qui non possint consentire in certam sententiam et ideo consulitur Princeps, et tunc sive exprimat judex, quid ei placeat, sive non, duo Patricii sive consulares viri cum Quaestore decidant quaestionem, et ab hac decisione non
3 poterit quis appellare. Nota bene: Quidquid a Consiliariis Principum nomine Principis pronunciatur, vel a Curiis, ut Spirensi, ab eo non potest appellari. Vide *Scaccia c.* 16. *limi-*
4 *tat.* 4. Idem de Parlamentis Galliae, *Pet. Gregor. lib.* 47. *synt. tit.* 27. *et in tract. de appell. lib.* 3. *cap.* 11. *num.* 6. *Hillig. in Donell. d.*
5 *cap.* 6. *lit. Y.* Adversus rescriptum autem Principis appellari potest, *l.* 1. §. 1. *ff. de appellat.*
6 Rationem differentiae hanc constituit *Donell. lib.* 28. *cap.* 6. quia qui sententiam impugnat, ille judicis imperitiam vel culpam ut plurimum accusat, qui vero rescriptum impugnat, de mendacio consultoris quaeritur.

L. In offerendis. 37. (vel si demas illas duas e Cujacio additas leges intermedias, erit L. 35.)

SUMMARIA

Facti species. num. 1.
Quando attendenda est quantitas in appellatione controversa, attendenda est sententia. 2.
Bene hodie haec regula est notanda, et cur? 3.
Quando duo judices in sententia ferenda dissentiunt, tertium sibi possunt adjungere, cujus solius voto stabitur, si a reliquis duobus dissentiat. 4.
Quando in aliis casibus duo ordinarii judices dissentiunt, stabitur ei sententiae, quae pro libertate militat vel alia causa favorabili. 5.
Quid si summa 20. libras excedat, ubi causa sit cognoscenda? 6.
A sententiis in Consistoriis vel a Consiliariis latis appellare non licet, licet tamen coram his Consiliariis novos pendente appellatione articulos producere. 7.

1 Quando appellatio defertur ad Principem, et causa 10. libras auri concernit, quod ex sententia apparet (N. B. Quando attendenda est 2
quantitas controversa in appellatione, attendenda est sententia, quod hodie bene notandum 3
ob privilegia statibus Imperii indulta, ut scilicet infra hanc vel illam summam non liceat appellare, sicut in prima instantia attendimus petitionem, cujus narrationi, quantum ad fundandam jurisdictionem, statur, *Gail. lib.* 1. *observ.* 3. *et observ.* 123. *n.* 3. *Mynsing. centur.* 5. *obser.* 82.), tunc unus tantum Consiliarius Principis cognoscit causam; Sin vero excedit 10. libras et infra 20. tantum libras auri consistit, duo cognoscent ex Principis Consistorio, qui, si dissentiant, debent sibi Quaestorem adjungere. Not. Quando duo judices dissentiunt, in 4
sententia ferenda, possunt sibi adjungere tertium, cujus solius etiam voto stabitur, si a reliquis duobus dissentiat, quia hic auctoritate legis adsumitur, *Castr. hic*, sed quando in aliis 5
casibus sunt duo ordinarii judices dissentientes, stabitur ei sententiae, quae pro libertate militat vel alia causa favorabili, vel pro reo, *l. inter pares* 38. *ff. de re judic. c. ultim.* 10. *h. t. Camill. Borell. tract.* 2. *decis. tit.* 30. *num.* 38. *et* 311. *Donell. lib.* 27. *cap.* 8. *Ricc. collect. decis.* 512. Quando autem summa excedit 20. libras, in 6
pleno Consistorio causa cognoscenda est, et intra biennium appellatio est intimanda, hodie intra annum, *l. fin. tit. seq.* Nec a sententiis 7
in Consistorio, vel a Consiliariis latis licet appellare, licet tamen coram his Consiliariis novos producere articulos pendente appellatione.

L. Si quando. 38.

SUMMARIUM

Casus legis.

Haec corrigit *l.* 32. Quando a Ducis sententia appellatur, tunc sive dux illustris, sive non, appellationis causa a Magistro officiorum et Quaestore cognoscitur. Sed *hujus legis* nullus est apud nos usus.

L. Ampliorem. ult.

SUMMARIA

Effectus appellationis quinam? num. 1.
Beneficium per hanc legem *utrique parti est commune.* 2.
Quotiescumque contra absentem ferri potest sententia definitiva, toties judex ea, quae sunt facti, supplere potest. 3.
Si praesens est appellatus, judex non supplebit. 4.
Limitatur. 5.
Appellatus plus petere potest, quam ipsi adjudicatum fuerit, si ex eadem causa petat. 6.
Decisio legis *limitatur.* 7.
Appellatores appellationum justificationes sub poena arbitraria brevibus complectantur, et necessaria tantum allegent. 8.
Hodie non observatur. 9.
Nupero Recessu Imperii huic rei provisum, et quomodo? 10.
Appellans, et appellatus non tenentur aliquid

de novo allegare, sed ambo possunt remittere judicem ad acta primae instantiae. 11.
Refutatorii libelli quinam dicantur? 12.
Facti species in hoc §. *num.* 13.

1 *Princip.* Effectus appellationis est, ut si gravamina probentur, sententia rescindatur, et in
2 melius reformetur, *l.* 1. *h. t.* quod beneficium per *hanc legem* utrique parti commune est, adeo, ut si tu appellaveris, ego, licet non appellaverim, si quid minus per sententiam mihi consecutus videar, conqueri possim, quando scilicet gravamina in judicio a te sunt proposita, imo, quod mirum, judex etiam me absente id supplebit ex officio, per *hanc l. in princ.* Vide *Gail. lib.* 1. *obs.* 122. *num.* 3. *Minsing. cent.* 2. *obs.* 21. *Surdus decis.* 143. *num.* 4. licet non appellaverim vel expresse adhaeserim, *Cephal. cons.* 422. *num.* 10. *et seqq.* nam ex actis judex ejus partes supplet, *Mevius parte* 4. *decis.* 51.
3 *in fine.* Unde regulam colligunt *DD.* quotiescumque contra absentem potest ferri sententia definitiva, toties judicem posse supplere ea,
4 quae sunt facti. Sed si praesens sit appellans, judex non supplebit, *Baldus hic num.* 313. *et*
5 *Surdus dict. l.* nisi scilicet appellatus praesens petat, tunc enim prior sententia emendari potest in favorem appellati, qui non appellavit.
6 Imo appellatus potest plus petere, quam ipsi adjudicatum erat, si ex eadem causa petat,
7 *Surdus decis.* 143. *num.* 4. *et seq.* Sed limitatur decisio legis, nisi a separatis capitulis appellatum fuerit, nam tunc restricta appellatio aliter non proderit, *Glos. hic et Baldus num.* 9. *Salyc. num* 3. *Felinus in c. cum Joannes* 10. *num.* 20. *X. de fide instrum. Surd. d. l. Carpzov. p.* 1. *c.* 10. *d.* 9. *Boer. dec.* 73. *Trentacinq. lib.* 2. *tit. de appell. resol.* 7. *in fine Camill. Borell. tr.* 2. *tit.* 33. *de appell. num.* 1053. *Cephalus d. l. num.* 9.

§. 1. Monentur appellatores, ut justificationes 8
appellationum brevius complectantur, et necessaria tantum, et quae controversa, allegent, omissis superfluis, nec prolixitati studeant, sub poena arbitraria, quod hodie utinam observa- 9
retur! Sed per DEI gratiam huic rei provisum 10
est in *Recessu Imperii nupero*, quo appellantes: 1. Jubentur gravamina summarie proponere per puncta: 2. Quid melius probare velint; et 3. si quid novi allegare velint etiam possint. *Ex hoc* §. vers. *quod sufficiant*, Colligitur utilis cautela: Quod appellans et appellatus non 11
teneantur aliquid de novo allegare, sed possint ambo remittere judicem ad acta primae instantiae, *Anton. Faber h. t. defens.* 15. *Hillig. in Donell. lib.* 28. *cap.* 7. *lit. C.* Conf. *Ord. Cam. p.* 3. *tit.* §. *pen. recess. ult.* §. *auch in Fallen da der (appellant) nichts neves etc. Ex hoc* §. Collige: refutatorios libellos non tantum dici 12
illos, quibus refutatur relatio transmissa ad Principem, sed quam nos justificationem appellamus, id libellus refutatorius dicebatur. Et illa justificatio, sub poena advocato infligenda, brevibus erat concipienda, et tantum alleganda gravamina, et sic nihil adducebat qui probare nolebat, neque debebat in actis deducta repetere, ut hodie pessime fit.

§. 2. Appello ad Principem, causa videtur 13
tantum 9. lib. auri concernere, ideoque unus Consiliarius Principis cognoscit, juxta *l.* 37. *h. t.* sed postea apparet causam concernere 18. lib. auri: Quaeritur; *An hic unicus possit pergere?* Affirm. quia sufficit, ut jurisdictio in principio sit fundata ratione dubii, licet in calculo ferendae sententiae appareat aliquid, quod, si ab initio innotuisset, jurisdictionem impedisset, et hoc notandum propter privilegia Statuum, ut dixi ad *l.* 37.

TITULUS LXIII.

De temporibus et reparationibus appellationum seu consultationum.

L. Si quis. 1.

SUMMARIA

Ad officium publicum nominatas intra quodnam tempus appellationem interponere, et postea persequi debeat? num. 1.
Cur h. leg. *introducendae appellationis tempus concisius?* 2.

1 Quando quis ad officium publicum nominatus est, debet quidem interponere appellationem intra decendium, *l.* 1. §. 6. *ff. quando appellandum*, sed ad persequendam et exercendam appellationem requiruntur duo menses, computandi ex eo die, quo interponi debuit, id est, decendio; non currunt autem illi 2. menses a die facti decreti, sed a die interpositae appellationis, id est, a decimo die, et quidem scienti, ignoranti autem a die scientiae, *Donell. lib.* 28. *cap.* 8. *post lit. Q.* Sed cur introducen- 2
dae appellationis tempus concisius, id est, duo tantum menses, in aliis vero, ubi de scientia per appellationem suspensa sermo est, datur annus? Resp. Ne respubl. administratoribus diu careat et vacet.

L. Tempora. 2.

SUMMARIA

Ab ordinario judice si appelletur, quale temporis spatium ad appellationis persecutionem detur? num. 1.
Aliud tempus est appellationis interpretandae, aliud introducendae, aliud prosequendae. 2.
Fatale primum prosequendae appellationis quidnam, et quae reliqua? 3.

Rigore juris primo fatali elapso mortua est appellatio. 4.

Eadem fatalia quatuor etiam in appellatione a delegato Principis observanda sunt. 5.

Qualia si ab alio delegato judice appelletur? 6.

Quando ultimus dies incidit in festivum, tunc appellator praecedente die appellationem prosequi potest. 7.

Quoties in appellationibus sermo fit de mensibus, toties triginta et unus dies debent intelligi. 8.

Dilationum materia ubique est amputanda. 9.

Quando privilegium aliquod impetratur, non necesse est, partem alteram monere, nisi ei inferatur praejudicium. 10.

Post appellationis desertionem executio potest fieri, nec opus quadrimestre spatium expectare. 11.

Si terminus datus in feriis expirat, ita ut introductio appellationis propter incidentes ferias ante finem termini fieri nequeat, an appellatio sit deserta? 12.

1 Si appelletur ab ordinario, datur spatium temporis ad appellationis prosecutionem (N. B.
2 Nam aliud est tempus appellationis interponendae, *de quo l.* 6. §. *pen. et Auth. seq. tit. praeced.* aliud introducendae, quod in arbitrio judicis, aliud prosequendae, de quo hic), ad prosecutionem inquam appellationis inchoan-
3 dam, primum fatale est 6. mensium, hoc elapso dantur alia tria fatalia ex aequitate (nam ri-
4 gore juris primo elapso fatali mortua appellatio), quorum quodlibet continet 31. dies, his 4. fatalibus elapsis expirat actio, sed potest a Principe intra 3. menses a die ultimi quarti fatalis computandos reparatio peti, nec ad hoc
5 partis citatio requiritur. Eadem fatalia quatuor sunt observanda, quoties a delegato Principis ap-
6 pellatur, nisi quod nulla reparatio peti possit. Sed si appelletur a sententia alterius delegati judicis, qui non a Principe sit delegatus, tunc primum fatale est duorum mensium, et reliqua tria fatalia, singula mensem complectuntur, his elapsis nulla reparatio speranda, sed sententia tradenda executioni. Notand. ex vers. *illud etiam etc.*
7 Quando ultimus dies fatalis alicujus spatii in festivum incidit diem, quod tunc praecedenti die possit appellator prosequi appellationem; nam distinguunt *DD.* utrum statuatur terminus, in quo parti aliquid faciendum, utrum vero ita, intra quem aliquid faciendum. Priori casu, si ultimus dies est feriis destinatus, sequenti die id fieri potest; posteriori casu id praecedenti die faciendum, *Br. hic et Castr.*
8 *num.* 6. Collige: I. Quoties in materia appellationum sermo fit de mensibus, toties triginta et unum diem debere intelligi, *Castr. hic et Menoch. lib.* 2. *A. Q. cas.* 50. *num.* 8. *et seqq.*
9 II. Ex *princip. legis* dilationum materiam ubique esse amputandam, ut lites praecidantur, quam regulam ex hoc textu solent probare practici, sed non observare. Ex vers. *qua petita etc.*
10 infert *Castr. hic num.* 4. quando impetratur privilegium, quod tunc non sit necesse partem alteram monere, nisi ei inferatur praejudicium.
11 Notat et *hic Glossa:* Quod post desertionem appellationis executio fieri possit, nec opus sit expectare quadrimestre spatium. Notetur etiam: de feriis in ultimum terminum incidentibus, de
12 quo supra dixi. Sed quaeritur: *Si terminus datus expirat in feriis, ut introductio appellationis propter incidentes ferias ante finem termini fieri nequeat, an appellatio sit deserta?* quod quamvis affirmari possit ex praesenti textu, ubi die praecedente id fieri potuit, benigniorem tamen sententiam amplexos esse Camerales testatur *Gail. lib.* 1. *obs.* 140. *num.* 4. *et seqq.*

Authenticae hic insertae post *l. finalem* explicantur.

L. Nemo arbitretur. 3.

SUMMARIA

Lapsis 4. appellationis fatalibus nulla conceditur reparatio. num. 1.

Consilium Imperatoris circa appellationis prosecutionem, ne nim. ab adversario impediri possit. 2.

Intellectus legis. 3.

Lapsis illis 4. fatalibus nulla conceditur repa- 1
ratio ne quidem ex justo impedimento, et sic ne quidem ex restitutione in integrum, *Bart. hic*, sed de hoc supra. Ne autem, si prope fi- 2
nem fatalis ultimi appellator prosequeretur vel persequi vellet appellationem, astu adversarii impediri possit, ideo suadet Imperator, ne ultimum 3
diem fatalis ultimi expectet, sed vel statim vel in medio tempore fatalium prosequatur appellationem. Unde probaretur sententia *Gailii d. obs.* 140. *num.* 6. si scil. statim ab initio feriarum prosequendae appellationis tempus exspiraret; Qui nimis se arctavit appellans, et hoc prospicere potuit, merito appellatio erit deserta. Vel dici potest; hanc secundam partem *legis* de imitatione, non prosecutione esse intelligendam, scilicet ante dimidiam fatalis acta sunt transmittenda in Consistorium sacrum.

L. Per hanc divinam. 4.

SUMMARIA

Lex haec a DD. *rosa inter spinas dicitur, et cur? num.* 1.

An appellans novas probationes in judicio appellationis instituere possit, et quatenus hae admittendae? 2.

Appellationis judex non potest de alio cognoscere, quam quod per appellationem ad eum fuit devolutum. 3.

An dilatoriae possint proponi? 4.

Ubi statutum, ut primo termino omnes exceptiones peremptoriae proponantur, velut in foro Saxon. ibi novae exceptiones peremptoriae in instantia appellationi opponi non possunt. 5.

Si probatorius terminus a lege est praescriptus, appellans post illum lapsum non admittitur. 6.

Nisi impedimentum justum alleget et doceat. 7.

Secus si terminus a judice sit praescriptus. 8.

Nulla nova assertio in secunda instantia proponenda. 9.

Quaenam talis dicatur? 10.

Exemplis illustratur. 11.

Quaenam sint nova capitula, quae in instantia appellationis non producenda? 12.

Etiam tunc datur appellatio, quando judex appellationis appellantem non gravavit, sed appellans non probando sibi ipsi nocuit. 13.
Objectio tacita removetur. 14.

1 *Hanc legem* dicunt *DD.* rosam inter spinas;
nam leges caeterae sunt fere inutiles, praeter
2 *hanc notabilem l. et authenticas in h. t.* Appellans
in judicio appellationis etiam novas probationes
instituere potest, et id quod in prima instantia
omiserat, allegare, *l.* 6. §. 1. *tit. praeced.* sed
novae probationes admittendae non sunt, nisi
super re antea in judicium deducta, *Matthesil.*
sing. 240. *Donell. et Hillig. lib.* 28. *c.* 8. *lit. D.*
Sed id etiam victori licet, per *hanc l.* dum
tamen novae assertiones et exceptiones ad novum
capitulum non pertineant, sed ex iis, quae
prius proposita sunt, oriantur, iisque sint con-
3 junctae, quia appellationis judex de alio non
potest cognoscere, quam quod per appellationem
ad eum fuit devolutum, *Kohl. exerc.* 5.
num. 4. *Hartm. Pistor. d. l. num.* 18. *Natta*
cons. 573. *num.* 35. *Klock. cons.* 51. *num.* 6.
vol. 2. Sed hoc intelligendum de iis, quae post
litem contestatam proponi potuissent, *Hartm.*
4 *Pistor. part.* 4. *q.* 23. *num.* 2. Ergo dilatoriae
5 proponi non possunt: Si etiam statutum alicubi
est, ut primo termino omnes exceptiones peremptoriae
proponantur, ut in foro Saxonico,
ibi novae exceptiones peremptoriae in instantia
appellationi non possunt opponi, *Hartm. Pistor.*
lib. 4. *quaest.* 23. *n.* 58. et sic intelligendus est
etiam *Benedict. Carpz. p.* 1. *jurispr. constit.* 21.
6 *defin. ult.* Huc etiam pertinet, quod si terminus
probatorius a lege sit praescriptus, appellans
post illum lapsum non admittatur ad
7 probandum, nisi impedimentum justum alleget
8 et doceat, sed si terminus a judice praescriptus,
appellans eo lapso audiri debeat, *Mevius*
p. 1. *dec.* 235. et dilatoria exceptio non est
repetenda in secunda instantia, licet in priori
prolata et probata, sed a judice neglecta, *Hartm.*
9 *Pistor. d. l. num.* 4. et in genere nulla nova
assertio in secunda instantia proponenda. Nova
10 autem est, quando mutatur vel variatur actio,
11 *Hartm. Pistor. d. l. n.* 8. v. g. quando prius possessorium,
postea petitorium instituo in secunda
instantia; sed si prius ex testamento egissem,
et vellem postea ab intestato petere haeredita-
12 tem. Sed *quae sunt nova capitula, quae in instantia
appellationis non producenda Hartm.*
Pistor. d. l. num. 21. definit, ea esse nova capitula
ex parte actoris, quae actionem propositam
non respiciunt, neque coadjuvant, ex
antiquis vero illa pendent, quae respiciunt
actionem propositam: sic ex parte rei omnis
actio, quae actionem institutam respicit, infirmando
illam, pendet ex veteribus articulis,
quae vero illam non respicit, nova censetur,
quod exemplis variis d. loco explicat, *Hartm.*
Pistor. videatur et *Carpz. d. constit.* 21. Ex no-
13 tabili *hac lege* colligitur: appellationem etiam
tunc dari, quando judex appellationis appellantem
non gravavit, sed appellans probando sibi
ipsi nocuit, *Menoch. cons.* 1244. *num.* 3. *et seq.*
14 Licet enim appellatio ab eo alias, quod quis
fecit vel fieri procuravit, non admittatur, *Menoch.
consil.* 217. *num.* 23. secus tamen est,
quando aliquid neglexit, forte opinatus, se ex
adductis victoriam reportaturum. Imo beneficium
hujus legis locum habere videtur, quoties
beneficium supplicationis intenditur contra
sententiam ejus, a quo non potest appellari,
ut docet *Menoch. d. cons.* 1244. *num.* 5.

L. Cum anterioribus. ult.

SUMMARIA

Tempus intimandae appellationis varie praescribitur. num. 1.
Abrogatur per hanc legem l. 2. h. t. 2.
Mutato imperio hoc principium observantia non habet opus. 3.
In quonam corrigatur per h. l. dicta lex 2? 4.
Appellatio intra quod tempus hodie prosequenda? 5.
Derogatur legi 37. tit. praeced. et l. 3. h. t. 6.
Si appellatus videt, morosum esse appellantem, potest praevenire tempus, et petere, ut jubeatur appellans intra certum terminum justificare appellationem. 7.
Appellans ad hoc male relatum esset dicet, dum appellationem suam justificat, et sic multo magis anticipare potest. 8.
Quomodo fatalia prosequenda appellationis in ventilatione causae coram Consistorio Principis sint computanda? 9.
Haec fatalia prosequendae appellationis in Camera an et quatenus non currant? 10.
In Consistorio Principis et aliis quoque judiciis, si stat per judicem, quo minus decidatur appellatio, fatalia ejusdem non currunt. 11.
Intra quodnam tempus appellationis processus finiri debeat? 12.
Quid si propter moram judicis appellatio non justificata? 13.
Causa in appellatione, absente etiam altera parte, ventilari potest. 14.
In processu appellationis quando lis incepta habeatur? 15.
Discrimen inter causas appellationis et causas prioris judicii. 16.
Biennio transacto, etsi per judicem steterit, appellans audiendus non est, sed querelae contra judicem locus. 17.
Extensio §. praecedentis. 18.
Per pactum non solum appellationi renunciari, sed et appellationis tempora mutari possunt. 19.
Licet statutum appellationem ad superiorem tollere non possit, potest tamen pacto tolli. 20.
Restringitur. 21.

Princ. tempus intimandae appellationis prae- 1
scribitur pro diversitate locorum, et abrogatur 2
per *h. l. l.* 2. *h. t.* nam ibi variabat tempus
pro diversitate judicum, hic vero pro diversitate
locorum, nam ab orientalibus et longe dissitis
provinciis, si fiat appellatio, sex menses
sunt pro primo fatali, in caeteris tres menses,
Donell. lib. 28. *c.* 7. *lit. R.* Sed mutato imperio 3
hoc principium observantia opus non habet.
§. 1. Supra in *l.* 2. ultimus dies erat fatalis, 4
et si illo die non intimata fuerit appellatio, expirat,
sed per *h. l.* id corrigitur, et statuitur, ut
quatuor dies ante ultimum, et quinque dies sequentes
pro fatalibus habeantur, ut ita appellans
intra spatium decem dierum prosequi appellationem
possit, sed hoc nobis utilitatem non

profert, si quidem in nostris judiciis aliter ob-
servatur, de quo postea videbimus.
5 §. 2. Appellatio hodie non intra biennium ut
l. 37. *tit. praeced.* sed intra annum prosequen-
da cum actis et libello refutatorio seu precibus
6 refutatoriis, et ita derogatur *legi* 37. *tit. praeced.*
et l. 3. *h. t. Donell. lib.* 28. *c.* 7. *post lit. R.* Appel-
latus autem seu pars victrix petere potest, ut an-
no citius causa appellationis cognoscatur. Unde
7 colligitur utilis practica: Si appellatus videat mo-
rosum esse appellantem, potest praevenire tem-
pus, et petere, ut jubeatur appellans intra
certum terminum justificare appellationem, *Pe-*
8 *tr. Greg. de appell.* et male relatum esse dicit
appellans, dum appellationem suam justificat,
l. 6. *c.* 8. *num.* 101. *Scacc. de appell. q.* 11.
num. 42. *et* 414. *num.* 56. et sic multo magis
appellans potest anticipare, *Petr. Greg. d. c.* 8.
num. 14. *Guido Papae dec.* 335.
9 §. 3. Quando causa in Consistorio Principis
ventilatur, fatalia appellationis prosequendae ita
computanda, ut tempora, quibus jus non red-
ditur, ipso jure non currant, nec in fatalibus
computentur, si per appellantem non stetit,
sed per occupationes Procerum, *Donell. lib.* 28.
10 *c.* 8. unde haec fatalia prosequendae appella-
tionis in Camera non currunt, *Gail. lib.* 1. *obs.*
131. *num.* 7. scilicet hoc intelligendum ratione
finiendae, non inchoandae appellationis, nam
in Camera concisius tempus prosequendi, *Ord.*
Cam. p. 2. *tit.* 30. §. 1. *et seqq. Mynsing. cent.* 5.
11 *obs.* 57. Sed tamen non tantum in Consisto-
rio Principis, sed etiam in aliis judiciis, si stet
per judicem, quo minus decidatur appellatio,
non currunt appellationis fatalia, *Petr. Greg.*
de appell. lib. 6. *c.* 9. *num.* 8. *Perez ad hunc*
tit. num. 4.
12 §. 4. Hic §. continet fatalia exercendae ap-
pellationis, scil. intra quod tempus appellationis
processus finiri debeat, scil. intra annum a
tempore interpositae appellationis, *Trentacinq.*
lib. 2. *tit. de appell. rel.* 10. *num.* 3. Si autem
13 non justificata appellatio ob moram judicis, vel
inexorabile impedimentum, datur alius annus,
quo elapso appellans non amplius auditur. No-
14 tandum: Hic causam, etiamsi appellatus solus
se sistat, posse absente appellante ventilari,
quod idem est, si appellatus est absens, per
15 tradita *Scacc. d. qu.* 11. *num.* 42. In processu
appellationis incipitur, non litis contestatione,
ut in prima instantia, sed si appellans formalia
et materialia appellationis suae interpositae et
introductae justificet, potest sine litis contesta-
tione, si modo lis in prima instantia contestata
sit, sententia ferri, quia litis contestatio effe-
ctum suum ad aliam instantiam extendit, *Scacc.*
d. qu. 11. *num.* 42. *Gail. lib.* 1. *obs.* 76. *num.* 1.
Mynsing. c. 1. *obs.* 1. *num.* 3. *Obrecht. de litis*
cont. cap. 4. *num.* 36. *seqq. Hillig. in Donell.*
lib. 26. *c.* 9. *lit. l. Mevius p.* 2. *dec.* 10. licet
aliter distinguat *Kohl. exerc.* 5. licet in Came-
16 ra *Spir.* secus, *Gail. d. l.* Nota etiam discri-
men, inter causas appellationis et causas prioris
judicii; nam causae primae instantiae cognitiona-
liter decidendae utraque parte praesente, sed cau-
sae appellationis possunt etiam una parte prae-
17 sente introduci. Collige etiam ex hoc §. si bien-
nium transactum, appellantem non esse audien-
dum, etsi per judicem steterit, sed querelae
contra judicem locus, *Donell. d. lib.* 28. *c.* 9. *lit.*
K. quod non observari ibidem testatur *Hillig.*

§. 5. Id quod §. *praecedente* dictum, exten- 18
ditur etiam ad eum casum, quando a sententia
Praefecti Praetorio non quidem appellatio, *l.*
un. supra de sentent. Praef. Praetorio, sed ta-
men supplicatio ad Principem interponitur.
§. *ult.* Per pactum potest renunciari appella- 19
tioni, ne appellare liceat: et pacto etiam tem-
pora appellationis mutari possunt. Ratio in *l.*
penult. c. de pactis; quia fatalia appellationis in-
troducta, ut lites abbrevientur, in favorem
partium, cui partes renunciare possunt. Note-
tur igitur: licet statutum appellationem ad su- 20
periorem tollere non possit, posse tamen pacto
tolli, *Myns. cent.* 1. *obs.* 14. *Maranta p.* 6. *de*
appell. num. 341. *et seqq. Besold. de appell. c.*
6. *num.* 3. *Trentac. d. t. resol.* 11. *Lancellot.*
de attent. p. 2. *c.* 12. *num.* 12. *et seqq. in prae-*
fat. Sed hoc ad civilia restringendum. Nam in 21
criminibus, iis praesertim, quorum poena mors
est, aut poena corporalis appellationi non pos-
se renunciari, *DD.* recte statuunt, *Farin. q.*
101. *num.* 20. ubi in sequenti limitat, nisi es-
set crimen notorium, *Ant. Matth. ad lib.* 43.
ff. tit. 17. *c.* 5. *num.* 11.

Auth. Ei qui appellat.

SUMMARIA

Intra quodnam tempus appellatio finiri debeat? *num.* 1.

Quid si intra illud non finiatur? 2.

An appellato potestas postulandi sit, ut de appellatione cognoscatur? 3.

Beneficium appellationis utrique parti est commune. 4.

Quando appellatus, ut appellans citetur, petat, et quid hoc isti prosit? 5.

Cur praeterlapso primo anno in appellatione alius adhuc annus soleat concedi? 6.

Tempus exercendae et finiendae appellationis 1
annus est, et si quis impediatur in primo anno,
adhuc alius datur annus, et ita biennium, in-
tra quod si appellatio non finiatur, sententia 2
transit in rem judicatam; ipsi autem appellato 3
seu victori, appellatore cessante, potestas po-
stulandi est, ut de appellatione cognoscatur,
quia beneficium appellationis commune est u- 4
trique parti, *Gail. lib.* 1. *obs.* 122. Sed sub fi- 5
nem biennii, cum unus adhuc mensis superest,
potest appellatus petere, ut appellans citetur,
et quaeratur, quo sive praesente sive absente,
auditis appellati allegationibus, res decidi po-
test, ubi sententia pro appellato non tantum,
sed etiam pro appellante ferri potest. Sed ap-
pellans, licet pro eo sententia feratur, sem-
per tamen in expensas condemnabitur ut con-
tumax, *hic et arg. l. properandum* §. 2. *supra*
de judic. Donell. lib. 28. *c.* 8. *post lit. C.* Ad
id autem, ut praeterlapso primo anno detur 6
secundus, necesse est, ut si impedimentum
contigerit in ultima parte primi anni, etiam
tanto tempore duraverit, ut prosequi intra il-
lud tempus non potuerit, quia si in prima par-
te impeditus, in secunda parte autem negli-
gens, negligentia sequens absorberet impedi-
mentum praecedens, *Panorm. in c.* 8. *X. de*
appellat. num. 12. *Crotus in ejusdem repetitio-*

ne num. 47. *Scacc. q.* 15. *num.* 148. *Trentac. d. lib.* 2. *tit. de appell. resol.* 20. *n.* 5. *et seq.*

Auth. Si tamen.

SUMMARIA

Tenor legis. *num.* 1.
An conventione partium appellatio prorogari possit? 2.

1 Si in medio motae appellationis Arbitri electi, et dum hi electi cognoscunt, biennium exit, si causa ad judicem appellationis redeat, fatale non labitur appellanti, *hic et Novell.* 93. *c.* 1. *Clement. quamdiu de appellat.* Ratio est: Quia mora non est in appellante, sed judice dante arbitros, *Maranta in speculo part.* 6. *tit. de appellat. num.* 242. Vid. etiam *Scacc. de app. qu.* 15. *num.* 105. *Hilliger. in Donell. lib.* 28. *c.* 8. *lit. N. Gail. lib.* 1. *observ.* 101. *num.* 6. *Trentac. d. t. resol.* 10. *num.* 14. *Wurmserus*
2 *tit.* 24. *obs.* 2. Sed et conventione partium prorogari posse, tradunt *Gail. lib.* 1. *obs.* 141. *num.* 6. et quos allegat *Hillig. d. l. Scacc. qu.* 15. *art.* 10. *num.* 188. et quos ibi magno numero citat.

Auth. Sed et lis.

SUMMARIA

Sensus legis. *num.* 1.
Fatalia prosequendae appellationis in Camera Spirensi non currunt intra biennium. 2.
Pessime hoc alia judicia imitantur. 3.

1 Quando causa appellationis agitur in Consistorio Principis, et per Procerum sive Consiliariorum occupationes stetit, quo minus intra biennium absolveretur appellationis causa, non currunt fatalia, *hic et l. ult.* §. 3. *h. t.* ubi ratio; hine nec in *Camera Spirensi* currunt fa- 2
talia prosequendae appellationis, ut ex *Gailio l.* 1. *obs.* 131. *num.* 7. dictum supra, quod pessi- 3
me imitantur inferiora judicia. Sed si appellans velit se excusare, opus erit, ut omnia fecerit, quo impedimentum illud tolleret, et debitam diligentiam praestiterit, *Cephalus cons.* 708. *num.* 54.

Auth. Si appellatione.

SUMMARIA

Mora judicis appellanti non nocet, sique appellans ultimo die fatalis prosequuturus appellationem venerit, nec tamen judex eum audire velit, non praejudicat appellanti. num. 1.
Differentia inter hunc casum et casum Authenticae praecedentis. 2.
Quod si per alium impeditus appellans, quo minus prosequeretur appellationem, contra eum actio de dolo danda est? 3.
Pauperi fatalia prosequendae appellationis non currunt. 4.

Mora judicis non nocet appellanti, ideoque 1
si appellans vel ultimo die fatalis ultimi venerit prosequuturus appellationem, et judex eum audire noluerit, non praejudicat hoc appellanti, *Rittershus. p.* 10. *c.* 3. *num.* 10. *P. Gregor. d. tr. lib.* 6. *c.* 9. *num.* 8. *Perez ad hunc tit. num.* 4. Sed hoc interest inter hunc ca- 2
sum, et casum *Authenticae praecedentis*, ibi enim ipso jure non currunt fatalia, hic currunt, sed datur restitutio, *l.* 26. *princ. et* §. 4. *ff. ex quibus caus.* Quod si per alium impedi- 3
tus, quo minus appellans prosequeretur appellationem, contra eum danda est actio de dolo. Pauperi etiam non currunt fatalia prosequen- 4
dae appellationis, *Gail. lib.* 1. *obs.* 142. *Mynsing. c.* 4. *obs.* 97.

TITULUS LXIV.

Quando provocare non est necesse.

L. Latam sententiam. 1.

SUMMARIA

Sententia lata contra rem judicatam allegatam et probatam, appellatione non habet opus, cum ipso jure nulla sit. num. 1.
Haec nullitas judici attendenda est, licet non opponatur. 2.
Sententia ejusmodi intra 30. *annos retractari potest.* 3.

1 Sententia contra rem judicatam lata, ipso jure nulla est, et opus non habet appellatione, *l.* 1. *pr. ff. quae sent. etc. et c.* 9. *X. de sent.* scil. si res judicata allegata et probata, *Vant. de nullitate tit. ex defectu process. num.* 125.
2 *Pruck. v.* 2. *cons.* 24. *num.* 15. Et haec nullitas, si judici ex actis appareat, attendenda est, licet non opponatur, *Consil. Marpurg* 30. *num.* 271. *vol.* 2. *Hillig. in Donell. lib.* 27. *c.* 2. *lit. I.* Et talis sententia intra 30. annos retractari po- 3
test, ex capite nullitatis, ratio est in auctoritate rei judicatae, quae jus facit, et ut sit litium finis. Et sic prior sententia nulla, posterior, per quam nullitas prioris, i e. secundae sententiae declaratur valida. *P. Barbos. ad tit. ff. solut. matr. p.* 3. *num.* 57.

L. Si cum inter te. 2.

SUMMARIA

Sententia, expressum juris errorem continens, cum sit ipso jure nulla, appellatione non indiget. num. 1.

Sententia, quae est contra jus litigatoris, sed errorem non exprimit, vel exprimit quidem, sed jus est aliquo modo dubium et perplexum, vel quae in facto errat, non est ipso jure nulla, sed per appellationem impugnari potest et debet. 2.
Idem in sententia arbitri vel laudo. 3.

1 Sententia, quae continet expressum errorem juris, est ipso jure nulla, *l.* 1. §. 2. *ff. quae sentent. sine appellat.* et sic non est necessaria appellatio, *Auctor in l.* 19. *ff. h. t. num.* 1. Ratio in *l.* 4. §. 1. *in fin. C. de SS. Eccles. et l.* 5. *de LL.* v. g. Si pronunciet judex, impuberem posse testamentum condere, contra *leg.* 4. *supra*
2 *qui testam. facere etc.* Sed quae contra jus litigatoris est, sed errorem non exprimit, vel exprimit quidem, sed jus est aliquo modo dubium et perplexum, vel quae in facto errat, ea non est ipso jure nulla, ideoque per appellationem impugnari potest, et debet, v. g. si judex pronunciet aliquem excessisse annum aetatis 14. quod tamen non est, *Vant. de nullit. tit. ex defectu proc. num.* 118. *et num.* 122. *et seq. Donell. et ibi Hillig. lib.* 27. *c.* 6. *lit. A. Tuschus concl.* 141. *lit. S. et conclus.* 156. *Ant. Gabr. lib.* 2. *tit. de sent. concl.* 7. *Oldend. l.* 7.
3 *act. ult.* Idem in sententia vel laudo arbitri, *Blancus de compromiss. quaest.* 9. *num.* 20.

L. Si ut proponis. 3.

SUMMARIA

Facti species. num. 1.
Electio informiter facta ipso jure nulla est. 2.
Idem in electione, per quam praejudicium fit appellationi. 3.

1 Decurio electus es, appellasti ab electione, *l.* 27. *supr. de appell.* Pendente appellatione electus es duumvir; Quaeritur: *An haec electio teneat?* Neg. quia duumvir non potest eligi, nisi ex corpore decurionum, *l.* 7. §. 2. *ff. de decurion.* Ergo causae appellationis, per hoc decretum, vel nominationem derogari nequit. Er-
2 go electio ipso jure nulla. Nam quemadmodum electio informiter facta ipso jure nulla, per *l.* 27. *ff. de appellat.* ita etiam illa informis et
3 nulla dici potest, per quam praejudicium fit appellationi.

L. Cum magistratus. 4.

SUMMARIA

Datis pluribus delegatis judicibus, sententia unius reliquis absentibus ipso jure nulla est. num. 1.
Nisi dati sint cum clausula, si non omnes. 2.
Aliud in judicibus ordinariis. 3.
Quid si plures sententias diversas ferant. 4.
Quid si citatus vel requisitus tertius arbiter, an duo praesentes possint arbitrium ferre? 5.

1 Quando plures dati judices, et unus reliquis absentibus sententiam ferat, haec ipso jure nulla est, quia omnes judicare jussi sunt, *leg. duo ex tribus* 39. *ff. de re judic.* et ideo sententia ab uno lata est ipso jure nulla, Vid. tamen 2
Socinus reg. 140. Sed hoc de delegatis judicibus accipiendum, quos omnes adesse oportet, nisi dati sint cum clausula, *si non omnes*, nam si cum hac clausula dati commissarii, unius vel alterius commissarii absentia caeteris non oberit. Sed si sunt ordinarii judices, non nocet a- 3
liquorum absentia, *Dn. Mevius p.* 4. *dec.* 152. Sic nec eo casu irrita est unius vel duorum delegatorum judicum sententia, si in commissione contineatur clausula, *ut unus vel duo vel tres etc.* ubi unus vel aliqui possunt sententiam ferre, et praeveniunt caeteros, per *cap. cum plures* 8. *de offic. jud. deleg. lib.* 6. Sed *quid si* 4
plures sententias diversas ferant? Resp. Si impares, plurium statur sententiae, *d. l.* 39. si pares, et sunt delegati, requiritur judicium delegantis quam confirmare velit, *l.* 28. *d. t.* Sed si ordinarii pares sunt numero, valet ea sententia, quae pro libertate lata est, vel pro reo, *l. inter pares* 38 *ff. de re judicata.* Sed Quaeritur: *Quid si citatus vel requisitus tertius ar-* 5
biter, an duo praesentes possunt arbitrium ferre? Hoc de jure civili negant, per *l.* 17. § *fin. et l. seq. ff. de arb.* ubi ratio: quia potuit reliquos in suam sententiam trahere. Et ita judicatum refert *Ant. Faber in Cod. suo lib.* 2. *tit.* 35. *defin.* 3. sed de Jure Canon. aliud putant per *cap.* 2. *de arbitris in sexto.* Sed utroque jure idem dicendum est, scilicet si tertius absit sine causa, posse praesentes arbitrari, quod ex *l.* 32. §. 13. *ff. de arb.* probatur.

L. Certa ratione. 5.

SUMMARIA

Praeses ultra 2. *uncias auri mulctam dicere nequit. num.* 1.
Ubicumque judex jurisdictionis suae metam excedit, sententia est nulla, nec appellatione opus habet. 2.
Excessus in parte vitiat in toto, et sic sententia nec in modo concesso valet. 3.
Lex alia, si certum modum constituat, non infirmat omne quod gestum est, sed quod illicite gestum. 4.
An hodie modus ille mulctarum observari soleat? 5.
Usus hujus legis *est exiguus.* 6.

Praeses non poterat ultra 2. uncias auri mul- 1
ctam indicere, *l. fin. supra de modo mulctarum etc.* Hos vel alios fines jurisdictionis, si Praeses vel alius judex excedat, sententia ipso jure est nulla, et ubicumque Judex excedit ju- 2
risdictionis suae metam, sententia est nulla, nec opus est appellatione, *Farinac. quaest.* 18. *num.* 29. *et seq.* Excessus in parte vitiat in toto, 3
et sic senténtia nec in modo concesso valet, *Bartol. in l.* 2. *C. de re judic. Salyc. hic.* Alia 4
lex, si certum modum constituat, non infirmat omne quod gestum, sed quod illicite gestum est, *l.* 21. *ff. de usur. leg.* 34. *in fin.* §. 1. *Cod. de donat. Donell. lib.* 19. *cap.* 11. *lit. M.* Sed cum hodie modus ille mulctarum non ob- 5
servetur, si credimus *Farin. d. q.* 18. *num.* 31. nec etiam hodie *hujus legis* magnus usus est. 6

Et putat *Petr. Greg. de appell. lib.* 2. *c.* 6. *n.* 4. consultius facturum aliquem, si appellet.

L. Cum non. 6.

SUMMARIA

Sententia delegati judicis ad certum diem, alio die judicantis nulla est. num. 1.
Nisi partium consensu dies fuerit prorogatus, quod tamen partibus quandoque non licet. 2.

1 Nulla sententia est, quando Judex delegatus ita est, ut ad certum diem judicaret, et hic alio tempore judicat, quia formam praescriptam
2 non observavit, nisi partium consensu prorogatus fuisset dies, tunc enim pars allegans nullitatem, contra proprium factum et consensum veniret, contra *l.* 25. *princ. ff. de adopt.* nisi prorogatio temporis a Principe prohibita, sicut etiam prohibita est per *l. properandum C. de judic.* ordinariis judicibus, post tempus instantiae, *Donell. l.* 17. *c.* 26. *post lit. A.* Si tamen nulla ex ea, quae alio tempore lata sententia, laesio est, neque ullum pars incommodum allegare possit, hanc nullitatem in superiore judicio attendendam non esse vult *Mevius p.* 4. *dec.* 105.

L. Venales sententias. 7.

SUMMARIA

Venalis sententia quaenam dicatur? num. 1.
Ejusmodi sententia est ipso jure nulla. 2.
Quid si judex ex gratia male judicet? 3.
Ampliatio sententiae hujus legis. 4.

1 Venalis sententia, idest, quae machinatione adversarii, judice pretio corrupto, impetrata,
2 est ipso jure nulla. Vide *supra de poena judi-*
3 *cis, etc.* secus, si ex gratia male judicat, *l.* 65. §. 2. *ff. ad Trebell.* ubi tamen datur restitutio, *l.* 33. *ff. de re judic.* Sententia autem nostrae
4 *legis* ampliatur: ut sententia etiam justa et aequa pretio impetrata nulla sit, *C. non licet c.* 11. *q.* 3. *et c. vendentes c.* 1. *quaest.* 3. *Farin. c.* 1. *art.* 3. *Vasq. part.* 2. *Ill. c.* 37. *num.* 4. *Vantius de nullit. ex defect. process. num.* 136. Idem est, si spe aliquid recipiendi, Judex sententiam ferat, *Vasq. d. l. num.* 5. Si tamen ex pluribus judicibus unus sit corruptus, sententia valebit, *Socin. reg.* 441. *Vant d. l. num.* 38.

L. Si pater tuus. 8.

SUMMARIA

Decuriones minores 25. *annis, ut suffragia ferant, creari non possunt. num.* 1.
Facti species. 2.
Si gravamini, non obstante sententia, alio modo medela a judice a quo *reperiri potest, tunc superiori judici processum denegare licet.* 3.
Exemplo declaratur. 4.

Decuriones non possunt creari, ita ut suffragia ferant, minores 25. annis, *l.* 11. *ff. de Decur.* 1
sed quidam agens 15. annum electus est Decurio, *an appellandum ipsi est?* Resp. non opus esse appellatione, sed nominatus contra jura tutus est, quod favori civitatis et aetatis tributum. Unde probatur etiam, quod si gravamini, 2
non obstante sententia, alio modo medela a judice *a quo* reperiri possit, quod tunc superior Judex processum appellatorium denegare possit, addita causa, v. g. si secundo creditori 3
immissio decreta in bona debitoris, creditor priore jura habens appellet, ob interesse suum, quia jus prioris per immissionem secundo decretam non absorbetur, hinc denegatum processum refert, *Mevius p.* 4. *dec.* 124. 4

L. Veteranis. 9.

SUMMARIA

Milites veterani quinam dicantur? num. 1.
Hi ipsi ad munera civilia vocati appellatione non habent opus, sed contra nominationes ipso jure tuti sunt. 2.

Favor etiam militum veteranorum, id est, qui post 20. annorum stipendia honeste missi sunt, efficit ut, licet alii exempti ad munera civilia vocati alias appellare habeant necesse, per *l.* 7. *et* 1. *supra de appellat.* veterani tamen non habeant opus appellatione, sed contra ejusmodi nominationes ipso jure tuti sint. Ratio in textu, ibi: *fidam devotionem militum etc.* 1
2

L. Omnem onorem. ult.

SUMMARIA

Facti species. num. 1.
Duplex inde deducta quaestio. 2. 3.
Ampliatur decisio legis. 4.
Ubi capitula sententiae sunt separata, non devolvitur tota causa ad Superiorem. 5.
Aliud est hoc loco. 6.
Quid si victus a certo sententiae capitulo appellaverit, in ceteris vero capitibus eam acceptaverit, quomodo appellet? 7.

Litigo tecum ob fundum, et obtineo, Judex te condemnat, sed nulla facta mentione fructuum, et expensarum, quas etiam petii, tu appellas; Quaeritur: *An si in instantia appellationis fructus obtinere velim, appellare etiam ego ut victor possim?* Videtur quod sic, ex *l.* 3. *supra de fructibus et lit. expensis.* Sed negatur, quia frustra appellat victor, quum in causa appellationis a victo introducenda possit obtinere condemnationem expensarum, et potest Judex ordinarius, sive delegatus appellationis, etiamsi ego non appellaverim, quoad fructus reformare sententiam, et te in expensas condemnare, si hoc aequum ipsi visum fuerit. Sed quid si tu appellationem non prosequaris? Quaeritur: *an ego possim ad fructus et expensas agere?* Affir. *l. ult. princ. supra de appell.* Ergo possum ego victor appellationem tuam 1
2
3

prosequi, et petere, ut sententia reformetur quoad fructus mihi nondum adjudicatos. Et hoc locum habet, licet tantum in minorem quantitatem, quam par erat, condemnaverit victum, per verba textus, *vel minus, quam oportuerat, Panorm. in c. significavit num.* 7. *X. de except. Scacc. de appellat. quaest.* 17. *limit.* 21.
4 *num.* 5. Et sic hoc casu non liceret appellanti renunciare appellationi, quia jus quaesitum appellato, nam appellatus quia scivit a parte victa appellatum esse, vel forte voluit appellare, sed appellatio a judice propter *hanc legem* fuit rejecta, si ergo possit appellans renunciare appellationi, appellatus deceptus esset, *Cynus hic num.* 3. *Baldus num.* 4. *Scacc. d. l. num.* 7. *et seqq.* Et licet alias, ubi capitula sententiae 5
sunt separata, non devolvatur tota causa ad superiorem, hic tamen secus esse tradit *Scacc.* 6
d. l. num. 12. ubi in *seqq.* plura. Sed ubi victus a certo capitulo sententiae appellavit, in 7
caeteris capitibus vero eam acceptavit, videtur opus esse, ut victor ab omissa condemnatione in expensas appellet, *Covarr. q. pr.* 27. *num.* 5. *P. Barb. ad l.* 79. *pr. ff. de judic. num.* 183. Ex dictis sequitur, si victus non appellet, tunc necesse esse, ut victor appellet, si expensas recuperare velit, *P. Barb. d. l. num.* 182. qui etiam *num.* 180. eorum opinionem rejicit qui *hanc legem* ad casum illum, quando de expensis nihil fuit dictum, extendunt.

TITULUS LXV.

Quorum appellationes non recipiuntur.

L. Ejus. 1.

SUMMARIA

Ter aliquo vel peremptorie semel citato nec comparente causa cognita, etiam absente altera parte, sententia ferri potest. num. 1.
Absens ejusmodi et contumax beneficium appellationis non habet. 2.
Ubi notoria contumacia, ibi nec restitutio peti potest. 3.
Legis auxilium frustra invocat, qui in legem peccat. 4.
In quonam contumace dicta procedant? 5.
Contumacia procuratoris etiam domino nocet. 6.
Sed si ille non solvendo, dominus restituitur. 7.
Limitatur regula num. 6. *tradita.* 8.

1 Quando quis citatus est ter, vel peremptorie semel, et tamen non comparet, tum causa cognita, etiam absente altera parte, sententia ferri potest, *l.* 8. *supra quom. et quando judex. etc.*
2 Quando igitur contra absentem hunc et contumacem lata est sententia, hic beneficium appellationis non habet, nam contumax non appellat, *hic et l.* 13. §. 4. *in fin. supra de ju-*
3 *dic. l.* 23. §. 3. *ff. de appell.* et ubi notoria est contumacia, nec potest peti restitutio in inte-
4 grum, *Mevius p.* 5. *decis.* 329. frustra enim legis auxilium invocat, qui in legem peccat, *leg. ult.* §. 12. *supra de jure delib. l.* 39. *ff. solut.*
5 *matrim.* Sed haec vera sunt in eo, qui contumax est in non veniendo, *Scacc. c.* 17. *num.* 17. secus autem si sit contumax in non exhibendo, *l.* 28. §. 1. *ff. de appell.* vel in non jurando de calumnia, *d. l.* 28. *Hillig. in Donell. lib.* 28. *c.* 6. *lit. I. Breder. de appell. p.* 1. *t.* 13. *p.* 260. *Scacc. d. quaest.* 17. *limit.* 3. *Lancellot. p.* 2. *c.* 42. *limit.* 30. *num.* 171. *Carpz. lib.* 3. *resp.* 112. secus etiam in contumacia in non respondendo, ubi contumaciae poenam ordinariam non sustinet, licet impune non ferat, *Me-*
6 *vius p.* 2. *dec.* 327. Et contumacia etiam procuratoris nocet domino, *arg. leg.* 10. *ff. de procurat. Lancell. de attent. p.* 2. *c.* 12. *limit.* 50. *num.* 95. *et seqq. Gail. lib.* 1. *obs.* 89. *num.* 3. sed si ille non solvendo, dominus restitui- 7
tur, *Bacchov. in Treutl. v.* 2. *disp. ult. th.* 3. *lit. E.* sed ut ex procuratoris contumacia do- 8
minus poenam luat, intelligendum est, si citatio ad domini notitiam pervenit, et sic si contumacia vera, *Mevius p.* 5. *dec.* 180.

L. Observare. 2.

SUMMARIA

Notorie criminosi appellationis auxilio indigni judicantur. num. 1.
Seditiosi ejusmodi quinam sint? 2.
Quid ad hoc, ut quis notorie criminosus sit requiratur? 3.
Ampliatur. 4.
Quid si convictus sit et non confessus? 5.
Quid si metu tormentorum confessus sit? 6.
Confessus interdum tormentis subjiciendus, ut socios nominet, ut ita veritas confessionis eruatur. 7.
Non sufficit confessum quempiam esse vel convictum, sed utrumque est conjungendum, ad hoc, ut appellationis beneficium non habeat. 8.

Notorie criminosus, appellationis auxilio est 1
indignus, qualem scilicet statim puniri publice 2
interest, *l.* 16. *ff. de appell. ibique Auctor,* ut sunt homicidae, venefici, et malefici, adulteri et qui publicam vim commiserunt, *hic et l.* 6. *in fine infra de vi public.* Item insignes latrones, seditiosi manifesti, duces factionum, *d. l.* 16. *et l.* 6. §. 9. *ff. de injust. rupt. testam.* virginum raptores, *l. unic. C. de rapt. virg. in fin. princ.* Sed *quid requiritur ad hoc, ut quis* 3
notorie criminosus sit? Duo requiruntur; 1. ut reus sit convictus; 2. ut sit confessus, aut rei evidentia constrictus, *hic et c.* 5. *in fine c.* 13. *et c.* 14. *X. de appell. Farin. quaest.* 101. *num.* 114. qui *num.* 116. etiam ad alia crimina id ex- 4
tendit; in seditiosis sane et factiosis ac raptoribus alterutrum sufficit, *Rauchb. part.* 2. *quaest.* 6. *num.* 11. per *d. l.* 16. Quid *autem si convictus* 5
sit, non confessus? Resp. tunc appellare posse reum, quia contra probationes forte quid po-

6 test excipere; idem est, si confessus quidem,
sed non sponte, verum metu tormentorum,
quae confessio non praejudicat confitenti, nisi
ratificata. Imo licet ratificata, non tamen prae-
judicat, nisi adsint etiam rationes, quae religio-
nem cognoscentis instruant, *leg.* 1. §. 17. *ff. de
quaest. Mynsing. cent.* 5. *obs.* 23. *Farin. d.
quaest.* 101. *num.* 132. *Ant. Matth. ad lib.* 48.
ff. tit. 16. c. 3. *num.* 21. et nisi de corpore de-
licti constet, *l.* 1. §. 24. *et l.* 5. §. 2. *ff. ad Si-*
7 *lanianum.* Ideo confessus interdum tormentis
subjiciendus, ut socios nominet, ut ita veritas
confessionis eruatur, *l.* 1. §. *ult. ff. de quaest.*
8 Nec ergo sufficit confessum esse vel convictum,
sed utrumque conjungendum ad hoc, ut ap-
pellationis beneficium non habeat. Vide *Scaccia
de appell.* c. 17. *limit.* 4. *Caevall. quaest.* 509.
Maranta d. t. num. 281. *et Bacchov. in Treutl.
d. disp.* 33. *th.* 3. *lit. F.*

L. Nulli. 3.

SUMMARIA

Facti species. num. 1.
*Quatenus officialis judicis condemnatus appella-
re possit.* 2.
*A correctione superioris appellare non licet,
et cur?* 3.

1 Judex officialem sibi adjunctum, v. g. nun-
cium vel notarium ob male gestum officium
condemnat, et punit; Quaeritur: *An officialis
appellare possit?* Respondetur quod non, quia
non est verisimile, Judicem contra eum laturum
sententiam, nisi de delicto constaret, et ut si
viderint officiales, poenam praesentem esse,
nec posse interposita appellatione differri, aut
eludi, tanto magis ab omni sorde et rapina
abstineant, *Ant. Matth. ad lib.* 48. *tit.* 17. *c.*
5. *num.* 10. Conf. *Farin. quaest.* 101. *num.* 85.
et seqq. Petr. Greg. lib. 5. *de appell.* c. 2. *num.* 2.
2 secus ergo est, si non ob male gestum offi-
cium, sed in alia causa, ubi forte de patrimo-
nio suo litigat officialis, vel in alio crimine
officium non tangente, condemnaretur, nam
ibi eum posse appellare nemo negat, non per
se tantum, sed et per procuratorem, *Farin.
d. l. num.* 87. *Scacc. de appell. quaest.* 17. *li-*
3 *mit.* 16. *num.* 5. *et seq.* Et hinc colligunt: A
correctione superioris appellari non posse, quia
non gravandi, sed emendandi animus praesu-
mitur, *Petr. Greg. lib.* 2. c. 10. *Farin. d. l. num.*
85. *Maranta d. tit. num.* 301. *Brederod. p.* 1.
tit. 13.

L. Abstinendum. 4. et L. ult.

SUMMARIA

Tenor legis. *num.* 1.
*A sententia in puncto tributorum, vel functio-
num publicarum, vel debitis privatae domus
Imperatoris non potest appellari, quando sci-
licet debitor est convictus, licet se exceptio-
ne tueri velit.* 2.
Idem in privato. 3.
Idem in causa decimarum et piis causis. 4.

Quicumque Fisco satisfacere debet, vel qui 1
tributum debet, vel etiam si privato Principis
patrimonio aliquid debet, si manifeste convi-
ctus est, Quaeritur: *An appellare possit?* Vi-
detur quod sic ob *leg.* 18. *supra de appell.* sed
negatur *hic*, quia publicarum necessitatum et
privati Principis aerarii utilitas deposcit, ne
commoda, quae domui Principis debentur,
callidis debitorum artibus differantur, *l. ult. h.
tit.* et ita *d. l.* 18. de tali debitore intelligenda,
qui manifesto nondum convictus. Et sic ex *his
legibus* colligitur illa theorica: quod a sententia 2
in puncto tributorum vel functionum publica-
rum, vel debitis privatae domus Imperatoris
non possit appellari, quando scilicet debitor
est convictus, licet se exceptione tueri velit,
ut puto. Vide *Maranta d. t. num.* 300. *Farin.
d. quaest. num.* 70. *Scacc. d. quaest. limit.* 17.
Sed quoniam idem in privato debito esse dici- 3
tur in *l.* 4. ideo vel nihil praecipui est in Fi-
sco, quia utrobique est necesse, ut sit convi-
ctus, vel dicendum est, per privatum debitum
intelligendum esse debitum privatae domus Au-
gustae, et sic specialitas forte in eo consistet,
quod convictus in Fiscalibus debitis non possit
appellare, licet exceptionem alleget, secus in
privatorum debitis. Idem in causa decimarum, 4
Matthes. in d. l. 4. et piis causis, *Scacc. quaest.*
17. *limit.* 8. *Tiraq. priv. caus.* 1531.

L. Ab executione. 5.

SUMMARIA

*Ab executore sententiae appellare non licet.
num.* 1.
Ampliatur. 2.
Exceptio hic habetur. 3.
*Frivolae appellationis ab executione interposi-
tae poena.* 4.
*Extenduntur dicta ad casum, quando instru-
mentum publicum vel recognitum ex statuto
paratam executionem habet.* 5.
*Ab executione, quae ante sententiam decerni-
tur, datur appellatio.* 6.
An etiam, si ordo executionis pervertitur? 7.
Ampliatur. 8.

Ab executore sententiae appellare non licet, 1
hic et l. 4. *ff.* de *appell. ibique Auctor num.* 1.
quamvis suspectus sit executor, *c. novit* 13. *X.* 2
de appell. quia executio Judici, qui sententiam
tulit et executionem executori demandavit, tri-
buenda potius, quam exequenti, qui nudam
tantum explicationem facti habet, et mandantis
factum exequitur, *Scacc. quaest.* 17. *limit.* 10.
num. 3. *Hillig. in Donell.* et ibi allegata *lib.* 28.
c. 6. *litt. Bb.* Exceptio autem hic habetur, nisi 3
appellans dicat executorem sententiam male in-
terpretari, *d. l.* 4. §. 1. *ibique Auct. num.* 2. et
modum in exequendo excedere, v. g. si in ma-
jorem quantitatem exequatur, vel plus restituat.
Et tunc si lis de re mobili, ea sequestranda, et
lite finita victori restituenda; si vero lis de re
immobili, fructus interim sequestrandi, et lite
finita victori restituendi. Frivolae autem appel- 4
lationis ab executione interpositae poena est

mulcta 50. librarum argenti, quia majore poena dignus est, qui ab executione rei judicatae appellat, quam qui alias temere appellat, *Menoch. l.* 2. *A. Q. casu* 445. *num.* 5. *Scacc. q.* 17.
5 *limit.* 10. *num.* 7. et quod de executione rei judicatae hic dicitur, id extendendum ad eum casum, quando instrumentum publicum vel recognitum, ex statuto paratam executionem habet, *Scacc. d. limit.* 10. *num.* 6. *Carpz. de*
6 *process. tit.* 18. *art.* 2. *num.* 17. Sed ab ea executione datur appellatio, quando ea decernitur ante sententiam, et sic nulliter, *Scacc. d. l. num.* 6. si forte documentum non habeat effectum paratae executionis, *Mevius p.* 1. *dec.* 15. aut quando instrumentum quidem habeat paratam executionem, sed ex eo contra tertium in instrumento non nominatum agatur, *Mev.*
7 *d. l. num.* 16. Sic datur appellatio, quando pervertitur ordo executionis, per *l.* 15. *§. in venditione* 2. *ff. de re judic. Scacc. d. l. num.* 23. *et seqq.* Nam licet hoc casu decretum executionis ipso jure nullum esse putet *Coler. p.* 3. *de processs. execut. c.* 9. *num.* 17. appellari tamen debere tradit *Joan. Guttierez lib.* 1. *pr. quaest.* 131. quem laudat *Hillig. in Donell. lib.* 27. *c.* 3. *lit. R.* quod intelligit *Anton. Gabrielius l.* 2. *tit. de executione concl.* 2. si nihil in sententia de modo et ordine executionis dictum, nam alias esset ipso jure nulla executio, nec opus
8 esset appellatione. Etiam, si excedat executor modum, ut rem majoris pretii vendat pro minimo debito, aut dotalem fundum, datur appellatio, per hanc *l. Scacc. d. l. num.* 28. *Carpz. d. art. num.* 24.

L. Quisquis. 6.

SUMMARIA

Quando quis intendit beneficium legis ultimae C. de edicto Div. Hadriani toll. *appellare non licet. num.* 1.

An quoad effectum devolutivum tantum, non suspensivum, appellatio sit permissa? 2.

1 Non licet appellare, quando quis intendit beneficium *legis ultimae C. de edicto D. Hadriani tollendo*, sive appellans impedire velit, ne testamentum aperiatur, vel ne scriptus haeres in possessionem inducatur, vel ut *Codex Theod.* habet, edicti Hadriani beneficium consequantur, *hic et l. fin. pr. ff. de appellat. recip.* Ubi ratio, quia res celeritatem desiderat, et quia gravato sententia parum nocet. Sed Quaeritur: 2
An quoad effectum devolutivum tantum, non suspensivum appellatio sit permissa? Ita distinguit post alios *Menoch. de adipisc. possess. remed.* 4. *num.* 782. sed negat *Fachin. lib.* 1. *contr.* 76. nam si quoad effectum devolutivum permissa esset appellatio, non statim indistincte hic Judici et appellanti poena infligeretur, scilicet in hac specie, quando agitur, ut testamentum aperiatur, ubi nulla potest esse laesio, vel si immissio peteretur, sed in hoc posteriori puncto non esset absurdum dicere quoad effectum dovolutivum. Nam textus hic de effectu suspensivo agit, Vid. *not. ad l. un. infra si de momentanea possessione etc.* Videatur etiam *Scaccia q.* 17. *limit.* 3. *et Bacchov. ad Treutl. d. disp. th.* 5. *lit. C. Doctores* multos allegat *Achilles Personalis in tr. de adipisc. poss. num.* 332. *Ruginell. de appell.* §. 2. *c.* 3. *num.* 649. *Scacc. q.* 17. *limit.* 6. *Menoch. c.* 4. *n.* 37.

L. Ante sententiae. 7.

SUMMARIA

A sententia interlocutoria appellare non licet. num. 1.

Poena. 2.

Exceptiones. 3.

Jure Can. ab omni gravamine appellatur. 4.

Apud nos jus civile hoc in passu observatur. 5.

Idem in Cam. Spirensi. 6.

A sententia interlocutoria non licet appellare, 1
hic et l. 2. *C. de Episc. audient.* ubi poena sc. 2
50. argenti, *l.* 10. *C. de judiciis*, ubi ratio: ne lites in infinitum extendantur, nisi I. gravamen 3
esse tale, quod per appellationem a definitiva reparari non posset, v. g. si tortura decreta contra leges, *l.* 2. *ff. de appell. recip.* aliud exemplum in *l.* 39. *ff. de minoribus*, aliud in *l.* 9. *ff. qui satisdare etc.* Quia in definitiva hoc reparari non potest: nisi II. Interlocutoria vim definitivae haberet, et alicujus Jus totum absorberet. Vid. *Ord. Cam. p.* 2. *tit.* 29. *Scacc. d. tr. c.* 17. *limit.* 47. *num.* 84. 168. 171. Sed Jure 4
Canonico ab omni gravamine appellatur, *c.* 10. *X. de appell. c.* 1. *eod. lib.* 6. *c.* 2. *de dolo et contum.* Sed apud nos jus civile observatur, *Scheplitz de consuet. Marchic. parte* 2. *tit.* 8. §. 77. 5
idem in Cam. Spirensi *Gail. lib.* 1. *obs.* 129. 6
Auctor Parthen. litig. lib. 2. *cap.* 13. *num.* 30.

TITULUS LXVI.

Si pendente appellatione mors intervenerit.

L. Etiam post mortem. 1.

SUMMARIA

Facti species. num. 1.

Ratio dubitandi. 2.

Decidendi. 3.

Instantia appellationis ad haeredem transit, et hic tenetur eam prosequi, nisi nullius alterius intersit causas appellationis reddi. 4.

Hodie haeredes ad reassumendum processum solent citari. 5.

Necessitas hodie haeredibus quatenus remissa? 6.

Cum a te 10. petiissem, condemnatus es, postea mortuus es, cum prius appellasses. Quae- 1

ritur: *An haeres tuus prosequi appellationem*
2 *teneatur?* Videtur quod non, per *tit. C. ut nemo invitus agere etc. l.* 29. *C. de pactis.* Sed affir-
3 matur hic, haeredem nimirum teneri prosequi, nisi velit acquiescere sententiae contra te latae,
4 quia instantia appellationis transit ad haeredem, et hic tenetur eam prosequi, nisi nullius alterius intersit causas appellationis reddi, *l. un. ff. h. t. Scacc. de appell. q.* 15. *num.* 6. *et* 260. *Lancellot. de attent. p.* 2. *c.* 4. *limit.* 1. *num.* 19.
5 licet hodie praxis sit, ut citentur haeredes ad reassumendum processum, *Petr. Greg. de appel. lib.* 8. *c.* 4. *num.* 19. *Gail. l.* 1. *obs.* 109. *num.* 5. *Carpz. in processu tit.* 6. §. 4. quae
6 necessitas hodie remissa, si mandata concipiantur non tantum nomine principalis, sed et haeredis ejus, et defuncta parte procurator ejus mortem ejus et haeredum nomina Camerae vel Judicio detexerit, *R. Imp. de anno* 1654. §. *damit auch zum vierdten.* 197.

L. Ejus qui. 2.

SUMMARIA

Facti species. num. 1.
An accusati rei haeres appellationem prosequi teneatur? 2.
Quid si non prosequutus fuerit, an bona defuncti ad Fiscum devolvantur? 3.
Morte rei poena capitalis extinguitur. 4.

1 Accusare Titium volebam ob crimen capitale, *l.* 1. *ff. de requir. reis*, sed cum abesset, Judex ipsum citavit per edictum, et bona ejus describi et annotari jussit, ut copiam sui praestaret, et intra annum adveniens res suas recuperaret, Vid. *l.* 1. §. 2. *et l.* 2. *et* 4. *ff. de reis*, a sententia autem annotationis reus ap-
2 pellavit et moritur; Quaer. *An haeres ejus prosequi appellationem teneatur?* et si non prose-
3 quutus fuerit, *An bona defuncti ad Fiscum de-*
4 *volvantur?* Neg. utrumque, quia morte rei poena capitalis extinguitur, et hic principaliter non de bonis, sed poena reo infligenda actum, per *l. seq.* et annotatio tantum eo fine facta, ut reus se defenderet.

L. Si is. 3.

SUMMARIA

An Titii in exilium deportati haeres appellationem prosequi teneatur? num. 1.
Ratio dubitandi. 2.
Decidendi. 3.
Alii distinguendo respondent. 4.

1 Titius ademptis bonis in exilium deportatus est, hic cum appellasset decessit, Quaeritur: *An haeres ejus prosequi appellationem teneatur, et an bona ejus ad Fiscum pertineant, ni pro-*
2 *secutus fuerit?* Videtur negandum utrumque ob
3 *l. praeced.* Sed hic Affirm. quia aliud est, quando reo capitalis poena irrogatur principaliter et bona publicantur tacite et per consequentiam, nam tunc non tantum poena capitalis ut principale, sed etiam ademptio bonorum ut accessorium extinguitur, ut in *l. praeced.* aliud vero est, quando expresse et principaliter agitur de ademptione bonorum, ut *hic*, nam tunc poena, quia bonorum quaestionem principaliter continet, morte rei non extinguitur, sed haeres prosequi tenetur appellationem, et iniquitatem sententiae detegere, *hic et l. un. pr. ff. h. t.* nisi velit sententiae parere. Quia quum aeque principaliter imponitur poena confiscationis bonorum, videntur quasi duae sententiae, et sic licet per mortem extinguatur una sententia quae irrogat poenam corporis, non tamen extinguitur poena confiscationis, *Anton. Gomez tit.* 3. *resol. c.* 1. *num.* 83. *Farinac. q.* 10. *num.* 47. ubi plures citat, *Clarus* §. *fin. qu.* 94. *num.* 7. ubi distinguit, an poena cor- 4
poralis per copulativam, an vero per particulam *cum* dicteiur, et similiter distinguit *Peregrinus de jure Fisci lib.* 4. *tit.* 5. *num.* 40. *Guazinus de confiscat. bonor. concl.* 19. *num.* 73. *et seqq. Cyn. Br. Bl. Salyc. Castr. hic.*

L. Si pater tuus. 4.

SUMMARIA

Causa interpositae appellationis a muneris nominatione, morte appellantis extinguitur. num. 1.
Officia cohaerent personis. 2.
Limitatur num. 1. *data regula.* 3.
Exemplo declaratur. 4.

Causa appellationis interpositae a muneris no- 1
minatione, morte appellantis extinguitur, v. g. si sis decurio electus, vel tutor. Ratio est, quia 2
officia cohaerent personis, *l.* 9. *ff. de curat. furiosi.* Ideo haeres prosequi non tenetur, nisi 3
agatur de periculo administrationis ejus temporis, quo cessasti gerere, *l.* 15. *supr. de excus. tut. l.* 2. *ff. si tutor appell. Cam. Borell. d. t. num.* 1365. Eodem modo pronunciatum 4
nuper in causa, ubi foemina in Consistorio convenerat ob promissum matrimonium juvenem, et pro actrice lata esset sententia, a qua appellaverat juvenis, et in instantia altera causa erat conclusa, postea vero juvenis ultimam diem clausisset, nam haeredes juvenis citabantur, ut si aliquid contra condemnationem in expensas opponere queant, aliquid reponant, licet ipsa causa matrimonialis per mortem petiti proci finita fuerit.

L. Quamvis. 5.

SUMMARIUM

An petitae rei, cujus nomine appellatum est, interitu extinguatur appellatio.

Quod si res petita perierit, cujus nomine appellatum est; Quaeritur: *An interitu ejus extinguatur appellatio?* Resp. Affirm. Nisi 1. agatur etiam de accessoriis ut peculio servi mortui, vel vestibus et similibus, et propter haec accessoria peragenda est appellatio, *hic et l.* 13. *C. de liber. caus.* - 2. Nisi mora praecesserit, *l.*

13. §. ult. l. 16. ff. de rei vind. Camill. Borell. d. t. 13. num. 1363. et seqq.

L. Si unus. ult.

SUMMARIA

Haeres, cui necessitas appellationem prosequendi incumbit, nisi sententiae acquiescere velit, praeter tempus defuncto residuum adhuc 4. menses ad exercendam appellationem habet. num. 1.
A quo tempore menses isti sint computandi? 2.
Haeredi tempus prosequendae appellationis non nisi a tempore notitiae currit. 3.
Sententia Auctoris. 4.

1 Quando haeredi incumbit necessitas appellationem prosequendi, nisi velit sententiae acquiescere, praeter tempus residuum, quod defuncto supererat, adhuc 4. menses ad exercen-
dam appellationem habet haeres, quod com-
putandum ab eo tempore, quo vere adiit hae- 2
reditatem. Licet enim 3. vel 4. menses ipsi ad deliberandum, utrum haeres esse velit vel non, dati sint, hi tamen non computabantur in spatium illud quadrimestre *hac lege* datum, sed hoc nihilominus habet integrum, ne antequam commodum sentiat, damno afficiatur. Et ita post *DD.* hic colligunt *Petr. Greg. de appell. lib.* 6. *c.* 10. *num.* 13. *Scaccia de appellat. cap.*
15. *art.* 2. *num.* 6. Ex *hac lege* praesertim ex 3
verbis, *ne ignorantes*, colligit *Gail.* haeredi non currere tempus prosequendae appellationis, nisi a tempore notitiae, *Gail. lib.* 1. *obs.*
139. *num.* 7. Sed fateor me hoc non assequi, 4
nam ideo dantur 4. menses, ne ignorantiam praetendere possit, nam post 4. mensium lapsum praesumitur scientia, vel sane supina negligentia, quod intra tantum temporis spatium non investigaverit negotia haereditatis. Sed potest sententia *Gailii* concedi, si ignorantia sit probabilis, ac ita restitutio locum habet.

TITULUS LXVII.

De his, qui per metum Judicis non appellaverint.

L. Si contra. 1.

SUMMARIA

Metus duplex: vanus et justus. num. 1.
Metus vanus in intermissa appellatione. 2.

1 Metus duplex est: alius vanus, alius justus.
2 Metus vanus est, si quis a sententia in comitatu Principis lata non appellaret, metuens ne Consiliarios offenderet, quia in Curia Principis cessat suspicio violentiae, *l.* 1. *h. tit.* facit *l. ult. ff. quod metus causa.*

L. His. ult.

SUMMARIA

Appellatio, nisi ipsi judici a quo *insinuetur judicatum non suspendit. num.* 1.
Quid si metuat vim appellans, quia nonnulli judices praesumptuosi loco injuriae habent, si ab iis appelletur? 2.
Metus vanus quid sit? 3.
Exemplum subjicitur. 4.
Metu vano appellare impeditus a lite repellitur. 5.
Quid isti agendum, qui vim sustinuit, vel adhuc sustinet, vel terrore justo praeditus, ut appellare sine metu majoris mali non possit? 6.
Quid juris hoc casu apud nos? 7.
Interdum contestatio super metu et vi allata necessaria est. 8.
Appellatio coram notario et testibus ob justum metum licita. 9.
Forum Saxonicum. 10.
Protestatio hic loco appellationis est. 11.
Per protestationem effectus rei judicatae non suspenditur. 12.

Appellatio ipsi Judici *a quo* est insinuanda, alias 1
non suspendit judicatum, cum Judex alias posset procedere, sed si sciat appellatum, scire debet, si porro procedat, acta haec tamquam attentata revocatum iri, *Scaccia de appell. q.*
6. *num.* 1. *et seqq.* Sed quid si metuat vim ap- 2
pellans, quia nonnulli Judices praesumptuosi loco injuriae habent, si ab iis appelletur? Resp. hic contra metum tradi remedium, modo sit metus justus. Nam alias metus vanus non prodest,
Mevius p. 2. *dec.* 41. *et seq.* Metus vanus est, 3
qui non est praesens, sed mali inferendi, ju-
xta *l.* 9. *ff. quod metus causa*, v. g. si a ma- 4
gistro militum non appellarem, metuens ejus
offensionem juxta *l.* 2. et qui tali metu appel- 5
lare impeditus, a lite repellitur: qui vero vim 6
sustinuit vel adhuc sustinet, vel terrore justo praepeditur, forte quia Judex aliis appellantibus verbera intulit, vel carcere eos mulctavit, aut pecunia, adeo ut appellare sine metu majoris mali non possit, hic intra decendium protestationem seu appellationem publice, id est, coram honestis personis, de quo plura apud *Scacciam d. q.* 6. quod hodie coram notario et testibus expediri solet, proponat, et causas appellationis alleget, quo facto tamquam interposita appellatione litem prosequi poterit, *l.* 2. *h. t. et l.* 7. *ff. de appell.* modo appellationem postea Judici cessante forte periculo insinuaverit, de quo *Scaccia d. l. num.* 31. *et seq.* quod
apud nos in casu eo, ubi jure communi id ad- 7
mittitur, etiam procul dubio locum haberet, licet regulariter locum non habeat, *Scheplitz.*

de consuet. p. 2. *tit.* 8. §. 51. *num.* 14. Colligi-
8 tur: Interdum contestationem super metu et
vi illata necessariam esse, *Bacch. in Treutl. v.* 1.
9 *d.* 11. *th.* 4. *lit. F.* et coram notario et testibus ob justum metum licitam esse appellationem, *hic et c. fin. X. de appell. Mynsing. c.* 4. *obs.* 44. *Scacc. q.* 6. *num.* 8. ubi *num.* 11. ejus requisita habet. Et haec appellandi ratio in fo- 10
ro Saxonico, etiam ubi nullus est metus, licita, *Carpz. p.* 1. *cap.* 20. *dec.* 1. ut et in Pomerania. Nota etiam, protestationem hic loco ap- 11
pellationis esse, licet alias per protestationem 12
non suspendatur effectus rei judicatae, *Carpz. p.* 1. *jurispr. for. const.* 19. *def.* 22.

TITULUS LXVIII.

Si unus ex pluribus appellaverit.

SUMMARIA

Pluribus ex una sententia condemnatis unus ex consortibus litis appellare potest, et victoriae emolumentum ad reliquos etiam transit. num. 1.
Si modo una eademque causa defensionis omnium adsit. 2.
Exemplum subjicitur. 3.
Decretum primum interpositum ad petitionem unius creditoris aliis quoque prodest. 4.
Debitoris appellatio prodest fidejussori. 5.
Casus l. 2. h. t. 6.
Quando lex prima locum non habeat. 7.
Victoria tertii appellantis pro suo interesse prodest principali jam antea victo. 8.
Capita sunt vel conjuncta vel separata. 9.
Separata quid sint? 10.

1 Si plures una sententia sint condemnati, unus ex consortibus litis appellare potest, et victoriae emolumentum ad reliquos quoque transit, *leg.* 1. *et* 2. *h. t. Hartm. Pistor. part.* 1. *quaest.* 47. *Hillig. lib.* 28. *c.* 5. *lit. F.* nec hic distinguitur, an causa sit dividua, vel non, ut quidem in sententia in prima instantia contra unum lata, distingui solet, *arg. l.* 4. §. 3. *ff. si servit. vind. et l.* 10. *ff. quemadmodum serv. amitt. Hartm.*
2 *Pistor. p.* 1. *q.* 47. *num.* 4. si modo una eademque causa defensionis omnium adsit, *l.* 10. §. *ult. ff. de appell. ibique Auctor. num.* 1. 2. *seqq.*
3 ex. gr. plures fidejusserunt pro Titio; creditor omnes simul convenit, rei allegant beneficium ordinis seu excussionis, cui in obligationis instrumento non erat renunciatum: Unus eorum appellavit et obtinuit, ut prius excuteretur Titius; haec sententia proderit omnibus caeteris confidejussoribus, licet hi non appellaverint, quia unus est defensionis causa. Alia etiam refert exempla *Petr. Frid. de contin. causae lib.* 3. *c.* 16. *num.* 2. *ubi* exemplum limitationis, *Gail. lib.* 1. *obs.* 126. *num.* 3. *Petr. Greg. lib.* 5. *num.* 3. *Coll. Argent. in tit. de appell. th.* 4. *num.* 9. *Lancell. de attent. p.* 2. *c.* 12. *limit.* 11. *num.* 12. Hinc primum decretum interpositum 4
ad petitionem unius creditoris, aliis quoque prodest, *l.* 12. *pr. ff. de reb. auct. jud. possid.* ubi ratio, quia rei potius personae hoc datum.
Sic debitoris appellatio fidejussori prodest, 5
Carpz. p. 1. *constit.* 20. *defin.* 15. licet dissentire videatur *Rauchbarus p.* 2. *q.* 7. Hinc apparet, quid judicandum de casu *legis secundae h. t.* Fuisti condemnatus cum minore, hic est 6
restitutus, beneficium hoc tibi non tribuitur, quia specialis ejus causa est in consorte, scilicet aetas minorennis, Vide *l. un. supra si in communi eademque causa*, quia minoris aetatis allegatio est personalis, *Petr. Frid. d. c.* 16. *num.* 14. Deinde *lex prima* locum non ha- 7
bet, quando plures ipsi sigillatim appellarunt et prosecuti sunt, *Hartm. Pistor. d. q. num.* 19. vel si alter approbavit sententiam suscipiendo onus probationis vel confessione sua, vel cum nesciret alterum appellasse, nec ipse tamen appellarit, *Hartm. Pistor. d. l. num.* 21. *et seqq.* his tamen casibus, quando sententia est individua, ea omnino consorti prodest, v. g. si de servitute viae ego et tu cum Titio egerimus, et succubuerimus et ego appellem, tu vero probas sententiam, si obtineam, prodest etiam tibi sententia, *Petr. Frid. d. l. num.* 4. Colligitur etiam ex *hoc tit.* victoriam tertii appellantis 8
pro suo interesse, prodesse principali jam antea victo, *Panorm. in c. cum super* 23. *de off. jud. delegati num.* 10. *et ibi Fel. num.* 6. *Gail. lib.* 1. *obs.* 122. *num.* 7. ex *l.* 1. Notetur, quae 9
capita sint conjuncta vel separata: Separata 10
sunt enim, quae sunt diversa facta, adeo, ut ex unius decisione alterius decisio non sequatur, *Gail. lib.* 1. *obs.* 110. *num.* 4. si autem unus appellantium deseruisset appellationem, ipsi non prodesset appellatio, *Lancell. d. l. num.* 9.

TITULUS LXIX.

Si de momentanea possessione fuerit appellatum.

SUMMARIA

In possessorio judicio non recipitur appellatio. num. 1.
Ampliatur. 2.
Dicta restringuntur. 3.
Superior in possessorio de jure sententiae, licet jam executioni traditae, cognoscere potest. 4.
Executio sententiae per appellationem suspendenda non est, facta vero executione causa ad superiorem devolvitur. 5.
Jure Can. ut in omni gravamine, ita in possessorio appellare licet. 6.

Camera Spirensis jus civile rectissime sequitur. 7.
Practici distinguunt inter possessorium summarium et ordinarium, et in hoc appellationem concedunt. 8.
Quatenus hoc possit concedi, et an distinctio haec sit toleranda? 9.
Quatenus in causa spolii admittatur interdum appellatio? 10.
A mandato sine clausula quandoque ad superius judicium appellatio conceditur. 11.

1 In possessorio judicio, quod hoc loco momentaneum appellatur, non recipitur appellatio, sive agatur de adipiscenda, sive retinenda, sive
2 recuperanda possessione. Quia plenum praejudicium non adfert, sed cognitio plenior de proprietate et justa possessione in judicium directum differtur: nisi amissa instrumenta antiqua, et alter de proprietate nil probaret, Vide,
3 *Mynsing. cent.* 6. *obs.* 13. *num.* 6. Sed hoc quod dicitur, non posse appellari a sententia in possessorio lata, hic restringitur, si scilicet sermo sit de effectu appellationis suspensivo, quia non obstante appellatione fit executio, secus quoad
4 effectum devolutivum; nam superior etiam in possessorio de jure sententiae, licet jam executioni traditae, cognoscere potest, *Dn. Struv. in synt. jur. civ. exerc.* 50. *th.* 4. *num.* 1. quam distinctionem per ipsa verba legis insinuatam amplectuntur plerique, *Covarr. c.* 23. *pr. qu. num.* 8. *Menoch. remed.* 4. *adispic. poss. num.* 828. *et remed.* 9. *recup. poss. num.* 322. et quos allegat *Carpz. lib.* 1. *resp.* 13. *num.* 6. *Afflict. decis.* 269. *Cacheranus decis.* 65. *lib.* 1. *c.* 75. Atque huic sententiae favent verba, quae in *hac lege* habentur *in Codice Theodosiano*, licet *in Codice Justinianeo* omissa scilicet post verba, *etsi appellatio interposita fuerit, tamen lata sententia sortiatur effectum* post ea, inquam, verba, sequuntur haec verba *atque ita demum ad nostram scientiam referatur.* Ex quibus 5
verbis videtur colligi, executionem sententiae per appellationem suspendendam non esse, facta vero executione causam ad superiorem devolvi, ut observavit *Dn. D. Frider. Strickius adfinis meus honoratissimus in disp. sua inaugur. de decret. intermistico c.* 5. *num.* 14. Jur. Can. ut 6
in omni gravamine, ita et in possessoriis appellare licet, *c.* 10. 15. *X. de restit. spol. c.* 59. *de appell. etc. Rittershus. de different. lib.* 5. *c.* 35. *Caevall. q.* 15. *Fachin. d. l.* ratione tam suspensivi, quam devolutivi effectus, *Mevius p.* 1. *dec. num.* 10. sed Camera Spirensis rectissi- 7
me sequitur jus civile, *Gail. lib.* 1. *obs.* 7. Sane practici distinguunt inter possessorium sum- 8
marium et ordinarium, ita ut in hoc concedatur appellatio, *Gail. lib.* 1. *obs.* 7. *Carpz. p.* 1. *c.* 19. *defin.* 24. *et d. r.* 13. *num.* 24. *Scacc. q.* 17. *limit.* 6. *memb.* 2. *et* 3. quod de consue- 9
tudine concedi potest, praesertim cum possessoria ordinaria diu continuentur. Sed si formam Judiciorum, et qua judicia institui debeant et poterant, respiciamus, sique DEO rem gratam Judiciorum reformatione facere velimus, distinctio haec rejicienda foret cum *Francisco Sarmiento lib.* 2. *interpr. selector. c.* 13. *et Petr. Frid. Mind. tr. de interdict. com.* 13. *num.* 24. *et seq.* In causa spolii admittitur interdum ap- 10
pellatio, quando v. g. sententia notorie injusta, si processus inordinatus, si sententiae latae in possessorio difficilis futura sit in petitorio reparatio, *arg. hujus legis unicae Mevius dec.* 25. *num.* 9. A mandato etiam sine clausula in casi- 11
bus, quando decerni non debet, justa ad superius judicium est appellatio, *Mevius p.* 1. *dec.* 26.

TITULUS LXX.

Ne liceat in una eademque causa tertio provocare etc.

SUMMARIA

Quoties in una eademque causa appellare liceat? num. 1.
Quoties novum gravamen exurgit, nihil impedit, quo minus centies appellare liceat. 2.
Si a duabus conformibus appellatum, et in tertia sententia appellatio pro deserta habita, vel revisio negata, non sunt conformes sententiae. 3.
Ad conformitatem sententiae quae requirantur? 4.
Ratio legis nostrae. 5.
In Camera Imperiali quarta etiam appellatio recipitur. 6.
Restitutio in integrum an contra tres conformes sententias, cum effectu praesertim suspensivo, peti possit? 7.

1 Regulariter bis solum in una eademque causa appellare licet, *hic et c.* 65. juncto *c.* 39. *X. h. t.* si scilicet sint tres sententiae conformes, nam qui bis vicit, tertio victus, ipse quoque bis appellare potest, ut ita quatuor appellationes fieri possint in eadem causa, licet non plus duabus vicibus in eadem persona et super iisdem articulis. Nam si sint alii articuli, etiam ter vel quater idem appellare potest, nam quot sunt articuli sententiae tot sententiae esse videntur.
Nam quoties novum gravamen exurgit, nihil 2
impedit, quo minus centies appellare liceat, *Collect. Arg. in tit. de appell. th.* 12. *num.* 13. et quos hic allegat. Sic non sunt conformes 3
sententiae, si a duabus conformibus appellatum, et in tertia sententia appellatio pro deserta habita vel revisio negata, nam hic alia quaestio decisa. Nam ad conformitatem sententiae requi- 4
ritur identitas causae, rei, qualitatis, personarum etc. *Mevius p.* 1. *decis.* 18. Ratio autem 5
legis nostrae est, tum quia jura non praesumunt aliquem toties gravari in eadem causa a diversis Judicibus, tum ne lites fiant immortales, *l.* 13. *princ. Cod. de judic.* Sed in Camera 6
Imperiali non tantum tertia, sed etiam quarta

appellatio recipitur, ne alias Status Imperii in suis ditionibus plures instantias constituendo, jurisdictionem supremi tribunalis eludere possint, *Gail. lib.* 1. *obs.* 72. *num.* 3. *Mynsing. cent.* 1. *obs.* 15. *Hillig. in Donell. lib.* 28. *cap.* 6. *litt. Qq.* Hac de re plura apud *Scacc. de appell. q.* 17. *limit.* 1. *Trentac. lib.* 2. *t. de appell. res. ult. Brederod.* per *tit.* 21. verbo *ter vel tertio p.* 674. Restitutio in integrum an contra tres conformes sententias peti possit, cum effectu praesertim suspensivo, disputatio est vetus, forte imperatoriam decisionem requirens, Vid. *Lancellottus de attent. part.* 2. *c.* 18. *num.* 87. *et seqq. Oddus de restit. quaest.* 43. *art.* 3. et ut aequiorem videtur approbare cum *Salyceto Fachinaeus lib.* 12. *cap.* 18. 7

TITULUS LXXI.

Qui bonis cedere possunt.

L. Qui bonis. 1.

SUMMARIA

Facti species. num. 1.

An debitor obaeratus, qui bonis cessit, si de novo aliquid acquirit, iterum a creditoribus conveniri possit? 2.

Cessio bonorum debitorem actione non liberat, sed hoc tantum efficit, ne in carcerem possit detrudi, et ne possit conveniri, antequam quid acquisiverit. 3.

Debitor cavere tenetur de solvendo in solidum, si ad pinguiorem fortunam pervenerit. 4.

Solvere non tenetur, si modicum quid sibi acquisivit. 5.

1 Debitor obaeratus cessit bonis, sed creditores debitum solidum non sunt consequuti. Interim debitor de novo sibi aliquid acquirit, quaeritur:
2 *An iterum conveniri possit a creditoribus?* Debitor putat quod non, quia cessione bonorum se liberatum esse putat. Sed affirm. *hic*, ipsum scilicet conveniri posse in quantum quidem facere potest, et ne egeat, §. *ult. Instit. de act. Auct. in l.* 4. *ff. h. t. num.* 1. ita ut ipsi nihil praeter vestes quotidianas, sub quibus et lectum comprehendunt, reliquatur, *Peck. de jur. sist.*
3 *c.* 15. *num.* 19. additur ratio: quia cessio bonorum non liberat debitorem actione, sed hoc tantum operatur, ne detrudi possit in carcerem, *Novell.* 135. *Hotoman. quaest.* 26. *Hillig. in Donell. lib.* 28. *c.* 3. *litt. Qq. Carpz. p.* 2. *const.* 22. *d.* 12. *Berlich. p.* 2. *concl.* 28. *Auct. in l.* 1. *ff. h. t. num.* 3. et ne possit conveniri,
4 antequam quid acquisiverit. Et ideo cavere tenetur de solvendo in solidum, si ad pinguiorem fortunam pervenerit, ex *c.* 3. *X. de solut. Struv. synt. jur. civ. exerc.* 41. *th.* 29. *Covarr. lib.* 2. *resol. c.* 1. *num.* 6. *Menoch. lib.* 2. *A. Q. casu* 183. *num.* 20. *Dn. Mevius p.* 5. *dec.* 350. *num.* 1. *Heig. p.* 1. *q.* 35. *num. ult. Wesenb. h. t. num.* 5. *Hering. de fidejuss. c.* 5. *num.* 85. *Brunus de*
5 *cess. bonor. q.* 7. secus tamen est, et non tenetur denuo solvere, si modicum quid sibi adquisivit, *Petr. Barb. in l. maritum num.* 14. *ff. sol. matrim.*

L. Si quantitatem. 2.

SUMMARIA

Facti species. num. 1.

An cessionem bonorum, cum bona nondum sint distracta, revocare possim? 2.

In cessionibus bonorum neque ad eorum distractionem poenitere licet. 3.

Reus, licet negaverit debitum, et condemnatus sit, post sententiam tamen bonis cedere potest. 4.

Etiam ob debita fiscalia bonis licite ceditur. 5.

Temeritas aut nimia credulitas non nocet, ubi dolus requiritur. 6.

Iis non denegatur bonorum cessio, qui jurarunt se soluturos. 7.

Nec iis, qui renunciarunt huic adjutorio. 8.

Condemnor reipubl. ad restituenda centum. 1
Ego offero cessionem bonorum, sed cum calculo subducto viderem, me reip. solvere 100. posse, nec opus esse cessione bonorum oblata solutione, cessionem bonorum volo revocare;
Quaeritur: *An possim, cum bona nondum sint* 2
distracta? Affirm. facit *l.* 8. *infra de distract. pignor.* Quia respublica vel creditor, si vellet urgere me ad cessionem, non posset, quia nihil ipsius interest; si enim solvam ipsi centum debita, recipit resp. quod suum est, *Auctor in l.* 3. *ff. h. t. num.* 1. Nota: verbum temere prolatum, non obligare, *hic et l. quod calore*
ff. de regul. jur. l. 3. *ff. de divort.* et in ces- 3
sionibus bonorum usque ad distractionem bonorum semper licere poenitere, *l.* 5. *ff. h. t.* et sic illorum sententia ex *hac lege* probatur, qui
statuunt, licet reus negaverit debitum, *Auctor* 4
in l. pen. ff. h. t. num. 3. et condemnatus sit, nihilominus tamen post sententiam eum posse cedere bonis, *Afflict. dec.* 379. *num.* 4. *Matt. Brunnus de cess. bon. q.* 2. *princ. num.* 6. *P. Barb. in l. maritum* 13. *num.* 107. *ff. solut. matr. Hillig. in Donell. l.* 27. *c.* 9. *litt. Ee. Harprecht. in* §. *ult. de act. num.* 15. *Fachin. lib.*
13. *c.* 69. Collige: Etiam ob debita fiscalia bo- 5
nis cedi posse, *Schneid. ad d.* §. *ult. num.* 4. *P. Gregor. lib.* 2. *synt. c.* 10. *num.* 3. *Wogesser. in disp. de cession. bonor. vol.* 5. *Basiliens. th.* 4. *in fine.* Et bonam fidem etiam ex teme-
rariis et frivolis causis reputari, nec temerita- 6
tem aut nimiam credulitatem nocere, ubi dolus requiritur, *Tiraq. de poenis temp. causa* 43.
num. 3. *et* 5. Iis quoque non denegatur bono- 7
rum cessio, qui jurarunt se soluturos, *Molina*
tr. 2. *d.* 572. *num.* 22. nec iis, qui renuncia- 8
runt flebili huic adjutorio, quae renunciato, si jurata fuerit, relaxationi erit locus, *Perez in C. h. t. num.* 3. 17. *et* 18.

L. Si pater. 3.

SUMMARIA

Facti species. num. 1.
Nemo praesumitur, nec bonis alienis cedere potest, licet ea detineat. 2.
Dominus rei finito concursu rem suam vindicare potest. 3.
In alienis rebus creditores nullum jus habent. 4.
Dominus hodie pendente concursu in judicio concursus suum dominium adserere debet. 5.

1 Pater tuus te emancipavit, et postea, cum ad civilia munera vocatus esset, et male ea administrasset, cessit bonis; Quaeritur: *An bona a te quaesita etiam cedenda sint?* Et merito Negatur: Ratio in *l.* 2. *supr. ne filius pro patre etc. Wogesser in disp. de cessior. bonon. th.* 11.
2 *vol.* 5. *Basiliensium.* Nam nemo praesumitur, nec potest cedere bonis alienis, licet ea deti-
3 neat, et ideo dominus rei etiam finito concursu superveniens rem suam vindicare potest;
4 nam in alienis rebus creditores nullum habent jus, *Salgado in labyr. p.* 1. *c.* 8. *num.* 38. *et*
5 *seqq.* verum receptius est, et dominum pendente concursu debere suum dominium in concursus judicio adserere, per tradita ejusdem *Salgado p.* 1. *c.* 11. *num.* 100. *et seqq.*

L. Legis Juliae. 4.

SUMMARIA

Non Itali tantum, sed provinciales etiam beneficium cessionis bonorum habent. num. 1.
An creditores distribuendo propria auctoritate bona ejus, qui bonis cessit, et possidendo per 10. annos, earum rerum dominium acquisiverint ita, ut debitor oblato debito res avocare nequeat. 2.
Creditores in jure errantes bona cessa praescribere non possunt. 3.
Limitatur. 4.
Creditores bona cessa inter se dividere nequeunt. 5.
Si creditores obaerati debitoris inter se diviserint bona, an non creditores alii per hanc divisionem gravati vel praeteriti contra talem divisionem insurgere possint? 6.
Si vendita sint bona debitoris aut in solutum data creditoribus, non tamen iis modis, uti per statuta civitatis celebrari debet aut solet, et creditoribus et debitori ipsi hanc venditionem impugnandi facultas superest. 7.

1 Non tantum Itali, sed et provinciales habent beneficium cessionis bonorum; sed cum quidam provincialis cessisset bonis, creditores inter se distribuerunt bona propria auctoritate,
2 et possederunt per 10. annos; Quaeritur, *An creditores dominium earum rerum acquisiverint ita, ut debitor oblato debito res avocare nequeat?* Videtur quod sic, quia habent justum titulum, scilicet cessionem bonorum et praescriptionem longi temporis. Sed neg. Quia creditores debebant scire, bona a debitore possessa, debuisse Judicis auctoritate subhastari et vendi, et ex pretio debuisse creditoribus satisfieri, nec creditores possunt bona debitoris jure dominii possidere, facit *l.* 8. *tit. seq. Trentac. lib.* 3. *tit. de solut. res.* 27. *num.* 11. Ratio etiam est in favore debitorum, nam creditores leviori pretio res debitoris aestimarent, et detinerent. Cum autem creditores in jure 3
errent, non possunt praescribere, per *l.* 31. *ff. de usucap.* Et additur limitatio; nisi ipse de- 4
bitor non tantum cedat bonis, sed etiam bona sua in solutum det creditoribus, nam ita videtur favori suo renunciare, et datio in solutum transfert dominium. Colligitur ergo: Creditores 5
bona cessa inter se dividere non posse. Vid. *Matt. Brunus de cess. bon. q.* 18. *princ. num.* 1. *et seq. Strach. de dec. p. ult. num.* 4. *Wogesser d. disp. th.* 21. Quaeritur ergo, si creditores obae- 6
rati debitoris inter se diviserint bona, annon creditores alii per hanc divisionem gravati et praeteriti semper possint insurgere contra talem divisionem et assignationem, licet magistratus approbaverit? Quod omnino affirmandum. Nam creditores inter se dividentes bona, aliis, qui non consenserunt nec approbarunt talem divisionem, praejudicare non possunt, *Salgado in labyr. part.* 1. *cap.* 1. *num.* 58. *et seq.* nec magistratus sua confirmatione caeteris creditoribus legitime non citatis nec auditis praejudicare potuit nec voluit. Collige etiam 7
ex textu: si vendita quidem sint bona debitoris aut in solutum data creditoribus, non tamen iis modis, uti celebrari per statuta civitatis debet aut solet, inde superest et creditoribus et debitori ipsi hanc venditionem impugnandi facultas, *Mevius parte* 1. *dec.* 19.

L. Propter honorem. 5.

SUMMARIA

Pauperibus datum hoc est, ut bonis cedere possint. num. 1.
An quis, ut inhabilis sit ad munera personalia publica gerenda, bonis possit cedere? 2.
An, ut onus collectarum a se in alios devolveret? 3. 6.
Quaenam tributa, onera et functiones intelligantur? 4.
Invidiosum et crudele est collectis et oneribus ita onerare subditos, ut bonis cedere teneantur. 5.

Pauperibus hoc datum, ut possint cedere bo- 1
nis. Si quis ergo ideo cedere bonis vellet, ut 2
ita inhabilis esset ad munera personalia publica gerenda, Vide *l.* 12. *supra de Episc. et Clericis, l.* 16. *princ. ff. de muner. P. Gregor. lib.* 22. *synt. cap.* 10. *num.* 2. *Wogesser d. disp. th.* 6. *num.* 2. vel si quis ideo cederet bonis, ut o- 3
nus collectarum a se devolveret in alios, non esset audiendus, praesertim cum nemo ultra vires substantiae suae ad collectas obstringatur. Et ideo *haec lex* de futuris tributis, oneribus 4
et functionibus loquitur, si quis ea declinare, et propterea bonis cedere vellet: sed si quis multo aere alieno etiam tributorum jam obrutus sit, non est dubium, quin ille etiam bonis cedere possit; vel potius habet hunc sensum:

5 Quod invidiosum et crudele sit, collectis et oneribus ita onerare subditos, ut bonis cedere teneantur, et onera illa pro modo substantiae exigi debeant, et cum non habeant, metuere carcerem, per *l.* 2. *C. de exact. tribut.* non est, cur ad remedium cessionis confugiant, *Bacchov. in Treutl. v.* 2. *d.* 24. *th.* 4. *lit. C.* in
6 verbis, *debitor Fisci.* Et ideo non videtur sustituenda sententia *Bruni de cession. bon. quaest.* 4. *princ.* ubi cum *DD.* negat, in casu tributorum locum esse cessioni bonorum, quod quidem concedere possum in iis terminis, quando est solvendo, et tamen vellet ideo cedere bonis, ut non tantum a praeteritis, sed et futuris oneribus se subtraheret, *Trent. d. resol.* 27. *num.* 26. Conf. *A. Faber in C. h. t. d.* 7. Ideo lex maxime de personalibus muneribus loquitur, *Dn. Mevius part.* 4. *decis.* 162. *num.* 1. et quae sit in fraudem publicorum onerum, non quae sit ex paupertate ac necessitate, *Dn. Mevius d. l.* Conf. *Klock. de contribut. cap.* 18. *num.* 180. ubi hanc legem de malitioso cedente intelligit.

L. In omni cessione. 6.

SUMMARIA

Cessio olim certas solemnitates requirebat, hodie vero non. num. 1.
Ad formam suam quid requirat? 2.
An declaratio cessionis etiam per nuncium et epistolam fieri possit? 3.
An extra locum judicii? 4.
Non opus est in cessione, ut alii creditores, qui cum cedente non contraxerunt, citentur. 5.

1 Apud Romanos olim cessio certis et solemnibus verbis constabat, hodie vero nullas requi-
2 rit solemnitates, sed ad formam suam requirit solam et nudam voluntatis professionem, ut scilicet debitor dicat et scribat, se cedere bo-
3 nis, et haec declaratio etiam per nuncium et epistolam fieri potest, *l. ultim. ff. h. t.* etiam extra
4 jus, id est extra locum judicii, *Bart. d. l. ultim. Roland. a Valle cons.* 7. *num.* 94. *vol.* 2. *Trentacinq. d. resol.* 27. *num.* 47. *Auctor in l. ult.*
5 *ff. h. t. num.* 1. Nec opus erit, ut alii creditores, qui cum ipso non contraxerunt, citentur, *argum. l.* 4. §. 1. *h. t. Covarr. lib.* 2. *resol. c.* 1. *et Wogesser d. disp. th.* 12.

L. Cum et. 7.

SUMMARIA

An cessio bonorum etiam filiisfam. competat? num. 1.
Ratio dubitandi. 2.
Decidendi. 3.
Filiusfamilias facta cessione, si ad pinguiorem fortunam venerit, denuo conveniri potest. 4.

1 Flebile hoc beneficium cessionis bonorum, *An etiam filiisfamilias competat,* hic quaeritur.
2 Et videtur quod non, nam licet filiusfamilias condemnari possit, *l.* 5. *prin. ff. quod cum eo etc. l.* 44. *et seqq. ff. de pecul.* Ex ea tamen condemnatione actione judicati convenitur pater, *l.* 3. §. 11. *ff. de pecul. l.* 35. *ff. de noxal. act.* Sed affirmat hic *Justinianus*, quia scilicet fi- 3
liusfamilias bona Castrensia habere potest, vel quasi Castrensia, vel alia quae patri non acquiruntur, ubi nulla est ratio, cur in his non ipse filiusfamilias conveniatur, et exinde hoc beneficio fruatur. Imo si peculium profectitium possideat, nec nolit solvere ex peculio aut id cedere, potest carceri mancipari, ne contra filiumfamilias inanis fiat actio, *arg. l.* 6. *ff. de dolo, Caccialupus de debitore suspecto q.* 5. *n.* 8. *Wogesser d. disp. th.* 4. Unde etiam facta ces- 4
sione filiusfamilias, si ad pinguiorem fortunam venerit, potest denuo conveniri. Vid. *Brunus de cess. bon. quaest.* 4. *Princ. in princ. num.* 2. Et potest ita quis ratione spei cedere bonis, quia ea non habet, *Brunus d. l.*

L. Cum solito more. ult.

SUMMARIA

Si quidam creditores quinquennales inducias debitori concedant, quidam vero urgeant bonorum cessionem quid Judici faciendum? num. 1. 2.
Humanior sententia est, ut debitor potius inducias, quam bonis cedere cogatur. 3.
Induciis semel obtentis non potest postea debitor bonis cedere. 4.
De quibusnam induciis hoc intelligendum? 5.
Quinquennales induciae creditoribus ratione praescriptionis non nocent, et tempore illo nulla actio a debitore praescribitur? 6.
Pactum quorumdam creditorum aliis praejudicat. 7.
Aliae induciae dantur a solo Principe, de quibus in l. 2. et 4. supr. de precibus etc. *aliae autem a quovis Judice ex consensu creditorum, de quibus hoc loco.* 8.
Si agitur de usuris remittendis ex parte vel in totum, an tunc consensus majoris partis creditorum chirographariorum praejudicet hypothecariis, vel major pars hypothecariorum praejudicet iis, qui habent hypothecam cum consensu domini in feudis constitutam? 9.

Titius obrutus est aere alieno, ideoque petit 1
sibi consensu creditorum dari quinquennales inducias, idque citatis creditoribus, *Brunus d. tract. q.* 21. *in princ. num.* 1. *Tuschus concl.* 14. *num.* 11. *lit. M. et Manzius in patrocin. pauper. decad.* 4. *q.* 7. *num.* 41. Sed quidam creditores nolunt consentire in inducias, sed urgent cessionem bonorum, alii autem consentiunt in inducias. Quaeritur: *Quid hic Judici faciendum?* Resp. Attendendam esse quantitatem, 2
ut si creditores quidam sive hypothecarii sive chirographarii (nam hic non agitur de bonorum distributione, ubi distinctio hypothecariorum et chirographariorum attendi solet, *h. tit. Strachn de decoct. p.* 6. *num.* 5. *et* 19. *Manzius in patrocin. pauper. d.* 4. *quaest.* 10. *num.* 28.) ab una parte, ob majorem quantitatem debitorem sibi habeant obstrictum, horum voluntas aliis praeponderet, v. g. si quis mihi debet 1000. aliis tribus vero creditoribus singulis tantum

100. hic ego praeponderarem solus, *Manz. dict. loco num.* 18. *Salgado in labyr. credit. lib.* 1. *cap.* 13. *num.* 19. Deinde si par est quantitas, quod tamen raro fit, tunc attendendus et numerus creditorum, ut plures numero creditores concludant, *Manzius d. dec.* 10. *num.* 21. si aequalis sit numerus, dignitatis habenda ratio, *arg. l. ult. C. de fide instr. Strach. d. l. num.* 10. *et Manzius d. l. num.* 25. Quod si haec omnia aequalia, tum humanior sententia obti-
3 nebit. Est autem humanior sententia, ut debitor potius inducias habeat, quam bonis cedere
4 cogatur; sed induciis semel obtentis, non potest postea cedere bonis, tum quia induciarum electione videtur renunciare cessionis beneficio, tum quia creditores duplici onere gravandi non sunt, *Schneidew. et Mynsing. aliique ad* §. *ult. Inst. de action. et ibidem Harprecht. num.* 22. *Manzius d. q.* 7. *num.* 29. *et q.* 8. *n.* 71. *Glossa hic et DD. hoc loco, Covarr. ad c. quamvis p.* 2. *princ. num.* 21. *Hering. de fidejuss.*
5 *c.* 5. *num.* 126. Quod tamen de induciis specialibus certae personae indultis, non generalibus, quae toti provinciae indulgentur, intelligendum videtur. Unde etiam quinquennales istae indu- 6
ciae non nocent creditoribus ratione praescriptionis, et tempore illo nulla actio a debitore praescribitur, per *legem hanc in fine*, *Baldus in l.* 2. *supra de precibus Imper. off. num.* 2. *Trentac. lib.* 3. *tit. de solut. resol.* 1. *num.* 28. *M. Ant. Cuchus h. l.* Nota bene: I. In *hac lege* 7
pactum quorumdam creditorum aliis praejudicare, *Pacius cent.* 1. *q.* 89. *Brunus q.* 22. *Zang. de except. p.* 2. *c.* 12. *Menoch. lib.* 2. *A. Q. casu* 345. Vid. *Berlich. lib.* 2. *decis. aur.* 235. *et seqq.* II. Alias inducias dari a Principe solo, 8
de quibus supra *l.* 2. *et* 4. *de precibus. etc.* Alias autem a quovis Judice, ex consensu creditorum, de quibus hoc loco. Sed quaeritur, si a- 9
gatur de usuris remittendis ex parte, vel in totum, an tunc consensus majoris partis creditorum chirographariorum praejudicet creditoribus hipothecariis, vel major pars hypothecariorum creditorum praejudicet iis, qui habent hypothecam cum consensu domini in feudis constitutam? Et tali casu non praejudicare puto majorem partem per tradita *Pruckmann. vol.* 2. *cons.* 18. *num.* 112. *et seqq.*

TITULUS LXXII.

De bonis auctoritate Judicis possidendis seu venundandis, et de separationibus bonorum.

L. In bonis. 1.

SUMMARIA

Facti species. num. 1.
Legatum, quod defunctus debuit, utpote ab antecessore suo relictum, omnibus defuncti debitis, etiam piis legatis a secundo relictis potius est. 2.

1 Testator Titius instituit Sempronium haeredem, relicto mihi legato 100. florenorum, Sempronius etiam legata relinquit Cajo; Quaeritur: *Cujus conditio sit potior, an mea, an Caii?* Resp. Hic jure separationis separanda esse bona Titii et Sempronii, ita ut legatum a Titio mihi relictum ante omnia, ut aes alienum solvatur, *l.* 11. §. 5. *ff. ad l. Falcid. l.* 8. *supra ad l. Falcid.* Quod ergo superest ex bonis Sempronii, ex iis bonis legata ab ipso relicta sunt sol-
2 venda. Unde probatur: legatum quod defunctus debuit, utpote ab antecessore suo relictum, potius esse omnibus defuncti debitis, etiam piis legatis a secundo relictis, quia legatarius antecessoris habet in bonis defuncti hypothecam, *Asinius de proc. execut.* §. 7. *c.* 21. *num.* 3. *et seqq.* Et legatarius primi est creditor secundi.

L. Est jurisdictionis. 2.

SUMMARIA

Facti species. num. 1.
Ratio dubitandi. 2.
Decidendi. 3.
Quatenus beneficium separationis concedatur? 4.
De jure provinciali in Elect. Brandeb. *quid obtineat?* 5.

Debuit mihi Titius 100. floren. Hoc mortuo 1
convenio ejus haeredem, sed nihil accipio, postea fit concursus creditorum haeredis. Ego peto separationem bonorum Titii a bonis haeredis, et Titii bona mihi dico sufficere. Vid. *l.* 1. *ff. de separation. ibique Auct.* Caeteri autem cre- 2
ditores opponunt mihi, me novasse et secutum fidem haeredis, dum ipsum conveni; Ergo mihi beneficium separationis competere non posse, per *l.* 1. §§. 10. 11. 15. 16. *ff. de separat.* Sed Resp. competere mihi hoc benefi- 3
cium, quia haec novatio non est voluntaria, sed necessaria, *l. ult. ff. de separat. l.* 29. *ff. de novat.* Non potui enim meum aliter consequi, quam conveniendo haeredem, quae necessitas quidem non est praecisa et absoluta, sed causativa et hypothetica, non tamen praesumor in actu necessario meo juri velle renunciare, *Coll. Argent. in tit. de separat. bonorum Donell. lib.* 23. *c.* 16. *lit. G. et ibi Hillig.* Sed concedi illud beneficium debet cau- 4
sa cognita, qua quaeritur, an stipulatus sim ab haerede novandi animo, *d. l.* 1. §. 10. aut usuras acceperim, *d.* §. 10. aut fidejusserim, *d. l.* 1. §. 11. vel quacumque alia ratione sponte, non necessitate, fidem haeredis sim secutus; item an quinquennium elapsum? Nam his casibus non daretur beneficium, sed creditoribus defuncti primi hoc datur, non haeredis,

per *hanc. l.* Sed quod de *haeredis fide secuta* hic dicitur, semper existimavi id esse vestigium veteris juris, quo novatio fieri poterat ex conjecturis. Nam si hodie novatio non fit, nisi expresse, *Auct. in l.* 2. *ff. de novat. num.* 2. ubi semel etiam ostendit, quatenus hodie quoque per conjecturas introducatur: utique si usuras accepit ab haerede vel etiam si novam assecurationem acceperit, non tamen videbitur juri suo vel renunciare, vel priorem obligationem tollere. Et si creditor ab haerede petiit debitum, non tamen renunciat juri separationis, ut hic dicitur, quo colore dici potest, creditorem, si usuras accepit, velle sibi praejudicare, vel no-
5 vare? Et in his provinciis, ubi ultra quinquennium extenditur jus separationis, ut in *Elect. Brandenb. Pomerania* et *Megapolitano Ducatu* nunquam vidi distinctionem esse factam, an usuras ab haerede acceperit.

L. Ex contractu. 3.

SUMMARIA

Casus legis. num. 1.
An quis ex empto post cessionem conveniri possit? 2.
Effectus cessionis hujus est exceptio, quae etiam post cessionem debitorem defendit. 3.
Contra eos tantum creditores se per hanc exceptionem defendit, qui ante cessionem cum debitore contraxerant. 4.

1 Contraxi cum Titio emptionem, post Titius
2 cedit bonis; quaeritur: *an Titius ex empto conveniri post cessionem possit?* Videtur quod sic, quia cessio ipsum non liberat, *l.* 1. *tit. praeced.* sed negatur: nam cedens bonis ex ea causa, quae cessione est antiquior, non potest conveniri: sed ipsi competit exceptio; verum ex contractu post cessionem inito recte convenietur, *Mynsing. ad d.* §. *ult. Inst. de act. num.* 3. *et ibid. Schneidew.* et prius limitatur, nisi tantum acquisiverit post cessionem ut eum denuo posse conveniri aequum censeatur, id est, si non modicum ipsi acquisitum, sed magnum, ita ut debito meo deducto, alimenta retineat. Vid. §. *ult. Instit. h. tit. et l.* 6. *ff. de cessionibus.*
3 Colligitur ex *hac lege* effectus cessionis bonorum, scil. exceptio; quae etiam post cessionem debitorem defendit, §. *ult. Instit. de act. et l.* 4.
4 *princ. et l.* 7. *ff. de cession.* deinde contra eos tantum creditores se per hanc exceptionem defendit, qui ante cessionem cum debitore contraxerant, *Petr. Greg. lib.* 23. *synt. cap.* 8. *num.* 2. *Mynsing. ad d.* §. *ult. num.* 3. *Schneid. num.* 3.

L. Incivile est. 4.

SUMMARIA

Facti species. num. 1.
Creditor non potest compelli, ut bona debitoris accipiat in solutum, nisi in subsidium. 2.

1 Decessit quidam multo aere alieno relicto, petunt creditores nonnulli, ut unus ex creditoribus chirographariis bonorum defuncti curam atque administrationem suscipere cogatur, ut ille caeteris satisfaciat, vel ut bona in solutum accipiat, et creditoribus caeteris satisfaciat. Resp. Cogi neminem posse nec chirographarium, nec hypothecarium, quia cura est munus voluntarium, non necessarium, *l.* 2. §. 3. *ff. de curat. bonis dando, Ant. Faber lib.* 5. *Cod. t.* 40. *def.* 6. *Donell. lib.* 23. *c.* 17. Collige ex *hac lege:* 2
creditorem non posse compelli, ut bona debitoris accipiat in solutum, *Carpz. p.* 3. *defin.* 23. *num.* 5. *Mevius p.* 1. *dec.* 20. nisi in subsidium, juxta *Auth. hoc nisi. C. de solut.*

L. Si bona. 5.

SUMMARIUM

An in possessionem bonorum debitoris mei sine haerede decedentis et cujus bona nec Fiscus agnovit, mitti possim?

Debitor meus sine haerede decessit (quod etiam tunc fit, cum haeres suus haereditate se abstinet, *l.* 6. *pr. et l.* 28. *ff. de rebus auct. jud. poss.*), et Fiscus ejus bona, ut vacantia, non agnovit (nam tunc Fiscus loco haeredis conveniretur, *l.* 14. *ff. de jure Fisci, l.* 2. *C. ad leg. Jul. de vi publ.*), neque alius defunctum defendit, *l.* 4. §. 1. *ff. h. t. l.* 1. *pr. ff. de curat. bon.* Quaeritur: *An hoc casu mitti in possessionem bonorum possim?* Affirm. ita ut nomine defuncti possideam.

L. Pro debito. 6. et L. In possessionem. 8.

SUMMARIA

Facti species. num. 1.
Creditores non possunt petere, ut sibi bona debitoris in solutum addicantur, sed ut in possessionem bonorum latitantis vel mortui debitoris immittantur, et ea vendantur sub hasta. 2.
Hypothecarii creditores immissione in bona prae chirographariis praerogativam habent. 3.
Si omnes chirographarii pro rata concurrunt, omnibus et singulis pro rata decrescit. 4.
Per missionem in bona dominium non tribuitur. 5.

Titius debet tibi centum nullo obligato pi- 1
gnore, mihi debet 50. constituto mihi in bonis suis pignore, Titio sine haerede mortuo, postulas, ut ipsius bona tibi jure dominii addicantur, sed male. Nam ego, cui bona jure pignoris obligata sunt, jus meum semper salvum retineo, et tibi aliisque chirographariis praeferor, nec pretium inde redactum partiri tecum cogor. Sed si uterque simus chirographarii, tunc potes missionem petere in bona vacantia. Sed haec missio non dat veram possessionem (quamvis interdum immissus possidere dicatur), multo minus dominium, *l.* 8. *h. t. l.* 4. *tit. praeced.* sed impetrata missione potes petere, ut bona vendantur, et ita creditoribus pro rata, si omnes chirographarii sint, satisfiat, per

2 *l.* 6. *h. t.* Collige ex *l.* 6. I. Creditores non posse petere, ut sibi bona debitoris addicantur in solutum, sed ut in possessionem bonorum latitantis vel mortui debitoris immittantur et ea
3 vendantur sub hasta. II. Hypothecarios creditores immissione in bona prae chirographariis
4 habere praerogativam. III. Si omnes chirographarii pro rata concurrunt, omnibus et singulis pro rata decrescit, *Wesenb. in* ϖ. *de priv. credit. num.* 9. *Rauchb. p.* 1. *q.* 4. *num.* 29. *Carpz. p.* 1. *c.* 28. *d.* 158. *Dn. Richter. de priv. cred. d.* 11. *c.* 6. §. *de hisce autem praefatis.*
5 Ex *l.* 8. autem collige: Per missionem in bona non tribui dominium, *Treutl. vol.* 2. *l.* 18. *th.* 6. *lit. C. et ibi Hunn. Hillig. in Donell. lib.* 23. *c.* 12. *lit. B.*

L. Si uxor tua. 7.

SUMMARIUM

Casus legis.

Haec lex explicata est supra in *l.* 6. *C. de haered. action.* cum qua haec eadem est: et ita eamdem explicationem habet. Vid. etiam *l.* 7. *ff. de neg. gest. et sim.*

L. Cum proponas. 9.

SUMMARIUM

Praescribitur, processus quomodo contra debitorem procedatur.

Haec lex praescribit processum: Si conventus debitor comparet, ordinarie contra eum proceditur, per litis contestationem, probationem etc. Si vero 1. peremptorie citatus: 2. non comparet: sed 3. latitet, i. e. fraudulenter sui praesentiam subtrahat (nam si non latitet, procedi quidem posset ad immissionem, *l.* 2. §. 2. *ff. quibus ex caus. in possess.* sed non venditionem): 4. et quidem latitet respectu hujus creditoris, ad cujus instantiam fuit citatus, *l.* 7. *ff. quib. ex caus. in possess.* et 5. de debito summarie constet, *Scacc. de jud. lib.* 1. *c.* 96. *num.* 12. *Hillig. in Donell. lib.* 23. *c.* 13. *lit. Q.* his, inquam, concurrentibus, potest creditor petere missionem in bona, *Auct. in l.* 2. *ff. quib. ex caus. in poss.* et postea post aliquod temporis intervallum a Judice moderandum, venditionem judicialem, ut sibi satisfiat; nam quamvis de tempore varie loquantur, receptius tamen est per *transactum illud tempus* non certum tempus intelligi, alias facile id expressisset Imperator, sed arbitrarium intelligendum esse, *Menoch. lib.* 2. *A. Q. casu* 6. *Maranta p.* 6. *tit. de contumacia num.* 12. *Gail. de arrest. c.* 1. *num.* 18. quos allegat *Hillig. lib.* 23. *c.* 13. *lit. F.*

Auth. Et qui jurat.

SUMMARIA

Pergitur in processu et tria constituuntur. num. 1. *et seqq.*
Quid juris si reus, debitor, juraverit se judicio staturum, et postea ante litis contestationem latitet? 2.
Quid si debitor omnino reperiri non possit? 3.
Nonnulli *notantur.* 4.
Quid si compareat debitor ante venditionem vel dationem in solutum, et restituat expensas, satisdetque de judicio sisti. 5.
Cautio haec per fidejussores est expedienda. 6.

Tria constituuntur in *hac Auth. seu Novell.* 53. *cap.* 4. I. Si reus juraverit, se judicio staturum, et postea ante litis contestationem latitet, ob perjurium, non solemnibus edictis citatur, sed jussu magistratus inquiritur, et manu injecta ducitur, *Mynsing. cent.* 4. *obs.* 66. *Gail. l.* 1. *obs.* 54. *num.* 5. II. Si autem omnino non reperiri possit, cum examinato prius summarie negotio (quia constare aliquo modo debet, illum debitorem esse per *l.* 9. *h. t.* nam accurata disquisitione opus non est) missio facienda est, non in omnia debitoris bona, sed tantum in partem, pro quantitate debiti, per *d. Novell.* ut communis habet opinio, *Wesenb. de damno inf. num.* 6. *et tit. ex quibus caus. in possess. eatur num.* 2. *Scacc. l.* 1. *de jud. c.* 96. *num.* 5. *Vander. de priv. creditor. c.* 16. *num.* 18. *P. Gudelinus de jure noviss. lib.* 4. *cap.* 5. *Dn. Hahn. in Wesenb. tit.* ϖ. *ut in possess. legat. num.* 3. quae opinio etiam Jure Can. approbata in *c. fin.* §. *fin. X. ut lite non contest.* quae etiam verbis *Novellae* amica, ubi haec verba, *secundum mensuram*, non distractioni, sed missioni jungitur; Licet hanc sentent. impugnet *Donell. lib.* 23. *c.* 11. *post Cujac. Mind. de processu lib.* 3. *c.* 15. *num.* 3. III. Si debitor autem postea compareat, ante venditionem vel dationem in solutum, si restituat expensas et satisdet de judicio sisti, recuperat res, in quas creditor missus erat, *hic et l.* 8. §. *pen. C. de praes.* 30. *annor. d. c. fin.* §. *in aliis X. ut lite non contest.* quae cautio per fidejussores expedienda per verba ult. hujus Auth. *Dn. Zieglerus ad Lancell. l.* 3. *tit.* 6. §. 4.

(Right margin numbers: 1 at "Tria constituuntur", 2 at "53. cap. 4.", 3 at "II. Si autem", 4 at "Licet hanc sentent.", 5 at "III. Si debitor", 6 at "quae cautio".)

L. Cum apud veteres. ult.

SUMMARIA

Uno creditore chirographario in possessionem bonorum debitoris misso, an simul omnes immissi censeantur, et ita haec immissio omnibus prosit? num. 1.
Ratio dubitandi. 2.
Decidendi. 3.
Creditor, qui sibi vigilat h. l. *aliquid etiam peculiare habet.* 4.
Quando creditor aliquis ob contumaciam debitoris in ejus bona mittitur, decretum, in rem resque bonorum latitantis omnibus prodest. 5.
Si debitor sui copiam non facit, potest creditor jus immissione quaesitum alteri cedere. 6.
Imo post tempus transactum seu finitum petente creditore venditio etiam facienda est. 7.
Quaenam porro hoc casu sint observanda? 8.
Reliqui creditores, qui non sunt immissi actualiter, sed uno immisso immissi simul viden-

tur, non opus habent novo processu, si modo debitum probent. 9.

1 **P**r. quando unus creditor chirographarius
missus est in possessionem bonorum debitoris,
Quaeritur: *An simul omnes immissi censeantur,
et haec missio omnibus prosit?* Videtur quod
2 non: nam 1. Jura vigilantibus sunt scripta, *l.*
24. *in fin. ff. quae in fraud. creditor.* - 2. Libera
3 persona alteri nihil acquirit: sed Affir. *hic et l.*
12. *princ. ff. de reb. auct. jud. possid. ibique
Auct. num.* 1. additur ratio: quia hoc justum
est, eos, qui aequale jus habent, aequali etiam
jure censeri: praesertim cum Judex mittendo
in possessionem, non tam hoc personae solius
petentis, quam creditoribus in rem permisisse
4 se videatur, *d. l.* 12. *princ.* Ut tamen is, qui
sibi vigilat, aliquid peculiare habeat, temperamentum
addit *Justinianus*, scil. ut creditores
etiam alii immissi censeantur, si ii, qui praesentes
sunt, intra biennium, absentes autem
intra quadriennium veniant, debitum ostendant,
et expensas ab eo, qui prius immissus
est, factas, et ab eo per juramentum declarandas,
refundant pro rata; post illud tempus
vero illi, qui immissi sunt, molestari non de-
5 bent. Colligitur ex *hac l. in pr.* ut et ex *l.* 12.
ff. de bonis auct. Judicis possidendis, quando
creditor aliquis, ob contumaciam debitoris in
ejus bona mittitur, decretum in rem resque
bonorum latitantis omnibus prodesse, in quo
differt a missione ob judicatum vel instrumentum
guarentigionatum, *Rauchb. pr. q.* 9.
num. 39. *et seq. Coler. de process. p.* 5. *c.* 11.
num. 81. Deinde declarant hanc regulam: quando
sunt ejusdem tituli creditores, ut si omnes
chirographarii, quod ex *l.* 6. *h. t.* probare solent,
Coler. part. 1. *c.* 2. *num.* 52. *et p.* 3. *c.*
12. *num.* 89. *Rauchb. d. l. num.* 6.

§. 1. Si debitor, in cujus bona creditor mis- 6
sus est, sui copiam non faciat, potest creditor
jus immissione quaesitum alteri cedere. Imo
post tempus transactum seu finitum (hoc 7
tempus a Judice definiri communiter receptum,
Menoch. lib. 2. *arbitr. quaest. cas.* 6. *n. ult. Gail.
de arrest. cap.* 1. *num.* 18.), venditio etiam facienda
est, petente id creditore, *l.* 6. *h. t.* et
attestatio super venditione celebranda, et per 8
Tabularios seu Notarios conscribenda apud defensorem
civitatis, actis intervenientibus, et
praesente Ecclesiae loci illius Thesaurario, per
quam attestationem manifestetur quantitas pecuniarum
pro venditione praestitarum, sive
tantum ex pecuniis, quantum debetur, sive
minus, sive plus colligatur. Si tamen plus colligatur
earum pecuniarum, quae pro emptore
solutae sunt, quantitas specialiter designetur,
quid itidem, postquam satisfactum creditori,
superfluum remanserit, et hoc in aede sacra
debet deponi, et aliis creditoribus postea sua
debita plene probantibus, solvi. Jusjurandum
etiam creditor debet praestare, quod neque
per gratiam emptoris, neque alio interveniente
dolo minorem justo pretio quantitatem acceperit;
sed eam quam omni studio potuit invenire.
Colligitur ex *h.* §. reliquos creditores, qui 9
non sunt immissi actualiter, sed uno immisso,
immissi simul videntur, non opus habere novo
processu, si modo debitum probent, *Castr. et
alii hoc tit.*

TITULUS LXXIII.

De privilegio Fisci.

L. Bona mariti. 1.

SUMMARIA

Facti species. num. 1.
An et quatenus uxor pro marito teneatur? 2.

1 **M**aritus tuus ex administratione primipilari
Fisco factus fuit obnoxius, Fiscus occupat ipsius
bona, et inter haec etiam bona uxoris; Quae-
2 ritur: *An recte?* Quamvis autem uxor pro marito
non teneatur, *t. tit. Cod. ne uxor pro marito.
etc.* dubium tamen movet, quod in *l.* 4. *C.
in quibus causis pign. tacite etc.* dicitur, uxoris
res dotales obligatas pro marito, ex causa
primipilaris administrationis, igitur *lex haec*
quae uxoris res a mariti rebus in causa debiti
primipilaris separandas esse dicit, de paraphernalibus
rebus intelligenda, quia bona dotalia
sunt in dominio mariti, non ita paraphernalia,
et jura exorbitantia strictius intelligenda. Et
sic dotalia sunt hoc casu deterioris conditionis,
quam paraphernalia, et ita hunc textum
intelligit *Castr. Salyc. hic Minnoz de Escobar
de ratiocin. c.* 39. *num.* 11. *Balduinus de pign.
c.* 7. *P. Barbosa ad l.* 1. *parte* 7. *num.* 4. *ff.
sol. matrim. Hillig. ad Donell. lib.* 15. *c. ult.
lit. B.*

L. Quamvis. 2.

SUMMARIA

*Dos et Fiscus sunt creditores hypothecarii et
pari passu ambulant. num.* 1.
*Ille inter hos alterum praecedit, qui tempore
prior est.* 2.
Limitatur dupliciter. 3.

Dos et Fiscus sunt creditores hypothecarii et 1
privilegiati, et pari passu ambulant, et ille al- 2
terum praecedit, qui est tempore prior, *Auctor
in l.* 28. *ff. h. t.* Sic ergo dotis causa est
prior, si resp. vel Fiscus post dotem credidisset,
hic et l. 9. *ff. de jure dot.* Et a contrario
si reipubl. vel Fisco ante debuerit debitor,
quam uxor dotem dedisset, resp. vel Fiscus est
potior. Et ita non quidem in poenis per nota- 3
ta ad *l. un. C. poenis fiscalibus etc. Carpz. p.* 1.
jurispr. for. const. 28. *def.* 101. nec in bonis
ante contractum fiscalem Fisco quaesitis, sed
in bonis post contractum quaesitis cum dote

pari passu ambulat, *l.* 28. *ff. de jure Fisci, Carpz. d. c.* 28. *def.* 103. *et l.* 4. *resp.* 13. *et seq.* Sed vide *not. supra ad l.* 9. *C. de jure dotium.*

L. Si cum pecuniam. 3.

SUMMARIA

Casus legis. num. 1.
An concurrentibus debitoribus, uxore et Fisco, uxor, quae prius crediderat, Fisco sit praeferenda? 2.
Quaenam, ut quis in locum et privilegium Fisci succedat, requirantur? 3.
Ad l. si ventri 24. §. ult. ff. de reb. auct. jud. poss. *respondetur.* 4.
Collectae hodie habent reale privilegium, quod causae tribuitur, et ideo tacite transit in eum, cujus pecunia ad rempubl. pervenit. 5.

1 Titius debebat Fisco 100. quae pro eo solvit ejus uxor Juliana, postea Titius a Fisco vectigal vel telonium conduxit, a quo tempore bona Titii Fisco de novo sunt obligata; Quaeri-
2 tur: *An Juliana Fisco sit praeferenda?* Videtur quod sic, quia is, cujus ex pecunia dimissus est privilegiarius creditor, succedit in ejus privilegium, *l.* 24. §. *ult. ff. de reb. auct. jud. poss.* Vid. *Carpzov. part.* 1. *jurispr. const.* 28. *definit.* 134. Ergo hic Juliana, quia in prius Fisci creditum succedit posteriori Fisci credito
3 praeferenda est. Sed negat hoc Imper. quia ut quis in locum et privilegium Fisci succedat, requiritur, ut ipsi jus suum Fiscus cesserit expresse, quod hic non factum, et quia Titius sua bona uxori, quae pro eo solvit, non obligavit pignori, ideoque citra hanc conventionem nullam actionem hypothecariam habet contra maritum. Ergo Fisco nullo modo, nec ratione privilegii, nec ratione hypothecae, quam non
4 habet, praeferenda. Sed quid tamen dicendum est ad *dictam l. si ventri* 24. §. *ult?* Resp. cum *P. Barbosa ad l. post dotem* 41. *num.* 2. *ff. sol. matr.* Regulam illam, quae ex *d. l. si ventri a Dn. Carpzovio* probatur, de privilegiis realibus, seu quae causae tribuuntur, esse intelligendam. Sed hoc privilegium Fisci non causae, i. e. debito ex sua natura, sed ut ita loquar, quasi personae Fisci tributum est, quod non nisi expresse a Fisco, a caeteris plane non
5 potest cedi alteri. Sed collectae hodie habent privilegium reale quod causae tribuitur, et ideo tacite transit in eum, cujus pecunia ad rempubl. pervenit.

L. Si debitor. 4.

SUMMARIA

Facti species. num. 1.
An Fiscus venditionem pignoris prius factam retractare possit? 2.

1 Titius fundum suum distraxit et mihi vendidit, postea cum Fisco contraxit, et ei se obli-
2 gavit. Quaeritur: *An Fiscus venditionem pignoris prius factam retractare possit?* Resp. quod non; Nam licet Fiscus tacitam in bonis debitoris sui hypothecam habeat, et jus personale, quo anterioribus etiam creditoribus praefertur; id tamen tantum de bonis post contractum cum Fisco initum quaesitis intelligendum, *l.* 28. *ff. de jure Fisci, Covarr. lib.* 1. *resol. c.* 16. *num.* 2. *Neguz. de pign. p.* 2. *membr.* 4. *num.* 113. *Carpzovius d. p.* 3. *c.* 28. *def.* 103. *et lib.* 4. *resp.* 13. *P. Barbosa in l.* 1. *p.* 2. *n.* 16. *ff. sol. matr. Dn. Richter. de privileg. creditorum d.* 5. *limit.* 2. vers. *praefata tamen limitata non etc.* Accedit, quod fundus ille Fisco tacite nullo modo sit obligatus, quippe tunc temporis, cum fundus in Titii dominio esset, nihil Fisco debuit.

L. Pecunia. 5.

SUMMARIA

Facti species. num. 1.
Fiscus solutam posteriori creditori pecuniam, licet ab eo consumpta sit, bona fide tamen avocare potest. 2.
An hoc in omni privilegiato creditore locum habeat? 3.
An sit speciale Fisci privilegium? 4.
An doti etiam tribuendum? 5.
Sententia Auctoris. 6.

Si debitor Fisci, idemque debitor privati cre- 1
ditoris chirographarii, huic scil. chirographarius prius solverit, Fiscus habet privilegium, ut ex causa justa, sc. si debitor non sit solvendo, Vide tamen *l.* 18. §. *ult. ff. de jure Fisci,* persecutione extraordinaria illam pecuniam repetere possit, sed sine usuris. Ratio hic additur; quia creditor chirographarius non accepit foenori pecuniam, sed in solutum et suum recepit, quod non nisi extraordinaria persecutione auferri potest, in quam usurae non veniunt; alia ratio redditur in *l.* 19. *ff. de jure Fisci.* Colligitur ergo egregium privilegium Fi- 2
sci: Quod possit solutam posteriori creditori pecuniam, licet ab eo consumpta sit, bona fide tamen avocare, *hic et d. l.* 18. §. *fin. et l. seq. ff. de jure Fisci, Afflict. dec.* 190. in subsidium tamen si alias suum consequi non possit, *Barbosa ad l.* 1. *part.* 6. *num.* 22. *ff. soluto matrim. Thes. l.* 2. *qu.* 16. *num.* 3. Sed hoc admo- 3
dum disputatur: *An in omni privilegiato creditore locum habeat?* Quod affirm. *Berlich. p.* 1. *concl.* 71. *num.* 47. in quam sententiam etiam inclinat *P. Barbosa in l.* 1. *p.* 6. *ff. solut. matrim. num.* 23. *Pistor. p.* 3. *q.* 20. eamque allegatis plurimis tuetur *Mevius in jus Lub. l.* 3. *tit.* 1. *art.* 3. *num.* 2. *An vero sit speciale* 4
privilegium Fisci? Quod mihi videtur, quia hic de extraordinario jure mentio fit, et in *d. l.* 18. §. *fin.* publicae pecuniae. Sed videtur tamen *Covar. pr. q. c.* 29. *num.* 1. doti etiam 5
tribuendum, ob rationem in *l.* 2. *h. t. P. Barbos. hic num.* 24. *Covarr. d. l. Menoch. consil.* 25. *num.* 4. *Thes. d. l. num.* 5. Alii autem tribuunt hanc revocationem hypothecam habenti creditori cum speciali privilegio, v. g. doti, de qua jam dictum, vel credita pecunia ad refectionem etc. de quo pluribus *Salgado in labyr. l.* 1. *cap.* 10. *num.* 77. *et seqq.* Conf. *Gail.*

l. 2. *obs.* 25. *num.* 16. *Rauchbarus p.* 2. *quaest* 9.
6 *Prukman. vol.* 1. *cons.* 24. *n.* 110. Putarem autem esse aequissimum, si creditori posteriori daretur bona fide in solutum et hic bona fide consumpsisset, atque ea consumptione locupletior sit factus, eatenus teneri etiam creditorem posteriorem, quatenus locupletior redditus, sicut de fructibus bona fide a bonae fidei possessore consumptis, statuunt *Carpz. p.* 3. *const.* 32. *def.* 28. *Dn. Struvius ad tit. de rei vindic. Franzkius ad d. t. th.* 63. sicut etiam *Cephalus cons.* 86. *in fin.* repetitionem consumptarum rerum dat creditori contra posteriorem, qui ex titulo lucrativo creditor erat, et quos refert *Tehs. d. qu.* 16. *num.* 10. qui tota illa quaestione hanc controversiam vexatissimam prolixe tractat. Videatur et *Stracha de decoct. p. ult. num.* 28. *et seq. Dan. Moller. in semest. l.* 2. *c.* 4.

L. Cum patrem. 6.

SUMMARIA

Facti species. num. 1.
An Fiscus, cui pater obligatus erat, fundum filiae in dotem datum vindicare possit? 2.

1 Pater Fisco obligatus erat, sed fundum illum
2 suae filiae dat in dotem. Quaeritur: *An Fiscus hunc fundum in dotem datum vindicare possit?* Aff. Nam. illo tempore, quo fundus in dotem datus, pater jam dudum Fisco erat obligatus, et per consequens omnia etiam ipsius bona erant obligata, atque ita etiam hic fundus. Ergo Fiscus habet actionem hypothecariam contra tertium possessorem.

L. Si in te. ult.

SUMMARIA

Casus legis. num. 1.
Cessio in cessionarium omne jus cedentis transfert. 2.
Sine cessione non transfertur in eum, qui pro privato reip. solvit personale privilegium reipub. 3.
Cur hic personale privilegium in cessionarium transeat et non privilegium dotis. 4. 6. 7.
Baldus *notatur.* 5.

Titius debuit reipubl. vel Fisco 100. ego sol- 1
vo pro Titio, et Judex mihi petenti, jus et privilegium Fisco cedit, ac in me transfert. Vid. *Barbos. in l. post dotem ff. solut. matrim. num.* 62. Quaeritur: *An in jus et locum Fisci succedam?* Adeo ut sicut Fiscus omnibus creditoribus praesertim posterioribus praefertur, et ita ego praeferar? Aff. quia cessio transfert 2
in cessionarium omne jus cedentis. Nota Bene: Sine cessione non transferri in eum, qui pro 3
privato reipub. solvit, personale privilegium reip. per *hanc l. et l.* 3. *h. t. et l.* 2. *C. de jure reip. lib.* 11. sed manet difficultas, cur hic pri- 4
vilegium personale in cessionarium transeat, et non privilegium dotis. Nam licet *Baldus in Novell.* 5
hanc legem de jure hypothecae intelligat, videtur tamen nimis legem nostram restringere, et ideo dicere mallem cum *Petr. Barbosa. in d. l. post dotem* 41. *num.* 62. speciale esse in 6
Fisco, quod omnia sua privilegia expresse cedere possit, si quis ei solvit, ut facilius alii Fisco pro alio solvant, *arg. l. Herenius* 43. *ff. de usuris* Conf. *Neguz. de pignor. num.* 4. *part.* 2. *num.* 1087. *in fin.* et quos allegat *Tiraq. de retr. consang.* §. 26. *gl.* 3. *num.* 28. Et quod 7
omnia privilegia Fisci sint realia, et non personalia, cum Fiscus nunquam moriatur, *Menoch. l.* 4. *praes.* 189. *num.* 146.

TITULUS LXXIV.

De privilegio dotis.

L. Scire debes. un.

SUMMARIA

An praelationis privilegium etiam uxoris haeredibus competat? num. 1.
Privilegium praelationis personale est, quod personam non egreditur. 2.
Nec alteri cedi potest. 3.
Justinianus *hoc ad liberos quoque extendit.* 4.
Jus optionis viduae competens ejus haeredibus non competit. 5.
Alia hypothecae ratio, quae etiam ad extraneos haeredes transit. 6.

1 Praelationis privilegium, quod habet uxor ratione dotis, soli uxori competit, non etiam haeredibus, praesertim collateralibus, vel ascendentibus, quia solius mulieris providentia introductum, §. *fuerat* 29. *Instit. de action.* et privilegium personale est, quod personam non 2
egreditur, *l. privilegia ff. de R. J.* Ideoque nec cedi potest ab uxore alteri, *Berlich. part.* 3
1. *concl.* 65. *num.* 105. *et seqq. Petr. Barbos. ad leg. post dotem* 41. *num.* 57. *ff. sol. matrim.* Sed *Justinianus Novell.* 91. hoc privilegium ad 4
liberos extendit. Et ex *hac lege* probat etiam *Dn. Carpz. p.* 3. *const.* 20. *defin.* 41. jus optio- 5
nis viduae competens, non competere haeredibus ejus, contra *Colerum, Simonem Pistoris, et Berlichium* a se allegatos; sed alia ratio hy- 6
pothecae, quae etiam ad extraneos haeredes transit.

TITULUS LXXV.

De revocandis his, quae in fraudem creditorum alienata sunt.

L. Haeres. 1.

SUMMARIA

Facti species. num. 1.
An si haeres fundum haereditarium suo creditori in fraudem mei solverit, statim actione Pauliana fundum istum a creditore repetere possim? 2.
Quando excussio non requiratur? 3. 4.

1 Debitor meus decessit haerede relicto Cajo,
hic Cajus fundum haereditarium solvit suo creditori, et quidem in fraudem mei, ut meo cre-
2 dito defraudarer; Quaeritur: *An statim actione Pauliana fundum a creditore repetere possim?* Resp. Aff. sed excussis prius bonis Caji, nam antequam illa excutiantur, non potest sciri, an fraus eventum habuerit, quod tamen requiritur, *l.* 10. §. 1. *ff. h. t.* et haec exceptio excussionis a reo opponenda, *Jason. in* §. 6. *Inst. de*
3 *act. num.* 81. Excussio autem ista non requiritur, si debitor sit speciei, *Baldus supr. rubr. h. t. num.* 2. *Trentacinq. lib.* 2. *resol. tit. de ex-*
4 *cept. resol.* 4. *num.* 11. aut si notorium sit, debitorem non esse solvendo, *Schneidew. d.* §. 6. *num.* 64. *Mynsing. num.* 49.

L. Si successione. 2.

SUMMARIA

Facti species. num. 1.
Quaestio inde deducta. 2.
Duae limitationes. 3.
Sententia Auctoris. 4.
Filiabus dos a patre non promissa prae aliis parentis creditoribus non debetur. 5.
Solet dos aliqua cum creditorum consensu ex obaerati patris bonis constitui. 6.

1 Dedit quidam filiae in dotem aliquot praedia, et
decessit, filia haerede instituta. Filia autem, cum ipsi ob aes alienum patris haereditas suspecta esset, haereditate patris abstinuit, dote
2 contenta. Quaeritur: *An creditores paterni ipsam ob dotem acceptam convenire possint?* Neg. *hic et l.* 13. *ff. de donat. ante nupt.* sed adduntur
3 duae limitationes: nisi I. illa praedia fuissent creditoribus antea obligata, nam tunc res transisset in filiam cum suo onere; aut II. nisi in fraudem creditorum esset dotata, *Auct. in l.* 10. *ff. h. t. num.* 21. ubi datur *actio Pauliana* contra generum, si ille fraudem soceri sciverit, si nesciverit datur tamen actio contra filiam nescientem sive ignorantem, *l. fin.* §. 1. *ff. h. t. ibique Auct. num.* 3. *et* 4. ratio discriminis est, quia titulus dotis respectu generi propter onera videtur onerosus, sed respectu filiae lucrativus, *Auct. in d. l. ult. num.* 5. *DD. in d. l. fin.* §. 1. *Phanutius de lucro dotis gl.* 8. *num.* 2. *Trentacinq. lib.* 2. *de except. resol.* 4. *num.* 8. *Celsus Bargalius de dolo lib.* 5. *c.* 6. *num.* 50. *et seqq. Hillig. in Donell. lib.* 23. *c. ult. lib.* 5. *Castr. in l.* 5. *h. t. Dn. Mevius p.* 5. *dec.* 178.
num. 4. Putarem tamen, si considerata quali- 4
tate patris et mariti et inspecta consuetudine loci immodica videatur dos constituta, licet maritus nesciverit dolum ac fraudem patris ad aequitatem reduci rem debere a Judice, prae-
sertim si nondum soluta dos. Collige etiam ex 5
hoc textu: Filiabus dotem non a patre promissam non deberi prae aliis creditoribus parentis;
solet tamen cum creditorum consensu aliqua 6
dos ex obaerati parentis bonis constitui, et hoc casu aequum est, ut priores creditores proportionabiliter aliquid remittant, ex quo dos solvi possit, ne liberalitas priorum cedat in damnum posteriorum creditorum, et priores de alieno largiri dicantur.

L. Si paterna. 3.

SUMMARIA

Filius abstinens paterna haereditate a paternis creditoribus conveniri non potest. num. 1.
Limitatur. 2.

Filius, qui abstinuit paterna haereditate, non 1
potest a creditoribus conveniri paternis, nisi
pater ipsi aliquid donasset in fraudem credito- 2
rum, quod in donatione omnium bonorum jura nostra praesumunt, *l.* 17. §. 1. *ff. h. t. ibique Auctor Bartol. in l. cum quid num.* 14. *ff. si certum petat. Alex. v.* 4. *cons.* 108. *num.* 3. *Felin. ad c. fin. de libell. oblat. Masc. concl.* 816. *num.* 21. Imo etiam si majorem partem bonorum donasset, vel alio titulo oneroso majorem partem bonorum alienasset, *per l.* 17. *ff. h. t. et ibi a me notata.* praesertim alienatio in conjunctas personas facilius suspicione laborat, *Mevius p.* 3. *dec.* 14. *num.* 1.

L. Filios. 4.

SUMMARIUM

Casus legis.

Sicut haec actio creditoribus datur ut fraudis, non vero ipsi fraudatori, ita creditorum haere-

dibus quidem datur, *l.* 10. §. *fin. ff. h. t.* sed non fraudatoris seu debitoris haeredibus, qui factum defuncti sui debitoris impugnare non possunt, *l.* 14. *C. de rei vindic.* nec potest allegari turpitudo defuncti, *Tusch. conclus.* 101. *lit. T.*

L. Ignoti juris non est. 5.

SUMMARIA

Facti species. num. 1.
Quaestio inde deducta. 2.
Deciditur per distinctionem. 3. 4.

1 Titius condemnatus est ad solvendum mihi, sed intra 4. menses juxta *l.* 2. *C. de usuris rei judic.* non solvit, ideoque mittor in possessionem bonorum. Sed debitor in fraudem meam alienat, et vendit quaedam bona, alia vero per
2 donationem largitur. Quaeritur: *An probare debeam etiam emptores fuisse fraudis partici-*
3 *pes?* Resp. per distinctionem contra eos, qui titulo oneroso, ut emptione, rem acceperunt, probanda est fraus, quod fraudem sciverint, *l.* 1. *pr. et l.* 6. §. 8. *et l.* 10. *pr. ff. h. t.* quia denunciatio malam fidem parit, *Menoch. l.* 5. *praes.* 3. *c.* 81. forte si a me admoniti: contra eos vero, quibus titulo lucrativo quid traditum, id non requiritur, *hic et l.* 17. §. 1. *ff. h. tit.*
4 Collige *h. l.* distinctionem, utrum ex causa lucrativa, an vero ex onerosa facta sit alienatio; illo casu indistincte, si modo fraudis eventus sequatur, revocatur donatio; hoc casu subdistinguitur, an ante missionem in bona facta sit alienatio, an vero post, ut illo casu requiratur fraudis consilium, hoc vero casu solus eventus, *l.* 6. §. 8. *et* 11. *ff. h. t. Wesenb. in* ϖ. *h. t. num.* 6. *Trentac. lib.* 2. *tit. de except. resol.* 4. *num.* 3. *et.* 7. *Hillig. in Donell. lib.* 23. *c. ult. lit. S.*

L. Si actu. ult.

SUMMARIA

Lex haec *admodum est obscura. num.* 1.
Casus legis. 2.

Lex haec valde obscura. Poni tamen potest 1
casus hoc modo; Menandra habuit debitorem 2
Sempronium, qui debitorem suum delegavit Menandrae, et ipsi per dolum persuasit, ut acceptilatione se liberaret, quod factum; hic Menandra actione Pauliana convenit ipsum fraudatorem juxta *l. ult.* §. *ult. ff. h. t.* sed non sine beneficio competentiae, quia semel bonis exutus; illud vero mirum, quod fraudator intra annum utilem tantum, et quidem in quantum facere potest, vel dolo fecit, ut facere non possit, conveniri possit. Et quomodocumque ponatur casus, res difficultate non caret. Vid. hac de lege *Treutl. et Bacch. vol.* 2. *disp.* 24. *th.* 5. *lit. G. et Cujac. lib.* 12. *obs.* 5. *Anton. Faber lib.* 20. *conject.* 15.

FINIS LIBRI SEPTIMI

LIBER VIII.

CODICIS

TITULUS I.

De interdictis.

L. Cum proponas. 1.

SUMMARIA

Duo sunt de arboribus interdicta, et quaenam? num. 1.
Quatenus mihi hoc interdictum detur? 2.
Ratio illorum interdictorum. 3.
Mens potius legum est attendenda, quam verba. 4.
In similibus idem est judicium. 5.

1 Duo sunt interdicta de arboribus, alterum de arboribus in alienas aedes impendentibus, ut dominus arborem excidat, alterum de arboribus in alienum agrum impendentibus. Sed contigit, ut arbor vicini non impenderet tantum meis aedibus, sed excreverit et excurrerit radicibus suis sub parietem meum, ut periculum
2 ruinae metuendum. Quaeritur: *An nihilominus interdictum mihi detur?* Resp. non quidem ex verbis, sed sententia superiorum edictorum.
3 Haec enim fuit illorum interdictorum ratio, ne vicino noceretur occasione arboris, eadem hic ratio, *Auct. in l.* 1. *ff. de arbor. caedend. Struv. synt. jur. civ. exerc.* 45, *th.* 162. unde proba-
4 tur duplex regula: 1. mentem potius legum esse attendendam, quam verba, *hic et l. scire leges* 17. *ff. de LL. l.* 6. §. 1. *ff. de V. S. A. Barbosa l.* 10. *cap.* 10. *num.* 36. *Everhardus*
5 *loco top.* 79. - 2. in similibus idem esse judicium, *axiom.* 1. *lib.* 17. *A. Barb. c.* 30.

L. Praeses provinciae. 2.

SUMMARIA

Judici extra territorium in exterum jus dicenti impune non paretur. num. 1.
An idem interdictis? 2.
Ratio dubitandi. 3.
Extensio legis. 4.

1 Certum est Judici, extra territorium in exterum jus dicenti, impune non pareri, *l. fin. ff.*
2 *de jurisd.* Sed Quaeritur: *An idem in interdictis?* scil. an coram Judice incompetenti, v. g. hujus loci, agi possit adversus civem alterius territorii, de fundi possessione non hic, sed ibi constituti, et quidem interdicto. Et ratio 3
dubitandi in eo posita videtur, quia interdicta parum nocent, cognoscitur enim tantum de possessione; sed definitur hic, etiam in interdictis requiri Judicem competentem, non enim quando de competentia Judicis sermo, Quaeritur, An multum, an parum possit nocere ejus sententia. Sed lex est non tantum intelligenda 4
de loco domicilii, sed etiam de aliis fundandae jurisdictionis casibus, scilicet ratione rei sitae, vel delicti et commissae violentiae, vel contractus, vel prorogationis, vel privilegii, vel reconventionis, vel continentiae causae. Vid. *Petr. Frider. de interdictis comment.* 1. *num.* 66.

L. Incerti juris non est. 3.

SUMMARIA

Concurrente causa possessionis et proprietatis possessorium primum expeditur. num. 1.
Qui in possessione obtinuit, et pro possessore declaratus est, is in petitorio rei partes obtinet, et alter tenetur onus probandi in se suscipere. 2.
Quatenus hoc locum habeat? 3.
Quid si super petitorio solo actum, an Judex super possessorio sententiam ferre possit? 4.
An et quatenus etiam post litem contestatam libellum mutare et emendare liceat? 5.
Judex si possessorium solum intentatum et de proprietate ex actis liquet, etiam de proprietate sententiam ferre potest. 6.
Petitorium non est incipiendum, antequam finitum sit possessorium. 7.
Quid Jure Can. obtineat? 8.
Quid si possessorium et petitorium conjungerentur? 9.
Interdicta quidnam olim fuerint, et quid hodie? 10.
Anne interdicta hodie usum habeant? 11.

Quando simul causa possessionis et proprie- 1
tatis ventilatur, i. e. simul de possessione quis

possessor sit, et de dominio lis est, tum ordo juris postulat, ut primum possessorium expediatur, ut constet, quis possessor sit, quis non:
2 Nam qui in possessione obtinuit, et pro possessore declaratus est, is in petitorio rei partes obtinet, et alter tenetur onus probandi in se suscipere, juxta *l.* 13. *C. de rei vind. l.* 1. *C.*
3 *de appell.* §. 4. *Inst. h. t.* idque in possessorio retinendae possessionis *DD.* indistincte concedunt, sed in remedio recuperandae et adipiscendae possessionis concedunt cumulationem. Nam actor in his concedit adversario possessionem, et sibi petit possessionem restitui, ac se dominum declarari, quae non sunt repugnantia. Hoc tamen ita temperant *DD. communiter*, quod Judex super utroque judicio non teneatur pronunciare, si forte in petitorio non satis probatum, et quod Judex, si de possessorio sibi constet, de hoc solo prius pronunciare possit. Vide *Hart. Pist. part.* 1. *qu.* 45. *per totam*, praesertim *num.* 10. 13. 14. *et* 17. Sed
4 *quid si super petitorio solo actum, an Judex super possessorio sententiam ferre possit?* Resp. negando, nisi actor pendente lite id petat.
5 Nam ea sententia mihi semper certa visa, etiam post litem contestatam licere libellum mutare vel emendare salva restitutione expensarum, quae sententia apertissime ex §. 35. *Inst. de act.* probatur, et facit ad processus abbreviandos, et ita Judici omnino amplectenda, quicquid in scholis contradicatur; et cum sententia est etiam conformis *libello* scil. emendato, Conf. *cap.* 3. *X. de causa possess. et propr.* praesertim cum nullus tam vecors practicus sit, qui non libello inserat clausulam salutarem, Conf. *Carpz. in process. tit.* 1. *art.* 5. *num.* 26. *et*
6 *seqq.* Sicut etiam Judex si possessorium solum intentatum, et de proprietate ex actis liqueat, de proprietate sententiam ferre potest, *Mevius p.* 6. *dec.* 100. quod intelligo, si actor pro colorando possessorio allegaverit ea, quae ad petitorium pertinent, et reus responderit. Sic cum Fisci procurator ageret possessorio, et quidem ut videbatur frustra, jussus est reus ad instrumenta ad colorandum possessorium adducta respondere, ut ita processus abbreviaretur, ut unus processus non esset alterius
7 initium. Collige ergo: non esse incipiendum petitorium antequam sit finitum possessorium, *Carpz. lib.* 1. *resp.* 75. *princ.* Et sane non est improbabile dicere ex mente *Donelli*, hoc loco non tantum in retinendae possessionis remedio, sed etiam recuperandae et adipiscendae remedio simul intentari petitorium cum possessorio non debere, sed omnino necesse esse, ut prius absolvatur possessorium, si jus nostrum potius quam opiniones *Doctorum* sequi
8 velimus (sed Jure Can. secus, c. 3. *et seqq. X. de causa poss. et propr. Menoch. rem.* 3. *retim. num.* 512. *Dn. Hadn. ad π. Wes. h. t. in fin.*). Nam qui remedio recuperandae utitur, ille fatetur alterum possidere, sed de facto et male, et ideo procul dubio haec ipsius mens non est, quod velit concedere, ut alter commodo possessionis legitimae utatur. Non facile contin- 9
gere puto, ut actor utrumque, scil. petitorium et possessorium in praxi conjungat, neque hoc consultum esse puto, et si fiat, ego si Judex essem, prius in possessorio pronunciarem, quamvis saepe causa proprietatis ad colorandam et justificandam possessionem adjungatur vel admisceatur, de quo *Bald. hic num.* 9. *Menoch. remed.* 1. *recup. poss. num.* 188. *P. Frid. Mind. de interdict. comment.* 11. *num.* 57. *et seq.* Sed quaerat aliquis; Cum interdictum olim essent 10
solemnes formulae atque conceptiones verborum, *pr. Inst. h. t.* hodie autem judicia sint extraordinaria, i. e. nullis certis temporum ac verborum solemnitatibus adstricta; *Anne inter-* 11
dicta hodie usum habeant? Resp. Imperator, ad haec ea utilia esse, ut, quando de possessione agendum est, sciamus cujusve interdicti naturam, nam de possessione acturus, naturam ejus interdicti, quod sibi competere putat, diligenter aspicere, et ad id petitionem suam accommodare debet.

L. Si quis. ult.

SUMMARIA

Circuitus et ambages olim adhiberi solitae h. l. *abolentur et plane prohibentur. num.* 1.

Hodie acturus statim actionem edere, i. e. petitionem suam juri conformem Judici declarare debet. 2.

Mindanus *notatur.* 3.

Olim per circuitus et ambages procedebatur, 1
et prius in rem praesentem erat eundum, postea certa formula interdictum erat petendum; Sed horum necessitas non tantum aboletur, sed et ambages istae plane prohibentur, ideoque qui acturus est, statim actionem edere, 2
i. e. non nomen actionis proponere, sed petitionem suam juri conformem Judici declarare debet. Vid *Bacchovium in Treutl. disp.* 4. *th.* 10. *lit. C. Ummium ad process. jud. disp.* 6. *th.* 11. *num.* 51. licet *Mindanus d. tr. comm.* 3. formam interdicti mutatam esse neget, cui oc- 3
currit *Bacchov. d. l.* Sed octo notabilia ad hanc legem notata vide sis apud *P. Frid. Mind. d. comm.* 3. *num.* 35. *et seq.*

TITULUS II.

Quorum bonorum.

L. Haereditatem. 1.

SUMMARIA

Facti species. num. 1.
Summa interdicti Quorum bonorum. 2.
Quaenam h. l. *actori sint probanda?* 3.
Utile hoc interdictum etiam iis, qui jure civili haeredes sunt, competit. 4.

1 Titii filius ab eo emancipatus et praeteritus, coram Praetore agnovit bonorum possessionem contra Tabulas, allegando, se esse filium et esse praeteritum. Haec agnitio bonorum sufficit, juxta *l. ult. supra qui admitti etc.* Sed cum Titius alium scripsisset haeredem, hicque haeres esset in possessione, Quaeritur: *An superior petitio bonorum possessionis a filio Titii facta, ad acquirendam realem possessionem sufficiat?* Resp. alias sufficere, nisi aliquis de facto detineret haereditatem, et nisi aliquis in possessione ejus esset, et ita in *hujus legis* specie, cum scriptus haeres in possessione sit, non sufficit agnitio bonorum possessionis contra Tabulas; nam qui petit bonorum possessionem, jus tantum agnoscit sibi competens, sed ut possessionem veram acquirat alio in possessione existente, opus est Interdicto, et quidem *Quorum bo-*
2 *norum*, cujus summa est: quod qui bonorum possessionem vel haereditatem coram Praetore agnovit, i. e. qui coram Praetore testatus est, se amplecti haereditatem et bonorum possessionem, possit contra eum, qui de facto possidet res haereditarias, vel pro haerede, i. e. dum dicit se haeredem esse, vel pro possessore i. e. dum possidet ut praedo, sine omni titulo, coram Judice hoc interdicto uti, et petere sibi restitui, i. e. dari haereditatem debere, *Auctor*
3 *in l.* 1. *ff. h. t. num.* 1. Sed *quae probanda actori?* 1. Probandum, se agnovisse et amplexum esse haereditatem sive bonorum possessionem coram Praetore, et quidem ex causa, quia sit filius, *Auctor in d. l.* 1. *ff. h. t. num.* 3. - 2. illam causam esse veram, i. e. quod vere sit filius, sed probatio haec in hoc judicio facilior est, quam in petitione haereditatis. Si enim opponantur aliquae exceptiones filio, quod non sit filius, tunc illae in Petitorium sunt rejiciendae: sufficit enim probare se haberi pro filio, seu se esse in possessione vel quasi filiationis. Ex
4 *hac lege*, ex verbo, *haereditatem*, probant, utile hoc interdictum iis etiam qui Jure Civili haeredes sunt, competere. Vid. *Bacch. in Tr. v.* 2. *d.* 25. *th.* 1. *lit. G. Menoch. rem.* 1. *adipisc. poss. num.* 33. *et seqq. Cothm. vol.* 1. *cons.* 9. *num.* 46. *et seqq. Struv. synt. jur. civ. exerc.* 45. *th.* 15.

L. Si ex edicto. 2.

SUMMARIA

Facti species. num. 1.
Quaenam in hoc interdictum veniant? 2.
Contra eum, qui nec pro haerede, nec pro possessore possidet, sed alio titulo, non datur hoc interdictum, nec directum, nec utile. 3.
Limitatur regula. 4.
Contra quem detur haereditatis petitio? 5.
Interdictum hoc datur etiam ratione rerum singularium, quando eae non ex alio titulo, sed pro possessore possidentur. 6.
An etiam legatario competat hoc interdictum? 7.
An detur contra debitores haereditarios? 8.
Haereditatis petitio cum hoc interdicto magnam similitudinem habet. 9.
Objectio diluitur. 10.
Practici pro rebus corporalibus utile hoc interdictum admittunt. 11.
Qualis probatio in hoc interdicto requiratur? 12.
Menoch. *notatur.* 13.
An appelletur ab hoc interdicto? 14.

Soror mea patruelis, i. e. patrui mei filia 1
decessit intestata: Ego ut proximus agnatus agnosco bonorum possessionem, sed volo etiam contra te, tamquam contra possessorem, qui pro haerede possides, intendere hoc interdictum, ut mihi asseram possessionem haereditatis; Quaeritur: *Quid veniat in hoc interdictum?* 2
Resp. 1. omnia venire, quae pro haerede possides: 2. Quae nisi usucapta essent, pro haerede possideres, *l.* 1. *ff. h. tit.* - 3. Quae dolo malo desiisti possidere, *l.* 36. *princ. ff. de rei vindic. l. parem.* 150. *ff. de R. J. Auctor in l.* 1. *ff. h. t. num.* 2. Collige ex *hac lege* I. Contra eam, 3
qui nec pro haerede, nec pro possessore possidet, sed alio titulo, non dari hoc interdictum nec directum, nec utile, *Achill. Personal. de adipisc. poss. num.* 483. *Auctor in d. l.* 1. *num.* 4.
nisi titulus ille niteretur falsa causa, ut pluri- 4
bus probat *Cothm. vol.* 1. *cons.* 9. *num.* 63. Nam
petitio haereditatis, quae hoc edicto firmior 5
est, non datur, nisi contra eum, qui pro haerede vel pro possessore possidet, *l.* 7. *C. de petit. haered.* Ergo nec haec dabitur, *Maranta p.* 4. *princ. diff.* 7. *num.* 4. *Menoch. rem.* 1. *adip. poss. num.* 60. et sic a petitione haereditatis ad hoc interdictum solemnis est argumentatio, *Cothman. d. cons.* 9. *num.* 62. II. Quia tituli pro possessore fit mentio, et titulus hic ut plurimum rebus singularibus cohaeret, ideo
colligo: Hoc interdictum dari ratione etiam sin- 6
gularium rerum, quando eae, non ex alio titulo, sed pro possessore possidentur, *Wesenbec. in π. h. t. num.* 2. *P. Frid. Mind. de interdictis p.* 2. *tit.* 16. *num.* 37. *Menoch. d. remed.* 1. *num.* 80. *seqq. Achill. Person. d. tr. n.*

480. *Bacch. ad Tr. vol.* 2. *d.* 25. *lit. I. pag.* 653.
7 An etiam legatario competat hoc interdictum, prolixe deducit *Auctor in l.* 1. *ff. h. t. num.* 8.
8 An detur contra debitores haereditarios, *Idem ad l.* 2. *ff. h. t.* Licet autem *haec lex* de casu intestati defuncti loquatur, non tamen inde debet inferri, quod non detur hoc interdictum haeredi in testamento scripto vel nuncupato, cum *in LL. Cod.* a contrario sensu non argumentemur, *Achilles Personalis d. l. num.* 468.
9 Quamvis autem petitio haereditatis magnam similitudinem cum hoc interdicto habeat, et illa detur etiam ad res incorporales, secus tamen hic dicendum videtur per *l.* 2. *ff. h. t. Bacch.*
10 *d. l. p.* 654. nec videtur obstare *l.* 8. §. 5. *ff. si servit. vid.* nam illa de interdicto retinendae,
11 agit: utile tamen interdictum pro rebus incorporalibus admittunt practici, *Menoch. d. l. num.* 83. *Mind. num.* 24. praesertim si incorporalia corporalibus cohaerent, *Personalis d. l. n.* 470.
12 Neque hic tam plena probatio requiritur, ut in petit. haeredit. sed semiplena et summaria *Wesenb. in π. num.* 6. *P. Frid. Mind. d. t.* 16.
13 *num.* 68. licet dissentire videatur *Menoch. d.*
14 *l. num.* 69. *et seqq.* Est et aliud commodum hujus interdicti, quod ab eo non appelletur, juxta veriorem sententiam, *Cacheranus dec.* 25. *num.* 9. *Mind. d. l. num.* 75. *Menoch. num.* 115. *Person. num.* 493. *Scacc. de appell. q.* 17. *limit.* 6. *m.* 4. *num.* 1. nisi ratione effectus devolutivi. Vide *notata supra ad l. un. si de momentanea etc.*

L. Constat. ult.

SUMMARIA

Facti species. num. 1.
An huic interdicto exceptio dominii possit opponi? 2.
Casus legis. 3.
Reus, si velit probare, se rem apud defunctum deposuisse, in continenti probans audiendus est. 4.
In remedio adipiscendae possessionis communiter exceptionem dominii in continenti probandam admittunt. 5.
An etiam in retinendae possessionis remediis probatio dominii in continenti facienda admittatur? 6.
Omnibus interdictis possessoriis exceptio dominii opponi potest. 7.

Uxor mortua est, relictis consanguineis, hi 1
illius haereditatem, seu bonorum possessionem coram Praetore agnoscunt, et petunt per interdictum hoc possessionem realem a marito eam detinente. Sed maritus opponit, ad se quasdam res jure dominii pertinere? Resp. Imper. omnibus frustrationibus amputatis corpora haereditaria consanguineis esse restituenda, et dominii quaestionem in petitorium esse differendam. Ex quo colligunt nonnulli, huic 2
interdicto exceptionem dominii opponi non posse, ut *Wesenb. in ff. h. t. num.* 6. Sed alii in- 3
telligunt rectius *nostram legem* de eo casu, quando exceptio dominii altiorem indaginem requirit: idque ex verbo, *frustrationibus*, videtur colligi posse. Vide *Mindan. de interdict. d. tit.* 16. *num.* 72. *Bacchov. in Treutl. disp.* 25. *vol.* 2. *th.* 1. *lit. G. in fine, Menoch. num.* 101. *Afflictus dec.* 14. *num.* 4. *Knich. c.* 6. *encyclop. num.* 216. Et ita audiendus hic reus, si proba- 4
re velit, se rem apud defunctum deposuisse, idque in continenti probare valeat, *Dn. Hahn. ad* ϖ. *Wesenb. h. t. num.* 6. Et ideo in remedio 5
adipiscendae possessionis communiter admittunt exceptionem dominii in continenti probandam, *Cephal. l.* 9. *cons.* 4. *num.* 36. ubi plures citat, *Menoch rem.* 1. *adipisc. poss. num.* 102. *et rem.* 2. *num.* 110. De remediis retinendae possessio- 6
nis multi negant, admitti probationem dominii in continenti faciendam ex hac ratione, quod invitentur homines ad turbationes etc. Vid. *Menoch. remed.* 3. *retin. poss. num.* 673. *Fachin. l.* 8. *cap.* 17. *Posthius obs.* 42. *num.* 13. *et seq.* Sed cum illa ratio etiam in adipisc. poss. remedio militet, et per hanc sententiam lites multiplicentur, sequendam esse puto sententiam generalem, quod omnibus interdictis possesso- 7
riis opponi possit exceptio dominii, uam ita lites praeciduntur, et frustra in duo judicia dividuntur, quae in uno expediri poterant: et malitia esse rei, si exceptioni dominii in continenti v. g. per instrumentum faciendae se opponeret. Nec ita invitantur ad peccandum homines, quia invasiones et violentae turbationes aliis modis puniri possint, et ex *l. extat. ff. quod metus causa*, occupantes rem suam puniantur.

TITULUS III.

Quorum legatorum.

L. Haeredi scripto. un.

SUMMARIA

Casus legis. num. 1.
An haeres haeredis, haereditate legatis exhausta, si legatarii bona ipsius occupent ad adipiscendam suam quartam res illas vindicare, vel quo remedio uti possit? 2.
Quaenam sit causa, cur hoc interdictum datum fuerit. 3.
Creditorum potior est ratio, quam legatariorum de lucro certantium. 4.
Quid si haeredis non intersit legata restitui, an detur interdictum? 5.
Qui aliquid, quod restituere statim debet, petit, per exceptionem doli repellitur. 6.
Hoc interdictum datur haeredis haeredi. 7.
Contra fideicommissarium quoque competit. 8.
An etiam contra universalem fideicom. 9.
Tacita objectio resolvitur. 10.
Haeres legatario satisdationem de solvendo le-

gato praestare debet detracta quarta vel
onere alieno. 11.

1 Testator haeredem instituerat patrem meum,
et totam haereditatem fere legatis exhauserat,
adeoque ad patrem meum in singulis rebus
quarta pertinebat, *l.* 26. *ff. ad l. Falcid.* et
consequenter ad me, ceu haeredem haeredis,
l. 1. §. 3. *ff. h. t.* Legatarii autem non expe-
ctant, donec pater meus vel ego, quarta re-
tenta, ipsis legata solveremus, sed res legatas
propria auctoritate occupant. Ergo quartam
detrahere ob legatariorum importunitatem non
2 possum; Quaero igitur; *An ut consequar quar-
tam, res illas vindicare, vel quo remedio uti
possim?* Resp. non esse necesse, ut ego ceu
haeredis haeres vindicationem instituam, et ita
probationem dominii in me recipiam: Sed mihi
per retentionem esse consultum, et licet res
non possideam, dari mihi tamen hoc interdictum
per quod possessionem consequi, et postea
quartam detrahere possum. Nam hoc interdi-
ctum haeredi datur, vel bonorum possessori
contra legatarios, qui propria auctoritate lega-
ta occupant. Nam licet legatarius dominus sit
rei legatae, *l.* 80. *ff. de legat.* 2. non tamen debet
propria auctoritate arripere et sibi jus dicere,
Carpz. p. 3. *c.* 13. *d.* 30. *Wesenbec. in ff. h.*
3 *t. num.* 3. Colligitur ex *hac lege* I. Quaenam
sit causa, cur hoc interdictum datum fuerit,
scilicet detractio *Falcidiae* et *Trebellianicae*,
Carpz. d. d. 30. *num.* 6. *Menoch. rem.* 2. *adip.*
num. 6. *Auctor in l.* 1. *ff. h. t. num.* 2. Sed
haec unica non est, sed datur etiam alia, ob
4 aes alienum legata minuens, cum creditorum
potior sit ratio, quam legatariorum de lucro
certantium, *Nov.* 1. *c.* 3. *in fine*, *Auctor in d.*
l. 1. *Wesenb. in π. ff. h. t. n.* 4. *et ibi Hahnius*
Dn. Carpz. d. l. num. 7. *et* 8. quod limitat
Mindanus d. t. 17. *num.* 16. *et seq.* nisi ob non
confectum inventarium haeres in solidum te-
neatur. Quibus addunt *DD.* et illum casum,
quando legatum est genus, vel duo alternati-
ve, ubi electio competit haeredi, nam eo casu
haeredis interest, ut legatarius rem legatam e
sua, haeredis scilicet, manu accipiat, post *Salyc.*
hic Carpzov. d. l. num. 9. *et seq. Mind. d. t.*
17. *num.* 15. *Schneid. ad* §. *sequens Inst. de in-
terdict. num.* 19. *Olden. decl.* 2. *act.* 2. *num.* 2.
Auctor in d. l. 1. *ff. h. t. num.* 2. Si haeredis 5
autem non interesset legata restitui, forte quia
ultra dodrantem non sunt relicta legata, vel
aes alienum non absorbet legata, nec haeres
ob electionem interesse aliquod allegare pos-
sit, aequius est ipsi non dari interdictum, nec
judicia vanis litibus fatigari, et tunc vulgari
regula et exceptione, quod dolo petat is, qui 6
debet illud statim restituere, repelli potest,
Bacchov. d. d. 25. *th.* 2. *lit. A. Zasius ad l.* 1.
§. 3. *h. t. Surdus cons.* 265. *num.* 12. quamvis
enim vulgo regulam eam in possessore locum
non habere tradant, tamen puto repellendum
esse actorem, si ille fateri cogatur rem resti-
tuendam esse a se. Ideoque si constaret Judici
ex actis vel ex confessione actoris, quod domi-
nium spectet ad rem, male faceret, si in pos-
sessionem restitui jubeat, et peccandi ac de-
tinendi aliena causam praebeat. Et est haec
generalis exceptio, per quam omnes actores
ab agendo repelluntur, *Tua non interest.* II. Col-
ligitur: Haeredis haeredi et sic consequenter 7
dari hoc interdictum, *Menoch. d. l. num.* 15.
Auctor in l. 1. *ff. h. t. num.* 4. III. Contra fi- 8
deicommissarium quoque competere hoc inter-
dictum, quod ad singularem fideicommissarium
quidam restrinxerunt, sed cum etiam univer- 9
salis fideicommissarius ex manu haeredis habe-
re debeat, ad hunc etiam extendunt hoc in-
terdictum *DD.* Vid. *Menoch. d. rem.* 2. *num.* 23.
et seqq. Mind. d. c. 17. *num.* 35. *Surdus cons.* 265.
num. 27. Sed videri posset, legatarium plane 10
amisisse dominium, per *l.* 5. *C. de leg.* Sed Resp.
illam de tempore aditae haereditatis intelligen-
dam, *Schneid. ad d.* §. *sequens num.* 6. *Sur-
dus d. cons. num.* 16. *Castillo de usufructu*
cap. 6. *num.* 21. *Mind. d. t. num.* 19. *et seq.*
Bacch. d. th. 2. *lit. B.* quamvis dici possit, *le-
gem illam* 5. de eo, qui rem non ut sibi le-
gatam apprehendit, sed de eo, qui animo fu-
randi rem, ut non suam surripit, intelligen-
dam esse, ut *hic Donell.* IV. Demum colligi- 11
tur: Haeredem legatario praestare debere sa-
tisdationem de solvendo legato, *Auctor in l.*
2. *ff. h. t.* detracta quarta vel onere alieno; de
quo *Menoch. d. l. num.* 91. *et seqq.* Plura hoc
de interdicto videantur apud *Menochium*, *d.*
rem 2. *adipisc. poss. per tot.* et quae notavi
ad *hunc titulum in Pandectis.*

TITULUS IV.

Unde vi.

L. Recte possidenti. 1.

SUMMARIA

Vis quotuplex? num. 1.
Quale remedium contra vim quae infertur, in jure propositum? 2.
Quaenam requirantur, ut quis vim repellere possit? 3.
An violentus possessor de facto dejici queat? 4.
Quatenus defensio rerum sit licita? 5.

Vis est vel inferenda, seu quae timetur, vel 1
quae jam infertur, vel quae illata est. Contra
vim, quae infertur, non tantum personae, sed 2
et rebus nostris hoc remedium in jure propo-
situm est, ut vim a se, vel rebus suis in con-
tinenti repellere quis possit, *l.* 1. §. 27. *ff. h. t.*
scilicet si propulsando et se tuendo quis hoc
faciat, non ulciscendo, *l.* 45. *et* 44. *ff. ad l.
Aquil.* et hoc licet impune. Sed duo hic haben- 3
tur requisita: I. Ut recte possideat et sine vi-
tio: ideo qui vi possidet, vel clam, vel ei, a
quo precario rem habet, eam non restituit,

ille vim vi repellere nequit. II. Ut hoc faciat cum moderamine inculpatae tutelae, id est, si aliter se et sua bona tueri non possit, *d. l.* 45. §. 4. id quod ex loco, tempore, personis etc. est judicandum; Qua de re alibi agitur fusius; Videri potest *Ayrerus de homic. Farin. quaest.* 125. *Carpzov. in pr. crim. q.* 29. *Ber-*
4 *lich. p.* 4. *concl.* 12. Imo violentum possessorem de facto dejici posse, si in continenti id fiat, per *l.* 3. §. 9. *ff. de vi et vi arm.* quia non videmur rei possessionem amisisse, quam in continenti recuperamus, volunt *Wesenbec. cons.* 60. *num.* 19. *et cons.* 2. *num.* 63. *Gail. lib.* 1. *de PP. c.* 16. *Menoch. remed.* 9. *recup. poss. num.* 17. *P. Frid. lib.* 2. *de processu c.* 27. *num.* 28. *Meichsn. lib.* 1. *d.* 33. *num.* 8. *et t.* 3. *dec.* 9. *num.* 142. *et dec.* 13. *num.* 253. *Rosenthal. de feudis c.* 10. *concl.* 41. *n.* 55. *Obrecht. de necess. defens. c.* 3. *num.* 17. Ratio haec est defensio possessionis civilis, *Molina de J. et J.*
5 *d.* 16. *num.* 14. Sed hactenus defensio rerum licita est, si modo ad caedem hominis non perveniat turbatus, nam inter hominis vitam et res nulla est proportio, nam hae res semper, illa numquam in hac vita reparari possunt, *Obrecht. d. tract. c.* 8. *num.* 8. *et multis seqq.* Conf. *Covar. in clement. si furiosus p.* 2. §. *un. num.* 6. nisi periculum vitae simul immineat, quo casu pro defensione suarum rerum homicidium impune committi statuit *Auctor in l.* 1. *ff. h. t. num.* 20.

L. Ut pulsos. 2.

SUMMARIA

Intra quodnam tempus, et de quibus rebus hoc interdictum unde vi *detur? num.* 1.
Jur. Can. et moribus quale tempus observetur? 2.
Contra quem detur hoc interdictum? 3.
Poenalia judicia contra haeredem non dantur. 4.
Turpe lucrum haeredi etiam est extorquendum. 5.
In interdictis Praetoriis semper annus utilis est intelligendus. 6.
Utile tempus quodnam hoc loco sit? 7.
Contra haeredem datur hoc interdictum, in quantum pervenit, vel etiam, si nihil pervenit, si lis cum defuncto contestata. 8.
Non datur contra possessorem singularem. 9.
Secus Jure Canon. 10.

1 Hoc interdictum *unde vi*, datur intra annum utilem (scilicet qui 365. diebus utilibus, et quidem, quibus copia Judicis est, constat) de iis scilicet rebus, quae ad invasorem non pervenerunt, sed de iis rebus, quae ad invasorem pervenerunt, actio est perpetua, *l.* 1. *pr. ff. eod.* Sed
2 *Wesenb. in ff. h. t. num.* 10. annuum id spatium neque Canonico Jure, nec usu observari testa-
3 tur. Deinde innuit *haec l.* quod interdictum hoc detur, non tantum contra ipsum, qui vi dejecit, sed et contra haeredem, in id tamen tantummodo, quod ad eum pervenit, aut dolo malo factum est, ne ad ipsum perveniret, *l.* 1. §. *ult. et seqq. l.* 2. *l.* 9. *pr. ff. h. tit. ibique*
4 *Auct. num.* 31. *et d. l.* 9. *num.* 1. Alias enim (ut et alia poenalia judicia) contra haeredem non daretur, §. 1. *Inst. de perpet. et temp. action.* ratio autem, cur contra haeredem ob lucrum ejus detur, est in *l.* 5. *ff. de calumniator.* quod turpe lucrum etiam haeredi extor- 5
quendum. Collige ex *hac lege:* annum utilem competere in hoc interdicto. Nam in interdi- 6
ctis Praetoriis semper annus utilis intelligendus, *Ludov. Gomez in* §. *rursus num.* 33. *Instit. de act. Bald. tract. de tempore utili et continuo c.* 8. *num.* 22. Utile autem illud est tem- 7
pus, cum nullum subest agendi impedimentum, nec ex parte actoris, nec ex parte rei, nec ex parte Judicis, *Menoch. rem.* 1. *recup. poss. num.* 449. *et seqq.* Deinde Collige ex *hac* 8
l. contra haeredem dari hoc interdictum, in quantum pervenit, vel etiam, si nihil pervenit, si lis cum defuncto contestata, *Panorm. in c. cum dilectus* 6. *X. de causa possess. num.* 57. *Menoch. d. rem.* 1. *num.* 160. *Carpz. p.* 1. *c.* 6. *d.* 9. *num.* 2. *Auct. in l.* 1. *ff. h. t. num.* 1. 34. *et l.* 9. *num.* 1. Non vero datur contra 9
singularem possessorem, *l.* 7. *et* 15. *ff. de vi et vi arm.* sed Jure Canon. secus per *c. saepe X. de* 10
restit. spoliat. per can. redintegranda caus. 3. *quaest.* 1. *Wesenb. in* ϖ. *h. t. num.* 12. *Menoch. d. rem.* 1. *num.* 151. *et rem. recup.* 15. *num.* 67. *et seqq.* Conf. *Bacch. in Tr. d. l. th.* 5. *lit. E.*

L. Auctoritatem. 3.

SUMMARIUM

Sensus legis.

Concessio, quae alicui possessionem violentam confirmat, nemini dari debet, et talis concessio et confirmatio possessionis injustae non purgat vitium violentiae, ratio in *l.* 3. *supra de precib. Imp. off.*

L. Si de possessione. 4.

SUMMARIA

Vi dejectus ab alio possessione rei immobilis contra illum criminaliter de vi publ. si cum armis, vel de vi privata, si sine armis vis illata est, vel etiam civiliter ex hoc interdicto agere potest. num. 1.
Ad quid? 2.
Quinam fructus sint restituendi? 3.

Qui vi ab alio dejectus est possessione rei im- 1
mobilis (nam ad hanc hoc edictum tantum pertinet, *l.* 1. §. 3. *ff. h. t. ibique Auct. num.* 3.), contra illum potest criminaliter agere dejectus de vi publ. si cum armis, vel de vi privata, si sine armis vis illata est, vel etiam civiliter agere potest ex hoc interdicto, et quidem non tantum ad rem detentam restituen- 2
dam, sed etiam omnem causam, id est quaecumque habiturus vel adsecuturus erat is, qui dejectus est, si vi dejectus non esset, *l.* 1. §. 41. *ff. h. t.* et quaecumque ibi habuit dejectus, *d. l.* 1. *pr. et* §. 33. *ff. h. t.* etsi haec postea perierint, *d. l.* 1. §. 31. cum invasor semper in mora sit, *l. ult. C. de condict. ob turpem causam* sed et fructus restituendi sunt per- 3
cepti omnes, licet inhoneste percepti, *l. an-*

cillarum 27. *in fin. ff. de petit. haered.* sed percipiendi tantum ii, quos dejectus, *l.* 62. §. *fin. ff. de rei vindic.* honeste tantum percipere potuit, *l.* 33. *ff. de rei vindic.* Conf. *Menoch. rem.* 1. *recup. poss. num.* 414. *et rem.* 15. *recup. poss. num.* 513. *et multis seqq.*

L. Invasor. 5.

SUMMARIUM

An invasor alicujus fundi teneatur ad poenam?

Quaeritur in *hac lege: An invasor alicujus fundi teneatur ad poenam?* Disting. utrum dolo invaserit, an non. Si enim dolo invasit, tenetur ad poenam etiam et ad fructus percipiendos: Si vero per errorem vel incuriam domini, dum dominus per multos annos fundum reliquit incultum, *Menoch. rem.* 7. *recup. poss. num.* 12. fundum pro suo habens quis eum invaserit, non tenetur ad poenam, scilicet si justam et probabilem habuit erroris causam, ut si in alterius locum successit, *Menoch. d. l. num.* 14. Nam si nullam haberet causam erroris, haberet locum *l. ult. h. t.* Vide *Menoch. remed.* 7. *recup. possess. num.* 14. per totum.

L. Meminerint. 6.

SUMMARIA

Qui rem sibi debitam sine vi, propria tamen auctoritate, citra ejus consensum, cui res est, occupat, jus crediti amittit. num. 1.

Ampliatur. 2.

Nemo sibi rem debitam alienam occupare sed dominum, vel procuratorem ejus convenire debet. 3.

Tutore fundum alienum in minoris gratiam invadente et colludente cum adversario, ut minorem hoc pacto credito suo mulctet, an minor amittat jus crediti? 4.

Poena ejusmodi tutoris. 5.

Is, qui a Judice spoliatus, vel sine causae cognitione de possessione dejectus, ante omnia restituendus est, non secus ac si a privato spoliatus esset. 6.

Quid si quis a Judice licentiam intrandi propria auctoritate impetraverit? 7.

Is, qui alterius praedium occupat, rei dominio privatur. 8.

Nec habet excusationem, si per rescriptum Principis fecerit. 9.

Tutoris delictum in committendo pupillo praejudicare non potest. 10.

1 Qui rem sibi debitam, v. g. ex testamento,
sine vi, propria tamen auctoritate citra consensum ejus, cujus ea res est, occupavit, jus
2 crediti amittit, licet in ea causa rescripto Principis, quo forte continetur, rem eam illum recipere debere, utatur, aut alicujus Judicis sententia, *hic et l. extat* 13. *ff. quod metus causa*, *ibique Auct. num.* 1. Ratio quod rescriptum Principis hic additur; quia non debet injuriarum occasio inde nasci, unde jura nascuntur, id est, genus injuriae sibi in re sua jus dicere, non debet a Principe ut juris fonte proficisci. Ratio in *l.* 3. *h. t.* Ideoque nemo 3
sibi debitam rem alienam occupare, sed dominum vel procuratorem ejus convenire debet.
Sed finge: tutor vel curator minorum, fundum 4
alienum, sed in minoris gratiam, cujus curatelam gerit, invasit, colludens scil. cum adversario, ut minorem hoc pacto credito suo mulctet; Quaeritur: *An poena hujus delicti singularis?* Resp. tutorem vel curatorem non posse hoc casu amittere jus crediti, quod non habet, nec minorem id amittere, quia sine culpa ejus invasio illa facta, et si minori res adempta esset, illico tamen foret restituenda. Sed tutor et 5
curator propter improbam collusionem et perfidiam deportandi, et eorum bona publicanda; sed haec poena eorum tutorum est, qui per collusionem in necem minorum vel pupillorum rem alienam invadunt. Colligitur ex *hac lege:*
Eum, qui a Judice spoliatus, vel sine causae 6
cognitione dejectus de possessione, ante omnia restituendum esse, non secus ac si a privato spoliatus esset, quia non debet inde injuriarum occasio nasci, unde jus oritur, vel a quo jus redditur, *Boer. dec.* 238. *num.* 4. *Gail. l.* 2. *obs.* 76. *num.* 2. Vid. *Menoch. remed.* 8.
recup. possess. per totum. Et licet Judex mihi 7
qui victoriam obtinui licentiam intrandi propria auctoritate tribuerit, quod ipsi licet, per tradita *Tiraquelli de const. poss. parte* 3. *limit.* 47. *num.* 13. *et seq.* tamen abstinendum est a vi, si resistentem videam possessorem, alias incido in poenam *hujus legis*, *Achilles Personalis de*
adipisc. poss. num. 284. Deinde nota: Eum, qui 8
alterius praedium occupat, privari dominio rei per verba textus, ibi: *omni negotio, de quo jurgare coeperant, privabuntur, hic et l.* 7. *h. t. et l. extat* 13. *ff. quod metus causa*, de quo *Menoch. rem.* 5. *recup. poss. per totum, Donell. lib.* 15. *c.* 30. et quos allegat *Hillig. ibi lit. B.*
Nec excusatur, si habeat pro se rescriptum 9
Principis, vel sententiam Judicis, *ratio in te-*
xtu. Notetur etiam: tutoris delictum in com- 10
mittendo non posse praejudicare pupillo, quo referri possunt notata supra *ad l. jubemus* 10. *C. de SS. Eccles.*

L. Si quis in tantam. 7.

SUMMARIA

De quanam vi haec lex *loquatur? num.* 1.

Qui pro se habet sententiam, eamque citra auctoritatem judicialem exequitur, propria auctoritate invadit. 2.

Quomodo is, qui propria auctoritate expellendo alium invadit, sit puniendus? 3.

An poena haec etiam quadret in foeminas? 4.

An in minores? 5. 7.

Minoribus alienatio voluntaria prohibita est, non necessaria. 6.

An in creditores pignus a debitore violenter eripientes? 8.

An in haeredem res jacentis haereditatis occupantem? 9.

Rigor hujus legis *a toto orbe christiano an sit abolitus?* 10.
An poenam incurrat, qui in jure errat, et sibi licere putat? 11.
In Foro Saxon. lex haec *non observatur.* 12.

1 Loquitur *haec lex* de vi non turbativa, nec compulsiva, qua v. g. cogis me, ut rem tibi restituam, sed de ea vi, qua sive rem immobilem, sive mobilem violenter quis invadit, et vetere possessore ejecto rem possidet, *Auct. in l. 1. ff. h. t. num.* 2. licet justus possessor putet se repulsum iri, *Salyc. hic num.* 14. *Menoch. rem.* 9. *q.* 14. Non ergo de eo loquitur, qui ignorante domino rem occupat, nec loquitur de omni eo, qui invadit, sed qui invadit possessionem, i. e. qui ipse non possidens rem, quae ab alio possidetur, occupat: vel occupat quidem rem vacantem, sed dominum revertentem repellit, *Menoch. d. rem.* 9. *q.* 13. Et
2 quidem de eo, qui citra auctoritatem et mandatum Judicis rem propria auctoritate invadit expellendo alium, quod et is facit, qui pro se sententiam habet, sed eam citra auctoritatem judicialem exequitur, aut si habeat licentiam a Judice, sed possessori resistenti vim faciat, ut dictum, quia hoc Judex nec voluit nec de-
3 bet concedere, hic, inquam, invasor ita punitur, ut non tantum rem violenter occupatam restituere cogatur, sed et, si dominus sit, dominium amittat, si non fuit dominus rei istius, aestimationem, Judice prius taxante, a parte jurato factam, *Donell. lib.* 15. *c.* 31. *lit. O. et ibi Hillig.* per *l.* 9. *h. t.* praestare teneatur, et quidem non Fisco, sed ei, cui res adempta, *arg. l. ult. ff. de litigiosis.* Ex *hac lege* petit actor, ut res restituatur, et reus omni suo jure privetur, *Menoch. rem. 9. recup. poss. num.* 310. *Klock. vol.* 2. *cons.* 58. *num.* 59. Secundum quod petitum attinet petendum, ut scilicet dominium amittat, si habeat, aut si non habeat, aestimationem solvat, et hoc per sententiam Judicis decernendum, nec fit ipso jure. Et
4 poena haec etiam in foeminas quadrat, *arg. l.* 1. *ff. de V. S. et ibi Goedd. num.* 22. *Menoch. rem. recup. poss.* 9. *num.* 9. *Cuno de pactis c.* 10. *num.* 15. et quos refert; et non requiritur vis armata, sed invasio clam facta, *Mevius p.* 4. *dec.* 219. et ideo etiam pacis publicae edicto continentur, *Gail. de P. P. l.* 1. *c.* 1. *num.* 31.
5 *Myns. c.* 5. *obs.* 58. *n.* 7. et in minores, nam his
6 alienatio voluntaria prohibita est, non necessaria, *arg. l.* 1. *ff. de fund. dot. l. alienationes* 13.
7 *ff. famil. hercis.* nisi scilicet credat, se in re non illicita versari, per *l.* 1. *C. si adversus de-*
8 *lictum, Menoch. d. rem.* 9. *num.* 41. Et hoc interdictum ex *hac lege* etiam creditori tribuunt, cui pignus a debitore violenter ereptum, *Menoch. rem.* 9. *recup. poss. num.* 197. *et seqq.* et usufructuario, *Menoch. d. l. num.* 295. *Castillo de usufructu c.* 6. *num.* 32. contra haeredes tamen non datur ex *hac lege* interdictum, nisi quatenus pervenit, *Menoch. d. l. num.* 299.
9 *Pruckman. vol.* 2. *cons.* 6. *num.* 38. sed non habet locum in haerede occupante res haereditatis jacentis, *Covarr. lib.* 3. *resol. c.* 16. *n.* 7.
10 et rigorem *hujus legis* a toto christiano orbe abolitum esse tradit *Covarr. d. lib.* 3. *resol. c.* 16. *num.* 7. *et Sarmientus lib.* 2. *select. interp. c.* 13. *num.* 7. sed contra *Menoch. d. rem.* 9. *num.* 8. *et Guttierez lib.* 1. *pr. quaest. c.* 77. quos refert *Hillig. lib.* 15. *c.* 30. *lit. B. et Pruckmannus p.* 2. *cons.* 6. *num.* 37. et sane pro hac lege judicatum esse scio, *Molina de J. et J. tr.* 2. *d.* 16. *num.* 10. *etc.* et sic ubi legis poena non probatur per consuetudinem sublata, juxta hanc legem sententia ferenda est, *Mevius p.* 1. *dec.* 95. sed an poenam incurrit, qui pu- 11
tat id sibi licere, et sic in jure erret? Resp. si majorennis sit, negandum hoc esse, sed si erret in facto, scilicet si putet, se esse in possessione, et ita invadat rem ab alio possessam, tunc error excusat, *Barb. in l. si mora* 10. *num.* 18. *et seq. ff. sol. matrim.* sed in Foro 12
Saxonico non habet locum, *Carpz. p.* 3. *const.* 33. *d.* 8. plura hac de lege apud *Menoch. d. rem.* 9. *per totum, et vol.* 2. *disp. Bas.* 17. *Joan. Ant. Gabr. lib.* 5. *com. concl. de adquir. poss. concl.* 1. *Raudens. decis. Pisana* 13. *num.* 129. *et seqq. Petr. de Bellapertica in repet. hujus legis vol.* 8.

L. Momentariae. 8.

SUMMARIA

Facti species. num. 1.
Vi dejecto sine ulla exceptione possessio restitui debet. 2.
An hoc et ad vim privatam seu sine armis factam pertineat? 3.
Interdictum hoc nullam patitur exceptionem. 4.
Exemplo declaratur. 5.
Annon, quia ob crimen datur hoc interdictum, actor se ad similitudinem poenae subscribere teneatur? 6.
An momentaria possessio pertineat etiam ad retinendam et recuperandam possessionem? 7.

Vis facta Titio, et hic possessione dejectus; 1
jam vero certum est, dejecto debere restitui 2
possessionem sine ulla exceptione, licet dejectus ipse per vim possideat; Quaeritur: *An hoc* 3
et ad vim privatam, seu sine armis factam pertineat? Aff. nam momentariae possessionis hoc interdictum est, et licet in caeteris interdictis detur contra actorem exceptio: exemplum in *l.* 1. *et ult. ff. uti possidetis, l.* 1. *et* 16. *ff. quod legatorum,* ubi habetur exceptio, si satisdederis, sed hoc interdictum non patitur exce- 4
ptionem hanc: Si v. g. reus excipiat, tu ipse 5
possides vi aut clam, ideoque momento et in continenti est expediendum. Nec hoc interdictum ad vim publ. adstrictum, neque etiam ad vim privatam, sed ad utramque pertinet. Sufficit enim vim esse factam, sive publ. illa sit, sive privata; Sed *an non*, quia ob crimen 6
datur hoc interdictum, *actor se ad similitudinem poenae subscribere teneatur?* Resp. Non semper, sed tunc tantum, quando criminaliter agitur. Quando autem dejectus tantum civiliter agit ad recuperandam possessionem, non opus est inscriptione. Et hinc cum utroque capite legis Juliae concurrunt judicia civilia, *Ant. Matth. ad l.* 48. *tit.* 4. *cap.* 3. *num.* 3. quamvis non 7
negem, momentariam possessionem pertinere etiam ad retinendam et recuperandam possessionem, *Donell. et ibi Hillig. l.* 17. *c.* 4. *lit. P.* principaliter tamen intelligi puto recuperandae possessionis remedium per *hanc legem.*

L. Si quando. 9.

SUMMARIA

Facti species. num. 1.
An res meas mobiles per vim in aedes factam perditas deficiente alia probatione juramento aestimare possim? 2.
Ratio dubitandi. 3.
Decidendi. 4.
Sed cum actor in immensum jurare possit, quodnam contra hoc detur remedium? 5.
Idem si res debita ob moram debitoris periit. 6.
Dominus rei furtivae non amplius repertae ad juramentum admittitur. 7.
Idem in rebus depositis, sub, et sine sigillo restitutis. 8.
Quid juris, si contra tertium agatur, et quomodo probandum? 9.
Facultas haec jurandi ad haeredem etiam transit. 10.
Licet non contra haeredem spoliantis. 11.

1 Vis est in aedes meas facta, et mihi res mobiles perierunt, ego iis non extantibus non possum probare quaenam fuerint, et cujus
2 aestimationis, et Quaeritur, *An ego ad jura-*
3 *mentum admittendus sim?* Resp. Videtur quod non, cum nemo in sua causa Judex et testis fieri debeat, *l. un. C. ne quis in sua causa ju-*
4 *dex, l. nullus* 10. *ff. de testib.* Sed hic affirmatur, mihi seu actori de quantitate et aestimatione rerum earum juranti, fidem habendam esse; nam culpa et vitio adversarii factum ut necessitas imponatur *hac lege*, ut admittar ad juramentum, alias periculum est, ne impune vim passus sim, *l.* 18. *circ. fin. ff. de judic. et c. ult. X. de his quae vi metuve etc.* cujus duae rationes: 1. difficultas probandi ob res deperditas: et 2. odium ejus, qui vim intulit, modo vis probata sit aut notoria, *Myns. cent.* 4. *obs.* 12. *et cent.* 5. *obs.* 71. et quos refert
5 *Hillig. in Donell. lib.* 26. *c.* 6. *lit. C.* Sed quia fieri posset, ut actor in immensum juret, adjicitur hic, ut, priusquam Judex jusjurandum deferat, taxet jurisjurandi quantitatem, quam actori non licet jurando excedere, et hoc Judex postea sequi debet, *hic et l.* 4. §. 2. *ff. de*
6 *in litem jur.* idem si res debita ob moram debitoris periit, *l. ult. ff. de in lit. jurando.* Vid. *Plotus in tr. ad hanc l. Donell. lib.* 15. *c.* 31. *et ibi Hillig. lit. O. Myns. c.* 4. *obs.* 12. Et ad
7 juramentum admittitur dominus rei furtivae non amplius repertae, *Bossius in tit. de rapinis num.* 36. *et Carpz. in pr. crim. q.* 78. *num.* 59.
8 ubi plures refert. Idem in rebus depositis sub sigillo, et sine sigillo restitutis, *Panorm. in d. c. fin. num.* 7. atque id praecise verum, quan-
9 do contra spoliatorem agitur, sed quando contra tertium, v. g. dominum agitur, quod hodie rarum et fere absonum (proh dolor!) tunc non est locus juramento, sed testibus damnum probandum, *Gail. l.* 2. *obs.* 64. *num.* 7. *Myns.*
10 *c.* 5. *obs.* 71. et facultas haec jurandi ad haeredem etiam transit, *Lud. Rom. cons.* 291. *num.* 5. et hunc citans *Treutl. vol.* 2. *d.* 25. *th.* 5. *lit. B. Covarr. in c. quamvis* §. 5. *num.* 17. li-
11 cet non contra haeredem spoliantis, *Myns. d. obs.* 12. De hac lege vide *Hillig. d. lit. C. et Petr. de Bellapertica in repetit. vol.* 8.

L. Non ab re est. 10.

SUMMARIA

Alienam rem invito domino detinentes nec reposcenti domino restituentes quanam poena afficiantur? num. 1.
Quid si justam rationem habeant? 2.

De his, qui fundum, vel aliam rem alieno 1
nomine detinent (v. g. qui rem conduxerunt, et precario possident) si rem reposcenti domino non reddant, sed invito eo detineant, de his, inquam, Quaeritur: *Quaenam poena iis infligenda?* Non videntur hi vim facere, ideoque poenam *l. si quis in tantam* 7. *h. t.* non incurrunt, sed Resp. teneri eos ex *hac Constitutione l.* 7. qui precario rem ab aliquo possident, et reposcenti rem non restituunt sine justa causa, *l.* 12. *in fine ff. h. t. l.* 20. *in fin. ff. de acquir. poss.* modo in judicio conventi, in ea recusatione usque ad sententiam definitivam (qua ad restituendam rem condemnantur) perseverent, *Menoch. d. rem.* 11. *num.* 29. Hi enim una cum re etiam aestimationem restituere tenentur, et Judex qui de restituenda re cognoscit, eadem sententia conductorem, et ad rem restituendam et ad rei aestimationem praestandam condemnat, licet actor ab initio sub conditione hoc non petierit. Nam conditio haec pro conditione non est habenda, quia ex jure tacite inest, licet ea non exprimatur, *arg. l.* 6. §. 1. *ff. de tutel.* et contumaciam praescire non potuit. Notetur autem, *hanc legem* intelligi, quando nulla legibus cognita allegatio competit, aliud igitur si justam rationem habe- 2
ret conductor, ut quia expensas fecit, vel tempus conductionis nondum elapsum etc. Vid. *Menoch. rem.* 11. *recup. poss. num.* 7. *et seqq. et num.* 221. Vid. *not. ad l. si quis conductionis* 25. *C. locati.*

L. Cum quaerebatur. ult.

SUMMARIA

De quonam lex agat? num. 1.
Quid sit vacua possessio? 2.
Qui possessionem quamvis vacuam rei alienae occuparunt, non secus ac praedones teneantur, et quomodo? 3.
Sensus legis. 4.
Exemplo declaratur. 5.
A quonam hoc constitutum? 6.
Quaenam actio olim domino hoc casu data fuerit? 7.
Eadem poena, quae ex interdicto unde vi *contra praedonem datur, et hic contra rem vacantem occupantem conceditur.* 8.

De his agit, qui possessionem, quamvis va- 1
cuam (i. e. cui alter nec naturaliter, nec ci- 2
viliter, vel saltem non naturaliter, licet civiliter insistit, argumento ducto a majori ad minus. Vid. *Menoch. in remed.* 13. *recuper. poss. num.* 11.) rei alinae occuparunt, illi sc. non 3
secus ac praedones tenentur, non quidem poena *legis* 3. *h. t.* sed hic est sensus; sicut prae- 4

do interdicto *unde vi* tenetur rem restituere
domino vel possessori, ita et qui vacuam pos-
sessionem occuparunt, *Gl. hic et Salyc. num.*
3. *Menoch. remed.* 13. *num.* 3. *Covarr. lib.* 3. *res.*
5 c. 16. *num.* 7. E. g. Si possessor verus ad nun-
dinas sit profectus, nemine domi relicto, *l.* 6.
6 §. 1. *ff. de acq. poss.* et hoc *Justin.* no-
7 viter tantum constituit, quia antea non nisi
realis actio domino dabatur, quam tamen ha-
bere non poterat, qui non poterat probare
dominium; itaque saepe ista sine judiciali au-
ctoritate facta occupatio manebat inulta. Addi-
tur et alia ratio, *Quod omnes scire debeant,*
quod suum non est, hoc ad alios modis omni-
bus pertinere, et quemadmodum is, qui con- 8
venitur interdicto *unde vi*, simul omnia quae
ibi fuerunt restituere tenetur intra annum,
quae ad praedonem non pervenerunt, de iis
vero, quae ad ipsum pervenerunt, etiam post
annum; ita et idem est in hoc casu, quo ci-
tra auctoritatem Judicis, et citra violentiam
rem vacantem quis occupat, nisi scil. 30. an-
ni effluxerint, quod spatium omnes tollit actio-
nes, *Fachin. lib.* 1. *c.* 67. Conf. *Cephalus cons.*
316. *num.* 50. *et Menoch. remedio* 13. *recup.*
possess. ubi ex professo *hac de lege* agit.

TITULUS V.

Si per vim vel alio modo absentis perturbata sit possessio.

L. Judices absentium. 1.

SUMMARIA

Facti species. num. 1.
An hi, qui non suo, sed alterius nomine possident, contra vi dejicientem interdictum unde vi *intendere possint?* 2.
Quid si servi alterius nomine possideant? 3.
An pupilli? 4.
An hi satisdare teneantur? 5.
Quid si servi vel inquilini non repetant possessionem per hoc interdictum, et dominus post annum revertatur, an, cum absens fuerit, agere possit de non existentibus? 6.
Absentia absenti prodesse, non nocere debet. 7.
Amici pro absente ad recuperandam possessionem sine mandato agere possunt. 8.

1 Peregre profectus, reliqui domi eos, qui meo
nomine rem tenerent, v. g. amicos, propin-
quos, vel servos, colonos vel inquilinos. Hi me
absente a te dejiciuntur de possessione. Quae-
2 ritur: *An etiam hi, qui non suo, sed absentis*
mei nomine possident, contra te interdictum
unde vi *intendere possint?* Et videtur quod non
ipsi, sed ego ceu dominus habeam interdictum
hoc *unde vi*, per *l. fin. ff. de vi et vi arm.* sed
constituitur hic non tantum absentem, si re-
vertatur, sed et eos, qui absentis nomine pos-
3 sident, etsi servi sint, interdicto hoc uti posse,
etiam post tempora interdicto huic praestituta.
Nec potest illis opponi, quod personam legiti-
mam standi in judicio non habeant, aut quod
nullum mandatum habeant, nam et hic servi
4 admittuntur, imo pupilli per *l. ult. C. qui legit.*
personam etc. Vide *Menoch. remed. recup. poss.* 6.
5 *num.* 30. *et per totum.* Sed *an talis satisda-*
re debebit? Aff. *Menoch. d. l. num.* 30. post *Gl.*
et Br. hic num. 7. Licet enim servi civiliter non
obligentur, fidejussores tamen pro eo effica-
citer obligantur, *Hillig. in Donell. lib.* 18. *c.* 12.
6 *lit. P.* Sed quid si servi vel inquilini non re-
petant possessionem per hoc interdictum, et
dominus revertatur post annum; *Annon et*
tunc ego, qui absens fui, agere possum de non
existentibus? Resp. hic Affirm. Nam negligen-
tia inquilinorum et servorum mihi fraudi esse
non debet: quia absentia absenti prodesse, 7
non nocere debet, *Menoch. d. l. num.* 39. Sive
tamen dominus ut absens petierit restitutionem,
sive servi, quod superest ad disceptationem li-
tis (i. e. causa proprietatis) debet integrum
manere, et reservari dejicienti. In fine subjici-
tur ratio constitutionis hujus, quam utilitas
absentium (ex quacumque etiam causa absint,
Menoch. d. l. num. 12.) exposcit, ut per suos
homines domi relictos ocyus sine mora resti-
tuatur. Collige ex *hac lege:* Amicos pro absen- 8
te sine mandato agere posse ad recuperandam
possessionem, *Tiraquell. de poenis temper. cap.*
22. *num.* 72. ubi in praecedentibus et sequen-
tibus de amicitia multa habet.

L. Nec imperiale. 2.

SUMMARIA

Facti species. num. 1.
Negotiorum merita partium assertione panduntur. 2.
Sententia Judicis sine cognitione causae lata nulla est. 3.

Consulis Principem, vel adis Judicem, et nar- 1
ras, te a me dejectum, qui forte nunc a tuo
loco peregre absum, Princeps rescribit, te
restitui debere, vel Judex id pronunciat. Quae-
ritur: *An hoc rescriptum, vel haec sententia*
Judicis prosit tibi ad invadendam meam pos-
sessionem, qui absum? Videtur hoc fieri posse,
cum contra absentem saepe procedi possit. Sed
Neg. quia negotiorum merita partium assertio- 2
ne panduntur, i. e. quamvis sit judicium posses-
sorium, tamen merita partium sunt audienda,
et contra absentem non citatum, nec contu-
maciter absentem non potest quicquam novi
statui. Et si velit hoc rescriptum, quod causa
non cognita debeas restitui, esset ipso jure
nullum, *tit. supr. Si contra jus vel utilitatem*
publicam etc. et sententia Judicis sine cogni- 3
tione causae lata esset nulla, *l.* 5. *supr. com-*
minat. epistolas etc.

TITULUS VI.

Uti possidetis.

L. Uti possidetis. un.

SUMMARIA

1 Quando quis turbatur in possessione, tunc
tuendae et restituendae possessionis causa, datur
interdictum *uti possidetis* (ita possideatis) quo
Praetor vim fieri vetat, *l.* 1. *pr. ff. h. t.* et in id
quanti interest turbantem condemnat, *l.* 3. §. *ult.*
2 *ff. d. t.* datur autem possidenti rem immobilem,
vel rem incorporalem, *Auctor in l.* 1. *et*
2. *ff. h. t. num.* 1. Licet autem hoc neget *Donell.
hic num.* 14. et inter continuas et discontinuas
servitutes distinguat *Schneidew. ad* §.
4. *Inst. de interd.* verius tamen est incorporalia
ad immobilia hic referri, per *l. fin. ff.
juncta l.* 7. *pr. si servit. vindic. Men. remed.* 3.
retinend. poss. q. 13. *et seqq. Mindan. p.* 2. *t.*
7. *cap.* 1. *num.* 7. *et* 31. *Bacchovius in Treutl.
d.* 25. *th.* 4. *lit. B. Hartmann. Pistoris p.* 4.
3 *q.* 19. *Hillig. lib.* 15. *c.* 32. *lit. G.* Si modo non
vi nec clam, nec precario ab altero possideat,
id est, nec alterum vi dejecerit, nec ignorante
altero furtive ingressus sit possessionem, nec
precibus ab altero impetraverit possessionem,
Auctor in l. 1. *ff. h. t. num.* 6. quae tria vitia
possessionis vel unum horum adesse reus
4 probare debet, cum mala fides non praesumatur,
Menoch. d. remed. 3. *num.* 600. *Mascard.*
5 *conclus.* 1197. *num.* 53. nisi jus commune resistat,
ut in decimis et servitutibus, *arg. l.* 1.
§. 2. *ff. de itin. actuque priv. Menoch. d. remed.
q.* 74. *et rem.* 5. *ret. possess. num.* 26. *Tuschus*
6 *concl.* 284. *num.* 4. *lit. L.* Ab altero dicit lex,
nam non nocet, si a tertio possideat vi *l.* 1. §.
ult. ff. eod. ideoque reus ita excipere debet,
tu injuste possides respectu mei, *Tuschus conclus.*
785. *num.* 12. *lit. L.* Hinc dicitur, qui me
vi dejecit, eum impune non expello, sed impune
turbo, *Warmserus tit.* 46. *observ.* 2. *Hillig.
lib.* 15. *c.* 32 *lit. H.* nam spoliatori non datur 7
hoc interdictum, *Menoch. d. remed.* 3. *q.* 39.
Sed in plurali cur concipitur interdictum *uti* 8
possidetis, cum tamen ambo possidere nequeant
in solidum? *l.* 3. §. 1. *ff. de acq. poss.* Resp.
Duos in solidum possidere non posse sed fieri
solet plerumque, ut uterque praetendat se possidere,
atque sic duo opinione hominum possideant
divisa, et ideo hoc interdictum in plurali
conceptum. Sed quomodo in petitorio post- 9
modum procedendum et quis petitoris locum
obtinet, cum uterque possessor ita saepe declarari
videatur? Respond. Si hoc casu utriusque
jura plane obscura, et uterque actus possessorios
probavit, hoc remedium esse constitutum,
ut videlicet unus satisdet, ac transferatur in
eum possessio, ut is sit possessor, alter petitor.
Ea autem est satisdatio judicatum solvi,
quam possessores ex edicti perpetui forma praestabant
et cavebant, se, si victi in petitorio
fuerint, rem cum fructibus et omni causa restituturos,
pr. Inst. de sadisdat. cui si alter contradicat,
ipse eo modo satisdare debet, *arg. l.*
5. §. 1. *ff. ut legat. servandorum causa cav.* Et
non est improbabile, *in hac lege* hanc esse 10
sententiam verborum *satisdationis vel transferendae
etc.* Vid. *Donell. et ibi Hilliger lib.* 15.
c. 32. *lib.* 5. *et Menoch. remed.* 3. *retin. poss.
quaest.* 95. tamen ab eo praestandam esse vult
satisdationem, qui in possessorio obtinuit. *Mindan.*
vero *d. l. c.* 2. *num.* 1. videtur intelligere
de ea satisdatione, quae a victo praestari solet
de non amplius turbando, sed prima expositio
textui convenientior propter verba sequentia,
vel transferendae possessionis. Quatuor autem 11
in hoc interdicto petuntur: I. Cessatio turbationis
per verba textus, *Vim fieri veto.* II. Restitutio
damni et interesse. III. Restitutio per
turbationem ablati. IV. Satisdatio, *Mindan. d.
c.* 2. *num.* 1. Sed ultimum ex *hac lege* non
probatur, *Menoch. d. l. num.* 812. quamvis ultimum
in quasi possessione jurium locum habere
possit, *Bacchov. d. d.* 25. *th.* 3. *lit. H.*
Conf. *Hilliger. d. c.* 32. *lit. P. Auctor in l.* 1.
ff. h. t. num. 3. *et* 4. Sed Quaeritur: An hae- 12
redibus ratione turbationis defuncto factae hoc
interdicto uti liceat? *DD.* communiter negant,
quia hoc interdictum retinendae possessionis requirit
actualem possessionem, *Menoch. rem.* 3.
retin. poss. num. 57. et quos hic refert. Sed
procul dubio nimia hic est subtilitas, et melius
contrarium dicitur, nam defunctus habuit jus
damnorum per turbationes illatorum restitutionem
petendi, quod jus in haeredem transfert,
et quatenus hoc interdictum rei persecutorium
est, tendit ad haeredem, cui aliquid
adest, scilicet quatenus defunctus turbatus damnum
rei familiaris passus est. Et qua quaeso
actione cautionem de amplius non turbando,
quae in rebus incorporalibus utilissima est, petere
possum?

TITULUS VII.

De tabulis exhibendis.

L. Si in potestate. un.

SUMMARIA

Casus legis. num. 1.
Differentia inter actionem ad exhibendum, *et hoc interdictum exhibitorium.* 2.
Quibusnam hoc interdictum detur? 3.
Unde probari possit, alicui aliquid in testamento esse adscriptum, testamenti tabulis nondum exhibitis. 4.
Adversus quem detur et ad quid? 5.
Quomodo interesse hoc aestimetur? 6.
Forma in hoc interdicto articulandi remissive. 7.

1 Paterfamilias decessit filiis suis impuberibus institutis, illis substituto germano; substitutus hic vult conditione substitutionis impleta, id est, mortuis liberis, vindicare haereditatem, et petere, ut sibi testamentum exhibeatur, id potest peti hoc interdicto exhibitorio. Nam quam-
2 vis etiam detur actio *ad exhibendum*, hoc tamen inter *ad exhibendum*, et *hoc interdictum* interest, quod illa rem nostram, hoc rem, quae publici juris est, i. e. testamentum exhibere petamus, *l.* 3. §. 5. *ff. h. t.* Et ideo specialius, simplicius et utilius est hoc interdictum, *Gail. de arrestis Imper. c.* 5. *num.* 15. *Auctor in l.* 1. *ff. h. t. num.* 3. Et datur hoc interdictum omnibus, quibus in testamento aliquid 3
adscriptum est, *d. l.* 3. §. 10. *d. t.* Sed *Unde* 4
probari id poterit testamenti tabulis nondum exhibitis? Resp. testibus id probari posse, qui testamentum legerint vel audiverint, *Donell. hic num.* 9. Sed sufficit, si consanguinitatis vel intima amicitia spem faciat, aliquid relictum esse, quo casu juranti actori de calumnia edendum testamentum, *Mindan. lib.* 2. *de process. cap.* 15. *num.* 1. Et quidem adversus eum, qui 5
negat se tabulas testamenti habere, vel qui fatetur se habere, sed negat se teneri edere, quia poenale est, nam nisi exhibeat, vel tantum Judici ac personis honestis ostendat, *arg. l.* 2. *C. quemadmodum testam. aperiantur, Mindan. d. l. num.* 4. *Auctor in l.* 1. *ff. h. t. n.* 5. condemnabitur quanti actoris interest, *d. l.* 3. §. 11. Quod interesse aestimatur per jusjuran- 6
dum in litem, si dolo non exhibeat, vel juxta rei veritatem, si dolus absit, *arg. l.* 68. *ff. de R. V.* Formam articulandi in hoc interdicto exhi- 7
bet *Gilkaus. c.* 3. *num.* 133.

TITULUS VIII.

De liberis exhibendis seu deducendis, et de libero homine exhibendo.

L. Si ut proponis. 1. et L. Adi. 2.

SUMMARIA

Duplex interdictum. num. 1.
Interdictum de libero homine exhibendo *cui, et contra quos competat?* 2.
Interdictum de liberis *est duplex.* 3.
De exhibendis liberis quando agatur? 4.
Quando de deducendis? 5.
An pater contra ipsum filium, qui se pro patrefamilias gerit, ex hoc interdicto agere possit? 6.
Inter patrem et filium lis esse nequit. 7.
Superior sententia limitatur. 8.
Quid si filius sua sponte ad alterius religionis collegium transierit, an locum habeat hoc edictum? 9.

1 Duplex est interdictum: *primum* est *de libero*
2 *homine exhibendo*, et hoc competit omnibus hominibus, *l.* 3. §. 9. *ff. de lib. hom. exhibend. ibique Auctor num.* 4. contra eum, qui dolo malo liberum hominem detinet, *l.* 1. *d. t. Struv. synt. jur. civ. exerc.* 45. *th.* 165. *alterum* est *de liberis* absolute: et hoc vel exhibendis vel 3
deducendis. De exhibendis agitur, quando pa- 4
ter contra eum, qui filium ejus detinet, agit, ut filium exhibeat, *l.* 1. *ff. de lib. exhib. et l.* 2. *h. t.* de deducendis agit pater, ut sibi filium 5
domum ducere liceat, sed Quaeritur: *Anne et* 6
pater contra ipsum filium, qui se pro patrefamilias gerit, ex hoc interdicto agere possit? Et non posse dicitur, *l.* 3. §. 3. *ff. de lib. exhib.* tum quia inter patrem et filium lis esse nequit, 7
l. lis nulla 4. *ff. de judic.* tum quia idem esset is, cum quo agitur, et res de qua agitur: sed superior sententia limitatur in *hac l.* 1. si filius, 8
quasi sui juris esset, haereditatem adierit, aut quid aliud acquisiverit, quod pater tamquam a filiofamilias acquisitum sibi quaesitum esse dicat, filius autem neget, se esse filiumfamilias seu in potestate, *hic et l.* 4. *ff. de liber. exhib.* Ratio haec est: quia hic principaliter de haereditate agitur, et sic alia est res petita, alia persona, a qua petitur. Quid si filius sua spon- 9
te ad alterius religionis collegium transierit, an locum habeat hoc edictum? *Auct. in l. fin. ff. de lib. exhib. num.* 1.

L. Si ad instar. ult.

SUMMARIA

Facti species. num. 1.
Utile hoc interdictum datur etiam marito de uxore ab alio detenta exhibenda et deducenda. 2.
Contra quem detur? 3.
Jure Can. maritus uxorem vindicare potest. 4.
Uxor maritum ex causa necessaria vagantem sequi tenetur. 5.

1 Duxisti uxorem filiam Philippi, hanc ille patria potestate nixus, detinet, Quaeritur, *An possit conveniri hoc interdicto?* Et videtur quod non, quia hoc interdictum tantum patri datur; ergo pater ipse conveniri nequit. Sed Affirm. quia utile interdictum etiam datur marito de 2
uxore, ab alio detenta exhibenda et deducenda, etiam contra patrem, *hic et l.* 1. §. *fin. et* 3
l. 2. *ff. de lib. exhib.* non tantum uxoris patrem seu socerum, sed etiam contra suum patrem filius hoc interdictum habet, per *c. non est* 11. *X. de sponsal. Covarr. p.* 2. *de matrim. c.* 7. *princ. num.* 4. *Thomas Sanchez de matrim. lib.* 9. *d.* 4. *num.* 16. *Struv. synt. jur. civ. exerc.* 45. *th.* 168. sed et vindicare maritus uxo- 4
rem potest Jure Canon. *Sanchez d. l. num.* 9. *et Covarr. num.* 3. et ideo uxor maritum, ex 5
causa necessaria vagantem, sequi tenetur. Conf. *Sanchez dict. lib.* 1. *d.* 41. *Heig. p.* 2. *q.* 14. *Hartm. Pistor. obs.* 148.

TITULUS IX.

De precario, et Salviano interdicto.

L. Si te. 1.

SUMMARIA

Salvianum interdictum de quibusnam rebus sit propositum? num. 1.
An et in quo sit utilius actione Serviana? 2.
Acceptio particulae ve. 3.
Hahnius *notatur.* 4.
Differentia est h. l. *inter principalem debitorem et conductorem, et inter tertium possessorem.* 5.
Contra tertium possessorem, qui a colono accepit, utile hoc interdictum, contra conductorem vero directum conceditur. 6.
Menoch. cum aliis *notatur.* 7.
In praxi quid receptum? 8.
Is, qui pignus remisit, nec Salvianum habet interdictum, nec actionem Servianam et quasi Servianam. 9.

1 Salvianum interdictum est propositum de rebus coloni in fundum conductum invectis et illatis, quas colonus domino pignori futuras pe-
2 pigit, et utilius est actione Serviana, quia in hac creditor, qui pignus vindicat a tertio possessore, probare debet rem quam prosequitur fuisse in bonis debitoris, cum pignori obligaretur, *l.* 15. §. 1. *ff. de pign.* quod hoc interdicto non est necessarium: sufficit enim colonum eas intulisse res in fundum, quasi suae fuissent, et cum hoc possessorium sit remedium, leviores probationes requiruntur; sed hoc manet tamen discrimen inter principalem debitorem et con-
3 ductorem (nam particula *ve* hic conjunctim et expositive accipienda est, *Donell. hic et Perez ad hunc tit. num.* 12. *Menoch. cons.* 295. *num.* 9.
4 *et* 22. licet dissentiat *Hahn. ad Wesenb. h. t. num.* 3. qui particulam hanc disjunctive accipit, quasi hoc interdictum etiam contra alium debitorem detur, *Fr. Sarmient. de rebus Eccles. lib.* 3. *c.* 2. *num.* 19. sed his occurrit *Menoch. remed.* 3. *adipisc. poss. n.* 20. *et seqq. et d.*
5 *cons.* 295. §. *quia Aristo)* et inter tertium possessorem, qui a colono accepit: quod contra illum 6
tantum detur directum hoc interdictum; non contra hunc, *hac l.* directum scilicet, sed bene utile, *l.* 1. *ff. h. t.* Confer. *Wesenb. in* ϖ. *ff. de Salv. interdict. num.* 3. *Mindanus de interdict. p.* 2. *tit.* 17. *num.* 14. *et seq. Struv. synt. jur. civ. exerc.* 45. *th.* 172. Licet dissentire videantur 7
Menoch. remed. 3. *adipisc. poss. num.* 23. *et seqq. et d. cons.* 295. *n.* 9. *Gaitus de credit. c.* 4. *tit.* 1. *quaestio* 7. *num.* 718. *et seqq.* quae sententia textui huic videtur consona, dum hic *DD.* loquantur de Aristone, qui non fuit locator, sed tantum creditor ex alia causa, licet altera opinio de utili interdicto in praxi videri possit receptior, ut fatetur *Bacchov. in tract. de pignor. l.* 3. *cap.* 20. *in fine.* Collige ex *hac lege:* eum, qui re- 8
misit pignus, nec Salvianum interdictum habere, nec actionem Servianam, *l.* 4. §. 1. *ff. quibus modis pignus solv.* et quasi Servianam id est, hypothecariam contra tertium possessorem dari.

L. Habitantis. ult.

SUMMARIA

Precarium quid sit? num. 1.
Quomodo a commodato differat? 2.
Semper quidem, sed non statim repeti potest precarium. 3.
Beneficio nos juvari, non decipi oportet. 4.
Cur interdictum hoc datum fuerit? 5.
Contra quem detur? 6.
Precarium morte accipientis finitur. 7.
Non morte concedentis. 8.
Limitatur. 9.
Pactum precario adjectum de possidendo eo ad certum tempus non valet. 10.
An hodie detur actio ex pacto dicto modo precario adjecto? 11.

Precarium est, quod precibus roganti uten- 1
dum datum est, *Auct. in l.* 1. *ff. h. t. num.* 1. (sive mobile id sit, sive immobile, sive res sit incorporalis, in qua praesumitur precarium, si

de titulo non constet, *Mascard. concl.* 1204. *num.* 4. *Besold. consil.* 118. *num.* 70. sive corporalis) nullo utendi neque modo neque fine
2 constituto, *l.* 1. *ff. h. t.* atque sic differt a commodato, de quo *Covarr. l.* 3. *res. c.* 15. *num.* 6.
3 *Donell. lib.* 14. *c.* 34. exinde fluit, quod semper repeti possit, *l.* 1. *pr. ff. h. t.* non vero
4 statim, quia beneficio nos juvari, non vero decipi oportet, *l.* 15. §. 3. *ff. commod. Auct. in d. l.* 1. *ff. h. t. num.* 2. *Panorm. in c. ult. X. de precariis, Covarr. d. l. num.* 6. *Molina tr.* 2. *d.* 298. *num.* 7. *Menoch. lib.* 2. *A. Q. casu* 23. *in fin.* nec revocari alias potest cum damno alterius, *Covarr. d. l. Hillig. in Donell. lib.* 14. *c.* 34. *lit. C. Bacchov. in Tr. vol.* 1. *d.* 24. *th.* 5.
5 *p.* 925. Hinc illi, qui dedit, contra eum, qui precario quid accepit non datur actio commodati, sed actio praescriptis verbis, *l.* 2. §. 2.
6 *ff. h. t.* Et cum de hac actione primitus fuerit dubitatum, ideo datum hoc interdictum contra eum, qui accepit, ut restituat rem, quam habet, aut dolo vel lata culpa (quam hic sufficit praestari, *Auct. in l.* 8. *ff. h. t. num.* 3. cum totum ex liberalitate dantis non tantum ab initio, sed etiam in progressu dependeat, secus ac in commodato, propatereaque semper revocari possit, *l.* 1. *pr. et l.* 8. §. 3. *ff. de precario)* habere desiit, et non tantum contra accipientem ipsum datur, sed et haeredem ejus, *hic et d. l.* 8. §. *fin. ibique Auctor*, qui convenitur ex persona defuncti, quem repraesentat, *l.* 11. *ff. de divers. et temp. praescr.* Nam pre- 7
carium alias morte accipientis finitur, *l.* 12. §. 1. *ff. h. t.* non autem morte concedentis, an- 8
tequam haeres revocet, *l.* 8. §. 1. *ff. h. t.* quod *Decius ad l.* 23. *de R. J. num.* 13. *Covarr. d. c.* 15. *num.* 3. *et seq. et Hillig. d. l.* 10. *lit. C. et Molina d. l. num.* 10. limitant, nisi ita con- 9
cessum, donec voluerit concedens. Pactum au- 10
tem precario adjectum de possidendo eo ad certum tempus non valet, *Auct. in l.* 12. *ff. h. t. num.* 1. Sed an hodie detur actio ex pacto 11
dicto modo precario adjecto? *Auct. in d. l.* 12. *num.* 5.

TITULUS X.

De aedificiis privatis.

SUMMARIA

Tria circa privatorum aedificia notanda sunt. num. 1.
Quousque aliquis in suo aedificare debeat? 2.
Cur modus altitudinis in urbibus fuerit receptus? 3.
Ad novas extruendas aedes nemo tenetur. 4.
Nisi sit curialis. 5.
Statuta plerorumque locorum. 6.
Ad curatoris reipubl. officium pertinet curare, ut dirutae aedes a dominis restituantur, sed novas extruere non tenentur. 7.
Quid si domini non habeant, unde reficere possint? 8.
Muris fundos suos ad securitatem suam cingere cuilibet licet. 9.
Cuilibet castrum in suo territorio aedificare licet ad defensionem. 10.
Exceptis fundis limitrophis. 11.
Quicumque vult aedificare juxta aedes publicas vel sacras et suas, quindecim pedum spatium inter has et suas relinquere debet. 12.
Juxta aedes privatas aedificaturus septemdecim *pedes a parte ima aedificii usque ad summam debet relinquere.* 13.
Quid sint Moeniana? 14.
Moeniana quatenus sint concessa. 15.
Si Angiporta est, quae plus decem pedibus in latitudine non habet, Moeniana plane prohibentur. 16.
Hodie haec non observantur. 17.
Aedes hoc fine, ut destruantur, et marmora inde aliaque ornamenta detrahantur, vendi non possunt. 18.
Statuas vel columnas cujuscumque materiae ex urbe vel provincia in aliam transportare non licet. 19.
Poena. 20.
Limitatur regula. 21.
Aedes destructas ex parte et lapsas dominus restituere tenetur. 22.
An ruinam vel aream in hortum convertere possit? 23.
Quoties duo socii aedes habent communes, eaeque collapsae sint reparandae, alter autem reparare nolit, tunc primus poterit communi nomine aedes suis sumptibus reficere, et si alter suam quotam cum centesimis usuris intra 4. *menses non restituerit, poterit ille, qui reparavit, aedes pro suis vindicare.* 24.
Modus acquirendi dominii. 25.
Jus hodiernum. 26.
Quid si quis suo nomine quasi in solidum suum fundum reaedificarit? 27.

Circa aedificia privatorum tria notanda, quae- 1
dam si exstruenda sint, quaedam si extructa sint, quaedam si destructa. *Circa extruenda.* Notatur: I. Licet in suo quilibet possit usque 2
ad coelum aedificare, *l. altius C. de servitut. et aqua, Gail. lib.* 2. *obs.* 69. *num.* 1. *Auctor in l.* 11. *ff. de serv. urban. praed. num.* 1. necesse tamen est in urbibus, ut forma publica aedificiorum observetur, et modus altitudinis 3
in urbe receptus, *l.* 1. *et l.* 11. *pr. ff. de servit. urb. praed. Caepoll. de S. U. P. c.* 61. *Surd. decis.* 168. *num.* 6. ne scilicet disparitas vicinorum aedificiorum oculis intuentium ingrata sit, et grandi altitudine liberior aer solisque fulgor arceatur, aut lapsu graviore vicinis noceat, ex *Petro Fabro in l.* 61. *ff. de R. J. Auctor in d. l.* 11. *ff. de serv. urb. praed. num.* 2. *Hillig. in Donell. lib.* 11. *c.* 6. *Perez ad hunc tit. num.* 1. *Doering. in Bibliothec. voc. Aedes n.* 288. Ad novas autem aedes exstruendas 4

5 nemo tenetur, nisi curialis, hic enim suas aedes
dirutas non tantum reparare, sed et si nullas
habeat, de novo exstruere debet, *l.* 8. *h. t.* Sena-
tores enim Municipiorum fixas sedes habere opor-
6 tet, quod etiam statutis locorum plerorumque
habetur, si onera reip. ferunt, *Carpanus de
statu Mediol. p.* 2. *c.* 1. *num.* 52. *Perez h.
t. num.* 1. Sed alii, qui non sunt in officio pu-
blico, aedes quidem novas non, suas tamen
7 dirutas reparare tenentur. Nota Bene: Ad cu-
ratoris reipubl. officium pertinet curare, ut
dirutae domus a dominis restituantur, *hic et
l.* 48. *ff. de damno infect. Klock. de contribut.
c.* 9. *num.* 24. sed novas exstruere non tenentur,
ratio horum in eo, ne civitas adspectu defor-
8 metur, et si non habent dominos, expensae
ex publico praebendae atque e locatione rei-
publ. restituendae. Si vero domus ad aream
usque destructa, non tenetur dominus eam de-
nuo aedificare, quia esset nova exstructio, *Cae-
poll. de servit. urb. praed. c.* 95. *num.* 2. *et
seqq. Doering. de Bibliothec. num.* 135. Illud et
9 notatur in *l.* 10. *h. t.* Quod cuilibet licitum sit,
muris fundos suos cingere ad suam securita-
tem, ob incursiones hostiles, unde probant:
10 Cuilibet licere castrum in suo territorio aedifi-
11 care ad defensionem, exceptis fundis limitro-
phis, *l.* 2. *C. de fundo limitr. Sprenger de ju-
re aedif. c.* 4. *Viv. lib.* 3. *dec.* 493. *num.* 1.
et seqq. Doering. in voce Aedes *num.* 142. *Mo-
lina de J. et J. d.* 709. *num.* 8. *et num.* 57.
Vid. tamen *Klock. de contrib. c.* 9. *num.* 4. *et
12 seqq.* Quicumque vero vult aedificare juxta ae-
des publicas vel sacras, quindecim pedum spa-
tium relinquere debet inter aedes publicas et
13 suas, juxta *l.* 9. sed juxta privatas aedes aedi-
ficaturus relinquere debet septemdecim pedes a
parte ima aedificii usque ad summam, per *d. l.*
12. §. 2. quam *lex ultima* videtur canonizare, et
14 extendere *l.* 11. §. 14. *ff. de legat.* 3. Moeniana e-
tiam, id est, opera pergulis extra aedificium
projectis, facta (Vid. *Clavinus in voce* Moe-
niana, *et Perez hic num.* 5. *et Struv. in syn-
tagm. jur. civ. exerc.* 13. *th.* 11. ubi plures de
hac materia congessit Auctores), concessa in
15 *l.* 11. *h. t.* modo inter Moeniana utrinque a vicinis
facta liberi aeris decem pedum spatium relinqua-
16 tur. Et si Angiporta vel Angiportus sit, qui plus
10. pedibus in latitudine non habeat, plane pro-
hibentur Moeniana in *l.* 12. §. 5. *in fine*, ubi hac
17 de re plura, sed haec ab usu recessisse testan-
tur *Gail. Farin. et alii DD. hic.* Circa extructas
18 aedes notandum est: Quod aedes vendi non
possint hoc fine, ut destruantur, et marmora
inde aliaque ornamenta detrahantur, ne publi-
cus deformetur aspectus, *l.* 2. *h. t. l. Senatus*
52. *ff. de contrah. vendit. Wesenb. in* π. *de
vendit. num.* 7. *Hillig. in Donell. lib.* 9. *c.* 11.
lit. Z. Surdus ad decis. 168. *num.* 9. ideo nec
19 columnas nec statuas cujuscumque materiae ex
provincia vel urbe in aliam transportare licet,
l. 7. *h. t.* neque ex urbe ad rura, adeo ut qui
contra fecerit, privetur dominio ejus fundi, 20
quem columnis translatis ita ornavit, *l.* 6. *h.
tit.* quamvis ex una civitate in aliam transferri 21
columnae istae possint, *d. l.* 6. quod intelli-
gendum, nisi aspectus urbis deformetur, *d.
l.* 52. sicut et de domo in aliam transferri ista
marmora possunt, *d. l.* 2. *h. t.* quod intelligit
Berous vol. 3. *cons.* 118. *num.* 29. - 1. de domo
ex qua marmora et alia materialia auferantur,
si illa domus *a qua* sit transferentis propria:
si 2. ruinam minetur domus *a qua:* et 3. nisi
fiat ex aemulatione. Circa destructas aedes, no- 22
tandum; quod regulariter aedes destructas ex
parte et lapsas restituere dominus teneatur,
juxta l. 8. *h. t.* interdum tamen ruinam vel 23
aream in hortum licet convertere, consensu
Magistratus expresso vel tacito, in quo tamen
consuetudo urbis observanda, *l.* 3. *h. t. Doc-
ring. in Bibliothec. voce* Aedes *n.* 150. *et* 290.
Illud tamen et ex *l.* 4. notandum: Quoties duo 24
socii aedes communes habent, eaeque collapsae
sint reparandae, alter autem nolit reparare,
tunc primus poterit communi nomine aedes
suis sumptibus reficere, et si alter suam quo-
tam cum centesimis usuris intra quatuor men-
ses non restituerit, ille, qui reparavit aedes,
pro suis vindicare, *hic et l.* 52. §. 10. *ff. pro
socio.* Modum acquirendi dominii nota; Quem 25
ex *hac l.* 4. *et d. l.* 52. §. 10. probant *Angel.
ad* §. *sed.* 38. *num.* 13. *Inst. de act. et ibi Jason.
num.* 48. *Cremensis sing.* 98. *Caepolla cautela*
58. *Stracha de mercatura tit. de navibus part.*
2. *num.* 8. *Joann. Theod. Spreng. in tr. de ju-
re aedificii c.* 4. Ideoque solet refecturus so-
cios ad aedificandum vel reficiendum hortatu-
rus sibi hoc beneficium reservare; et quamvis 26
hunc acquirendi modum in desuetudinem abiis-
se velint *Molinaeus de usuris num.* 57. *et Gar-
gias de expensis c.* 19. *num.* 4. *Graenwegen
ad h. l.* huic tamen opinioni assurgendum non
est, nam licet forte centesimae usurae hoc ca-
su amplius admittantur, commissio tamen do-
minii non est pro abolita habenda, ut probat
Thomas Merckelbach. inter cons. Kock. vol. 2.
cons. 67. *num.* 13. *et seqq.* Nota vero, de eo 27
casu intelligendum esse, si quis reficiat com-
muni nomine; nam si quis sociorum suo no-
mine quasi in solidum suum fundum reaedifi-
caverit et reparaverit, tunc quod extructum
est cedit solo, ac fit commune, et sic pro
parte dedit alteri sociorum, juxta *l.* 5. *h. t.* et
impensas non recuperat, i. e. repititionem non
habet, ex *edicto sive Hadriani, sive Marci*, li-
cet expensas has necessarias per retentionem
possit servare, per *l.* 5. *C. de rei vindic.* Vid.
Cujac. ad hunc tit. vers. *Atqui sciens fundum etc.*
Ratio autem, cur inaedificans fundo communi
aedificatum pro parte amittat, est, quia mala
fide in communi, ut in suo, aedificat, *Perez
ad hunc titul. in fine.*

TITULUS XI.

De novi operis nunciatione.

L. De operis. un.

SUMMARIA

Novi operis nunciatio quidnam sit? num. 1.
Intra quod tempus Judex hanc causam decidere debeat? 2.
Elapso hoc tempore quatenus concedatur prohibito aedificandi licentia? 3.
Ante lapsum trium mensium denunciatus aedificare non potest. 4.
In Camera trimestre hoc spatium non observatur. 5.
Si nuncians novum opus, se offerat ad probandum jus suum, et dicat, se agere velle, hodie jam constat, nullo colore nunciatum ad aedificandum admitti debere, licet satisdationem offerat. 6.
Nunciatus ante lapsum trium mensium satisdationem hoc casu offerens non audiatur. 7.
Carpzovius *contrarius hoc loco quomodo intelligendus?* 8.
Instantia in hac lite brevior est, quam in aliis. 9.

1 Novi operis nunciatio, est solemnis vel legitima prohibitio vicino facta, ne novum opus faciat, aut in opere inchoato pergat, antequam jus suum probet, aut eo nomine satisdet, *Au-*
2 *ctor in l.* 1. *ff. h. t. num.* 1. *et* 7. Hanc autem causam Judex intra tres menses decidere
3 debet, quibus elapsis denunciato, seu prohibito conceditur aedificandi licentia, praestita cautione de demoliendo opere sumptibus aedificantis, si apparuerit, ipsum injuste aedificasse, et antiquum errorem, quasi anno simpliciter exspiraret nunciatio, Imperator tollit. Ante la- 4
psum autem illorum trium mensium denunciatus non potest aedificare, quo ipso *haec lex* derogat juri Digestorum, *l.* 5. §. 17. *l.* 20. §. *ult. l.* 21. §. 1. *ff. h. t. Thesaur. decis.* 204. hoc tamen spatium trimestre in Camera praecise 5
non observari notat *Gail. lib.* 1. *obs.* 16. *n.* 17. Collige ergo: I. Si nuncians novum opus, se 6
offerat ad probandum jus suum, et dicat se agere velle, hodie jam constare, nullo colore nunciatum ad aedificandum admitti debere, licet satisdationem offerat, *Gratianus tom.* 7. *discept. forens. c.* 384. *num.* 1. *et seqq. Br. Bl. Castrens. Zasius ad l.* 20. §. 5. *ff. h. t. Jason. et alii hic, Panorm. ad c. pen. et ult. X h. t. P. Frider. Mind. de process. lib.* 2. *c.* 31. *Fach. lib.* 8. *c.* 48. *Bolognet. ad pr. leg.* 1. *num.* 115. *ff. h. t. syntagm. comm. opin. lib.* 8. *tit.* 6. *num.* 19. *Mollerus lib.* 1. *semestr. c.* 44. Et hoc 7
casu ante lapsum 3. mensium audiri non debet nunciatus offerens satisdationem, per *hanc legem, Fr. Vivius com. opin. tit. nunciatio novi operis num.* 5. *Fach. d. l. Tuschus concl.* 124. *num.* 18. *Gail. lib.* 1. *obs.* 16. *num.* 17. *Mindan. d. l. n.* 26. *et seq.* Et sic *Carpz. l.* 1. *resp.* 7. qui 8
videtur dissentire, de eo casu intelligendus, si appareat calumniosam esse nunciationem. Ex quibus autem causis nunciatio novi operis moveri possit, docet *Auctor in l.* 5. *ff. h. t. n.* 4. qui etiam *n.* 11. *d. l.* ostendit, quomodo fiat per jactum lapilli aut per Praetorem. Notetur etiam: Instantiam in hac lite esse breviorem, 9
quam in aliis, scil. trium mensium.

TITULUS XII.

De operibus publicis.

L. Plurimi. 1. et L. Ad portus. 7.

SUMMARIA

In conficiendis operibus publicis Judex nemini immunitatem concedat. num. 1.
Qui commodum ex operibus publicis sentiunt, ad ea etiam contribuant. 2.
An idem in Emphyteutis Principis? 3.

1 Quando opera publica sunt conficienda, nemini Judex immunitatem debet concedere, quia haec immunitas cederet in praejudicium
2 privatorum. Et natura aequum est, ut, qui commodum sentiunt ex operibus publicis, etiam ad ea contribuant, sicut etiam Ecclesiae suas quotas conferunt, per *l. ad instructionem* 7. *C. de SS. Eccles.* et ibi notata, et Emphy- 3
teutae Principis ab hoc onere se non possunt excusare, *l.* 1. *C. de collat. fund. patrim. Klock. de contrib. c.* 9. *num.* 65.

L. Quae operibus. 2.

SUMMARIUM

Casus legis.

Quaecumque ab aerarii praefectis operibus publicis exstruendis impensa sunt, ea iis quoque accepta ferri debent, quasi bene erogata.

Lex 3. non est Authentica.

LL. 4. 15. 17. 18. et. 20.

SUMMARIA

Judicum Praetoria et aedes publicae semper usui et juri publico vindicentur. num. 1.
Publicum quod est, privatorum aedibus non est coarctandum. 2.
Exemplum subjicitur. 3.
Exceptio a regula num. 1. *data.* 4.
Ad quem usus spectat, ad eum etiam spectat onus reficiendi. 5.

1 1. Praetoria Judicum et domus publicae semper juri publico atque usui vindicentur, *l.* 4.
2 *h. tit.* Publicum enim quod est, non est privatorum parietibus coarctandum, *l.* 17. *h. tit.*
3 Exemplum est in Angiportis Praefecti Praetorio, *l.* 20. *h. tit.* ubi mulcta 50. librarum
4 auri. Exceptio est, nisi Princeps id permittat, id quod fit 1. In domibus publicis dirutis, vel quae parum sunt in usu civitatum, *l.* 15. *h. t.*- 2. In turribus novi muri Constantinopolitani, nam hi eorum usui inserviunt, per quorum terras murus ductus est, sed et his reparandarum turrium onus incumbit, *l.* 18. *h. t.* Nota bene:
5 Ad quem usus spectat, ad eum etiam onus reficiendi spectat, *Coll. Arg. ad hunc tit. in Digestis th.* 8. *Christin. decis.* 157. *num.* 7. *vol.* 5. ubi de via publica loquitur.

L. Intra. 5. et L. Nemo. 13.

SUMMARIA

Opera publica publico sumptu, tantum Principis permissu inchoanda sunt. num. 1.
Vetera tamen restaurare licet, nec non horrea ac stabula exstruere. 2.
Privato quoque sumptu quis opera publica exstruere potest. 3.
Ne fiant ad emulationem, et seditionis causam praebeant. 4.

1 Quamvis opera publica, publico sumptu, tantum Principis permissu inchoanda sint, *l.* 13. *h. tit. et l.* 3. *pr. ff. de operibus publ.* nec ex aliis publicis locis ornamenta alio transferre li-
2 ceat, *d. l.* 13. vetera tamen restaurare licet, *d. l.* 13. *et* 5. *h. tit.* nec non horrea ac sta-
3 bula exstruere, *d. l.* 13. Privato etiam sumptu, si quis opera publica exstruere velit, id licitum est, *l.* 5. *h. t. Doering. d. voce* Aedes
4 *num.* 74. quod tamen moderationem accipit ex *l.* 3. *pr. ff. de oper. publ.* scilicet ne fiant ad aemulationem, *Gail. lib.* 2. *obs.* 69. *num.* 17. *Mynsing. q.* 9. *Mascard. de prob. concl.* 621. *Mevius ad Jus Lubec. lib.* 3. *tit.* 12. *art.* 7. *num.* 29. et ne seditionis causam praebeant, *Klock. de contrib. c.* 9. *num.* 7. *Struv. synt. juris civ. exerc.* 50. *th.* 80. *et Auct. in l.* 3. *ff. h. t. num.* 2.

L. Praescriptio. 6.

SUMMARIUM

Sensus legis.

Privata aedificia, quae in publico loco sunt exstructa, sunt diruenda. Ratio in *l.* 4. *et* 17. *h. tit.* nec prodest praescriptio, quia praescriptio juri publico non debet opponi, *l.* 9. *et* 45. *ff. de usucap.*

L. Omnes. 8.

SUMMARIA

Tenor legis. num. 1.
Vitium operis intra quindecim annos apparens culpa mechanicorum contigisse praesumitur. 2.
Quatenus hoc procedat? 3.

Si quid vitii in aedificatione intra quindecim 1
annos ab opere perfecto evenerit, excepto fortuito casu, id de patrimonio suo reformare ac resarcire tenentur omnes, quibus vel cura mandata fuit operum publicorum, vel quibus pecunia ad exstructionem fuit credita,
unde Colligitur: Vitium operis, intra quinde- 2
cim annos apparens, culpa mechanicorum contigisse praesumi, *Coll. Arg. th.* 6. *num.* 2. quod tamen ita intelligit *Franciscus de Clapperiis in*
suis decisionibus caus. 108. si aedes publicae 3
magna impensa et ut perpetuae sint, constituantur, et si non fatale damnum accedat; si autem aedificatio non adeo magnos sumptus requirat, tradit ex opinione curiarum lustrum sufficere, quod ad praesumptiones *a Menochio* traditas bene addi posset, Conf. etiam *Doering. t.* 69. *Montanus de tutel. c.* 27. *num.* 31. *Petr. Greg. in synt. lib.* 8. *tit.* 20. *num.* 2.

L. Si quando. 9.

SUMMARIA

Quasnam aedes privatorum inchoandi publici operis causa demoliri liceat? num. 1.
Princeps publica utilitate suadente vel pro dilatandis fossis civitatis, vel pro exstruendo fortalitio, aut propugnaculo domum subditi sui demoliri jubere potest. 2.
Domus majoris pretii sine speciali mandato Principis destrui non debent. 3.
Princeps pro utilitate publica aedificia destruens ad justum pretium ex publico tenetur. 4.

Inchoandi publici operis causa tantum eas ae- 1
des privatorum demoliri licet, quae 50. libris argenti aestimantur, sed quae amplioris sunt pretii, eas sine rescripto et mandato Principis speciali demoliri non licet. Ratio: quia semper pretia aedium sunt restituenda privatis, ideoque inconsulto Principe tanta summa eroganda non est. Unde, sicut et ex *lege aedificia* 14. colligi-
tur: Principem, publica utilitate suadente, do- 2
mum subditi sui demoliri, vel pro dilatandis fossis civitatis, aut pro extruendo fortalitio vel propugnaculo jubere posse, *Gail. lib.* 2. *obs.* 56. *n.* 2. *Anton. Gabriel. tit. de jure quaesito concl.* 2. *Ca-*
vall. q. 577. notetur tamen: domos majoris 3
pretii sine speciali mandato Principis destrui non debere. Colligitur etiam ex verbis, *ubi*

amplior poscitur quantitas, Principem pro utilitate publica destruentem aedificia, ad justum pretium teneri ex publico, *Vasq. lib. 1. illustr. c. 5. num. 9. Gail. d. obs. 56. num. 8. Cothman. plurimos referens vol. 1. cons. 1. num. 103. et seqq.*

L. Si qui Judices. 10.

SUMMARIA

Quatenus quis operi publico exstructo nomen suum scribere possit? num. 1.
Ex hoc fluxit, cum exstructores Ecclesiarum adipiscantur jura Patronatus, quod per literas ac notas parietibus Ecclesiae incisas jus Patronatus probetur. 2.

1 Qui non ex necessitate, sed ex liberalitate opus publicum suis sumptibus exstruit, ille nomen suum inscribere potest, per *l. 2. §. 1. pr. l. 7. §. 2. ff. de oper. publ.* sed si ex publica pecunia opus extructum, et quis suum nomen inscripserit, majestatis reus est. Illud autem est quasi publicum munificentiae praemium. Et
2 exinde procul dubio fluxit, cum extructores Ecclesiarum adipiscantur jura Patronatus, quod per literas ac scripturas, vel notas parietibus Ecclesiae incisas probetur jus Patronatus, *Mascard. concl. 959. num. 21. Menoch. lib. 3. praesumpt. 90. num. 19. Finckelth. de jure Patronatus c. 8. num. 44.*

L. Ne splendidissimae. 11.

SUMMARIA

Quomodo aedificia publica sarta tecta conservari possint? num. 1.
Conductores ultra tertiam pensionis partem in reparationem aedium nihil impendere possunt. 2.

1 Ut autem opera et aedificia publica sarta tecta conserventur, ideo de reditibus fundorum seu praediorum reip. ad reparationem publicorum moenium, et thermarum tertia pars deputata, *hic et l. 3. C. de divers. praed. urb. et rustic. Colleg. Arg. ad hunc tit. in digest. th. 9. et Doering. d. vocab.* Aedes *num.* 73. unde in
2 *d. l. 3.* colligit *Joan. de Platea*, quod conductores, ultra tertiam partem pensionis, in reparationem aedium nil impendere queant.

L. Omnes. 12.

SUMMARIA

Quibus sumptibus muri civitatum exstrui vel veteres renovari debeant? num. 1.
Quaelibet civitas pro muris exstruendis vel reparandis, civibus collectas, quantum ad hunc finem opus est, imponere potest. 2.
Refectio puteorum est publicum opus, ad quod omnes cives sunt obligati, et qui se exemptum dicit, illud probare debet. 3.
Etiam ille subjacet huic oneri, qui domi puteum habet. 4.

Regulariter muros civitatum ordines, et incolae civitatum vel novos exstruere, vel veteres renovare debent, ita ut singuli conferant pro viribus patrimonii, non tamen plus exigere licet, quam aestimatio est totius operis. Unde probatur: reparationes murorum et propugnaculorum ad universitates civium pertinere, et quamlibet civitatem pro hoc opere licite posse civibus collectas, quantum scilicet ad hunc finem opus est, imponere, *Roland. a Valle cons.* 81. *num.* 10. *vol.* 2. ubi *num.* 9. idem dixerat de novorum murorum exstructione citra aemulationem facta, *Natta consil. 5. 6. num. 15. l. 3.* et hoc laudans *Klock. de contrib. c. 9. num. 24. Montanus de tutel. c. 27. num.* 30. ideoque refectio puteorum est publicum onus, ad quod omnes cives obligati, et qui se exemptum dicit, probare debet, *Mevius p. 4. dec.* 130. Etiam ille subjacet huic oneri, qui domi puteum habet, nam licet publicam aquam non habeat, indiget tamen publica aqua tempore incendiorum, ideoque is mediam partem ejus, quod alii solvunt, solvere solet. 1 2 3 4

L. Aedificia. 14.

SUMMARIA

Aedificia privata publicis nimis vicina ob periculum ruinae vel incendii dirui debent. num. 1.
An Gubernatores tempore belli vicinas propugnaculis aedes incendere possint? 2.

Quando aedificia privata nimis vicina sunt publicis, ut periculum vel ruinae, vel incendii publicis immineat, vel quibus aedificiis platearum spatia angustantur, ea debent dirui. Et ex *hac lege* possunt justificari facta Gubernatorum, qui tempore belli vicinas propugnaculis aedes solent incendere, ne hostis in eas se recipiat, *Gail. d. observat. 56. num.* 2. 1 2

L. Si quando. 16.

SUMMARIUM

Casus legis.

Quando aedificia publica reficienda, et imago Principis deponenda est, ea depositio inconsulto Principe fieri potest, cum reverentia tamen debita, sed post refectionem suo loco restituenda.

L. Quia. 19.

SUMMARIUM

Sensus legis.

Lex localis est, et constituit unde lavacra nova Romae reficienda.

L. Basilicam. 21.

SUMMARIUM

Casus legis.

Et *haec lex* localis est, prohibens, ne Basilica, id est, locus judiciis publicis consecratus, tabulis fusceтur etc.

L. Nemini. ult.

SUMMARIA

An Judices opera nova publica facere possint? num. 1.

Pecunia in opus novum publicum legata potius ad tutelam et refectionem eorum, quae sunt, quam ad inchoandum novum opus convertenda. 2.

1 Nemo judicum debet opera nova publica facere, nisi, quae incepta sunt ab antecessoribus, perfecerit, et vetustate diruta refecerit, nam nova opera non licebat inchoare, nisi vetera essent consummata sine Principis licentia, *l.* 5. *et* 13. *h. t. Tholosanus lib.* 3. *syntagm: tit.* 21. *num.* 2. Et pecunia in opus novum publicum 2
legata, potius ad tutelam et refectionem eorum, quae sunt, quam ad inchoandum novum opus convertenda, *l. fin. ff. h. t. l.* 4. *ff. de admin. rerum ad civitat. pertinentium; Petr. Greg. lib.* 42. *syntagm. capite* 33. *num.* 25. quod administratoribus Civitatum et bonorum communium bene advertendum.

TITULUS XIII.

De ratiociniis operum publicorum et de Patribus civitatum.

L. Jubemus. un.

SUMMARIA

Quinam sint discussores operum publicorum? num. 1.
Poena. 2.
Quinam hodie subjaceant huic oneri? 3.
Qui opus publicum se facturum promisit ex sola pollicitatione, ad perficiendum tenetur. 4.
Rationes autem reddere non obligatur. 5.
Mitius cum iis, qui ex sua liberalitate conveniuntur, agi solet. 6.

1 I. Praesides provinciarum et caeteri viri spectabiles, non debent esse discussores operum publicorum, nec siliquam pro solido accipere, sed haec cura imminet defensoribus ac curatoribus civitatum, quorum est rationes exigere a redemptoribus operum, et qui opus exstruendum susceperunt, et additur poena. Cui oneri 2
rationum reddendarum hodie subjacent Consu- 3
les et Rectores civitatum, *Escobar. de ratiocin. part.* 1. *c.* 3. *num.* 10. II. Qui opus publicum 4
se facturum promisit, etiam ex sola pollicitatione tenetur ad perficiendum, *t. tit. ff. de pollicit. Tholos. lib.* 18. *synt. c.* 22. *num.* 3. *Doering. d. l. num.* 75. sed rationes reddere super 5
sumptibus et pecuniis in opus publicum erogatis non tenetur. Hoc enim nimis inhumanum esset, aliquem ob liberalitatem suam compellere ad rationes reddendas, *Doering. d. l.* quia alias mitius agi solet cum iis, qui ex liberalita- 6
te sua conveniuntur, *Barbosa locuplet. lib.* 10. *cap.* 14. *axiom.* 3.

TITULUS XIV.

De pignoribus et hypothecis.

L. Debitor. 1.

SUMMARIA

Facti species. num. 1.
Aliud pro alio in pignore solvi nequit. 2.
Limitatur. 3.

1 Debitor meus pro debito praedium mihi obligavit, urgeo solutionem debiti. Ille offert praedium, quod velit mihi illud in solutum cedere, Quaeritur: *An hoc ego acceptare tenear?* Resp.
2 quod non, quia aliud pro alio solvi nequit, *l.* 2. §. 1. *ff. de rebus credit. Carpz. lib.* 5. *resp.* 102. *Bacchov. in Treutl. vol.* 1. *d.* 20. et liberatio contingit per ejus quod debetur solutionem, *princ. Instit. quibus mod. toll. oblig.* ergo debitor non liberatur, licet pignus creditori in solutum dare velit. Sed hoc limitationem 3
recipit ex *Auth. hoc nisi C. de solut.* si pignus vel aliud corpus idoneum sit, et in defectu aliorum mediorum offeratur, Vid. *notata ad d. Auth.*

L. Quamvis. 2.

SUMMARIA

Bona debitoris generaliter sibi obligata habens, quamcumque rem velit, eligere potest. num. 1.

Ampliatur. 2.
Limitatur. 3.
Qui habet generalem et specialem hypothecam, prius specialem excutere debet. 4.
Ampliatur haec regula. 5. 6.
Limitatur. 7.

1 Qui bona debitoris generaliter tantum obligata habet, quamcumque voluerit, rem eligere potest, *l.* 8. *ff. de distract. pign. ibique Auctor*
2 *num.* 1. usque adeo, ut si eligeret rem, quae secundo creditori specialiter est obligata, veluti prior tempore, etiam in ista re praeferatur, *l.* 6. *infr. qui potiores in pign.* Nam in potestate debitoris haud est situm, ut secundo creditori rem specialiter obligando, priori jus ex hypotheca generali quaesitum auferat, *Hartmann. Pistor. part.* 3. *quaest.* 13. *num.* 2. *Carpz.*
3 *part.* 1. *constit.* 28. *defin.* 128. Aliud autem est, si primus creditor ultra generalem hypothecam, etiam pignore speciali sibi prospexit. Nam eo casu non potest caetera debitoris bona persequi actione hypothecaria, priusquam excusserit res sibi specialiter obligatas, *h. l.* 2. Nam qui
4 habet generalem et specialem hypothecam, prius debet excutere specialem, *Hartmann. Pistor. d. quaest.* 13. per totam; quia dum creditor generalem et specialem hypothecam accipit, hoc actum videtur, ut generalis sit subsidiaria, quando ex speciali non potest ipsi satisfieri, *Carpz. part.* 2. *constit.* 23. *defin.* 29.
5 Et hoc locum habet, licet contra tertium possessorem agat primus creditor, *Neguzant. de pignor. membr.* 1. *part.* 8. *num.* 20. licet pignus traditum, sive non sit traditum, sive posterior habeat specialem cum generali, sive generalem tantum vel specialem, *Covarr. lib.* 3. *resol. cap.* 18. *num.* 1. *et* 2. *Mynsing. cent.* 6. *obs.* 94.
6 *num.* 6. *Surdus decis.* 44. *num.* 3. Quod multo magis verum est, quando res certae obligatae creditori, et additum, si ex rebus istis ista pecunia servari non possit, quod tunc etiam reliqua bona debeant esse obligata, quae est species *d. l.* 6. *qui potiores etc.* Sed ultimo hoc casu reliqua bona obligata sunt sub expressa conditione, in praecedenti autem sub conditio-
7 ne tacita. Sed limitatur *hujus legis* decisio; quando in instrumento pactum est, quod generalis hypotheca non deroget speciali, nec contra, *Cacheranus dec. lib.* 59. *num. fin. Vinc. de Franchis decis.* 5. *Myns. d. obs. num.* 8. *et seqq.* nec locum habet, quando praevidetur specialem pignoris excussionem fore frustraneam, nec eam rem reperturum emptorem, et magnas fore difficultates etc. *Mevius p.* 4. *dec.* 48. Item non habet locum *haec lex*, quando agitur contra tertium possessorem, qui nullum habet pignus in re. Nam hic non potest petere, ut actor prius specialem hypothecam excutiat; sed hoc excipere tantum potest creditor, cui res obligata, *Neguzant. de pignor. membr.* 2. *part.* 5. *in fine et part.* 8. *membr.* 1. *num.* 20. *Covarr. l.* 3. *resol. c.* 18. *num.* 2. *vers.* 4. *animadvertendum, Stephan. Gratianus lib.* 3. *disc. for. cap.* 312. *num.* 17. Nec potest debitor ipse aut haeres ejus petere, ut creditor prius hypothecam specialem excutiat, *Salgado in labyr. credit. p.* 2. *cap.* 5. *num.* 4. *et* 5. Nec *haec lex* ad alias species extendenda, *Hartm. Pistor. p.* 3. *q.* 12. *num.* 13.

L. Creditores. 3.

SUMMARIA

Facti species. num. 1.
An ex pacto hoc debitoris, ut si non justo tempore solveret creditori, liceat propria auctoritate ingredi possessionem, *si ingrediatur, justa sit haec possessio, et in ea defendi debeat creditor?* 2.
Nemo sibi jus dicere debet. 3.
Frivola illorum sententia, qui hanc regulam de urbanitate, non juris necessitate, intelligunt. 4.
Pactum debitoris hoc loco est contra bonos mores. 5.
Emptor, qui fundum emptum propria auctoritate ingreditur, vitiose possidet. 6.
Recessu Imperii haec comprobatur sententia. 7.
Ex clausula illa in recessu (ob auch auf obligationes etc.*) praesumitur constituta hypotheca.* 8.
Quatenus possessio propria auctoritate accepta a DD. approbetur? 9.

Creditor ita pactus est cum debitore suo, ut 1
si debitor justo tempore non solveret, creditori liceret propria auctoritate ingredi possessionem. Debitor non solvit, creditor ex pacto privata auctoritate ingreditur possessionem; Quae- 2
ritur: *An haec possessio sit justa, et in ea defendi debeat creditor?* Videtur quod sic, quia quod ab initio cum debitore conventum, id postea etiam hoc invito a creditore fieri potest, §. 1. *Instit. quibus alien. licet.* Et debitor non patitur injuriam, quia semel haec voluit, *l.* 9. §. 1. *ff. de aqua et aquae pluv. arc.* Sed resp. Non esse legitimam possessionem, quamvis enim ex *l. Julia de privata vi* non teneatur creditor in hac specie, nemo tamen sibi jus 3
dicere debet, et frivola est sententia commu- 4
nis *h. l.* de urbanitate explicans, non juris necessitate, ut *Menoch. remed.* 1. *recup. possess. num.* 261. *et Matth. Colerus de process. lib.* 1. *c.* 5. *num.* 83. sed nos de necessitate intelligimus cum *Molinaeo de consuet. Paris. tit.* 2. *in gloss.* 1. *in verb.* Aresti, *num.* 181. cum *Donell. hic et Bacchov. in Treutl. vol.* 1. *disp.* 11. *th.* 5. *in fin.* Et idem *Bacchov. in tr. de pignor. l.* 3. *c.* 21. *Franc. Caldas ad typum empt. c.* 25. *num.* 42. Nam verbum, *debet*, necessitatem importat, vide etiam *l.* 18. *ff. de vi et vi arm.* Et hoc quod pactum est, ut liceat privata 5
auctoritate ingredi, est contra bonos mores: materiam suppeditat tumultibus et res est scandalis plena. Quemadmodum et ille emptor vitiose 6
possidet, qui fundum emptum propria auctoritate ingreditur, *l. si ex stipulatione* 5. *l. fundi* 33. *ff. de acquir. possess.* Et haec sententia 7
comprobata videtur in *recessu Deput. Imperii de anno* 1600. §. ob auch auf, *obligationes etc.* ubi dicitur, quod ubi in instrumento talis clausula reperitur, mandata sine clausula decerni debeant. Collige etiam ex *hac lege:* ex 8
ista clausula hic relata praesumi hypothecam constitutam, ubi magis mens attenditur, quam verba, *l. fin. ff. quae res pign. Baldus hic. Cremensis sing.* 2. *Coler. de process. execut. p.* 3. *c.* 12. *n.* 41. *et* 53. *et* 67. *Tuschus conclus.* 118. *num.* 43. *et* 46. *Neguzant. memb.* 1. *part.* 3.

num. 4. *Card. Mantica de tac. et amb. convent. lib.* 11. *t.* 4. *num.* 2. *Klock. v.* 2. *cons.* 40. *n.* 103.
9 Ii tamen *DD.* qui possessionem propria auctoritate acceptam approbant, restringere solent illud, nisi possessor se opponat, nam tunc Judicis auctoritate opus est, quod etiam semper tutius esse judicant *DD.* quos refert *Klock. in voto Cam.* 11. *n.* 31. Sicut et eo casu auctoritate judicis opus est, si quis ad carcerem se obliget, *Gretserus de juram. l.* 2. *c.* 7. *num.* 5.

L. Cum te pecuniam. 4.

SUMMARIUM

Sensus legis.

Debitor queritur, se necessitate coactum dedisse pignora, atque adeo ex edicto *quod metus causa* vult restitui; sed hanc necessitatem non ex atrocitate facti probat, sed allegat se vel necessitate rei familiaris, vel importunitate creditoris coactum fuisse dare pignora, nam aliter non accepisset creditam pecuniam, sed haec necessitas non est ea, quae meretur restitutionem, *Hillig. in Donell. lib.* 15. *c.* 38. *lit. B. Bacchov. de pignor. lib.* 3. *cap.* 4. *num.* 3. Nam licitum fuit creditori, legem suae rei et pecuniae dicere, quam voluit, *l. lex vectigali* 31. *ff. h. t.* Ideoque optimum consilium Imperatoris hoc loco: *Si vis recipere rem tuam, solve creditori pecuniam.*

L. Praeses. 5.

SUMMARIA

Facti species. num. 1.
Deciditur per distinctionem. 2.
Praescriptio dominii pignoris, quae currit contra debitorem, non nocet creditori quoad jus hypothecae. 3.

1 Debitor meus mihi obligavit suam Bibliothecam, postea cum amisisset possessionem Bibliothecae, egit actione reali cum possessore, et superatus est: Quaeritur: *An haec sententia mihi noceat?* Et videtur quod sic, quia haec sententia declarat rem in bonis debitoris non fuisse, quod tamen pignoris necessarium requisitum est, *l.* 15. §. 1. *ff. h. t.* Sed negatur hic;
2 Nam distinguendum: utrum antequam litigaret cum possessore, pignori mihi rem obligaverit, an postea, ut hoc casu non teneat pignus, *l.* 3. §. 1. *ff. h. tit.* illo casu teneat, ut mihi non noceat sententia, si me ignorante lata, *l.* 11. §. *fin. ff. de except. rei judic.* Sed si me sciente petiisset, et victus esset, tunc mihi noceret sententia, per *l. saepe ff. de re judic. Neguz. de pign. memb.* 3. *partis* 6. *num.* 39. *Bacchov. de pign. l.* 3. *cap.* 15. *num.* 1. nisi I. Per collusionem et ex compacto passus sit, se vinci, ut me pignore defraudaret: vel II. Ob praescriptionem victus sit, forte quod possessor per triennium possederit Bibliothecam, nam haec usucapio noceret debitori seu domino, sed non mihi, ut creditori, nec jus conventionis seu pignoris extingueret, *l.* 7. *h. t.* vel nisi in contumaciam condemnatus esset debitor, vel nisi creditor non habeat hypothecam in manibus, sed ea fuerit penes debitorem, quia tunc pertineret defensio principaliter ad debitorem, non ad creditorem, et sic cessat ratio *d. l. saepe etc. Neguzant. d. l.* Denique non praejudicaret sententia creditori scienti, si debitor egisset et reus absolutus fuisset ex inopia probationis et non ex eo, quod reus probarit dominium, *Neguzant. d. l. num.* 40. Quid autem sit in casu converso, si creditor victus sit, an haec sententia praejudicet debitori, vide *Neguzant. d. l. num.* 41. *et seqq.* Unde Colligitur: Praescriptionem dominii pignoris, quae currit contra debitorem, 3
non nocere creditori quoad jus hypothecae, *Balbus de praescription. part.* 4. *partis* 4. *princ. q.* 3. *num.* 3. quod etiam probatur ex *l.* 7. *h. t.*

L. In summa. 6.

SUMMARIA

Facti species. num. 1.
Ratio dubitandi. 2.
Decidendi. 3.

Obligasti mihi domum tuam pro debito. E- 1
go compulsus sum ob domum illam solvere impensas reficiendarum viarum et pontium, item tributa, Quaeritur: *An pro his etiam pignus sit obligatum expensis?* Videtur quod non, 2
ob *l.* 5. *infr. in quibus causis pignus tacite etc.* Sed hic dicitur, quod etiam hae impensae in 3
summa debiti computentur. Quod interpretandum est ex *l. necessarias* 8. *ff. de pign. act.* quod principali debito soluto ob has impensas habeam retentionem pignoris; et actionem pignoratitiam contrariam, non vero actionem realem, seu persecutionem pignoris. Imo si onera illa sint privilegiata, ut jam proposui, videor in illorum locum successisse, et jus etiam reale cum privilegio adquisivisse, per *l. si ventri* 24. §. *fin. ff. de rebus auct. jud. possid. Carpzov. part.* 1. *c.* 28. *def.* 134. *Petr. Barbosa in l. post dotem num.* 62. *ff. solut. matrim.*

L. Usucapio. 7.

SUMMARIA

Facti species. num. 1.
An usucapio pignoris bona fide per decem annos ab aliquo possessore creditori noceat? 2.
Objectiones tacitae removentur. 3.

Pignus ab aliquo bona fide possidetur decem 1
annis, et usucapitur, Quaeritur: *An haec usu-* 2
capio noceat creditori? Videtur quod sic, quia extinguitur dominium, et res redit in eum casum, a quo incipere non poterat, §. 2. *Instit. de inutil. stipul.* et facit pro affirmatione, *l.* 1. *et* 2. *supr. si adversus creditorem praescript. oppon.* Sed negatur *hic et l.* 44. §. 5. *ff. de usucap.* ubi ratio: Quod aliud sit dominium, aliud jus pignoris, et si debitor alienat, non praejudicat creditori: Ergo nec si per usuca-

3 pionem transferat dominium. Ad ration. contra *primam* respond. Quod ea regula sit de imperfectis negotiis intelligenda, §. *praeterea* 1. *Instit. quibus testam. facere etc.* Ad *secundam* respondetur : Usucapionem non praejudicare creditori, juxta *l.* 7. nisi ipse etiam creditor per decennium tacuerit, et ita suum jus praescribi passus fuerit, juxta *d. l.* 1. *et* 2. quamvis vulgo *hanc legem* de usucapione mobilium, *d. l.* 1. *et* 2. vero de usucapione immobilium accipiant. Conjunge explicationem *legis* 5. *h. tit.*

L. Quamvis. 8.

SUMMARIA

Facti species. num. 1.
Ratio dubitandi. 2.
Dicidendi. 3.
Conventio de pignore non dissolvitur, nisi solutione debiti. 4.
Actio haec pignoratitia qualis sit? 5.
Quatenus haec lex *locum habeat?* 6.

1 Obligasti mihi praedia tua, egi contra te actione personali, ut debitum solveres, ad quod fuisti condemnatus, Quaeritur: *An contra possessorem pignorum agere possim?* Videtur quod
2 non, quia haec quasi novatio est, quod egi
3 cum debitore. Sed Affirmatur, quia conventio
4 de pignore non dissolvitur, nisi solutione debiti, *l.* 13. §. 4. *ff. h. t.* non vero electione debitoris principalis vel fidejussoris vel nominatoris, id est, ejus, cujus jussu pecuniam credidi, *l.* 1. §. 43. *ff. depositi*, et novatio, quae per litis contestationem fit, non est voluntaria, sed ne-
5 cessaria, per *l.* 29. *ff. de novat.* Et est haec actio hypothecaria, quae contra pignoris possessorem datur, non in personam, sed in rem, cum omnem possessorem comitetur, *l.* 18. *h. t. l.* 17. *ff. eodem.* Ergo in rem est, *arg.* §. 1. *et* §. 7. *Instit. de act. Neguz. de pign. membr.* 3. *part.* 2. *num.* 32. Notetur hic ex inscriptione et subscriptione: hanc legem esse partem *legis* unicae *C. etiam ob chirographariam pecuniam*
6 *pignus retineri posse.* Et locum habet *l.* 8. si modo non absolutus fuerit debitor principalis, nam eo absoluto liberantur etiam pignora, *l.* 13. *ff. quibus mod. pign. solv.* Sed si debitor condemnatus est, nec tamen creditori satisfecit, nondum est soluta hypotheca, *l.* 13. §. 4. *ff. h. t.* Non enim solvitur per litis contestationem et conventionem, *l.* 11. *princ. ff. de pign. act.*

L. Si dominium. 9.

SUMMARIA

Facti species. num. 1.
Quaestio inde deducta. 2.
Alienatio debitoris, creditoris conditionem deteriorem reddere nequit. 3.
Dominus rei habet jus offerendi creditori, licet non conveniatur actione hypothecaria, sed agat de dominio contra creditorem possidentem, et creditor excipiat de jure hypothecario. 4.

Debitor rem, quam creditori pignoris nexu 1
obligavit, mihi vendidit et tradidit, quod facere potest, quia dominus manet, §. 1. *Instit. quibus alienare licet*, Quaeritur ergo: *An ego,* 2
ceu dominus traditione effectus, rem illam amissam vindicare possim a creditore? Resp. quod sic, sed eadem lege ac conditione, qua dominus sive debitor recipere ac vindicare posset, nempe si debitum solvam, vel creditori offeram. Nam alienatio debitoris, creditoris conditionem 3
reddere deteriorem nequit, *l.* 15. *h. t.* Sed in debito solvendo imputabuntur fructus ex re oppignorata a creditore accepti, *hic et l.* 1. *infr. de distract. pignor.* Collige ex *hac lege:* Dominum rei habere jus offerendi creditori, 4
licet non conveniatur actione hypothecaria, sed agat de dominio contra creditorem possidentem, et creditor excipiat de jure hypothecario, nam replicando potest actor dicere, solvam tibi debitum, sub quo res haec obligata, deducto tamen eo, quod ex fructibus rei pignoratae accepisti. Et sic ea, quae de jure offerendi in eo casu, quo possessor a creditore convenitur, tradunt *DD. ex. l. Paulus* 12. §. 1. *ff. quibus modis pign. solv. l. tale pactum* 40. §. 2. *ff. de pact. Afflict. decis.* 259. *Menoch. rem.* 3. *adip. poss. num.* 182. *et remed.* 14. *recup. poss. num.* 60. *Roland. a Valle cons.* 14. *num.* 9. *lib.* 1. extensionem recipiunt. Caeterum, in quibus casibus creditores jus offerendi habeant, docet *Auct. in l.* 3. *ff. de distr. pign. num.* 6. 7. 8.

L. Debitores. 10.

SUMMARIA

Debitor rem creditori oppignoratam alii vendere potest. num. 1.
Hoc ipso tamen conditionem creditoris deteriorem non reddit. 2.
Quo ordine sit procedendum, et an statim tertium possessorem creditor convenire possit? 3.
Objectio diluitur. 4.
Quomodo textum hunc communiter soleant interpretari? 5.
Interpellatio extrajudicialis reum in mora constituit. 6.
Facta interpellatione extrajudiciali nihilominus creditor electionem habet, utrum debitorem principalem, an vero possessorem pignoris convenire velit. 7.
Creditor compelli non potest, ut prius debitorem principalem conveniat. 8.
Hoc mutatum per Nov. 4. c. 2. et. Auth. Hoc si debitor. h. t. *num.* 9.
Sed iterum temperatum per Nov. 112. c. 1. *et quomodo?* 10.

Debitor rem, creditori suo oppignoratam 1
mihi vendit, quod facere potest, ob *l.* 9. *h. t.* manet tamen creditori salvum jus pignoris, *l.* 11. *h. t. et l.* 15. Ubi ratio: quod debitor rem 2
creditori oppignoratam vendendo, donando, legando, etc. conditionem creditoris reddere deteriorem nequeat, et per *l. id quod nostrum ff. de R. J.* Sed Quaeritur: *Quo ordine proce-* 3
dendum sit, et an statim tertium possessorem,

et in proposita specie, me creditor convenire
possit: Et quidem in *l.* 10. Resp. Si de-
bitor principalis sit praesens, prius illum esse
conveniendum denunciationibus, id est, non
in judicio, sed tantum extrajudicialiter inter-
pellandum, ut solvat. Nec enim hic intelligimus
solemnes et testatas illas denunciationes de re-
luendo pignore, quas venditionem praecedere
oportet, cum *Cujacio lib.* 5. *obs.* 31. cum hic
non de vendendo, sed vindicando pignore aga-
tur, sed interpellationem debitoris extrajudicia-
lem, *Hillig. in Donell. lib.* 17. *cap.* 2. *lit. B.*
Et hoc humanitatis ratio introduxit, cum sine
incommodo creditoris hoc fieri possit, quod
enim petenti prodest, concedenti non nocet,
id aequum est non denegari, *l.* 2. §. 5. *ff. de*
4 *aqua et aq. pluv. arc.* Nec obstat *l. si cessante*
7. infr. de distr. pign. Nam distractio pignoris
nocet tantum debitori, persecutio pignoris etiam
5 extraneis possessoribus. *Doctores* tamen *hanc*
legem interpretantes communiter de urbanitate
hoc intelligunt, ut et *Donell. ac Hillig. d. c.* 2.
6 *lit. D.* licet interpellatio extrajudicialis reum
in mora constituat, *l.* 24. *ff. de verb. oblig.*
Mynsing. c. 3. *obs.* 95. *Menoch. lib.* 2. *A. Q.*
casu 36. Conf. *Hillig. in Donell. lib.* 21. *cap.* 2.
7 *lit. K.* Quando autem interpellatio haec extra-
judicialis facta, tamen jure veteri creditor ele-
ctionem habet, utrum debitorem principalem,
an vero possessorem pignoris convenire velit,
l. 14. *et* 15. *h. t. et l. ult. supra de obl. et act.*
8 nec potest creditor compelli, ut prius debito-
rem actione personali compellat, *l.* 24. sed hoc
9 mutatum per *Nov.* 4. *c.* 2. *et Auth. hoc si*
debitor h. t. qua constitutum, debitorem prin-
cipalem, aut ejus fidejussorem prius excuti de-
bere, antequam tertium possessorem pignoris
10 creditor conveniat. Sed hoc jus in *Novell.* 112.
c. 1. unde desumpta *Auth. hoc ita h. t.* temperatum, hoc modo: Si creditor adversus debitorem pignus adhuc possidentem de hypotheca agere coeperit et controversia mota debitor pignus alienet, in hac specie licet statim creditori pignoris possessorem tertium convenire, nondum excusso debitore principali, ut ita *Nov. haec* contineat *except. Nov.* 4. quae ipsa interpretatio *ex Rubrica de litigiosis*, et contextu videtur colligi posse. Vid. *Rittershus. in Nov. part.* 3. *cap.* 2. *in fine*, licet *Cujac. et alii Nov.* 4. de hypotheca generali, *Novell.* 112. de hypotheca speciali intelligant, ut hanc creditor etiam non excusso principali debitore persequi possit, quam sententiam pluribus defendi in notatis ad *d. l. ult. C. de obl. et act.* Quamvis autem actum sit contra ipsum debitorem, non tamen ea sententia ferit possessorem tertium, sed hic novo processu conveniendus, nisi tertius etiam cum protestatione processui contra debitorem moto se immiscuerit et intervenerit, tunc enim uterque tam tertius quam debitor una sententia condemnandus, per tradita *Mevii p.* 4. *dec.* 282.

L. Nominatori. 11.

SUMMARIA

Facti species. num. 1.
Quaestio inde deducta. 2.

Nominavi te, ut idoneum, ad munus reip. vel 1
ad munus tutelae, sed quia male administras,
ideoque, te prius excusso, juxta *l. adversus*
4. *supra de magistrat. conveniendis*, solvere
cogor; solutione facta, tu mihi actione manda-
ti teneris, si tuo mandato te nominavi; Sed
Quaeritur: *An propterea pignora capere pro-* 2
pria auctoritate possim, te invito? Quod ne-
gatur ob *l.* 3. *h. t.*

L. Si uxor tua. 12.

SUMMARIA

Facti species. num. 1.
Mulier in propria persona contrahens SCto Vellejano *non juvatur.* 2.

Uxor tua pro debito suo res proprias obliga- 1
vit pignori, huic successisti, debitum solvis vel
offers; *An pignoratitia actione pignus potes re-*
petere? Resp. id nullum dubium habere, licet
instrumentum super pignore dato sit amissum,
vel nullum factum sit instrumentum, ratio in
l. 4. *ff. h. t.* Collige: Mulierem, si propria in 2
persona contrahat, non juvari *SCto Vellejano*,
Vid. *notata ad l.* 10. *supra de SCto Vellejan.*

L. Cum dominam. 13.

SUMMARIA

Facti species. num. 1.
An pignore in solutum dato translatum sit dominium? 2.
Ratio dubitandi. 3.
Decidendi. 4.
Interdum nuda voluntas domini sine traditione ad transferendum dominium sufficit. 5.
Cessio in solutum est titulus transferendi dominii. 6.
Pignus in solutum dari potest, nec hic legi commissoriae locus, in quam non incurrunt partes, si ab initio convenerint de pignore pro justo pretio in solutum dando. 7.

Debitor pignus antea mihi dedit, et postea 1
convenit inter nos, ut pignus in solutum reti-
nerem, Quaeritur: *An ita translatum sit domi-* 2
nium? Videtur quod non, cum nulla traditio 3
sit facta, nec ulla causa apta ad transferendum
dominium; sed affirmatur, quia interdum sine 4
traditione, nuda voluntas domini sufficit ad 5
transferendum dominium, veluti si rem, quam
commodavi vel locavi etc. tibi cesserim, *l.* 9.
§. *interdum* 5. *ff. de acquir. rer. domin.* et da-
tio sive cessio in solutum est titulus transfe- 6
rendi dominii, *l.* 4. *ff. de publiciana.* Et ideo
nota: Pignus in solutum dari posse, scilicet 7
ex intervallo, si id placuerit, *Neguzantius de pign. parte* 4. *princ. num.* 6. ubi plures habet limitationes, sicut etiam in praecedentibus habet ampliationes ejus regulae; quod lex commissoria in pignoribus locum non habeat. Conf. *Bacchov. de pign. l.* 1. *cap.* 15. *num.* 6. nec hic legi commissoriae locus, in quam non in-

currunt partes, si ab initio convenerint de pignore pro justo pretio in solutum dando, *l.* 16. *§. ult. ff. de pign. l.* 31. *ff. de pign. act. Covarr. l.* 3. *res. c.* 2. *num.* 8. *Trentac. de pign. l.* 3. *resol.* 11. *num.* 14. *Carpzov. l.* 5. *resol.* 12. *Neguzant. d. num.* 6.

L. Distractis. 14. cum subjecta. Authent.

SUMMARIA

Facti species. num. 1.
An debitorem prius convenire debeam actione personali, an vero actione reali fratrem ejus, utpote pignorum possessorem? 2.
In hac Authentica *habetur limitatio* Novellae quartae. 3.

1 Debitor obligata mihi pignora vendidit fratri
2 suo, Quaeritur: *An debitorem prius convenire debeam actione personali, an vero actione reali fratrem ejus, utpote pignorum possessorem?* Resp. hic in *lege*, esse in arbitrio meo. Verum hoc est *in seq. Authent. hoc ita* temperatum, si scil. non satisfactum ex pretio, ut fieri debebat, *Novell.* 112. *cap.* 1. scilicet si scivit emptor pignoris, rem obligatam mihi esse, debet hoc agere, ut curet, pecuniam venire ad me ceu creditorem, quod si factum non sit, mihi ceu creditori fraus facta videtur, et utique peccatum est contra constitutionem *Nov.* 112. et ita protinus mihi actio datur con-
3 tra emptorem. Et sic in *hac Authentica* habetur limitatio *Novell. quartae, de quo Bacchovius in tr. de pign. lib.* 3. *c.* 17. *num.* 3. Vid. not. ad *l.* 10. *h. t. et l. ult. supra de obl. et act.*

L. Debitorem. 15.

SUMMARIA

Ampliatur regula: Quod debitor creditoris causam deteriorem reddere nequeat. num. 1.
Res vendita a debitore semper cum onere transit. 2.
Creditor rem alienari sciens sibi non praejudicat. 3.
An generalis hypotheca afficiat res singulas, ut non possint libere alienari? 4.

1 Sive debitor inter vivos alienat, sive per testamentum, non tamen potest deteriorem reddere causam creditoris, aut praejudicare juri creditoris, cui semper sua actio salva contra possessorem pignoris. Ratio in *l. id quod nostrum ff.*
2 *de regul. jur.* Et sic res vendita a debitore semper transit cum onere. *Carpz. part.* 2. *constit.* 21. *defin.* 8. *Rauchb. part.* 1. *qu.* 5 *num.* 3. scilicet non potest derogari ex post facto, ex facto voluntario, et causam non habente necessariam, et preambulam obligationi bonorum factae creditoribus, *Salgado in labyr. p.* 3. *c.* 13. *num.* 1. qui multis exemplis declarat regulam
3 hic traditam. nec creditor sciens rem alienari, sibi praejudicat, *l.* 8. *§.* 15. *ff. quibus mod. pign. solv. Carpz. d. l. num.* 6. *Harprecht. ad §.* 3. *de servit. num.* 17. Sed hac de re infra ad *l.* 8. *de remiss. pign.* Sed an generalis 4
hypotheca afficit res singulas, ut non possint libere alienari? Affirmat. per *h. l. et l.* 8. *§. ult. C. de sec. nupt. et l. ult. de remiss. pign. Bacch. de pign. lib.* 1. *c.* 5. *num.* 3. Quaenam autem sub generali hypotheca non comprehendantur, nec in eam venire possint, docet *Auctor in l.* 1. *ff. h. t. num.* 3. *seqq. et l.* 8. *eod.*

L. Et si frater tuus. 16.

SUMMARIA

Facti species. num. 1.
Obligatio accessoria sequitur naturam ejus actionis, cui accedit. 2.

Frater meus meam pecuniam mutuo dedit 1
suo creditori, Quaeritur: *An mihi quaesiverit actionem hypothecariam, forte quia mea fuit pecunia?* Sed negatur, quia enim frater mutuo dando meam pecuniam, non mihi, sed sibi quaesivit, actionem personalem, si pecunia sit consumpta, seu condictionem certi, *l.* 2. *et* 7. *supra si certum petat. Auct. in l.* 18. *ff. de reb. cred. num.* 1. Pignoris etiam obligationem, ut quae accessoria est, non mihi, sed sibi quaesivit, sed si meo nomine credidit, et pignus accepit, actionem tam personalem, quam hypothecariam mihi quaesivit juxta *l.* 2. *supr. per quas personas etc. Auct. in l.* 9. *ff. de reb. cred. num.* 3. 4. *et* 5. Notetur autem ex *h. l.* 16. 2
obligationem accessoriam sequi naturam ejus actionis cui accedit, *Neguzant. de pign. membr.* 4. *part.* 2. *num.* 60. *Petrus Barbosa in l. Cajus* 45. *num.* 6. *ff. solut. matrim.*

L. Quamvis. 17.

SUMMARIA

Facti species. num. 1.
Dans pecuniam ad refectionem domus, tacitam in domo hypothecam habet. 2.
Sarta tecta aedificia conservari reipubl. interest. 3.
Sententia communius recepta. 4.
Excipitur pecunia pupillaris. 5.

Emit frater meus pecunia mea, quam ipsi ad 1
hoc mutuo dedi, praedium, Quaer. *An ob id praedium mihi tacite sit obligatum?* Videtur quod sic, quia dans ad refectionem domus pe- 2
cuniam, habet tacitam hypothecam in domo, *l.* 6. *ff. qui potiores etc. Auct. in l.* 1. *ff. in quibus caus. pign. num.* 1. *seq. et l.* 25. *ff. de reb. cred. num.* 1. ergo etiam qui dat ad emptionem. Sed resp. hic negando; quia sarta tecta aedificia 3
conservari reipublicae interest, non ita vendi vel emi, *Auct. in d. l.* 25. *ff. de reb. cred. num.* 2. ergo jus tacitae hypothecae non habeo, nisi de hypotheca mihi expresse prospexerim, *l.* 7. *cum Auth. seq. infr. qui potiores etc. Auct. in d. l.* 25. *de reb. cred. num.* 2. quae senten- 4
tia communius recepta, *Neguz. de pign. memb.* 1. *part.* 2. *num.* 163. *Covarr. lib.* 1. *res. c.* 7.

num. 3. *Rauchbarus p.* 1. *q.* 5. *num.* 5. *et seqq.* 5 *Carpzov. p.* 2. *c.* 28. *def.* 107. Excipitur pecunia pupillaris, *l.* 6. *supr. de servo pign. dato, Carpz. p.* 1. *const.* 28. *def.* 109.

L. Pignoris. 18.

SUMMARIA

Actio hypothecaria in rem est, et possessorem sequitur. num. 1.
Objectio tacita removetur. 2.

1 Actio hypothecaria est in rem, et sequitur possessionem, *Neguz. memb.* 3. *part.* 2. *num.* 32.
2 quamvis enim in *l.* 17. §. 2. *ff. de pactis* dicatur, quod ex pacto detur haec actio, paulo pinguius tamen textus ille loquitur, nam ex pacto oritur nexus pignoris ex edicto Praetoris, quo posito oritur actio hypothecaria, *Bacchov. de act. disp.* 3. *th.* 32. *lit. B.* Et ideo creditor agens hypothecaria actione praeter constitutionem pignoris, duo probare debet, scil. rem fuisse in bonis debitoris, et jam a reo possideri, *Bacchov. de pign. lib.* 3. *c.* 11.

L. Sicut vim. 19. et L. Servo. 25.

SUMMARIA

Creditor soluto debito ad pignus restituendum tenetur actione hypothecaria. num. 1.
Quid si amissum vel perditum pignus? 2.
Casus fortuitus ut in nullo contractu, ita nec in pignore praestatur. 3.
Quamnam culpam praestet creditor? 4.

1 Creditor soluto debito tenetur ad pignus restituendum actione pignoratitia, *Struv synt.*
2 *jur. civ. dec.* 19. *th.* 48. Sed *quid si amissum*
3 *vel perditum pignus?* Resp. casum fortuitum, ut in nullo contractu, *l. quae fortuitis* 6. *supra de pign. act.* ita nec hic praestari, nisi propria auctoritate rem occupaverit, *Auct. in l.* 30. *ff. de pign. act.* Hinc servo, qui pignori datus erat, mortuo, superest adhuc creditori persecutio debiti, *l.* 25. nam pignore perempto non extinguitur debiti persecutio, et creditor vim majorem praestat. Sed quod ex re piguorata superest, manet pignoris titulo obligatum, *l.* 21. *ff. de pignorat. act. l.* 29. §. *pen. ff. de pign. Bacchov. de pign. l.* 5. *c.* 12. Sed culpam praestat,
4 creditor, *sed quam?* Resp. levem, quia utriusque causa initus contractus, *l.* 5. §. 2. *ff. de commodato, Neguz. memb.* 5. *part.* 7. *num.* 4. *Trentacinq. d. tit. de pign. resolut.* 3. *et* 6. *Fagundez de J. et J. lib.* 7. *t.* 5. *num.* 8. *Molina tr.* 2. *d.* 5. *qu.* 4. *num.* 8.

L. Creditor. 20.

SUMMARIA

Facti species. num. 1.
Quaestio inde deducta. 2.
Nemo ad agendum nisi in casu diffamationis compelli potest. 3.
Quodnam remedium habeat debitor h. l.? 4.

Debitor creditori dedit pignori hortum, quem 1
postea vult, oblata debita pecunia, reluere et recuperare. Sed tergiversatur creditor forte lucrum ex fundo captans, Quaeritur: *An debi-* 2
tor urgere possit creditorem, ut in judicio agat, quo debitor pecuniam offerre possit? Resp. neminem compelli posse ad agendum, nisi in 3
casu diffamationis, *Struv. synt. jur. civ. exerc.* 9. *th.* 4. quae hic facta non est, ergo non potest creditor invitus compelli ad agendum. Sed aliud remedium habebit debitor: Poterit enim 4
pecuniam debitam offerre, et si nolit acceptare, potest consignatam in judicio deponere, atque ita pignus liberare, *l.* 19. *supr. de usur.* nam haec depositio species solutionis est, *l. obsignatione infr. de solut.* Imo si tantum offerat in judicio, habet pignoratitiam actionem, *l.* 9. §. *fin. ff. de pignorat. act.* quia per creditorem hoc casu stat, quo minus conditio pignoratitiae actionis impleatur, *DD. in d.* §. *fin. Neguz. memb.* 3. *part.* 5. *princip. num.* 5. *Zangerus de except. p.* 3. *c.* 2. *num.* 121. *Schultz de oblat. c.* 6. *num.* 3.

L. Res obligatas. 21.

SUMMARIA

Extraneus debitum pro debitore solvere, et ita pignus liberare potest. num. 1. 5.
Quid inde consequatur? 2.
Si creditor vendidit pignus suo jure, tunc emptor fit dominus. 3.
Quid si quis ea conditione solvit debitum, ut idem pignus etiam sibi obligaretur? 4.
Si debitor oblationem creditori factam cum suis scil. requisitis solemnibusque probare poterit, creditor a debitore repellitur. 6.
Exceptio a regula num. 1. *tradita.* 7.
Solutio a tertio facta impedit, quo minus emphyteuta amittat emphyteusin. num. 8.
Creditor solvendo canonem domino directo facere potest ne in commissum cadat. 9.
Extraneus solvendo cessionem jurium ab invito creditore impetrare non potest. 10.

Extraneus aliquis pro debitore solvere potest 1
debitum, et ita pignus liberare, *l.* 23. *ibique Auctor l.* 53. *ff. de solut.* Sed *quid consequitur?* 2
Resp. non consequi ipsum dominium, quia ad hoc transferendum consensu domini opus est. Sed aliud est, si creditor vendidisset pignus 3
suo jure, nam tunc emptor fieret dominus, §. 1. *Instit. quibus alienare licet*, *l.* 46. *ff. de acquir. rer. domin.* Si autem quis ea conditio- 4
ne solveret debitum, ut id pignus etiam sibi obligaretur, succedit creditori in jure pignoris, *l.* 1. *pr. ff. quibus modis pign. vel hypoth. solv.* Collige ergo: Extraneum solventem pro 5
debitore, posse eum liberare, adeo ut creditor invitus solutionem accipere teneatur, *hic et l. solvendo* 39. *ff. de neg. gest. l. solutione* 23. *ff. de solution. ibique Auctor.* Et si debitor potest 6
probare oblationem factam creditori cum suis

scilicet requisitis, solemnibusque, possit creditor repelli a debitore, *Castrens. in l. tale pactum* 10. §. *post divisionem ff. de pact. Neguz. d. membr.* 3. *part.* 5. *pr. num.* 39. Pla-
7 ne interdum extraneum solvendo non liberare debitorem, ubi praeter solutionem requiritur recognitio dominii, dicit *Neguzant. d. l. num.* 40. *et seq.* Sed communior est sententia,
8 imo quod solutio a tertio facta impediat, quo minus emphyteuta amittat emphyteusin, per *l. arboribus* 12. §. 2. *vers. non solum ff. de usufructu, Jason in l.* 2. *C. de jure emphyt. q.* 25. *num.* 67. *Auctor in l.* 31. *ff. de pign. et hypoth. num.* 5. quam sententiam examinat, et tandem concludit, communem sententiam procul dubio obtenturam *Bacchov. de pign.*
9 *l.* 5. *c.* 13. *num.* 3. Minus dubium est, quod creditor solvendo canonem domino directo, facere possit, ne in commissum cadat, per *l.* 31.
10 *ff. de pignor.* Sed extraneus solvendo non potest impetrare cessionem jurium ab invito creditore, *l. nulla C. de solut. Neguz. de pignor. memb.* 3. *partis* 5. *princ. num.* 42.

L. Secundus creditor. 22.

SUMMARIA

Si quis duobus creditoribus eamdem rem obligat, primus creditor tempore, et ita jure potior est posteriore. num. 1.
Sed si posterior solvat primo sortem debitam cum usuris, posterior sibi pignus confirmat, tam in sortem quam usuras, ita ut debitor cogatur usuras secundo creditori solvere, sicut primo solvere debuisset. 2.
Casus. 3.
In negotiorum gestione quicquid vel in sortem vel usuras solvitur, instar sortis est. 4.
An mutata persona debitoris vel creditoris usurae usurarum debeantur? 5.

1 Quando quis duobus creditoribus eamdem rem obligat, primus creditor tempore, et ita jure potior est posteriore, *Auctor in l.* 12. *ff. qui*
2 *pot. in pign. num.* 15. sed si posterior solvat primo sortem debitam cum usuris, confirmat posterior sibi pignus, *hic et l.* 5. *pr. ff. de distr. pign.* tam in sortem, quam usuras, ita ut debitor cogatur usuras secundo creditori solvere, sicut solvere debuisset primo, quia ille in hujus locum succedit, *d. l.* 5. de quo infra *tit. de his, qui in priorum creditorum locum succe-*
3 *dunt.* Sed pone: primo creditori debuisti 100. cum 30. thal. usurarum nomine, haec 100. et 30. solvit secundus creditor, an de his 30. thal. usurarum nomine solutis, usuras a debitore petere possit, Quaeritur: Et videtur quod sic,
4 quia in negotiorum gestione, quicquid vel in sortem vel usuras solvi, mihi instar sortis est; Sed resp. Negat. *hic et l.* 12. §. 6. *ff. qui potiores etc.* ubi ratio, quia creditor secundus solvens primo, non gessit negotium primi, ergo nec neg. gest. act. habet, sed suum gessit negotium sibique confirmavit pignus, et suo facto causam debitoris deteriorem facere non potuit, et quia successit in locum prioris creditoris, non potest diverso jure uti, sed eodem, quo ille, *Caspar Rodericus de ann. redit. lib.* 2. *qu.* 17. *num.* 28. Unde simul colli- 5
gitur, quam periculosa sit sententia *Berlich. p.* 2. *dec.* 268. *num.* 34. dicentis simpliciter, mutata persona debitoris, usuras usurarum deberi.

L. Major. 23.

SUMMARIA

An pacto creditoris cum debitore, ut res non amplius sit pignori, ipsum jus seu pignus tollatur? num. 1.
Quod nuda conventione constituitur, nuda conventione tollitur. 2.
Hypotheca nudo consensu ex jurisdictione Praetoris contracta, nudo consensu contrario dissolvitur. 3.

Creditor pactus est cum debitore, ut res non 1
amplius sit pignori. Quaeritur: *An hoc pacto ipsum jus seu pignus tollatur?* Resp. Aff. Nam quamvis pactum nudum sit, tale tamen est, quod Praetor, vel is, cujus est jurisdictio, tueri debet, quia quod nuda conventione constitui- 2
tur, nuda conventione tollitur, et quidem ipso jure, quando expresse pactum est, ne res pignori sit, *l.* 5. *pr. ff. quibus mod. pign. solv.* Secus si pignus traditum, vel tacite conventum, ut a pignore recedatur, v. g. si pactum sit de debito principali non petendo, *d. l.* 5. §. 1. nam hoc casu volunt ope exceptionis tolli pignus, *l.* 17. §. 2. *ff. de pactis, Bacchov. de pign. lib.* 5. *c.* 6. Et si pignus traditum sola remissione juris pignoris, non tollitur juris vinculum ipso jure, sed ope exceptionis, *Bacchov. d. l.* Colligitur ergo ex *hoc textu:* Hypo- 3
thecam nudo consensu ex jurisdictione Praetoria contractam nudo consensu contrario dissolvi, *Neguz. membr.* 3. *partis* 6. *princ. num.* 32. *et seqq. Card. Mantica de tac. et amb. convent. lib.* 11. *tit.* 31. *num.* 34. *Wesenb. in* ϖ. *quibus modis pignus toll. num.* 2. *P. Gregor. l.* 23. *c.* 12. *num.* 5.

L. Persecutione. 24. et Auth. Hoc si debitor.

SUMMARIA

An creditor omissa personali actione, quam habet contra debitorem, possit contra possessorem pignoris agere actione hypothecaria? num. 1.
Deciditur per distinctionem. 2.
Limitatur. 3.

Hoc quaeritur hic: *An creditor omissa per-* 1
sonali actione, quam habet contra debitorem, possit contra possessorem pignoris agere actione hypothecaria? Quod Affirmatur *hic in lege* 24. Sed in *Authentica subjecta*, distinguitur; An 2
ipse debitor possideat pignus, et tunc salvam habet electionem creditor, an vero extraneus possideat, et tunc debitor prius excutiendus, antequam perveniatur ad possessores pignorum

3 extraneos, sed hoc limitatur: I. Nisi debitor esset absens, *Gl. hic arg. Authent. praesente C. de fidejuss.* II. Nisi pignus venditum esset ea lege, ut pretium daretur creditori, et emptor non curavit, ut illa pecunia perveniret ad creditorem, quia non videtur fraude carere, *Gloss. hic*, per *Auth. hoc ita C. h. t.* III. Nisi quis habeat hypothecam specialem, quam creditor excutere potest, non excusso principali debitore, per *Novell.* 112. *c.* 1. *Thesaur. dec.* 51. *Tuscus concl.* 403. *num.* 39. *lit. E. Berlichius p.* 2. *conclus.* 24. *num.* 71. Conferatur *Neguzantius de pign. part.* 8. *membr.* 1. *num.* 11. *et seqq.* qui hoc varie ampliat et limitat, quas ampliationes et limitationes examinat *Bacchov. in tr. de pign. lib.* 3. *c.* 17. *num.* 2. *et seqq.*

L. Si tibi notarium. 26.

SUMMARIUM

Creditor contra furem ob surreptum pignus duplicem habet actionem.

Creditor ob pignus surreptum contra furem habet duplicem actionem, 1. furti, non pro quantitate debiti, sed pignoris, *l. creditori* 15. *et l.* 87. *ff. de furt.* sed quod excedit aestimationem debiti, pignoratitia actione restituere tenetur, *d. l.* 15. Conf. *l.* 14. §. 6. *ff. de furtis.* - 2. Actionem hypothecariam, ut contra possessorem.

L. Super. ult.

SUMMARIA

Militia quid sit? num. 1.
An si quis non tantum negotiator vel metaxarius seu serici negotiator, sed et quis alius debitor omnia bona, vel rem ex hac pecunia comparandam oppignorasset, etiam hanc militiam obligasse videatur? 2.
Sed si possessor militiae neget militiam emptam esse ex pecunia debitoris, cui incumbat probatio? 3.
Quid consequatur creditor per hanc actionem hypothecariam? 4.
His militiis hodie non utimur. 5.

1 Militia est functio omnis ordinaria, qua quis operam suam navat vel Principi vel Reipubl. vel Magistratibus in rebus ad publicam administrationem pertinentibus obeundis, et hac quidem vel vendi possunt, ac in haeredes transmitti, vel non possunt vendi, ac in haeredes transmitti, sed personae cohaeret, quae posterioris generis, quia personalia sunt, pignori obligari non possunt: sed de prioribus,
2 Quaeritur: *An si quis non tantum negotiator vel metaxarius seu serici negotiator, sed et quis alius debitor, omnia bona vel rem ex hac pecunia comparandam oppignorasset, etiam hanc militiam obligasse videatur?* Quod Affirm. non tantum si sibi acquisiverit, sed et si alii acquisiverit pecunia sua, et recte hoc communiter dicitur, hoc esse hic speciale, quod militia a debitore pecunia propria empta, licet alterius nomine tantum, illi tacite obligetur. Sed *si possessor militiae neget militiam emptam es-* 3
se ex pecunia debitoris, cui incumbit probatio? Resp. hic per distinctionem; Si debitor emit militiam filiis aut cognatis, tunc ex conjunctione sanguinis praesumitur esse ex credita pecunia empta, nisi contrarium a parte adversa probetur; Si autem extraneo, probandum est creditori scilicet, quod ex pecunia credita comparata sit militia. Sed distinctio haec non est ad alios casus extendenda, v. g. si lis sit ei, qui comparavit rem aliquam cum eo, cui comparavit, ut facit *Romanus cons* 306. et notatus *a Cravetta consil.* 128. *num.* 4. *et Trentacinq. lib.* 3. *tit. de emptione resol.* 2. *num.* 3. Sed *quid consequitur creditor per hanc actionem hy-* 4
pothecariam? Resp. non ipsam rem seu militiam, sed militiae aestimationem, quia militia omnis quodammodo personae cohaerere videtur, si paulo accuratius et originem attendamus; mortuo vero debitore, creditor consequitur id solum, quod pro casu militiae, i. e. commodo, quod mortui militantis haeredibus beneficio Principis praestabatur, a successore militiae solatii loco dari solet. Vide ad *hanc l. Cujac. tom.* 3. *p.* 1088. *Connan. lib.* 4. *com. cap.* 15. *per tot. Perez ad hunc tit. num.* 4. *et seq. Coll. Arg. ad tit. in quibus caus. pign. tacite etc. n.* 8. *Fr. Balduinus de pign. c.* 12. Sed 5
his militiis hodie non amplius utimur, *Rittershus. in Nov. p.* 5. *c.* 3. *num.* 3.

Auth. Quod obtinet.

SUMMARIA

Mulier in dote praefertur creditori etiam priori. num. 1.
Limitatur. 2.
Quando debitor est mortuus, creditor commodum illud, quod pro militia dari solet, non potest ex generali omnium bonorum hypotheca petere, sed si illi in specie militia fuerit obligata. 3.
Ratio. 4.

Mulier in dote praefertur creditori etiam 1
priori, *Nov.* 97. *c.* 3. nisi creditor expresse 2
pecuniam suam in hoc crediderit, ut ex ea militia emeretur, et hoc scriptura fuerit probatum, *Nov.* 97. *cap.* 4. *Rittershus. in Nov. p.* 3. *cap.* 8. *num.* 9. *et d. p.* 5. *c.* 3. *num.* 3. Quando 3
vero debitor est mortuus, non potest creditor commodum illud, quod pro militia dari solet, ex generali hypotheca omnium bonorum petere, sed si in specie illi militia fuerit obligata.
Alias enim, si omnia bona in genere obligata, 4
militia debetur liberis, deinde uxori, non quidem haereditatis nomine, nam et illis debetur, licet non sint haeredes, sed ex beneficio, *Rittershus. d. cap.* 8. *num.* 8. et demum illis non existentibus, non uni, sed omnibus creditoribus.

TITULUS XV.

In quibus causis pignus vel hypotheca tacite contrahatur.

L. Universa bona. 1.

SUMMARIA

Bona debitoris ex causa tributorum ob bona in censum redacta, Fisco taciti pignoris loco obligata sunt. num. 1.
Per censum inducitur obligatio, etiam realis. 2.
Haec hypotheca habet privilegium, quo prioribus hypothecis praefertur. 3.
Idem in extraordinariis. 4.
In Electoratu Brandenb. collectae omnibus creditoribus, etiam iis, qui jure separationis nituntur, praeferuntur. 5.

1 Qui Fisco aliquid debet ex causa tributorum, ob bona in censum redacta, illius bona Fisco sunt tacito pignoris loco obligata, *Struv. synt. jur. civil. exerc.* 22. *th.* 14. Nota ergo unum casum, quo bona debitoris tacite obligata creditori, scil. Fisco, *Carpz. p.* 3. *c.* 16. *def.* 11.
2 et per censum seu catastrationem induci obligationem etiam realem, *Klock. vol.* 1. *cons.* 28.
3 *num.* 378. Et haec hypotheca tacita habet etiam privilegium, quo prioribus hypothecis praefertur, *Beutherus lib.* 4. *cap.* 15. *D. Ke-*
4 *mnitius de jure praelationis th.* 82. Atque idem in extraordinariis probat *Carpz. p.* 1. *const.* 28.
5 *def.* 48. *et lib.* 4. *resp.* 77. In nostro Electoratu Brandenb. collectae omnibus creditoribus, etiam iis, qui jure separationis nituntur, praeferuntur.

L. Certum est. 2.

SUMMARIA

Eadem ratio, quae in praeced. lege, *hic quoque est ejus, qui cum Fisco contraxit. num.* 1.
Omnia nostra secundum DEUM reipubl. debemus. 2.
An in poenis etiam Fisco hypotheca sit tribuenda, et quid operetur? 3.
Quatenus in contractibus Fiscus amplius jus habeat, quam in poenis? 4.
An privilegium hoc Fisci civitatibus etiam competat? 5.

1 Eadem ratio ejus, qui cum Fisco contraxit, licet specialiter sua bona non obligaverit, *l.* 2.
2 *h. t.* Ratio est: Cum omnia nostra secundum DEUM reipubl. debeamus, et nervus reipubl.
3 alias incideretur, quamvis autem etiam in poenis Fisco hypothecam tribuant a dic sententiae *Clarus* §. *fin. qu.* 74. *in fine*, *Farinac. qu.* 25. *in fin. Carpzov. d. constit.* 28. *defin.* 101. per *l. post contractum* 15. *ff. de donat. et in ejus repetit. Jo. Hannibal. num.* 303. hanc tamen hypotecam non operari, nisi contra delinquentes vel alios possessores sine titulo, notat *Neguz. memb.* 4. *p.* 2. *num.* 116. Deinde in contracti- 4
bus amplius jus habet Fiscus, quam in poenis; nam in illis praefertur Fiscus etiam prioribus creditoribus, in bonis post contractum quaesitis, *l.* 28. *ff. de jure Fisci*, *Carpzov. d. c.* 28. *def.* 103. *et l.* 4. *resp.* 13. *Petr. Barbosa in l.* 1. *p.* 2. *ff. solut. matrim. num.* 16. *D. Kemnitius d. t. num.* 171. *Schwarkenthaler de pign. c.* 8. *num.* 12. quod privilegium Fisci tamen 5
civitatibus non competit, nisi Princeps id expresse civitatibus concesserit, *Cephalus cons.* 317. *num.* 28. *Bacchov. de pign. l.* 1. *c.* 9. *num.* 2.

L. Quamvis. 3.

SUMMARIA

Praedio creditori obligato etiam fructus naturales per consequentiam obligati videntur. num. 1.
Si ex fructibus praedia emantur, an et ea tacite domino sint obligata? 2.
Ratio dubitandi. 3.
Surrogatum sapit naturam ejus, cui surrogatur. 4.
Ratio decidendi. 5.
Limitatur regula num. 4. *data.* 6.

Quando creditori praedium est obligatum, 1
etiam fructus naturales per consequentiam videntur obligati, *hic et l. Paulus* §. 1. *ff. de pign. ibique Auct. num.* 6. *Struv. synt. jur. civ. exer.* 26. *th.* 16. *Neguz. de pign. memb.* 2. *part.* 2. *num.* 27. Sed Quaeritur: Si ex fructibus 2
praemia emerentur, *An et ea tacite domino sint obligata?* Ratio dubitandi in regula vulgari: 3
Quod surrogatum sapiat naturam ejus, cui sur- 4
rogatur. Sed negatur hic, quia sicut id, quod 5
ex re furtiva redigitur, non statim furtivum est, *l.* 50. §. *fin. ff. de furt.* ita nec hic, quod ex fructibus comparatum statim pignus est, *l.* 7. *in fin. ff. h. t.* Surrogatum enim in par- 6
ticularibus non sapere naturam ejus, in locum cujus surrogatur, omnes tradere ait *Carpz. p.* 3. *c.* 30. *def.* 11. *in fin.*

L. Satis notum est. 4.

SUMMARIA

Sensus legis. num. 1.
Quatenus lex locum habeat? 2.
Limitatur. 3.
In causa annonaria ex contractu dos postponitur Fisco. 4.

1 Non tantum mariti, qui Fisci debitor ex administratione primipilari seu annonae factus est, bona, sed et uxoris ejus res, marito idoneo non existente, Fisco obligantur, *l.* 4. *h. t.* Ratio in necessitate annonae, qua deficiente totius exercitus salus periclitatur: Videatur *Mannoz de Escobar de ratiocinio cap.* 39. *num.* 9. *et seq. Covarr. lib.* 1. *resol. cap.* 16. *num.* 7.
2 Sed de dote hoc accipiendum, Vid. *l.* 1. *supra de privil. Fisci*, non paraphernalibus, *Hillig.*
3 *in Donell. lib.* 15. *c. ult. lit. B.* et limitatur hoc, si excussa sint bona mariti, et eorum, qui ipsum ad hoc munus nominarunt. Et sic hoc loco
4 casus est specialis, in quo dos postponitur Fisco, in causa annonaria ex contractu, *Neguz. memb.* 4. *p.* 2. *num.* 109. *Petrus Barbosa ad l.* 1. *p.* 7. *num.* 1. *ff. solut. matrim.*

L. Si non. 5. et L. Sancimus. ult.

SUMMARIA

Quatenus illata et invecta in praedium urbanum pensionum et deteriorationum nomine domino sint obligata? num. 1.
Sed quid de mercibus ad vendendum comparatis, an et hae obligatae? 2. 5.
Hahnius *notatur.* 3.
Objectio diluitur. 4.
An l. 34. ff. de pign. *in hypotheca tacita locum habeat?* 6.
Illata secundi conductoris in urbanum praedium pignori sunt primo locatori. 7.
Dicta locum habent, etsi de hypotheca speciali quis sibi prospexerit. 8.
Hypotheca latior non tollitur per angustiorem expressam. 9.
Provisio hominis h. l. *non tollit provisionem legis.* 10.
Quid de illatis in praedium rusticum, an obligata domino? 11.
Hahnius *notatur.* 12.
Quatenus in praediis rusticis sive fundis mancipia sint obligata? 13.
Horum nullum si factum, pensiones actione personali sunt petendae. 14.
An et res minoris illatae hoc pignore afficiantur? 15.
An et quatenus pecunia numerata sit loco pignoris? 16.

1 Illata et invecta in praedium urbanum, procul dubio pensionum et deteriorationum nomine sunt domino obligata, *l. ult h. t. et l.* 2. 3. 4. *pr. et l.* 6. *ff. h. t.* si eo animo illata, ut perpetuo ibi essent, durante scilicet conductione, et modo non ideo inducta, ut venderentur, *l.* 23. *ff. de pign. l.* 7. *ff. h. t. ibi Auct. num.* 1. 2. *et* 4. *Afflict. dec.* 184. *num.* 2. *Caroc. in tr. de locat. p.* 3. *tit. de invectis num.* 18. *Trentacinq. tit. de locat. resol.* 5. *num.* 2. *Card. Mant. de tac. et amb. convent. lib.* 11. *t.* 15. *num.* 32. *Richter de privilegiis credit. d.* 8. *th.* 5. ubi aliae etiam declarationes: ut non procedat in rebus alienis, et quae alias in generali hypotheca non solent contine-
2 ri. Sed *quid de mercibus ad vendendum comparatis?* Has non contineri puto, quia non importantur, ut ibi perpetuo sint, *Neguz. memb.* 4. *part.* 2. *num.* 153. *Mantic. d. t.* 15. *num.* 34. *Auct. in l.* 32. *ff. de pign. et hypoth. num.* 3.
licet dissentiat *Dn. Hahn. ad hunc tit.* Nec ob- 3
stat *l.* 31. *ff. de pign.* quia loquitur de taberna 4
expresse obligata, *Petr. Heig. p.* 2. *qu.* 15. *num.*
19. sub qua non possunt non intelligi conten- 5
ta, cum sub nomine tabernae veniat universitas mercium, *Bart. et DD. in d. l.* 34. *Neguz. memb.* 2. *p.* 2. *num.* 19. ita tamen, ut interim licita sit distractio mercium et subrogatae intelligantur novae merces, donec fiat praeclusio. Vid. *Neguz. part.* 2. *memb.* 2. *num.* 17. *Bacch. de pign. l.* 2. *c.* 5. *num.* 3. *Auct. in l.* 34.
ff. de pign. num. 2. Et licet ponere velim, d. 6
l. 34. etiam in hypotheca tacita locum habere, cum *Menoch. remed.* 3. *adip. poss. num.* 139. id tamen extra speciem ibi propositam extendendum non est. Et ita respondet *Gomez ad* §. *idem Serviana num.* 23. *et Zasius num.* 20.
Instit. de act. Menoch. d. l. num. 127. Sed ad 7
secundum conductorem hoc extendunt, scil. ut hujus illata in urbanum praedium sint pignori primo locatori, per *l.* 11. §. 5. *ff. de pign. act. Molina de J. et J. tr.* 2. *d.* 497. *num.* 3. *Menoch. d. rem. num.* 96. *et seqq.* Quod, licet neget *Dn. Hahn. d. l.* manifesto tamen id textu nititur, et *l.* 24. §. 1. *ff. locati* quam allegat, de praedio rustico loquitur. Secundus *textus* pro
nobis *tertius* nihil ad rem facit. Et haec locum 8
habent, etsi de hypotheca speciali quis sibi prospexerit, *Neguz. d. memb.* 4. *p.* 2. *num.* 138. *Berlich. p.* 1. *concl.* 67. *num.* 63. *Dn. Richter.*
d. th. 5. *Mantica d. t.* 15. *num.* 19. Nam hypo- 9
theca latior non tollitur per angustiorem ex-
pressam, et provisio hominis hic non tollit pro- 10
sionem legis, qua de re prolixe agit *Bacch. l.* 5. *de pign. c.* 11. et hoc non solum in territoriis utriusque Romae, sed et in provinciis, *l.*
ult. h. t. Sed *quid de illatis in praedium rusti-* 11
cum? Resp. idem esse, si modo sciente domino sint illata, ita ut in praediis urbanis non requiratur scientia domini, sed in rusticis requiratur, *l.* 5. *supr. de locat.* Et haec est communis sententia, *Caroc. d. tract. p.* 2. *tit. de invectis num.* 13. *p.* 270. *Neguz. memb.* 4. *part.* 2. *num.* 25. *Trentac. d. resol.* 5. *num.* 2. *Molina d. l. Menoch. d. remed.* 3. *num.* 33. Vide notata *ad*
d. l. 5. *supr. de locat.* licet dissentiat *Dn. Hahn.* 12
d. l. Hodie plerique *DD.* negant, scientiam domini hic quicquam facere, Vide *Auct. in l.* 2. *ff. in quibus caus. pign. num.* 3. quia in rustici
cis alias fructus sunt obligati. Ergo in praediis 13
rusticis seu fundis mancipia aliter non sunt obligata, nisi 1. omnia in genere illata expresse sint obligata, aut 2. in specie mancipia sint
obligata, *d. l.* 5. *supr. de locat.* Horum nullum 14
si factum, actione personali pensiones sunt petendae, *l.* 5. *h. t.* Non videtur autem pura haec esse hypotheca legalis, sed mixta, partim ex lege, partim ex conventione tacita, *Bacch. de pign. l.* 1. *c.* 11. *num.* 1. Sed quod exinde dedu-
cit, non videtur deducendum. Nam si minor 15
curatorem habeat, aut conduxit domum cum consensu curatoris aut non, primo casu curator praesumitur in id consentiens, quod necessarium consequens est conductionis, si minor habeat mobilia, sed hoc casu non. Deinde distinguit *Dn. Struv. in hoc tit. Pand. d.* 16. an

utiliter conduxerit minor, an non; licet hanc distinctionem rejiciat *Bacch. d. l. num.* 2. An
16 et quatenus pecunia numerata sit loco pignoris? *Auct. in l.* 32. *ff. de pign. num.* 4.

L. Si mater. 6.

SUMMARIA

Non solum matris suorum liberorum tutelam gerentis, antequam tutelae rationes reddat, ac reliqua solvat, si ad secunda vota pergit, sed et novi mariti bona liberis tacite obligata sunt. num. 1.

Is qui viduam uxorem ducit, cavere sibi debet, ne alieno periculo se exponat. 2.

1 Quando mater tutelam gerit suorum liberorum, et antequam tutelae rationes reddat, ac reliqua solvat, ad nuptias secundas convolat, non tantum ipsius bona, sed et novi mariti bona liberis tacite, ob debitas rationes matris, sunt obligata, *hic et l.* 2. *supra quando mulier offic. tut.* Ratio videtur esse, quia non videtur novus maritus omnis culpae expers, qui viduam, liberis ex gestione tutelae obligatam, in uxorem ducit, cum plerumque hoc tendat in praejudicium liberorum, Vid. *Berlich. p.* 1. *concl.* 67. *num.* 82. *Neguz. de pign. p.* 2 *m.* 4. *num.* 156. Unde monet *hic Baldus*, cavere sibi debere 2
eum, qui viduam in uxorem ducit, ne alieno periculo se exponat, Vid. *Gail. lib.* 2. *obs.* 90. *num.* 2. *Hippol. sing.* 248. *Hillig. in Donell. lib.* 15. *cap. ult. lit. B. Decius cons.* 591. *Stephan. Fagundez de J. et J. lib.* 7. *c.* 4. *num.* 6. quo refert *num. seq.* bona patris ad secunda vota transeuntis.

TITULUS XVI.

Si aliena res pignori data sit.

SUMMARIA

An res aliena, quae non est in bonis debitoris, obligari possit? num. 1.

Quae vendi possunt, possunt etiam obligari. 2.

Hypotheca est species alienationis, quae rei alienae nulla est, et venditio personam, pignus rem afficit. 3.

Venditio rei non imprimit jus, sed oppignoratio. 4.

Quatenus inter ipsos qui contraxerunt, valeat oppignoratio rei alienae? 5.

1 Quaeritur: *An res aliena, quae non est in bonis debitoris, obligari possit?* Et videtur quod
2 sic, quia, quae vendi possunt, possunt etiam obligari, *l.* 9. *in fin. ff. de pign. ibique Auct.* at res aliena potest vendi, *l. rem alienam* 18. *ff. de contrah. vend.* sed negatur *hic t. t. Auct. in l.* 16. *ff. de pign. et hypoth. num.* 15. quod res aliena possit obligari, *et l.* 2. *l. ult. etc.* quia
3 hypotheca est species alienationis, quae rei alienae nulla est, et venditio personam, pignus
4 rem obligat. Venditio rei non imprimit jus, sed
5 oppignoratio. Sed inter ipsos qui contraxerunt, valet oppignoratio rei alienae hactenus, ut soluta pecunia pro repetendo pignore debitor recte experiatur actione pignoratitia, et ut creditor contra debitorem persequi pignus hypothecaria actione possit, nam de re aliena excipere sine turpitudine non posset debitor, *Auct. in l.* 9. *ff. de pign. act. num.* 1. *et* 2. sed ad alios casus hoc non esse extendendum probat *Bacch. de pign. l.* 2. *c.* 3. *num.* 1. Dantur praeterea certi casus, ubi valet oppignoratio rei alienae, quos habet *Auct. in d. l.* 16. *num.* 15. *seqq.*

L. Procurator. 1.

SUMMARIA

Facti species. num. 1.

Pignus ejusmodi tamdiu creditor retinere potest, donec illa pecunia, quae in utilitatem meam versa soluta fuerit. 2.

Procurator rem domini sui principalis sine mandato pignori obligare non potest. 3.

Limitatur. 4.

Ea regula primo exemplis declaratur, ut nec 1
procurator rem domini citra ejus voluntatem pignori dare possit, *l.* 1. *h. t.* Cujus species haec est: Procurator meus, mandato meo, debitum contraxit, sed sine mandato meo meam domum pignori dedit et tradidit, Quaeritur: *An valeat ista oppignoratio?* Resp. quod non, per regulam in *l. id quod nostrum ff. de R. J.* sed additur hic temperamentum, quod possit credi- 2
tor tamdiu retinere domum, donec illa pecunia, quae in meam utilitatem versa, fuerit soluta; nam creditor intuitu pignoris contraxit. Collige ergo: I. Procuratorem non posse rem 3
domini sui principalis, sine mandato, pignori obligare, nisi sit procurator universorum bo- 4
norum *cum libera*, aut si universorum bonorum, sed *non cum libera*, si dominus solebat sub pignore contrahere, *l.* 11. §. *ult. et l.* 2. *ff. de pign. act. Azor. t.* 3. *Instit. l.* 7. *cap.* 4. *Fagundez. de J. et J. lib.* 7. *cap.* 6. *num.* 8. *Molin. d.* 531. *num.* 2. *Mozzius de pign. tit. de personis num.* 14. *Balduinus de pign. cap.* 12. de quo ex formula mandati judicandum, *Bacchov. de pign. lib.* 2. *c.* 2. *num.* 12. Collige: II. temperamentum illud, de quo in explicatione *legis* dictum.

L. Si probaveris. 2.

SUMMARIA

Alia limitatio a regula in praeced. lege num. 2. *tradita. num.* 1.

Calliditati non est subveniendum. 2.

In marito, qui uxore praesente et tacente res ejus oppignoravit, dolus non praesumitur. 3.

Oppignoratio rei alienae in favorem domini est prohibita. 4.
Nisi expresse vel tacite consentiat. 5.
Tertius vero possessor, si hoc opponit, conventus nim. actione hypothecaria, audiendus non est. 6.

1 Hic habetur regula et simul limitatio, nisi domino sciente in fraudem creditoris dissimu-
2 lante, ab alio res oppignorata sit, quia calliditati subveniendum non est, *l.* 5. *C. ad SCtum Vellej.* ubi simile exemplum, et *l.* 11. *ff. de distr. pign. Molin. d. d.* 531. *num.* 4. Si tamen
3 uxore praesente maritus oppignoraverit res uxoris tacentis, non statim praesumitur dolus, sed probandus est, v. g. si expresse dixit, rem esse mariti, vel quando ideo adhibita, ut contradiceret, si res esset sua, *Petr. Barbos. ad l.* 1. *part.* 5. *ff. solut. matrim. num.* 48. *et ad l. quae dotis* 34. *num.* 162. *et* 168. Colligi-
4 tur etiam *ex his legibus:* Alienae rei oppignorationem prohibitam esse in favorem domini, qui
5 si expresse vel tacite consentiat, valet oppigno-
6 ratio rei alienae. Ergo inde colligitur: si tertius possessor hypothecaria actione conventus hoc opponat, eum non esse audiendum, si titulo destituatur, sicut Publiciana datur contra tertium possessorem titulo destitutum, *Neguz. de pign. p.* 2. *memb.* 3. *num.* 60.

L. Curator. 3.
L. Si in rem. 7.

SUMMARIA

Nec tutor, nec curator res pupilli vel minoris oppignorare potest. num. 1.
Limitatur. 2.
Quatenus haec regula procedat? 3.
Tutor pro lite prosequenda satisdans, immobilia pupilli sine decreto oppignorat. 4.
Quodnam discrimen inter contractum mutui, et alios contractus quoad pupillum? 5.

1 Nec tutor res pupilli, nec curator res adul-
2 ti potest oppignorare, nisi debitum in pupilli vel adulti utilitatem versum, *hic et l.* 16.
3 *princip. ff. de ping. act.* Ex quo apparet, hanc exceptionem de rebus mobilibus esse intelligendam, et quidem illis, quae servando servari non possunt, per *l. lex quae C. de admin. tut.* secundum mentem *Gloss. et DD.* de quo tamen *Guttierez de tutel. p.* 2. *c.* 1. *num.* 5. Sed
4 quando pro lite prosequenda satisdat, tunc etiam sine decreto immobilia minoris oppignorat, *l. fin.* §. 3. *C. de admin. tut.* Notandum
5 autem hic discrimen inter contractum mutui, et alios contractus. Nam in mutuo probanda est versio in utilitatem minoris; sed in aliis sufficit, si minoris vel pupilli negotium gestum sit, *Molina d. d.* 531. *num.* 5. *Guttierez de tutel. p.* 2. *c.* 21. *num.* 10.

L. Nec si major. 4.

SUMMARIA

Nec filiusfamilias rem patris obligare potest, licet ad peculium pertineat. num. 1.
An aliud sit in emancipato, cum hic filiifamilias mentio fiat? 2.
Limitatur regula num. 1. *data.* 3.

Est extensio regulae, quod nec filiusfamilias 1
possit obligare rem patris, licet ad peculium pertineat, quia non habet liberam administrationem, *l.* 1. §. 1. *ff. quae res pign.* Sed cur 2
hic filiifamilias fit mentio? Estne aliud in emancipato? Resp. quod non, sed quia de filio quaerebat secundus, et in filiosfamilias etiam major ratio dubitandi, quod vivo patre quasi dominus sit. Sed aliud erit in Castrensibus, aliud in 3
quasi Castrensibus, imo et adventitiis, quorum habet usumfructum, quia haec non sunt patris, *Steph. Fagundez de J. et J. lib.* 7. *c.* 6. *num.* 2. Conf. *Molin. de J. et J. d.* 227.

L. Cum res. 5.

SUMMARIUM

An re aliena pignori mihi a te data, si postea fiat tua, hypotheca reconvalescat?

Si res aliena a te mihi oppignorata, postea fiat tua, reconvalescit hypotheca, non de juris rigore, sed de aequitate, modo creditor bona fide pignus hoc acceperit, ignorans rem esse alienam, et dominium ipsi debitori superveniat, *Auct. in l.* 41. *ff. de pign. action. num.* 1. *Bacch. de pign. lib.* 2. *c.* 4. *num.* 6. ubi in praecedentibus hac de re plura, et Conf. *notata ad l.* §. 9. 3. *ff. qui potiores etc.* sed de hoc postea fusius dicetur.

L. Quae praedium. 6.

SUMMARIA

Res aliena sic pignori obligari non potest, ut pleno jure consistat, ipsique domino praejudicet, sed ut valeat tantum inter contrahentes et pariat actionem hypothecariam. num. 1.
Exemplo declaratur. 2.
Debitor, qui rem alienam pignori dedit, habet actionem pignoratitiam directam. 3.
Ex pignore rei alienae non realis, sed personalis actio inter contrahentes oritur. 4.
Limitatio regulae num. 1. *datae.* 5.

Superior regula declaratur in *l.* 6. *h. t.* ut 1
quidem res aliena sic pignori obligari non possit, ut pleno jure consistat, ipsique domino praejudicet, per *l. ult.* sed ut valeat tantum inter contrahentes, et pariat actionem pignoratitiam ut supra *ad rubricam* dictum. Sic si 2
mater praedium liberis donatum, et sic jam alienum, pignori dat, non quidem praejudicat

liberis, cum in matris bonis amplius non sit,
se tamen pignoratitio judicio contrario obligat,
quod plenius explicatur *l.* 16. §. 1. *et l.* 32.
3 *ff. de pign. act.* et debitor, qui rem alienam
pignori dedit, habet pignoratitiam actionem
directam, *l.* 22. §. 2. *ff. de pign. act.* et sic ex
4 pignore rei alienae, non realis, sed personalis
actio inter contrahentes oritur, *Molina de J.
et J. tr.* 2. *d.* 529. *num.* 3. *et* 4. *Neguz. de pign.
memb.* 3. *part.* 2. *num.* 65. *et Mozzius de pign.
5 tit. de rebus num.* 5. Habetur hic regulae limi-
tatio, nisi dominus rei ab alio oppignoratae pi-
gnorationem illam ratam habeat, quo modo
retro traheretur ista oppignoratio, quasi ab ini-
tio fuisset valida, quae tamen retrotractio non
praejudicaret tertio, cui ante ratihabitionem a
domino fuisset res obligata, *arg. l.* 11. *ff. qui
pot. in pign. Neguz. memb.* 1. *part.* 3. *num.* 36.
Molina d. d. 529. *num.* 3. *Bacch. de pign. l.* 2.
c. 2. *num.* 15.

L. Nexum. ult.

SUMMARIA

Servus, procurator, conductor, vel actor sine mandato speciali, vel universali cum libera, *rem domini oppignorare nequit. num.* 1.
Limitatur per tot. leg. 2. 3. 4. 5.
Oppignoratio rei alienae pure valet, si oppignorans jus in re habet, licet proprietas aliena sit. 6.
Quid si filius rem meam obligaverit, et ego ipsi successerim, an creditor contra me habeat hypothecariam? 7.

1 Est recapitulatio dictorum, quod servus, pro-
curator, colonus, conductor, vel actor sine
mandato speciali vel universali *cum libera,* rem
domini oppignorare non possint. Ex dictis ergo
notentur limitationes nostrae regulae in rubro
positae. Nam limitatur: I. Nisi debitum in ejus 2
utilitatem versum sit, cujus pignus est, v. g.
si procurator pignoris det rem domini pro tali
debito, quod in utilitatem domini a procurato-
re versum est, id quod creditori est proban-
dum, *l.* 1. *h. t.* idem in tutore et curatore,
l. 3. Nam hoc casu creditor non quidem habet
hypothecariam actionem, sed exceptionem seu
retentionem, quando illud pignus rei alienae
in sua potestate habet. II. Nisi domino sciente, 3
et fraudem creditoris dissimulante, oppigno-
rata sit, quia calliditati subveniendum non est,
l. 5. *C. ad SCtum Vellejan. et l.* 2. *h. t. et in
l.* 11. *ff. de distr. pign.* III. Nisi domini v. g. 4
minoris jam majorennis facti, consensus ex
post facto accedat, *l.* 7. *h. t.* et ita ex ratiha-
bitione convalescat pignus, *l.* 16. *ff. de pign.
l.* 20. *ff. de pign. act.* IV. Nisi debitor rei op- 5
pignoratae, etiam ex post facto dominus fiat,
l. 7. §. 2. *C. ad SCtum Trebell.* cujus respectu ex
bono et aequo datur creditori utilis hypothe-
caria, *l.* 5. *h. t. l.* 41. *ff. de pign. act.* et quidem
non ignoranti tantum creditori, sed et scienti,
licet difficilius, *l.* 1. *pr. ff. de pign.* V. Nisi sub
conditione rem prorsus alienam quis oppignora-
verit, si eam nactus fuerit, *Neguz. memb.* 3.
part. 2. *num.* 52. *et seqq.* nam si jus in re ha- 6
beat, licet proprietas aliena sit, oppignoratio
tamen rei alienae hoc casu valet pure, *Neguz.
d. l. num.* 6. *Molin. d. d.* 529. *num.* 9. *Fagun-
dez d. c.* 6. *num.* 16. ubi rem prorsus alienam
dicit esse, ubi oppignorans non habet jus ne-
que in re neque ad rem. Quid autem, si filius 7
rem meam obligaverit, et ego ipsi successerim:
An creditor contra me habeat hypothecariam?
Pugnant *l.* 22. *de pign. et l.* 41. *ff. de pign. act.*
ubi plerique subsistunt in distinctione inter jus
strictum et aequitatem. Vid. *Ant. Fab. lib.* 20.
*conject. Treutl. et ibi Bacch. lit. C. et Hunn.
vol.* 2. *disp.* 1. *th.* 5. *lit. A. et Cujac. lib.* 19.
obs. 26. *Schwarzenthaler de pign. c.* 12.

TITULUS XVII.

Quae res pignori obligari possint, vel non, et qualiter pignus contrahatur.

L. Alumnos. 1.

SUMMARIA

Oppignoratis omnibus bonis, an etiam mancipia, quae instar liberorum quis educavit, sub generali hac hypotheca contineantur? num. 1.
Generale quoad genus tantum operari debet, quantum speciale quoad speciem. 2.
In generali obligatione ea non veniunt, quae oppignorans, si rogatus fuisset, procul dubio non fuisset specialiter obligaturus. 3.
Hujus generis rerum duae sunt species, et quaenam? 4.
Ad alumni huc etiam referendi? 5.
Bona emphyteutica sub hac generali hypotheca continentur. 6.

Oppignoravit quis omnia bona, Quaesitum 1
postea de alumnis ejus, id est, de talibus manci-
piis, quae instar liberorum hactenus educave-
rat et aluerat, et liberorum loco habebat: *An
ea etiam sub generali hac hypotheca contineau-
tur?* Videtur quod sic, quia generale quoad 2
genus tantum operari debet, quantum speciale
quoad speciem et similia. Sed negatur hic pro-
pter regulam: Quod in generali obligatione non 3
veniant ea, quae si rogatus fuisset, procul du-
bio specialiter non fuisset obligaturus, *Auct.
in l.* 1. *ff. de pign. num.* 3. Et hujus generis 4
rerum fere duae sunt species: Altera earum, ad
quas quis habet affectionem, quo pertinent con-
cubinae, liberi naturales, alumni: Altera earum,
quae sunt in usu quotidiano, *Auct. in l.* 6. *ff.
de pign. num.* 1. veluti mancipia, vestes, *Auct.
in d. l.* 6. *num.* 1. suppellex, *l. in obligatione*

5. *ff. de pign. Neguz. memb.* 2. *p.* 2. *num.* 34. *et seq. Carpz. p.* 2. *c.* 23. *def.* 11. *Mozzius de pign. num.* 1. ubi exemplis id declarat, *Berlich. p.* 1. *concl.* 80. *num.* 40. *Arius Pinellus ad rubr. C. de bonis matern. part.* 1. *num.* 47. *Matthesila-*
5 *nus sing.* 136. atque huic et alumni videntur
6 referendi; Sed bona emphyteutica omnino videntur contineri, per *l.* 31. *ff. de pign. Neguz. memb.* 2. *part.* 2. *num.* 29. *Mantica lib.* 11. *tit.* 8. *num.* 24. *Donell. lib.* 9. *c.* 14. *lit. K. Clarus de jure emph. qu.* 18. *Auct. in l.* 1. *ff.* de *pign. num.* 2. An etiam nomina? Vid. *Auctorem in d. l.* 1. *ff. num.* 5. ubi voluntatis quaestionem esse dicit.

L. Cum constet. 2.

SUMMARIA

Facti species. num. 1.
An oppignoratis fundi empti instrumentis ipsa praedia oppignorata censeantur? 2.
Ratio dubitandi. 3.
Decidendi. 4.
Emptorum mancipiorum instrumentis donatis ipsa praedia donata videntur. 5.

1 Dederat quis pignori emptiones praediorum,
id est, instrumenta fundi empti, Quaeritur:
2 *An hoc modo ipsa praedia oppignorata censean-*
3 *tur?* Videtur quod non, quia non aliud pignoris loco est, quam de quo nominatim conve-
4 nit, *l.* 1. §. 1. *ff. de pign.* Sed Affirm. quia chirographo vendito aut legato, non tabulae, sed ipsum nomen legatum censentur, *l. qui chiro-*
5 *graphum* 59. *ff. de legat.* 3. Sic emptorum mancipiorum instrumentis donatis, ipsa praedia donata videntur, *l.* 1. *infra de donat.* et alias nulla esset utilitas instrumentorum traditorum, *Coll. Arg. ad hunc tit. ff. th.* 1. *num.* 4. *Bacch. de pign. l.* 2. *c.* 5. *num.* 1.

L. Si monumento. 3.

SUMMARIA

Res sacrae et religiosae oppignorari nequeunt. num. 1.
Idem in loco religioso. 2.
An ejusmodi locus cum vendita universitate transferatur? 3.

1 Ut res sacrae, *l.* 21. *C. de SS. Ecclesiis*, ita
et res religiosae oppignorari non possunt, *l.* 2.
2 *C. de relig. l.* 3. *h. t.* Cum igitur mortuum inferendo quis faciat locum religiosum, §. 9. *Instit. de rer. divis.* ideo talis locus oppignorari
3 nequit: licet cum vendita universitate transferatur, non quidem ut res vendita, sed rei venditae inseparabiliter cohaerens, *Donell. lib.* 4. *c.* 6. Ipsum jus tamen inferendi obligari posse, per *l. monumentorum supra de relig.* tradit *hic Bart.* Vid. *Ripa in l. obligatione num.* 52. *ff. de obligat.* quamvis jus inferendi potius sit privati juris, *Bacchov. de pign. lib.* 2. *c.* 12. *num.* 1.

L. Nomen. 4.

SUMMARIA

Nomina generaliter et specialiter obligari possunt. num. 1.
Si debitor mihi pignoris loco nomen tertii, qui ipsi etiam obligatus erat, obligaverit, an mihi contra tertium detur actio? 2.
Ratio dubitandi. 3.
Decidendi. 4.
Quid si ego contra illum, qui eo nomine tibi est obstrictus agere non possim? 5.
Quaenam hoc casu detur actio? 6.
An illa actio hypothecaria, an personalis? 7.
Quid si denunciaverim debitori, ipsius obligationem mihi esse oppignoratam, et is nihilominus alii solverit, an adhuc mihi teneatur ille debitor? 8.
An necesse sit, ut ipse cessionarius cessionem factam debitori significaverit, an vero sufficiat, si aliunde notitiam sit consecutus? 9.
Quando legatario substitutus est alius per fideicommissum, fideicommissarius utilem actionem contra haeredem habet. 10.
An oppignoratis mobilibus etiam nomina obligata videantur? 11.

Nomina generaliter et specialiter obligari pos- 1
sunt: Debuisti mihi 100. et obligasti mihi pi- 2
gnoris loco nomen, quo tibi in centum obligatus fuit Titius. Quaeritur, *An mihi contra*
Titium detur actio? Et videtur quod non, quia 3
Titius non contraxit mecum. Sed Affirm. Ad- 4
ditur ratio: *quod jam pridem placuit nomina*
oppignorari posse, sed si ego non possem age- 5
re contra Titium, qui illo nomine tibi est obstrictus, oppignoratio illa fuisset frustranea. Sed
utilis tantum, non directa, hoc casu datur 6
actio, *hic et l.* 7. *C. de haered. vend.* sed quae-
nam illa actio, *An hypothecaria, an vero per-* 7
sonalis? Resp. personalem esse, ut colligitur ex *d. l.* 7. quas scilicet ut actionem quam con-
tra Titium habes, in me transtulisses. Sed *quid* 8
si denunciaverim debitori, scilicet Titio, ipsius obligationem mihi esse oppignoratam, et is nihilominus tibi solverit, an adhuc mihi teneatur Titius? Resp. si, antequam denunciarem, solverit, non tenetur; Sed si post denunciationem solverit, tenetur, et multo magis igitur, si Titius, postquam mecum litem contestatus est, tibi solverit, *l.* 3. *C. de novat.* Sed Quaeritur:
An non necesse sit, ut ipse cessionarius signi- 9
ficaverit cessionem factam debitori, an vero sufficiat, si aliunde notitiam sit consecutus? Et prius affirmat *hic Glossa, et Donell.* per verba textus, *certior a te*, sed *Fachin. lib.* 3. *c.* 94. *et Donell. lib.* 15. *c.* 43. *lit. N. et ibi Hillig.* videntur negare, per *l. ult. ff. de transact.* Sed *Neguz. de pign. m.* 3. *part.* 2. distinguit, utrum cessio fiat in utilitatem cedentis, an vero in utilitatem cessionarii, ut illo casu unum de tribus sit necessarium, quae habentur in *l.* 3. *C. de novat.* Conf. *Menoch. cons.* 622. *num.* 9. *et Salgado de labyr cred. p.* 2. *c.* 28. *num.* 15. *et seq.* Ex hoc textu etiam post *Bartolum* colligit
Neguz. d. l. num. 29. Quando legatario substi- 10
tutus est alius per fideicommissum, quod tunc fideicommissarius utilem actionem habeat con-

11 tra haeredem. Alia quaestio: An oppignoratis mobilibus etiam nomina obligata videantur, quod negat *Bacch. de pign. l.* 1. *c.* 6. *num.* 2.

L. Spem. 5.

SUMMARIA

Spes coronarum Athletis praepositarum in oppignorationem omnium bonorum non venit, nec oppignorari potest. num. 1.

Ratio 2. 4.

Athletae, qui quater in sacris certaminibus vicerant, certis fruebantur privilegiis. 3.

Salaria militum et professorum oppignorari non possunt. 5.

Nisi nihil aliud sit, in quae executio fieri possit. 6.

Quae specialiter obligari nequeunt, nec in generalem veniunt hypothecam. 7.

An et quomodo futura obligari possint? 8.

1 Coronarum Athletis praepositarum spes non
venit in oppignorationem omnium bonorum,
2 nec oppignorari possunt, nam Athletae non ita
fortiter pugnaturi essent ut vincerent, cum scirent, se praemiis post victoriam non fruituros, cum ea jamdudum aliis essent oppignorata.
3 Deinde quater si vicissent in sacris certaminibus Athletae, certis privilegiis fruebantur, uti ex *Vitruvio* aliisque hic refert *Cujac. ad*
4 *hunc tit. tom.* 3. Si ergo haec in alium titulum pignoris transferri possent, facile ad alium contra intentionem Principum ipsa utilitas praemiorum horum veniret; Aliud est loqui de praemiis certaminum jam partis et meritis, juxta *l.* 40 *ff. de re judic.* et aliud etiam est privata pactione pignus constitui, et aliud a judice publica auctoritate pro pignore capi,
5 *Cujac. ad hunc tit.* Exinde colligunt: Salaria militum et professorum pignorari non posse, quod quidem ex textu non putat colligendum *Salyc.* affirmat tamen *Nicol. Mozzius de contract. tit. de rebus quae in pignus non dari*
6 *possunt num.* 29. ubi id limitat, nisi nihil aliud sit, in quae executio fieri possit: nam si sciat aliquis, salarium futurum non esse suum, procul dubio remissius rem gesturus est, *arg. c.* 1.
7 *X. de feudis.* Collige ex *hac lege* 5. Quae specialiter obligari non possunt, nec in gene-
8 ralem hypothecam venire. An et quomodo futura obligari possint? *Vid. Auctor in l.* 15. *ff. de pign. et hypoth. num.* 1.

L. Qui filios. 6.

SUMMARIA

An creditor filios debitoris vel alias liberas personas pignori accipere possit? num. 1.

Poena creditoris. 2.

Exceptio a regula. 3.

Obsides pro securitate pacis dari possunt, qui in casu contraventionis detineri et omnibus bonis privari, sed non in corporibus laedi possunt. 4.

Quaeritur: *An creditor filios debitoris vel a-* 1
lias liberas personas pignori accipere possit?
Neg. quia hi exempti commercio hominum, *l.*
19. *ff. de acquir. rer. domin.* Et non sunt in
bonis debitoris, ergo non possunt oppignorari,
arg. l. 9. §. 1. *ff. de pign. l.* 1. §. *ult. ff. h. t.*
Creditor etiam relegatur, *l. ult. ff. h. t. Neguz.* 2
d. membr. 3. *part.* 2. *num* 50. et debitum amit-
tit cum duplo, *Novell.* 134. *c.* 7. Exceptio est in 3
l. 2. *et ult. infr. de postlim. reversis*, in ca-
ptivis redemptis. Et in *tit. supr. de patribus*
qui filios distrax. Moz. d. l. num. 16. Sic et 4
obsides dari possunt pro securitate pacis, qui
in casu contraventionis detineri, et omnibus
bonis privari, sed non in corporibus laedi pos-
sunt, *Molina tr.* 2. *d.* 530. *num.* 5.

L. Executores. 7.
L. Pignorum. 8.
Auth. Agricultores.

SUMMARIA

Instrumenta rustica, personae et res ad agriculturam pertinentes ab invitis, et si alia adsint, in quibus executio fieri possit, pignori capi nequeunt. num. 1.

Secus, si sponte dent ejusmodi instrumenta. 2.

Quid de moribus hodiernis hac in parte juris sit? 3.

Consistit tale pignus, si agricultor possessionem retinet. 4.

Poena eorum, qui talia instrumenta jure pignoris capiunt. 5.

Haec prohitio etiam in tributis obtinet, etiamsi rustici nihil aliud possideant. 6.

Instrumenta rustica, personae et res ad agri- 1
culturam pertinentes pignori capi non possunt,
scilicet ab invitis, et si alia adsint, in quibus
executio fieri possit, quod *arg. l. stipendia* 4.
C. de executione rei judic. probatur, cum et
ipse agricola capi possit, *l.* 1. *supra qui bonis*
cedere poss. Sed si agricolae sponte dent talia 2
instrumenta, pignus consisteret, ut ex ver-
bis legis colligit *Hann. in Treutl. vol.* 2. *disp.*
1. *th.* 5. *in fin.* sed dissentit *Neguz. d. l. num.*
49. *et Menoch. l.* 2. *A. Q. casu* 378. *num.* 15.
Molina d. d. 530. *n.* 6. *Moz. d. l. n.* 20. *Ripa*
de peste tit. de remed. praes. contra pestem
num. 222. Quorum sententia receptior, et magis 3
favet agriculturae, quod praesertim nostris mo-
ribus servit, quibus agricola fundum privare
instrumentis rusticis nequit in praejudicium su-
perioris, *Er muss die Hoff. Gewehr bey dem*
Gute lassen. Sed constitit tale pignus, si agri- 4
cultor possessionem retineat, et prohibitionis ra-
tio est in *l.* 7. quod ea executione tributorum il-
latio retardetur. In *Authent. agricultores*, ha- 5
betur poena eorum, qui talia instrumenta jure
pignoris capiunt, sc. restitutio quadrupli, infa-
mia et poena extraordinaria, *Ripa d. l. n.* 223.
Atque haec prohibitio etiam in tributis locum 6
habet, per tradita *Petri Peckii de arrestis*
cap. 5. *num.* 16. etiamsi rustici nihil aliud pos-
sideant, *Peckius d. l. Menoch. lib.* 2. *arb. quaest.*

casus 378. *num.* 10. *et seq. Mozzius d. l.* Licet autem in *l.* 7. allegetur ratio, *ne tributorum illatio retardetur*, haec tamen ratio decisione est strictior, et *lex sequens* generalius loquitur, *Ripa de peste d. t. num.* 221.

L. Si quis. ult.

SUMMARIA

Si solutionem debiti fide et periculo rerum ad me pertinentium, vel per earum exactionem satisfieri promittam, an his verbis constituatur pignus? num. 1.
Si quis his vel aliis verbis omnia sua bona oppignoraverit, an et futura intelligantur, quae habiturus est? 2.
Ratio dubitandi. 3.
Decidendi. 4.
Hypotheca generalis complectitur etiam futura. 5.
Ampliatur, et limitatur. 6.
An haec regula etiam in tacita legali obtineat? 7.
An fructus nascendi possint oppignorari? 8.
Quoties de mente et voluntate contrahentium constat, ad subtilem verborum distinctionem non est confugiendum. 9.
Excipiuntur a regula num. 5. *data praemia victoriae futurae.* 10.
An defunctus haeredis bona obligare possit? 11.
An etiam futura oppignorata censeantur, si constitutum sit possessorium? 12.

1 Duae hic quaestiones: I. Si solutionem debiti promittam fide et periculo rerum ad me pertinentium, vel per earum exactionem satisfieri tibi promittam, Quaeritur: *An his verbis constituatur pignus?* Resp. Quamvis pignoris nulla expressa fiat mentio, quia tamen verba haec nihil aliud significare possunt, quam oppignorationem, ideo ne verba otiosa adposita videantur, pignus iisdem constitutum aestimandum
2 est. II. Si quis his vel aliis verbis omnia sua bona oppignoraverit: *An et futura intelligan-*
3 *tur, quae habiturus est?* Videtur quod non, per, *l.* 7. *ff. de auro legat.* ubi si quis vestes suas leget, vel aurum, de praesentibus sensisse dicitur. Sed affirm. *hic et l.* 1. §. 2. *l.* 15. *ff. h. t.* 4
quia alia est ratio pignoris, alia donationis vel legati. Nam qui oppignorat, non tantum in praesens, sed et in futurum creditori suo vult cavere, et cum praesentia bona perire possint, de futuris etiam videtur actum; Alia est ratio rerum donatarum, vel legatarum, quas quis ideo legat, quia hactenus de se meritum judicat. Deinde in hypotheca generali de modico praejudicio agitur, sed in venditione vel donatione omnium bonorum agitur de majori praejudicio, *Gl. hic et DD. Valascus lib.* 1. *consult.* 58. *num.* 12. Hanc autem regulam; Quod 5
hypotheca generalis complectatur etiam futura,
per aliquot ampliationes et limitationes tractat 6
Neguzant. memb. 2. *part.* 2. *per totum.* Et habet 7
haec regula etiam locum in tacita legali, per *l. hac edictali* §. *in omnibus C. de sec. nupt. Neguzant. m.* 4. *part.* 2. *num.* 121. *Surdus dec.* 97. *num.* 2. Sic etiam fructus nascendi op- 8
pignorari possunt, si res principalis, ex qua fructus orituri sunt, tempore obligationis sit in bonis debitoris, *l.* 11. §. 3. *ff. qui potiores in pign. ibique Auctor num.* 14. etsi ab oppignorante percepti, *Neguzant. m.* 13. *part.* 2. *num.* 45. *Surd. d. dec. num.* 12. *Molin. d.* 529. *num.* 2. *Mozz. de contract. tit. de reb. quae pignor. num.* 37. Nota etiam ex *hac lege:* Quo- 9
ties de mente et voluntate contrahentium constat, ad subtilem verborum distinctionem non esse confugiendum, *Carpzov. p.* 3. *constit.* 29. *defin.* 14. *num.* 4. Excipiuntur tamen praemia 10
victoriae futurae, de quibus in *l.* 5. *h. t.* Sed an defunctus potest bona haeredis obligare? Aff. 11
Si pro eo promiserit de rato; nam tunc ratum id habere tenetur haeres, *Neguz. p.* 8. *membr.* 3. *num.* 7. licet in generali obligatione bonorum, haeredis bona non contineantur, per *l. Paulus* 29. *in pr. ff. de pignor. Bacchov. de pign. l.* 1. *cap.* 7. *num.* 4. Sed an etiam futura oppi- 12
gnorata censeantur, si constitutum sit possessorium? Affirm. *Neguz. part.* 2. *mem.* 2. *num.* 3. a quo discedit *Bacchov. lib.* 1. *de pign. c.* 5. *num.* 2. sed malim sequi sententiam *Neguzant.* quia sufficit hypothecae constitutionem ad futura porrigi, licet possessorium in futuris non constituatur pure.

TITULUS XVIII.

Qui potiores in pignore habeantur.

L. Qui pignus. 1.

SUMMARIA

Secundus creditor primo creditori solvens, pignus sibi confirmare et in ejus locum succedere potest. num. 1. 3.
Quid si primus pecuniam accipere recuset? 2.
Posterior creditor in concursu jure offerendi uti necesse non habet. 4.

1 Secundus creditor, si primo creditori solvat, pignus sibi confirmare potest, et in ejus locum succedere, Vid. *l.* 22. *supr. de pign.* Sed *quid* 2
si primus pecuniam accipere recuset? Resp. oblationis et obsignationis remedium paratum est, *l.* 20. *supr. de pign.* hoc non facto, potior est primus, ut prior tempore, per *l.* 8. *h. t.* nec secundus habet potestatem vendendi pignus, per *d. l.* 8. Sed primus creditor compelli non potest, ut debitum secundo creditori offerat, sed contra, si secundus totum debitum primo offerat, *l.* 5. *h. t.* Hic ergo notetur jus offe- 3
rendi, quod habet secundus creditor hypothecarius confirmaturus suum pignus, nam is offerendo debitum primo creditori, liberat rem sibi obligatam a nexu primi creditoris, et sibi pignus confirmat, quam materiam late tractat

Neguz. m. 3. part. 5. per totum et Morozzius in tractatu parvo decisionibus ejus subjecto de jure offerendi, Card. Mantica de tac. et amb. con-
4 *vent. lib. 11. tit. 28.* Sed jure offerendi in concursu et post concursum posterior creditor uti necesse non habet, per tradita *Dn. Mevii p. 4. dec. 158.* Plura hac de re suis locis.

L. Si decreto. 2.

SUMMARIA

Hypothecarii chirographarios et privilegiatos praecedunt. num. 1.
Quinam inter hypothecarios sint potiores? 2.
Facti species. 3.
Ratio dubitandi. 4.
Decidendi. 5.
Legata non dantur nisi deducto aere alieno. 6.

1 Hypothecarii chirographarios et privilegiatos
2 praecedunt, *l. 9. ff. h. t.* Sed inter hypothecarios ii sunt potiores, qui priores tempore, id est, non quibus creditum est, sed quibus prior hypotheca constituta est, *l. 11. pr. et §. 2. et 3. ff. h. t. ibique Auct. num.* 2. sive sit pignus conventionale, sive judiciale, sive praetorium,
3 ut *l.* 2. cujus haec est species: Testator legavit mihi fundum, si navis ex Asia venerit; mortuo testatore puto, ut mihi haeres legatorum nomine satisdet, hoc cum recusaret haeres, mittor in possessionem, et ita consequor pignus praetorium, *l. 3. et 5. supr. ut in poss. legator.* Tu deinde contra haeredem agis ex obligatione et obtinuisti, et cum etiam ex causa judicati mittaris in possessionem, consequeris pignus judiciale. Sed Quaeritur hic: *An ego sim te*
4 *potior?* Videtur quod non; quia creditores legatariis soluta eripere possunt, per *l. fin. §. 5. supr. de jure delib.* et cum meum debitum
5 tantum sit conditionale; Sed Affirm. me praeferri debere: nam licet debitum sit conditionale, spes tamen mihi per te posteriorem eripi non debet, et conditio existens facit, ut retro trahatur ad tempus obligationis. Et *d. §.* 5. agit de legatariis, quibus ultra vires aliquid legatum,
6 et quibus adeo nihil debetur. Nam legata non dantur, nisi deducto aere alieno. Exceptiones ab hac regula, *Qui prior tempore inter hypothecarios etc.* congessit *Auct. in d. l. 9. ff. h. t. num. 1. seqq.*

L. Cum rempublicam. 3.

SUMMARIA

Regula in praeced. lege num. 2. *tradita alio exemplo declaratur. num.* 1.
Objectores removentur. 2. 3. 4. 5.
Si plures legatarii immissi in possessionem simul admittuntur, si concurrunt cum creditoribus, prioritas temporis attenditur. 6.
Victor in bona condemnati, judicati servandi causa, mittitur. 7.

1 Id alio exemplo declaratur in *l.* 3. Pater Sylviani cum Sosiano contraxerat, sed sine pignore. Postea Respubl. cum eodem Sosiano contraxit, etiam sine pignore, sed mortuo Sosiano Respubl. cum haerede egit, et haerede victo ex causa judicati in possessionem omnium rerum mittitur, et pignus ita acquirit. Quaeritur: *An Respublica Sylviano vel ejus patri praeferenda?* Quod merito Affirm. Nam licet hic prior contraxerit debitum, Reipubl. tamen prius constitutum est pignus. Ergo etc. per *l. 11.*
ff. §. 1. h. t. Sed videtur obstare, *l. 5. §. 2. ff. ut* 2
in poss. legat. et l. 12. ff. de rebus auct. jud. poss. ubi dicitur, quod missio facta uni creditorum, prosit et caeteris, et omnes immissi
videantur; Sed resp. hoc intelligendum esse, 3
quando quis mittitur in possessionem latitante reo, atque ex primo decreto, hic autem in *l.* 3. Respubl. missa est ex causa judicati, atque
ideo sola pignus habet. Sed tamen *d. l.* 12. vi- 4
detur adhuc stringere contra decisionem *legis* 2. nam ibi est pignus praetorium. Ergo sibi
non solum, sed et aliis possidet. Sed resp. 5
in missione ex causa legatorum hoc esse speciale, quod missus non aliis, sed sibi possideat, per *d. l. 5. §. 2. ff. ut in possess. legatorum etc.*
Sed si plures legatarii immissi, quia sunt 6
ejusdem tituli, simul admittuntur, sed si concurrant legatarii cum creditoribus, quia sunt diversi tituli, attenditur prioritas temporis,
Glossa in d. §. 2. colligitur ex hac lege: etiam 7
judicati servandi causa mitti victorem in bona condemnati, de quo agit *Bacch. de pign. l. 1. cap. 3. num.* 4.

L. Si fundum. 4.

SUMMARIUM

Si prius pignus privato sit constitutum, postea vero Fisco vel Reipubl. quid juris?

Sed Quaeritur: *Quid si prius privato pignus sit constitutum, postea Fisco vel Reipublicae?* Resp. Idem esse: Privatus enim si prior tempore Republ. vel Fisco, est etiam prior jure, per *l. 4 h. t.* Quod tamen limitandum ex *l. 28. ff. de jure Fisc.* Nam in bonis, post contractum cum Fisco habitum, quaesitis, Fiscus prioribus tempore praefertur. Vid. *Carpz. p. 1. jurisp. constit. 28. def. 103. et lib. 4. resp. 13. Petr. Barbos. in l. 1. p. 2. ff. solut. matrim. num. 16. Auct. in l. 8. ff. h. t.* ubi etiam ad *obst. l. fin. ff. h. t.* respondet.

L. Prior. 5.

SUMMARIA

Prior creditor debitum posteriori creditori offerre non tenetur, sed posterior, si velit pignus a primo liberare, primo offerre debet. num. 1.
Primus creditor secundo potior est, ratione temporis, si vel ipse primus, vel etiam tertius possideat pignus. 2.
Si secundus possidet, ille, etiamsi pignus retinere velit, offerre debet. 3.

Prior creditor non tenetur offerre debitum 1
posteriori creditori, sed posterior, si velit pi-

gnus liberare a primo, tenetur primo offerre,
2 ratio est; quia primus creditor est potior se-
cundo ratione temporis, si vel ipse primus,
vel etiam tertius possideat pignus, per *l.* 3. §.
1. *ff. h. t. Neguz. d. m.* 3. *part.* 5. *num.* 19.
3 *Mantica d. l. num.* 15. Sed si secundus possideat,
secundus creditor offerre debebit, si velit reti-
nere pignus, *Card. Mantica d. t.* 28. *num.* 18.

L. Si generaliter. 6.

SUMMARIUM

Si prius generaliter mihi obligata sint omnia bona et ibi specialiter aedes, an ex eo casu ego propter hypothecam generalem te sim potior?

Quaeritur hic: *Si prius generaliter mihi sint obligata omnia bona, et tibi specialiter aedes, an ex eo casu ego propter hypothecam generalem te sim potior?* Resp. Affirmative, nam in generali hypotheca omnes speciales continentur: sed vide explicationem *legis* 2. *supr. de pign.*

L. Licet. 7.

SUMMARIA

Regula: Qui prior tempore potior jure: *quatuor modis hic limitatur. num.* 1.
Primae exceptionis exemplum est in hac lege. 2.
Is quoque posterior creditor, cujus pecunia res pignorata comparata est in empta, cum expressa hypotheca creditori in re comparata constituta praefertur. 3.
Si pecuniam tantum crediderim, ut ea res aliqua emeretur, hypothecam vel prioritatis jus non habeo. 4.
Secus si simul expresse de hypotheca caverim tunc enim ex singulari privilegio anterioribus hypothecariis praeferor. 5.
Observantia fori. 6.
An venditor in re vendita hypothecam cum praelatione habeat. 7.
Barbosa *notatur.* 8.
Si quis vendidit, non habita fide; dominium retinet, et vindicat rem non soluto pretio ante omnes. 9.

1 Regula illa: *Qui prior tempore potior jure:* ha-
bet in *h. l.* quatuor limitationes. Nam 1. interdum
posterior praefertur propter causam: 2. inter-
dum ob factum improbum primi creditoris:
3. interdum propter causam et personam: 4. in-
terdum propter instrumentum, in quo hypo-
2 theca constituta. Primae exceptionis exemplum
est in *hac lege;* nam ob causam praefertur
posterior, non tantum qui credit ad rei oppi-
gnoratae refectionem et conservationem, ut-
pote cujus pecunia salva est totius pignoris cau-
sa, *l.* 5. *et* 6. *ff. h. t. ibique Auct. num.* 1. *et* 7.
3 sed et is, cujus pecunia res pignorata compa-
rata est et empta, cum espressa hypotheca,
creditori in re comparata constituta praefertur.
4 Nam si tantum crediderim pecuniam, ut ea res
aliqua emeretur, non habeo hypothecam nec
5 prioritatis jus, *l.* 17. *supra de pign.* Sed si si-
mul expresse mihi de hypotheca caverim, tunc
praeferor etiam ex singulari privilegio anterio-
ribus hypothecariis, *hic et Nov.* 97. *c.* 3. *Gail. l.*
2. *obs.* 12. *num.* 4. *Carpz. part.* 1. *const.* 28.
def. 107. *Covarr. lib.* 1. *resol. cap.* 7. *num.* 2.
Hartman. Pistor. p. 3. *q.* 15. *num.* 5. *Koeppen.*
dec. 28. *num.* 45. *Rauchb. p.* 1. *qu.* 5. *num.* 6.
Richter. de privil. cred. disput. 7. *sect.* 4. *Berlich.*
part. 1. *conclus.* 65. *num.* 144. *et seq. Neguz.*
memb. 4. *part.* 1. *num.* 63. Et sic quotidie pro- 6
nunciatur. Sed nec venditor habet hypothecam 7
cum praelatione in re vendita, de quo *Cephal.*
concl. 131. nisi sibi hypothecam aut ipsum do-
minium reservaverit, quo casu praefertur omni-
bus prioribus creditoribus, et in classe credi-
torum primo collocatur, teste *Carpz. p.* 1. *jurisp.*
l. 28. *def.* 20. licet dissentire videantur *Petr.* 8
Barbosa in l. si cum dotem. 23. §. *fin. num.* 31.
ff. soluto matrim. Nam venditor habuit jus in
re et hypothecam ex conventione antequam
res fieret debitoris, in cujus bonis alius credi-
tor generalem hypothecam habuit priorem,
sed specialis hypotheca in ea specie fuit prior,
antequam generalis hypotheca speciem illam
afficere potuit. Et ideo ex *hac l.* colligit *Salga-*
do in labyr. creditorum l. 1. *cap.* 12. *num.* 5.
quod vendens rem, si non in continenti tempo-
re contractus sibi reservaverit hypothecam,
sed post traditionem et ex intervallo, quod non
praeferatur creditoribus generalem hypothecam
priorem habentibus, quia horum hypotheca
illam rem affecit, antequam venditori consti-
tueretur hypotheca. Conf. *Thesaurus lib.* 2. *qu.*
74. Sed si vendidit aliquis, non abita fide, do- 9
minium retinet et ergo vindicat rem, non so-
luto pretio ante omnes. Idem quando dolose
emit debitor obaeratus, *Carpz. d. l. d.* 18. Et
hac lege tamen non probari prioritatem hujus
venditoris prae dote, tradit *Guttierez lib.* 3. *et*
seqq. civ. c. 99.

Auth. Item possessor.

SUMMARIA

Altera regula num. 1. praeced. legis *tradita limitatur. num.* 1.
Exemplo declaratur. 2.
Duplex limitationis ratio. 3.
Poena mendaci. 4.

Altera limitatio regulae continetur hic. Nam 1
v. g. posterior creditor hypothecam vindicat a 2
priore creditore eam possidente, prior potuis-
set statim allegare, sibi prius rem esse obliga-
tam. Sed ille per mendacium allegat, rem il-
lam in bonis debitoris non fuisse, ergo non
potuisse obligari ab eodem, *l.* 13. *ff. de pi-*
gnor. Sed posterior creditor probat rem in bo-
nis fuisse; victus ita prior creditor et in men-
dacio deprehensus, allegat sibi esse prius illam
rem obligatam. Sed per *Novell.* 18. *cap.* 10.
non est audiendus, nisi prius possessionem pi-
gnoris restituat. Cujus ratio duplex: quia 1. men- 3
titur: 2. adversarium gravat onere probandi,
Sich. hic num. 7. Hoc autem actor petere po-
test per implorationem officii judicis, siue no-
vo libello et processu judicii, *Glossa in rubr.*
ff. de interrogat. act. Sich. hic num. 2. *Cuchus*

in tr. de mentientibus circa possessionem num. 219. Si autem suum jus probaverit, pignus ipsi
4 priori est restituendum. Atque ita ad tempus tantum creditor posterior priori praefertur. Nota bene: Poenam mendacii, Confer. *l. fin. ff. de rei vindic.*

L. Diversis. 8.

SUMMARIA

Secundus creditor potestatem pignoris distrahendi non habet, antequam priori creditori sit satisfactum. num. 1.
Prioris exceptiones quaenam? 2.

1 Repetitur hic regula: Quod ille sit potior in pignore, cui prius res obligata, licet creditum ipsum sit posterius, sed additur hic, secundum creditorem non habere potestatem distrahendi pignoris, antequam priori creditori sit satisfactum. Nam si posterior distraheret, faceret illud in praejudicium prioris, cui jus prius fuit
2 quaesitum. Prioris exceptiones hic enumerat *Glossa;* id fit vel ob jus separationis, vel ob singulare privilegium, ut impensae funebres, mercedes famulorum, tributa, dos, Fiscus, mutuum ad conservationem rei datum, vel ad emendam rem cum speciali pignore, judiciale pignus, et similia; de quibus suo loco.

L. Eos. 9.

SUMMARIA

Creditores hypothecarii chirographariis praeferuntur, etiam iis, qui personale privilegium habent. num. 1. 4.
Privilegia sunt vel realia et hypothecae annexa, vel personalia et quae actioni personali cohaerent. 2.
Exempla privilegiorum personalium. 3.
Hypothecarii duplex jus, primum in personam, alterum in rem, sed personaliter privilegiati unum tantum in personam habent. 5.
Excipitur causa funeris. 6.

1 Creditores, qui hypothecam habent, creditoribus chirographariis praeferuntur, etiam iis,
2 qui personale privilegium habent. Nam duplicia sunt privilegia: quaedam sunt realia, et hypothecae annexa, qualia duo habuimus in *legis* 7. explicatione. Alia sunt personalia, quae actioni personali adhaerent: sic deponenti competit privilegium personale, si deposita res sit extincta, *l.* 24. §. 2. *ff. de rebus auct. jud. poss.*
3 sic, qui ad emendam rem mutuo dedit, nullo sibi pignore expresse constituto, habet privile-
4 gium personale, *l.* 34. *ff. d. t.* Sed talibus, qui personali fruuntur, hypothecarii omnes prae-
5 feruntur, *Carpz. p.* 1. *c.* 28. *def.* 149. Ratio est: quia hypothecarii habent duplex jus, primum in personam, alterum in rem, sed personaliter privilegiati habent unum tantum in personam, *Molina tr.* 2. *d.* 536. *num.* 33. *Fagundez d. J. et J. lib.* 7. *c.* 3. *num.* 7. Sed excipitur causa funeris, *l. pen. ff. de relig. et sumpt. etc. Fagundez d. l. num.* 8.

L. Cum tibi. 10.

SUMMARIA

Facti species. num. 1.
Deciditur per distinctionem. 2.
De quonam textu loquatur? 3.
An creditores uxori dotem offerre, et ita sua pignora confirmare possint? 4.

Maritus, qui dotem accepit, praedium suum 1
pignori obligavit uxori, et tradidit, deinde aliis quoque se obligavit creditoribus. Mortuo marito creditores posteriores adversus viduam agunt, ut vel sibi satisfaceret, vel praedium restitueret. Distinguit autem Imper. utrum sint 2
creditores hypothecarii, an vero chirographarii. Illi enim non quidem possunt agere contra viduam, ut priorem creditricem, nisi debitum offerant, et sibi ita pignus confirment; hi nullo modo contra eam agere possunt, ne quidem si debitum offerant, cum neque reali, neque personali actione vidua ipsis teneatur, ut quae haeres non est. Sed *haec lex* loquitur de solu- 3
to matrimonio. Sed quaerunt *hic Bart. Cyn. et Salyc.* quid sit dicendum, constante matrimonio: *An creditores possint offerre dotem uxo-* 4
ri, et ita sua pignora confirmare? Et distinguendum puto, an uxor possideat, an vero creditores; Priori casu dicendum cum *Bart. et Salyc.* quia nondum nata est actio dotis, quod ideo dos offerri non possit, sed hic in casu legis, ubi supra de jure dotium, contra *Salyc.* dicerem, vergente marito ad inopiam, quia nata jam actio dotis, per tradita *Neguz. memb.* 2. *part.* 6. *num.* 4. ideo offerri dotem posse. Posteriori casu, quia quilibet possessor conventus hypothecaria potest offerre, licet non sit creditor, ex hoc capite posse offerre dotem, praesertim, cum casus hic vix contingere possit, quam vergente ad inopiam marito, nam alias maritus ageret. Conf. *Morrozzius de jure offerendi num.* 9. et quos hic allegat *Gail. lib.* 2. *obs.* 92. *Cacheranus decis.* 135. *et Franc. de Clapperiis causa* 102. *qu. un. per totum, nec non Thesaur. l.* 2. *qu.* 65. *num.* 5.

L. Scripturas. 11.

SUMMARIA

Interdum propter instrumentum creditor posterior priori praefertur. num. 1.
Exemplo declaratur. 2.
Instrumentum obligationis causa non addita non valet. 3.
Privata scriptura, si partium subscriptionem habet licet in ea non sint testes adhibiti, vim habet publicae scripturae, quoad personalem actionem contra ipsum debitorem exercendam. 4.
An et quatenus per instrumentum etiam privatum creditor posteriori possit praeferri? 5. 6.
Instrumentum a quatuor testibus subscriptum mortuis duobus, a duobus aliis adhuc viventibus recognitum, pro publico est habitum. 7.
Decisio hujus legis *etiam locum habet in mobilibus.* 8.

An instrumentum hypothecae constitutae sigillo publico sine subscriptione judicis munitum sufficiat? 9.

An si de veritate et tempore prioris scripturae ex depositione duorum testium non subscriptorum constet, haec hypotheca publica scriptura sit potior? 10.

Sententia Auctoris. 11.

An dos prior, de qua ex privato instrumento constat, praeferatur posteriori instrumento publico? 12.

Quid si instrumentum fuerit per debitorem in judicio recognitum, an praejudicet posteriori instrumento publico? 13.

1 Propter instrumentum etiam interdum creditorem posteriorem praeferri priori, dictum ad
2 *l.* 7. Ejus exemplum hic habetur tale: Titius
3 constituit tibi ob causam (nam causa debendi non addita non valet instrumentum obligationis, *l. cum de indebito* 25. §. *fin. ff. de probat.*) hypothecam in aedibus suis, easdem aedes ille mihi postea obligat instrumento publico, id est, a Notario publico, vel apud acta judicialia confecto, *Uter nostrum praeferendus sit?* Quaeritur: Et distinguitur, utrum actionibus personalibus utamur, an realibus: Nam si actione personali ambo utamur, tunc quilibet suum debitum petit: Ergo non concurrimus in eadem re, nec opus est quaerere, quis potior, et eo casu talia instrumenta privata, sive a debitore in totum scripta, sive tantum subscripta, con-
4 tra debitorem omnino probant. Et ideo privata scriptura, si habeat partium subscriptionem, licet in ea non sint testes adhibiti, vim habet publicae scripturae, quoad personalem actionem contra ipsum debitorem exercendam, *Gabr. lib.* 1. *tit. de probat. conclus.* 9. Sed si utamur actionibus realibus, v. g. in concursu, tu petis praedium ex tuo instrumento privato: ego idem peto ex publico, tunc ego sum prae-
5 ferendus: ratio est: Quia debitor privatum instrumentum facile cudere potest in fraudem creditoris, et diem praeferre, *Anton. Gabriel. d. tit. de probat. conclus.* 10. *num.* 2. *Tiraquel. de retr. convent.* §. 1. *gl.* 7. *num.* 43. *et seqq.* nam lex haec in praesumptione falsitatis fundatur,
6 *Menoch. cons.* 787. *num.* 6. Additur in textu limitatio: *nisi etiam privatum illud instrumentum a tribus testibus subscriptum*, tunc enim illud instar publici instrumenti se haberet, et ei aequiparetur, *Gabriel. de probat. concl.* 11. Sed necesse est, ut constet de manu et subscriptione testium, sive per recognitionem sive per comparationem, et ut etiam partes ipsae subscripserint, et testes sint idonei, *Neguz. membr.* 2. *part.* 5. *n.* 47. *Mantica de tac. et amb. convent. lib.* 11. *c.* 24. *n.* 9. *et seqq. Covarr. pr. qu.* 22. *n.* 5.
7 Et ideo *Cephal. cons.* 270. refert instrumentum a quatuor testibus subscriptum, mortuis duobus, a duobus aliis adhuc viventibus recognitum pro publico fuisse habitum, licet duo tantum
8 recognoverint. Et habet decisio hujus legis locum etiam in mobilibus, *Dn. D. Chemnitius de jure praelat. th.* 212. *Carpzov. d. c.* 28. *def.* 122. *Neguz. d. l. Beutherus lib.* 2. *c.* 18. Et hoc casu,
9 quando instrumentum hypothecae constitutae sigillo publico sine subscriptione judicis munitum est, hoc sufficere puto, per tradita *Tiraq. de retr. convent.* §. 1. *gl.* 9. *n.* 159. *Petr. Barbosa in l. quae dotis n.* 142. *ff. solut. matr. Mascard. concl.* 1309. *n.* 1. *Berlic. decis.* 54. et sic judicatum scio. Volunt etiam *Doctores*, si de 10
veritate et tempore prioris scripturae ex depositione duorum testium non subscriptorum constet, hanc hypothecam publica scriptura esse potiorem, *Card. Mantica d. l.* 11. *c.* 24. *num.* 5. *et seq.* Et *Tiraq. de retract. convent.* §. 1. *gl.* 7. *n.* 59. quia *haec lex* fundat se in praesumpta fraude et anticipatione, quae isto casu non metuitur, *Menoch. d. cons.* 787. *num.* 13. Sed sibi hoc non ideo expeditum videri ait *Covarr. in pract. qq. c.* 22. *n.* 1. et ita an hoc in nostris 11
judiciis obtineat in concursibus creditorum, dubito. Nam nec hoc jus allegatum aut obtentum memini. Plura de hac lege videantur apud *Thes. lib.* 1. *q.* 89. sed anne dos prior, de qua ex 12
privato documento constat, praeferatur posteriori instrumento publico? Resp. *Petrus Barbosa ad l.* 1. *part.* 2. *n.* 6. *et* 7. *ff. soluto matrimonio.* Quid si vero instrumentum fuit recogni- 13
tum in judicio per debitorem, an praejudicet posteriori publico instrumento? Aff. hoc *Salgado in labyr. creditorum p.* 3. *c.* 2. *num.* 30. ubi in *seq. num.* plurimos refert, qui de materia hujus nobilissimae legis scripserunt, et idem *Salgado* refert alios *lib.* 2. *c.* 20. *n.* 27. Conf. etiam *Guttierez lib.* 3. *q. civ.* 102. *per totam*, *et p.* 1. *quaest.* 125.

Auth. Si quis vult caute.

SUMMARIA

Repetuntur dicta n. 5. et 6. praeced. leg. *n.* 1.

Jure veteri debitor suo instrumento stare cogebatur, si fateretur, sua manu scriptum vel subscriptum. 2.

Quid si negaverit, quomodo debuerit legitimari? 3.

Hoc quodammodo ab Imperatore mutatum. 4.

Si tres testes non interfuere praesentes in scribendo ejusmodi instrumento, comparationes literarum ut suspectae de jure Cod. repudiantur. 5.

Secus si totidem testes interfuerint. 6.

Si testes subscripti vivunt, habemus ordinarium remedium ut testes queant agnoscere manum, sed hoc deficiente medium subsidiarium succedit (nempe comparatio literarum) quod non datur, nisi aliis deficientibus. 7.

Caute creditores in instrumento conficiendo agunt, si semper tres adhibent testes, honestos et fide dignos. 8.

Testes hos alter contrahentium in instrumento descriptos repudiare nequit. 9.

Quid si testes contradicant contentis in instrumento? 10.

An ad instrumenti pro publico habendi fidem masculi testes requirantur? 11.

In *lege praecedenti* dictum, privatum etiam in- 1
strumentum contra debitorem suum robur obtinere, et quidem jure veteri cogebatur debitor 2
stare instrumento suo, si fateretur sua manu scriptum vel subscriptum, *l.* 25. §. *fin. ff.* de *probat.* Sed si negaret, debebat illud instrumen- 3
tum legitimari per comparationes literarum, seu per aliam scripturam manu trium testium

subscriptam, aut publice per debitorem scrip-
tam, *l. comparationes* 20. *supra de fid. instrum.*
4 Sed hoc quodammodo mutavit Imperator *hic:*
5 quando enim in instrumento scribendo tres prae-
sentes testes non fuerunt, comparationes lite-
6 rarum, ut suspectas repudiavit. Sed si tres testes
in instrumento conscribendo interfuerint, com-
parationem literarum, si opus sit (id est, si
testes in chirographo subscripti, mortui essent),
admittit, ita ut eo casu instrumenti a tribus te-
stibus subscripti fides per comparationem alterius
instrumenti a tribus testibus subscripti, probari
7 possit. Nam si testes subscripti vivant, habemus
ordinarium remedium, ut testes queant agno-
scere manum, sed hoc deficiente succedit sub-
sidiarum medium, quod non datur, nisi aliis
deficientibus, nempe comparatio literarum, *Nat-
ta cons.* 622. *in fine lib.* 3. *Thes. dec.* 24. *num.* 5.
Carpz. de processu tit. 14. *art.* 3. *num.* 78. *et seq.*
8 Suadet igitur, ut creditor adhibeat semper tres
testes, et quidem honestos et non minus tribus
9 et fide dignos; quamvis testes in instrumento de-
scriptos alter repudiare nequeat, cum eorum
fidem ambo contrahentes approbaverint, *Cra-
vetta cons.* 56. *num.* 9. *Menoch. l.* 2. *arb. quaest.
casu* 105. *num.* 7. *Wammes. cent.* 1. *cons.* 65.
num. 23. qui si ita gestum esse dicant, statur
10 eorum assertioni; si contradicant contentis in
instrumento, fides ipsis derogatur, nisi dicant,
quomodo aliter res gesta, per *Nov.* 37. unde haec
Authentica desumpta, *c.* 3. *et ad hanc Nov. Matt.*
11 *Steph. num.* 23. *et seq.* An autem ad instru-
menti pro publico habendi fidem masculi re-
quirantur testes, Quaeritur; quod affirmat *Gut-
tierez. l.* 3. *quaest. civ. q.* 102. *num.* 2. *et* 3.
Tiraq. ad ll. Connubiales. Conf. *Rittershus. in
Novell. part.* 9. *c.* 25. *num.* 1.

L. Assiduis. ult. Auth. Quo jure. et Auth. Si quid.

SUMMARIA

Uxores pro dote habent actionem ex stipulatu. *num.* 1.

Quid si nulla stipulatio interposita, an nihilominus hac actione aliis Chirographariis etiam personale privilegium habentibus uxores debeant praeferri? 2.

Imperator ipsis praeterea dedit hypothecam et huic hypothecae etiam privilegium reale, ut omnibus aliis etiam anterioribus hypothecariis praeferantur. 3.

Ratio hujus Constitutionis. 4.

Ampliatur hoc privilegium tripliciter. 5.

Non pertinet hoc privilegium ad paraphernalia. 6. 20.

Neque etiam ad donationes antenuptiales. 7.

Limitatur varie. 8. 11. 17.

Notabile inter mulieres et creditores discrimen. 9.

Uxori vel viduae saepe juramentum suppletorium hoc casu injungitur. 10.

Liberi concurrentes ex priori matrimonio, si dotem maternam repetunt, uxori secundae dotem repetenti praeferuntur. 12.

Liberi apud nos hodie in dimidia dotis praeferuntur aliis crediteribus, altera dimidia adcrescit creditoribus. 13.

Privilegiatus contra privilegiatum utitur jure communi. 14.

Nisi appareat, res quasdam esse in novercae patrimonio, quo casu isti ante omnia sunt restituendae. 15.

Dominus rei alicujus creditoribus praefertur. 16.

Hypothecam expressam anteriorem habentes de consuetudine saltem uxori praeferuntur. 18.

Jus Electorale Brandenburgicum. 19.

Bona paraphernalia hypothecam secum ferunt. 21.

An uxor etiam de donatione propter nuptias hypothecam habeat? 22.

Uxores pro dote habent actionem *ex stipula-* 1
tu, etsi stipulatio pro reddenda dote nulla sit 2
interposita, et hac actione aliis creditoribus Chi-
rographariis, licet personale privilegium ha-
beant, praeferuntur. Sed Imperator dedit etiam 3
hypothecam in *l. un.* §. 1. *C. de rei uxor. act.*
Sed huic hypothecae dat etiam privilegium rea-
le, ut omnibus aliis, etiam anterioribus hypo-
thecariis, praeferantur. Rationes hujus novae 4
Constitutionis allegantur in textu *in princ. et*
§. 1. vers. *Quis enim earum non misereatur
propter obsequia quae maritis praestant, pro-
pter partus periculum et ipsam liberorum pro-
creationem?* Ampliatur autem hoc privilegium 5
tripliciter hic: I. Licet non extent bona dota-
lia, sed sint consumpta, in bonis tamen mariti
omnino praefertur aliis creditoribus, §. 1. vers.
licet res dotales: II. Praefertur ex aliquorum
opinione, *Berl. p.* 1. *conclus.* 65. etiam hypo-
thecariis iis, qui habent prioritatem non tantum
temporis, sed et privilegium reale, ut quorum
pecunia res refectae, *Novell.* 97. *c.* 3. *Authent.
quo jure h. t.* quamvis alii forte rectius statuant,
ex tempore id esse dijudicandum, an dos, an
vero creditum ad refectionem sit praeferendum,
et sic jus ex tempore aestimandum, non ex
causa, quod probari posse videtur *ex Nov.* 97.
cap. 3. *Matth. Steph. ad d. Nov. num.* 21. *Franz-
kius ad tit. ff. Qui potiores in pign. num.* 51.
III. Ut ad liberos, dotem maternam petentes,
extendatur, vers. *exceptis etc. hac l. ult. et Nov.*
91. *princ.* Sed aliis haeredibus non, *d. Novell.* 91.
Carpz. p. 3. *constit.* 26. *def.* 12. *in fin. Thesaur.
l.* 1. *q.* 5. *num.* 5. *Petr. Barb. ad part.* 6. *legis pri-
mae num.* 14. *ff. sol. matr.* Sed et facultas ex
hac lege datur mulieri, executiones et immis-
siones aliorum creditorum impediendi, donec
mulieri satisfactum, aut securitas dotis data,
Mevius p. 4. dec. 59. *num.* 3. Sed declaratur,
id privilegium non pertinere ad paraphernalia, 6
Vid. *Carpz. p.* 1. *constit.* 18. *def.* 86. multo
minus ad donationes antenuptiales, quia in lu- 7
cro ipsis noluit subvenire Imperator, *hac l. ult.*
§. 2. Sed limitatur 1. Si modo dos non tantum 8
sit confessata a marito, sed et realiter illata,
et hoc probetur vers. *si tamen re ipsa,* nisi et
creditores caeteri in confessione debitoris tan-
tum se fundent, *arg. l. in ambiguis* 70. *ff. de
jure dot. Jason. in* §. *fuerat Instit. de act. num.* 91.
et ibi Zasius num. 28. *Bald. Novell. de dote
part.* 10. *num.* 16. *Neyuz. m.* 4. *part.* 2. *num.* 76.
Gail. lib. 2. *obs.* 81. *num.* 5. *Myns. c.* 1. *obs.* 61.
M. Coler. de process. execut. p. 3. *c.* 1. *num.* 114.
Koppen. dec. 28. *num.* 31. *Cov. lib.* 1. *resol. cap.* 7.
num. 6. *Carpz. part.* 1. *c.* 28. *d.* 76. *Berlich.
concl.* 65. *num.* 51. Nemo tamen negabit, esse 9
inter mulierem et alios creditores notabile di-
scrimen: quia mariti, in fraudem aliorum,
saepe fateri solent numerationem dotis, quod

in aliis creditoribus non est metuendum, et
10 ideo saepe uxori vel viduae juramentum suppletorium imposuimus. Gaudet etiam mulier confessione mariti, si promissionem dotis ex intervallo sequatur, *Covarr. lib.* 1. *res. c.* 7. *num.* 6. *Carpz. d. l. d.* 78. *Berlich. d. concl.* 65. *num.* 60. quamvis haec limitatio non videatur certa, nam quid prohibet, quo minus maritus amori conjugali indulgens etiam ex intervallo illationem dotis fateatur? Idem si confessio fiat ab extraneo, ad dotem dandam non obstricto, *Bald. Novell. d. p.* 10. *num.* 14. *Co-*
11 *varr. d. l. Carpz. d. l. p.* 79. - 2. Nisi liberi
12 concurrant ex priori matrimonio: Hi enim si dotem maternam repetant, uxori secundae suam dotem repetenti, praeferuntur, vers. *Exceptis etc. hac l. ult. Carpz. d. constit.* 28. *def.* 97. ubi de legitima tantum loquitur, idque propter
13 observantiam Fori Saxonici. Apud nos liberi in dimidia dotis praeferuntur aliis creditoribus, altera dimidia adcrescit creditoribus. Ratio est:
14 quia privilegiatus contra privilegiatam utitur jure communi, tamen hoc sublimatur in *Au-*
15 *tent. si quid ex rebus h. t.* ubi dicitur: si appareant res, quae novercae sint in patrimonio, tunc eae novercae, in cujus dominio sunt,
16 ante omnia restituenda, nam dominus rei alicujus, omnibus creditoribus praefertur, *l.* 38. *pr. ff. de pecul. l.* 31. §. 1. *ff. de rebus cred.*
17 *Carpz. d. def.* 97. *in fine.* 3. Limitatur nisi prior creditor ad militiam in specie credidisset, hic enim uxori vel viduae praefertur, *Auth. quo jure h. t.* vid. *l. ult. et Auth. fin. supra de*
18 *pignor.* 4. Nisi quidam creditores habeant hypothecam expressam anteriorem. Hi enim saltem de consuetudine uxori praeferuntur, vid. *Carpzov. et ibi allegat. d. const.* 28. *def.* 65. Sed apud nos in Marchia Electorali Brandenb. 19
notissimum est, dotem creditoribus anteriorem etiam expressam habentibus, praeferri. Videantur plures, quos refert pro hac sententia *P. Barb. ad partem* 6. *legis primae num.* 5. *ff. soluto matrim.* Demum notandum; haec quae dicta sunt, tantum in dote locum habere, per hanc *l. ult.* §. 2. ex quo tamen non sequitur, bona paraphernalia non habere hypothecam, 20
quia praerogativam non habent, nam haec distincta esse nemo ignorat. Et ideo bona pa- 21
raphernalia hypothecam secum ferunt, per *l. ubi adhuc. C. de jure dot. et l. ult. C. de pact. convent. Covarr. l.* 1. *resol. c.* 7. *num.* 7. *Fagundez de J. et J. lib.* 7. *c.* 4. *num.* 11. *Carpz. p.* 2. *c.* 24. *def.* 3. *Berlich. p.* 1. *concl.* 67. *num.* 4. *Richter. d.* 6. *p.* 169. Sed de dona- 22
tione propter nuptias dubitatur, *Anne hypothecam habeat:* Nam praerogativa illi expresse denegatur in §. 2. *hujus legis* ex hac ratione; quia Imperator pro lucro non fovet mulieres. Sed hyothecam illi competere probatur ex *d.* §. 2. ibi: *habere inter creditores sui temporis ordinem:* Nam si non haberet hypothecam, non attendenda esset regula: Qui prior tempore *etc.* nam haec regula ad hypothecarios tantum pertinet. Et praeterea probatur hypotheca, per *l.* 2. *C. de bonis quae liberis etc. c. ex literis X. de pign. et ibi Panorm. Covarr. d. l. num.* 2. *Fagundez. d. c.* 4. *num.* 12. *Carpz. p.* 1. *c.* 28. *def.* 19. *num. ult. et p.* 2. *const.* 24. *def.* 6. *Berlich. d. concl. num.* 71. *Dn. Richter. d. d.* 6. *limit.* 3. *p.* 172.

TITULUS XIX.

De his qui in priorum creditorum locum succedunt.

L. Non omnimodo. 1.

SUMMARIA

Dicta supra in l. 1. tit. praec. et l. 22. de pignor. *repetuntur. num.* 1.

Si non hypothecarius creditor communis debitoris offerat id, quod priori debetur, sed extraneus, cujus pecunia hypothecario creditori per debitorem est soluta, an in creditoris locum succedat? 2.

Aliud, si secundus hypothecarius creditor solverit. 3.

Cujus pecunia non ex intervallo, sed statim ad privilegiatum creditorem pervenit sine cessione, in ejus privilegium succedit. 4.

Emptor, qui pretium rei solvit hypothecario creditori sine cessione, jus ejus consequitur. 5.

Si hoc actum, ut creditor dimitteretur, sed non tota pecunia debita certam ob causam ei fuit soluta, an hoc casu concurrat is in hypotheca, qui pecuniam in hunc finem credidit? 6.

Supra in *l.* 1. *tit. praeced. et l.* 22. *C. de pign.* 1
dictum est, secundum creditorem hypothecarium sibi confirmare pignus, si id, quod priori creditori communis debitor debet, eidem offerat, nam tunc prioris jus hypothecarium ad se trahere et sic suum creditum confirmare potest, quod tamen declarat *Petr. Barb. in l. post dotem num.* 61. Quaeritur ergo hic: Si non hypothecarius creditor communis debi- 2
toris offerat id, quod priori debetur, sed *extraneus, cujus pecunia hypothecario creditori per debitorem est soluta, an in ejus locum succedat?* Et respondetur quod non, nisi hoc expresse actum, et sub hac conditione ipsi hoc cessum fuerit, nam alias extraneus, sive ipse creditori solverit, sive debitori mutuo dederit, ut solveret creditori, citra illam conventionem in creditoris locum non succedit, quod itidem etiam in chirographario creditore locum habet, quod scilicet offerendo vel solvendo debitum liberet quidem debitorem, sed pignoris jus in se non transferat, licet creditor, cui solvitur, jura illa in eum transferre possit, si velit, *Neguz. m.* 3. *partis* 5. *num.* 6. *Mantic. de tac.*

et amb. convent. lib. 11. *tit.* 28. *num.* 16. *Carpz. p.* 1. *c.* 28. *def.* 133. *Cravetta cons.* 582. *num.* 2.
3 Sed aliud, si secundus hypothecarius creditor solverit, *Carpz. d. l. et Cravetta et Petr. Gregor. lib.* 23. *syntagm. tit.* 12. *num.* 2. Vid. annotata
4 *in l. Aristo ff. quae res pignor.* Sic cujus pecunia non ex intervallo, sed statim ad privilegiatum creditorem pervenit sine cessione, in ejus privilegiatum succedit, per *l. si ventri* 24. §. *ult. ff. de rebus auct. jud. possid. et quae ibi notavi num.* 8. *et* 9. modo ad privilegium causae competat, non personae, *Petr. Barbos. ad l. post dotem* 41. *num.* 62. *ff. sol. matrim.*
5 Et emptor, qui pretium rei solvit creditori hypothecario sine cessione, jus ejus consequitur, juxta tradita *Thes. lib.* 2. *q.* 30. Sed quae-
6 ritur, si hoc actum, ut creditor dimitteretur, sed non tota pecunia debita ei fuit soluta, forte, quia debitor pecuniam in hunc finem, ab extraneo mutuo acceptam non totam creditori hypothecario solvit, sed partem pecuniae in alium vertit usum, an eo casu in hypotheca concurrit is, qui pecuniam in hunc finem credidit? quod negat *Mevius part.* 4. *quaest.* 123.

L. Cum pro patre. 2.

SUMMARIA

Sensus legis. num. 1.
Solvens potiori creditori privilegiato in casu Fisci non transit in ejus locum sine conventione. 2.

1 Filius pro patre Fisco solvit, et ideo in ejus locum succedit, scilicet quia hoc specialiter conventum, ut ex *l. praecedenti, et l.* 3. *ac ult. de privil. Fisci* apparet, ergo quia Fisco filius successit, in *hac l.* 2. non potest conveniri, aut inquietari a reliquis creditoribus, qui
2 bus Fiscus potior est. Cur autem solvens potiori privilegiato creditori, hic in casu Fisci non transeat in ejus locum sine conventione, licet alias transeat, per *l. si ventri* 24. §. *fin. ff. de privileg. creditor.* de eo dictum ad *l.* 3. *et fin. C. de jure Fisci.*

L. Si potiores. 3.

SUMMARIA

Chirographarius vel tertius hypothecarius quando succedat in locum primi. num. 1.
Notabilis limitatio legis primae. 2.
Non tantum ille, cujus pecunia ad priorem creditorem pervenit, in locum primi succedit, si creditor primus sua jura cesserit, sed etiam, si debitor pignus primi vendiderit tertio. 3.

Tunc etiam chirographarius vel tertius hy- 1
pothecarius succedit in locum primi, si pignus emerit a debitore, ut pecunia ad primum creditorem perveniret, *l.* 17. *ff. qui potiores in pign. l.* 12. §. 8. *ff. d. t.* Et sic colligitur no- 2
tabilis limitatio *legis primae:* Non tantum ille, 3
cujus pecunia ad priorem creditorem pervenit, in locum primi succedit, si creditor primus sua jura cesserit, sed etiam si debitor pignus primi vendiderit tertio, nam tunc tertius in locum primi succedet et praefertur secundo. Et sic sufficit pactum esse factum cum ipso debitore, licet non sit factum cum creditore, *Neguz. m.* 3. *partis* 5. *num.* 45. *Cujac. ad l.* 17. *ff. qui potiores t.* 1. *p.* 1630. *Thesaurus d. q.* 30. *Glossa* tamen putat hic creditorem tertium habere tantum jus retentionis, si sit in possessione, *Jo. Bapt. Costa de ignor. juris et facti cent.* 2. *distinct.* 73. *num.* 6. *et seqq. et Gratianus l.* 2. *discept. for. c.* 269. *per totum*, ita ut si amiserit possessionem, etiam agere tamen possit. *Gratianus. d. l. num.* 25.

L. Si prior. ult.

SUMMARIA

De jure offerendi, quod secundus creditor habet, hic agitur. num. 1.
Secundus creditor etiam reipubl. debitum offerre, et sic dimissa ea pignus confirmare potest. 2.
Scriptores de materia juris offerendi. 3.

Agitur hic de jure offerendi, quod secundus 1
creditor habet, dum vult sibi confirmare pignus, et rem a priore creditore liberare. Et habetur hic ampliatio, quod secundus creditor 2
etiam reipubl. possit offerre debitum, et sic sibi, dimissa republ. confirmare pignus. De hac materia juris offerendi tractatum scripsit 3
Morozius supra allegatus, et novissime insignis JCtus *Dn. Jac. Andreas Crusius*, Lutetiae Parisiorum et in Academia disputationem inauguralem edidit *Dn. Klugius*, conferatur denique *Bacchovius de pignor. lib.* 4. *cap.* 15. *et sequentibus.*

TITULUS XX.

Si antiquior creditor pignus vendiderit.

L. Si vendidisset. 1.

SUMMARIA

Creditor debitore non solvente pignus vendere potest. num. 1.
An creditor posterior priorem impedire queat, quo minus pignus distrahat? 2.
Distracto a priori creditore pignore nec creditor posterior, nec debitor, nec venditor rem evincere potest. 3.
Si prior creditor non distraxit, sed in solutum a debitore accepit pignus, an secundus creditor contra primum habeat actionem hypothecariam? 4.
Ratio dubitandi. 5.
Decidendi. 6.

Limitationes regulae. 7.
Decisio legis *limitatur.* 8.

1 Creditor, si debitor non solvat, jus habet vendendi pignoris, *l. ult. h. t. Vid.* §. 1. *et ibi notata*
2 *Instit quibus alienare licet.* Ideoque non audiendus est creditor posterior, si velit impedire creditorem priorem, si hic suo jure pignus distrahat, nisi scilicet ei offerat debitam pecuniam, *d. l. ult. h. t. l.* 1. *supra, qui potiores, et l.* 22. *de pign.*
3 Si igitur a creditore priori seu antiquiori pignus sit distractum, nec creditor posterior, *l.* 6. *et* 7. *supra de obl. et act. l.* 1. *h. t.* nec debitor, *l.* 2. *h. t.* nec ipse venditor seu creditor, rem evin-
4 cere potest, *l.* 10. *ff. de distr. pign.* Sed *quid si prior seu antiquior creditor non distraxisset, sed in solutum debitor accepisset pignus, an secundus creditor contra primum habeat hypothe-*
5 *cariam actionem?* Et videtur quod non: Cur enim creditor, qui potestatem vendendi habet,
6 in solutum non possit accipere? Sed affirm. in *l.* 1. *h. t.* Nam potest transferre dominium, *d.* §. 1. Sed emere non potest suo jure, sed a debitore. Ergo debitor non potest aliter vendere, nisi cum sua causa, id est, cum pignoris onere, quod secundo creditori in ea re constitutum, atque adeo ita manet salvum jus secundo creditori, ac si debitor alii extraneo vendidisset, atque hanc distinctionem inter venditionem factam a creditore, et dationem in solutum factam a debitore, tradunt *hic DD.* per *hunc textum, et Neguz. part.* 1. *membr.* 3. *partis* 5. *princ. num.* 4. *Morozius de jure offer. num.* 16. *Trentac. tit. de solut. resol.* 30. *num.* 3. *Card. Mantic. lib.* 11. *tit.* 28. *num.* 24. *Thes. dec.* 157. *num.* 1. *et* 2. *Afflict. dec.* 16. *num.* 2. *Menoch. lib.* 3. *praes.* 121. *num.* 2. *Mol.*
7 *d.* 538. *num.* 13. quae regula tamen habet limitationes, v. g. Si fidejussor emerit, si secundus emerit a primo, quia non tam causa adquirendi dominii, quam pignoris conservandi causa emisse videntur, *l.* 6. *ff. de distr. pign.* Vid. *Neguz. et Moroz. d. l.* Conferatur hac de re *Thesaurus lib.* 2. *quaest.* 88. per totam, prae-
8 sertim *num.* 7. Hujus tamen legis decisionem limitat *Cephalus lib.* 4. *cons.* 550. *num.* 26. *et seq*: 1. Si datio in solutum facta fuerit medio decreto primo et secundo: 2. Si creditor, cui in solutum data est hypotheca, habuit in instrumento potestatem propria auctoritate apprehendendi: 3. Si cum consensu Principis fuit res data. Limitat etiam *Fachin. lib.* 1. *n.* 9. si in solutum datio facta fuerit a judice, citatis creditoribus caeteris.

L. Obligata. 2.

SUMMARIA

Distracto pignore a creditore debito modo, debitor non potest offerre et rem venditam luere. num. 1.
Limitatur haec regula. 2. 3. 4. 5. 6.

Quando creditor distraxit pignus debito modo, non potest debitor offerre et luere rem ven- 1
ditam, quae tamen regula limitatur: 1. Si ven- 2
datur secundo creditori, nam hic non tam dominium acquisivisse, quam suum pignus confirmasse videtur, ob *l.* 5. §. *ult. et l.* 6. *ff. de distract. pign. Molina d. d.* 538. *num.* 17. quam praesumptionem juris et de jure esse ait *Vinc. de Franchis dec.* 69. *num.* 7. quem tamen refutat *Menoch. lib.* 3. *praes.* 121. *num.* 8. *et seqq.*
2. Si nulliter, et non servato juris ordine emis- 3
set, etiam extraneus, *Molina d. d.* 538. *num.* 25.
3. Si creditor vendat debitoris haeredi, nam ita 4
non extraneo, sed quodammodo debitori pignus venditum videtur: 4. Est exceptio ex nobi- 5
li *lege Si cum venderet* 13. *ff. de pign. act.* quam hic etiam allegat *Glossa,* ubi creditor reluitionem debitori reservaverat, de quo *Tiraq. de retr. convent.* §. 1. *gl.* 7. *num.* 64. *Covarr. lib.* 3. *res. c.* 8. *num.* 3. *Gomez. t.* 2. *cap.* 2. *num.* 29. *Klock. vol.* 2. *cons.* 42. *num.* 302. Alia limitatio 6
in *l.* 3. *infr. Si vendito pign. agatur.*

L. Quo minus. ult.

SUMMARIA

Secundus creditor offerendo debitum priori creditori distractionem pignoris impedire potest, si scil. totum offerat. num. 1.
Meliorationes etiam simul debent offerri. 2.
Secundus creditor eatenus tantum habet actionem contra priorem creditorem, si quod creditor ei debuit, offerat creditori antiquiori. 3.

Secundus creditor non potest impedire pri- 1
mum creditorem, quo minus hic Pignus jure suo distrahat, nisi offerat creditum primo creditori, ex quo apparet, offerendo debitum posse eum impedire distractionem. Scilicet si offerat totum, cum natura pignoris sit indivisibilis, *l.* 9. *C. de solut. Covarr. lib.* 3. *resol. c.* 18. *num.* 4. *Vinc. de Franc. dec.* 12. *Mastrill. dec.* 119. *lib.* 2. *Molina d. d.* 538. *num.* 20. Et de- 2
bent simul offerri meliorationes, *l. Paulus* 29. §. 2. *ff. de pign. Vinc. de Franchis dec.* 38. *Garcias de expens. c.* 8. *num.* 55. Sed secundus cre- 3
ditor eatenus tantum habet actionem hypothecariam contra priorem creditorem, si quod creditor ei debuit, offerat creditori antiquiori.

TITULUS XXI.

Si communis res pignori data sit.

L. Frater. un.

SUMMARIA

Socius rem communem pro parte tantum oppignorare potest. num. 1.
Excipitur fiscus, qui rem communem in solidum vendit et oppignorat. 2.
An etiam soluta communione pars illa tantum obligata maneat, quae illi socio obvenerit, qui suam partem obligavit? 3.
Socius privatus in omnem eventum a fisco indemnitatem consequitur. 4.

1 Socius rem communem oppignorare potest tantum pro sua parte, quia etiam pro ea parte tantum vendere potest, *l.* 2. *supr. commun. divid. l.* 7. *supr. commun. utriusque judic. l.* 7. *§. ult. ff. quibus modis pign.* Excipitur Fiscus, qui rem 2
sibi cum privato communem, ut in solidum vendere ita et oppignorare potest, *arg. l.* 2. *supra de commun. rer. alienat. et l.* 1. *C. de vendit. rerum fisc. cum privatis commun.* Quae sententia hic per *Gloss. Bald. Salyc. et DD.* communiter recepta, *Neguz. m.* 3. *partis* 2. *num.* 36. *Mozzius tit. de personis quae pign. dare poss. num.* 8. *Ripa in l.* 1. *ff. de pign. num.* 16. *Fagundez de J. et J. lib.* 7. *cap.* 6. *num.* 7. sed non placet, quod ibi habet, soluta communio- 3
ne partem illam tantum manere obligatam, quae illi socio obvenerit, qui suam partem obligavit. Nam diversum habetur in *l.* 7. *§. fin. ff. Quibus modis pignus solv. Neguz. n.* 37. quamvis autem in Fisco dissentiat *Perez hic. num.* 2. ejus tamen ratio tanti non est, nam socius pri- 4
vatus in omnem eventum consequitur indemnitatem a Fisco.

TITULUS XXII.

De praetorio pignore, et ut in actionibus debitorum missio praetorii pignoris procedat.

L. Si praetorium. I.

SUMMARIA

Praetorium pignus quid sit, et quando detur? num. 1.
Differentia inter hoc et pignus judiciale. 2.
Quomodo missio in nomina fieri soleat? 3.

1 Praetorium pignus est constitutum a Praetore, dum creditor ob contumaciam debitoris, vel rei servandae causa, ut in legatis, vel cautione damni infecti missus est, ex primo decreto, in possessionem bonorum debitoris, et datur in omnibus bonis mobilibus et immobilibus, imo et in nomina ea creditor mitti potest, quibus debitori ejus alius obstrictus est, *l.* 1. *h. t.* de quibus poterat dubitari, quia pignora capi dicuntur, *l.* 1. *infr. si in causa. jud.*
2 Sed capi et nomina possunt suo modo, et hoc Praetorium differt a pignore judiciali, vel in causa judicati capto, quod Praetorium pignus ob contumaciam vel rei servandae causa, judiciale vero ob executionem rei judicatae, illud Praetorium scilicet, per missionem, hoc per captionem, illud in omnibus bonis, hoc plerumque in rebus singulis, illud contra latitantem nondum judicatum, hoc contra judicatum, vel eum, qui pro condemnato habetur. Vid. *Balduinus de pign. c.* 8. *Bacchov. in Treutl. d. d. th.* 3. *lit. B.* de quo *Bacchovius in tr. de pignor lib.* 1. *c.* 3. *num.* 4. Sed inquis, *Quomodo fit haec* 3
missio in nomina? Praxin describit post *Gloss. hic Bald. et Salyc. et Neguz. membr.* 2. *part.* 3. *num.* 24. Scilicet debet citari debitor, in cujus nomen facienda est immissio, et si coram judice confiteatur debitum, judex jubebit id esse pignori creditori, et talis jussus habet quasi vim immissionis et dat utilem hypothecariam. Idem in pignore judiciali, *l.* 18. §. 8. *ff. de re judic.*

L. Veteris juris. ult.

SUMMARIA

Si creditor possessionem pignoris Praetorii casu fortuito amiserit, vel etiam sua culpa, an vindicare etiam a quovis possessore possit? num. 1.
Creditor habens pignus conventionale, si cadit possessione, illud actione hypothecaria potest repetere. 2.
Convenientiae pignoris judicialis cum Praetorio. 3. 6.
Hypothecaria actio in pignore Praetorio melioris est conditionis, quam in judiciali. 4.
Differentia alia inter pignus Praetorium et judiciale. 5.
In pignore Praetorio realis missio requiritur. 7.

Quaeritur hic: *quid si creditor amiserit pos-* 1
sessionem pignoris Praetorii casu fortuito, vel

etiam culpa sua, an vindicare possit etiam a
quovis possessore? Resp. Affir. quamvis fuerit
dubitatum a veteribus. Ratio decisionis est; quia
2 creditor, qui habet conventionale Pignus, si ca-
dat possessione, potest illud actione hypotheca-
ria repetere, *l.* 11. §. 1. *in fin. ff. de pign.* cur
non idem dicamus in creditore detinente Pignus
3 Praetorium, et sic habemus notabilem conve-
nientiam inter pignus Praetorium et conventio-
nale, quod pro utroque detur actio hypothe-
caria, *Neguz. memb.* 2. *partis* 3. *num.* 25. *Do-*
4 *nell. de pignor. c.* 5. *in fine.* Licet hypotheca-
ria actio in pignore Pretorio melioris sit con-
ditionis, nam actioni hypothecariae in pignore
conventionali obstat exceptio excussionis. Sed
haec non obstat in pignore Praetorio, nam eo-
dem imperio, quo missus fuit in possessionem,
debet in ea conservari, *l.* 3. *ff. ne vis fiat ei etc.*
Neguz. d. m. 2. *num.* 26. *et num.* 40. Differunt 5
etiam haec pignora in eo, quod Praetorium
pignus non tribuat naturalem possessionem,
l. 3. §. 8. *ff. uti possidetis*, et creditor in Prae-
torio pignore tantum tenetur de dolo et lata
culpa, *l.* 9. §. 6. *ff. de rebus auct. jud. poss.*
Neguz. d. m. 2. *num.* 24. *Molin. ad consuet.*
Paris. tit. 1. §. 6. *Gl.* 6. *num.* 12. Caeteras con- 6
venientias et differentias Pignoris conventiona-
lis et Praetorii tractat *Neguz. d. m.* 2. *num.* 29.
et seqq. Balduinus in tr. de pign. c. 8. Necesse 7
autem est, ut quis vere et realiter (wurcklich,)
fuerit immissus, aut per judicem stet, vel mo-
ras adversarii, quod missio non habuerit effec-
tum, *arg. l. cum unus* 12. §. *fin. ff. de rebus*
auct. jud. poss. Bart. ibidem num. 2. *Zasius.*
num. 2. *Neguz. d. m.* 2. *num.* 30. *Carpz. p.* 1.
c. 28. *d.* 139. *et decis.* 63.

TITULUS XXIII.

Si in causa judicati pignus captum sit.

L. Res ob causam. 1.

SUMMARIA

Judiciale pignus quid sit? num. 1.
In pignore etiam judiciali realis missio vel capio requiritur. 2.
Nec comminatio de immittendo creditore, nec executoriales sufficiunt. 3.
Huic pignori ex statutis Italiae et praesertim fori Saxonici aequivalet illud quod ex instrumento publico guarentigionato constituitur. 4.
Plura adhuc inter hoc pignus et Praetorium intersunt. 5.
Cur hoc judiciale in conventionalis pignoris locum succedat? 6.
Alia inter pignus Praetorium et judiciale differentia. 7.

1 Judiciale pignus est quod jussu magistratus ex
causa judicati in bonis condemnati constituitur,
quia judex non nisi post sententiam hoc pignus
constituere potest, *Neguz. m.* 3. *p.* 3. *num.* 1.
2 et sicut in pignore Praetorio requiritur realis
missio, ita et hic realis missio vel capio requi-
3 ritur; nec sufficit comminatio de immittendo
creditore, nec sufficiunt executoriales, *Carpz.*
d. c. 28. *def.* 139. *Berlich. p.* 1. *concl.* 68. *n.* 13.
Richter. de privil. credit. d. 10. *p.* 287. et huic
4 pignori judiciali aequivalet ex statutis Italiae et
Germaniae, praesertim Fori Saxonici, id pi-
gnus, quod ex instrumento publico guarenti-
gionato constituitur, *Neguz. d. m.* 3. *n.* 4. *Carpz.*
5 *d. c. def.* 137. Sed inter hoc pignus et Prae-
torium multum interest. Nam pignus Praeto-
rium non statim distrahi potest, sed pignus ju-
diciale constitutum ex judicato, etiam distrahi
potest, non secus ac conventionale, succedit
enim in conventionalis pignoris locum, ergo ut
hoc, ita et judiciale distrahi potest, *l.* 1. *h. t.* Cur
6 autem in conventionalis pignoris locum succe-
dat, ratio est haec; quia in judicio quasi con-
7 trahimus. Alia differentia inter pignus Praeto-
rium et judiciale, quod debitor pignus Praeto-
rium recuperet, si solvat expensas, et satisda-
tionem praestet, *Auth. et qui jurat supr. de bo-*
nis auctorit. jud. poss. Sed in pignore judiciali
hoc non est, satisfaciendum est sententiae *Ne-*
guz. d. m. 3. *num.* 2. *et seq.*

L. Cum in causa. 2.

SUMMARIA

Differentiae duae inter pignus judiciale et conventionale. num. 1.
In distractione pignoris judicialis, si nullus emptor se offerat, vel offerat quidem, sed non dignum pretium, an ipse creditor ad emptionem admittatur? 2. 3. 4. 5.
An creditor statim ad licitationem possit admitti? 6.
Caute agit creditor expectans aliorum licitationem. 7.
Distractio pignoris, etiamsi facta sit in creditorem, non tamen propterea rescindenda est. 8.

Sed hoc interest inter judiciale et conventio- 1
nale, quod pignus conventionale possit credi-
tor vendere propria auctoritate, *l. si cessante*
7. *infr. de distr. pign.* Sed pignus ex causa
judicati captum, distrahi debet jussu Magistra-
tus et per apparitores judicii, non vero per
creditorem, Vid. *l.* 3. *supr. de exec. rei jud.*
Differt etiam in eo pignus conventionale a ju-
ciali, quod illud creditor ipse emere non pos-
sit, nam non potest idem esse venditor et em-
ptor. Sed quando judiciale distrahitur, si nul- 2
lus alius existat emptor, vel existat, sed non
dignum pretium offerat, tunc ipse creditor
admittitur ad emptionem, *l.* 2. *h. t.* quia hoc
casu alius vendit, alius emit. Colligitur ergo 3
ex hac lege: creditorem ad licitationem admit-
tendum esse, sed id videtur hic restringi, si
alius emptor non adsit, vel adsit quidem, sed
idoneum pretium non offerat; et tamen con-

trarium dici videtur in *l.* 16. *ff. de reb. auct.*
4 *judic. possid.* ubi creditores in emptione bonorum debitoris praeferuntur extraneis; Resp. *Vanderanus de privil. credit.* 12. respondisse Imperatorem de casu hic proposito, unde a contrario sensu non potest inferri, Ergo si alii adsint, creditor arceatur, et sane non displicet haec responsio, et mallem absolute creditorem admittere; Quam etiam sententiam habere videtur *Dn. Carpzovius in process. tit.* 25. *art.* 4.
5 *num.* 122. *et seqq.* Sed aliter *Ant. Faber lib.* 5. *conject. cap.* 15. quem sequitur *Hillig. in Donell. lib.* 23. *cap.* 14. *lit. D.* Nam hic putant, quando distrahuntur bona, creditorem non admitti, sed licitatione facta creditorem habere jus praelationis, si idem pretium offerat, sed prior sententia nihil habet absurditatis. Ideoque
6 non est absurdum, etiam creditorem ad licitandum admitti statim posse, cum *Dn. Jo.*
7 *Philippo de subhast. cap.* 3. *comm.* 10. Sed melius est, si creditor expectet aliorum licitatio-
8 nem. Colligitur etiam ex hac lege, distractionem pignoris, etiamsi facta sit in creditorem, non esse propterea rescindendam, quod hodie res pluris valeat, *Mevius p.* 1. *dec.* 19. *num.* 3.

L. In causa judicati. ult.

SUMMARIUM

An licitum sit ipsi creditori impetrare jus dominii?

Quaeritur hic: *An licitum sit ipsi creditori impetrare jus dominii?* Resp. in *l.* 3. *seu ult. infr. de jure dot.* id non licere: nam distrahenda sunt pignora, non vero eorum dominium acquirendum, nisi uno casu, quando fraude debitoris fit ut nullus emptor reperiatur, *l. ult. h. t.* de quo vid. *infr. de jure domin. impetr.*

TITULUS XXIV.

Si pignus pignori datum sit.

L. Etiam id. 1.

SUMMARIA

Creditor rem sibi pignori datam etiam aliis pignori dare potest. num. 1.
Quamnam uterque habeat actionem? 2.
An a secundo vel tertio creditore res ulterius pignori obligari possit? 3.
Tam primus, quam secundus creditor, et sic porro rem pignori datam vendere potest. 4.
Quatenus ususfructus atque servitus personalis pignori dari possit? 5.
Quatenus ille, qui plenam proprietatem habet, usumfructum pignori obliget. 6.
Creditor non plus juris transfert in secundum, quam quod ipse in pignore habet. 7.
Exemplo declaratur. 8.
Si creditor, cui ususfructus obligatus est, rem ipsam oppignoravit, an tantum jus suum pignori dedisse, an vero proprietatem videatur? 9.
Vinculum pignoris, quo secundo creditori res obstricta est, diutius non durat, quam durat pignus constitutum primo. 10.
Tamdiu secundo creditori utilis hypothecaria actio ex cessione competit, quamdiu primus creditor jus pignoris habet. 11.
Quando distractio a creditore legitime facta, debitor offerendo pretium vel debitum, venditionem rescindere nequit. 12.

1 Creditor rem sibi pignori datam, alii etiam dare pignori potest, *l.* 1 *h. t. et l. grege* 13.
2 §. 2. *ff. de pign.* Et sic primus creditor, cui pignus obligatum, habebit directam hypothecariam actionem, quia ipsi Dominus obligavit rem suam; Sed secundus creditor, cui primus creditor pignus ulterius obligavit, habet tantum utilem hypothecariam, *Neguz. m.* 3. *part.* 2. *num.* 19. *Schwarzenthaler de pign. cap.*
34. *num.* 2. *Bacch. de pign. l.* 2. *c.* 9. Et quam- 3
vis sint, qui a secundo vel tertio creditore rem ulterius pignori obligari posse negent, leges tamen id ita non restringunt, et opinio ista textu destituitur, *Neguz. d. m.* 3. *num.* 20. *Coll.*
Arg. de pign. c. 7. *num.* 11. ergo quia primus 4
vendere potest, id etiam secundus facere potest, et sicut debitor venditionem a primo factam impedire nequit, vel retractare, *l.* 1. *supra tit.* 20. ita nec venditionem impedire potest factam a secundo creditore, *l.* 1. *in fin.* conf. *in Bacch. d. cap.* 9. Sed observandum ex
dicta *prima lege:* I. Usumfructum, atque adeo 5
servitutem personalem, pignori dari posse, qua datione tamen ab usufructuario facta, non ipsum jus ususfructus, sed commoditas ususfructus seu jus reale utendi fructibus oppignoratum videtur, *Cynus, Bald. Salyc. hic et Fagundez d. lib.* 7. *c.* 6. *num.* 9. *Neguz. m.* 3. *part.* 2.
num. 9. Si autem ille, qui habet plenam pro- 6
prietatem, obliget pignori usumfructum, tunc, qui obligat usumfructum, habuit quidem causalem tantum usumfructum, sed hic in persona creditoris fit formalis, qui tamen si ulterius obligat usumfructum, retinet formalem et transfert tantum commoditatem, *Neguz. d. l. num.* 10. *Fagundez d. lib.* 9. *circa finem.* Ob-
serva II. Quod non plus juris in re creditor 7
transferat in secundum, quam quod ipse habet
in pignore, v. g. usumfructum tantum prae- 8
dii tibi pignori dedi, tu tamen non usumfructum tantum, sed ipsum praedium pignori das secundo. Quaeritur: *An hoc facere possis?* Neg. *in h. l.* quia non potuisti plus in secundum transferre, quam quod ipse habuisti, ideoque si secundus creditor praedium ipsum distrahat, haec distractio mihi non praejudicat, *Schwar-*
zenthaler d. cap. 34. *num.* 3. Sed hic quaeri- 9
tur in secundo hoc notabili: *Si creditor, cui ususfructus obligatus est, rem ipsam oppignoraverit, An tantum jus suum pignori dedisse, An*

vero proprietatem videatur? Et non videtur inepta distinctio *Doctorum*; utrum scienti creditori debitorem non habere aliud jus, an vero ignoranti dederit; Si illud, jus tantum, et hac facti specie usumfructum eum tantum obligasse; Si hoc, praesumitur totam rem obligasse. Atque eadem quaestio in venditione pignoris locum habet. Utuntur *argum. legis* 32. *ff. de contrah. empt. Salyc. in l.* 2. *h. t. Schwarzenthaler d. c.* 34. *num.* 5. *Neguz. d. memb.* 3.
10 *num.* 14. *Fagundez d. l. num.* 11. III. Diutius non durare vinculum pignoris, quo secundo creditori res obstricta est, quam durat pignus constitutum primo, *l.* 1. ubi dicitur, tamdiu secundo creditori utilem hypothecariam,
11 riam, scilicet actionem ex cessione competere, quamdiu jus pignoris habet primus creditor. Et si debitor primo creditori solvat, quod ipsi debitor debet, licet creditori secundo a primo creditore plus debeat, solvitur tamen vinculum
12 pignoris quoad secundum creditorem. IV. Observa: Quando distractio a creditore legitime facta, debitor offerendo pretium vel debitum, rescindere venditionem nequit, *Schwarzenthaler d. c.* 34. *num.* 4.

L. Si creditor. ult.

SUMMARIA

Pignus alteri secundo creditori iterum obligatum debitor solvendo primo, a nexu, quo secundo creditori obstrictum, liberare potest. num. 1.
Si primo creditori solvo debitum, pignus actione pignoratitia a secundo creditore repetere possum, licet ei nihil solverim. 2.
Una solutione pignus ab utroque liberatur. 3.
Resoluto jure dantis resolvitur etiam jus accipientis. 4.
Limitatur. 5.

Quando pignus alteri secundo creditori ite- 1
rum obligatum est, possum ego debitor solvendo primo, seu meo creditori, liberare pignus a nexu, quo secundo creditori obstrictum
est: ergo si primo creditori solvam debitum, 2
possum pignus actione pignoratitia repetere a secundo creditore, licet ei nihil solverim, sed
primo tantum creditori, *l.* 2. *h. t.* Sic ergo 3
una solutione pignus ab utroque liberatur, nam
resoluto jure dantis resolvitur etiam jus acci- 4
pientis, *l. lex vectigali* 31. *ff. de pign.* quod licet non per actionem civilem peti possit, succedit tamen ob aequitatem evidentem officium judicis, *Dn. Mev. p.* 5. *dec.* 343. *num.* 7. quod
tamen limitant, nisi denunciatum sit debitori 5
a secundo creditore, *arg. l.* 4. *C. quae res pign.* licet ea lex de nomine loquatur, *Gabr. Mudaeus in d. l.* 4. *num.* 20. *Perez in C. h. t. num.* 4. ut sic haec limitatio dubia sit.

TITULUS XXV.

De partu pignoris et omni causa.

L. Partus. I.

SUMMARIA

An re certa pignori data, etiam ea, quae ex ea re nascuntur, pignori esse praesumantur, licet de eo nihil convenerit? num. 1.
Ratio dubitandi. 2.
Decidendi. 3.

1 Quaeritur? *An re certa pignori data, etiam ea, quae ex ea re nascuntur, pignori esse praesumantur, licet de eo nihil convenerit?* Et
2 videtur quod non, quia nulla res, nisi specialiter obligata, speciale pignus esse potest, *l.* 17.
3 *supra de pign.* Sed affirmatur *in l.* 1. *h. t. et l.* 26. §. *ult. ff. de pign.* quia v. g. partus ancillae, quasi ejus pars fuit, cum in utero latitaret, *l. fructus* 44. *ff. de rei vind.*

L. Cum pignoris. 2.

SUMMARIA

Quid si creditor fructus perceperit, aut operas mancipiorum, an fructus exonerent debitum? num. 1.
A creditore praestandi sunt fructus non tantum quos percipit ipse, sed et quos percipere potuit, habito respectu non ad alterius, sed ad creditoris personam. 2.
Si per culpam levem creditor fructus aliquos vel operas non percepit, quos tamen ipse percipere potuit, eos praestare tenetur. 3. 4.
In Praetorio pignore tantum lata culpa praestatur. 5.

Quaeritur hic: *Quid si creditor fructus per-* 1
cepisset aut operas mancipiorum? Resp. Fructus exonerare debitum, et fructus illos in usuras computari, quibus solutis in sortem sunt computandi, et residuum creditori est solvendum, et ita pignus liberandum, *hic l.* 1. *et l.* 2. *secundum veterem editionem*, *C. de pign. actio-*
ne. Et ex *hac lege* aperte demonstratur, non 2
tantum a creditore praestandos esse fructus, quos percepit creditor, sed quos percipere potuit ipse, habitu respectu non ad alterius, sed ad creditoris personam, quia creditor non est malae fidei possessor, sed habet causam pos-
sidendi a Domino: ergo si per culpam levem 3
(nam haec sola a creditore in hoc contractu praestanda, non vero levissima), aliquos fructus vel operas non percepisset, quos tamen ipse percipere potuisset, hos fructus vel operas praestare tenetur, de quo Vid. *l.* 2. *C. de pign. act. Neguzant. m.* 5. *p.* 5. *num.* 1. *Covar. in c. quamvis p.* 1. §. 4. *num.* 14. *lib.* 6. *de pactis. Molina tr.* 2. *d.* 535. *num.* 3. *Trentacinq. lib.* 3. *tit. de pign. resol.* 2. *num.* 1. *Natta p.* 3.

4 *cons.* 536. *in fine.* Hinc colligitur veritas sen-
tentiae: Quod creditor etiam eos fructus com-
putare debeat, quod ipse percipere potuit,
licet debitor non potuerit percipere, *Fagundez*
de J. et J. lib. 7. *cap.* 7. *num.* 6. In pignore 5
Praetorio autem opus est, ut lata culpa non
perceperit, quia in eo, ut supra dixi, tantum
lata culpa praestatur, *Molina d.* 535. *num.* 3.

TITULUS XXVI.

De remissione pignoris.

L. Si te manumissum. I.

SUMMARIA

Nuda scientia ad hoc, ut creditor jus pignori remisisse videatur, non sufficit, sed expresso consensu vel actu opus est. num. 1.
Exceptiones. 2. 6. 8. 9.
Quando res oppignorata sciente creditore ad piam causam venditur, jus pignoris remissum videtur. 3.
Causa pia libertati aequiparatur. 4.
Bacchovius *notatur.* 5.
Publicum programma quid sit? 7.

1 Nuda scientia non sufficit ad hoc, ut credi-
tor pignoris jus remisisse dicatur, sed expres-
so consensu vel actu opus est, ut quis consen-
sum suum testetur, v. g. subscriptione, *l.* 8.
§. 15. *ff. quibus mod. pign. solv.* Sed exceptiones
2 habentur: I. In servo pignori dato; Nam si hic
creditore sciente tantum manumissus sit, pi-
gnoris jus remissum, *l.* 1. *h. t.* Cujus causa
favor libertatis; et quia in servo manumisso
non potest haerere jus pignoris, *Bacch. de pi-
gn. l.* 5. *c.* 7. *num.* 2. Et ideo ex *hac lege* col-
3 ligunt *DD.* Quando res oppignorata sciente cre-
ditore ad piam causam venditur, videri remis-
4 sum esse jus pignoris, quia causa pia aequipa-
ratur libertati, *Tiraq. privil. piae causae* 131.
Mantica de tacit. et amb. convent. lib. 11. *tit.*
31. *num.* 40. *Neguz. membr.* 3. *p.* 6. *num.* 23.
5 *et seqq.* licet contradicat *Bacch. d. c.* 7. *num.* 2.
Sed pia sententia est, nec absurda aut iniqua,
privilegia Fisci etiam Ecclesiae communicare.
6 II. Exceptio: quando creditor publico program-
mate admonitus est pignus vendi, neque jus
7 suum executus est, *l.* 6. *h. t.* Publicum autem
programma sunt literae publicae et palam pro-
positae, quibus continetur res vendi, et ad-
moneutur creditores, ut si qui putent, res
eas sibi obligatas esse, adsint: si modo credi-
tores praesentes, *d. l.* 6. Vid. *l.* 11. §. 3.
Instit. de act. Molina d. 537. *num.* 6. *Carpz. lib.*
6. *resp.* 32. *Neguz. d. m.* 3. *num.* 25. *Card.*
8 *Mantica d. t.* 21. *num.* 24. III. Excipiuntur,
quaé a Fisco vendita sub hasta, scientibus cre-
ditoribus, *l.* 8. *h. t.* tum ob favorem Fisci, ut
hic facilius emptores reperiat, tum, quia pa-
lam fit illa venditio, et ne fides hastae facile
9 convellatur, *d. l.* 8. IV. Si quis taceat animo
decipiendi, et non contraxerit animo fraudu-
lento, ut deciperet emptorem, per *l. si sine*
5. *C. ad SC. Vellej. l. mulier.* 11. *infra de
distract. pign. Bacch. de pign. d. c.* 7. *num.* 2.
Neguz. m. 3. *part.* 6. *num.* 25.

L. Si probaveris. 2. et L. Cum te. 4.

SUMMARIA

Creditor in alienationem pignoris consentiens, aut eam ratam habens, pignoris jus amittit, et novus possessor seu emptor creditorem agentem exceptione intentionis sive facti repellere potest. num. 1. 5.
Pignus ut pacto constituitur, ita etiam contrario pacto tollitur. 2.
Qui alienationi consentit, jus suum remisisse videtur. 3.
Nisi consensus ille fiat salvo jure pignoris. 4.
Ut creditor in alienationem pignoris consensisse dicatur, necesse est, ut consensum suum aliquo facto contestatus fuerit. 6.
Restringitur. 7.
Exemplo declaratur. 8.

Quando creditor in alienationem pignoris fa- 1
ctam a debitore consentit, aut eam ratam ha-
bet, atque ita remittit jus pignoris, tunc pi-
gnoris jus extinguitur, et novus possessor seu
emptor potest creditorem agentem repellere
exceptione intentionis sive facti, *l.* 2. *et* 4. *h. t.*
l. 4. §. 1. *l.* 7. *pr. et l.* 8. §. 6. *ff. quibus modis
pign. solv.* Ratio est; qui ut pacto constituitur 2
pignus (quatenus pro hypotheca sumitur, nam
expresse dictum, traditione constituitur) ita
pacto contrario etiam tollitur, *l.* 17. *ff. de pact.*
et d. l. 2. *C. h. t. Menoch. de pign. l.* 5. *c.* 6.
num. 1. et quidem solvitur pignus non per
exceptionem, sed ipso jure, *Bacch. d. c.* 7.
num. 8. ubi idem extendit, licet creditor, qui 3
consensit, possideat pignus, qui autem con-
sentit alienationi, jus suum remisisse videtur,
nisi consensus ille fiat salvo jure pignoris, *d. l.* 4
4. §. 1. *ff. h. t.* Sane si ex novo consensu inter
emptorem et creditorem placeat, rem illam
pignori futuram, ex eo tempore res pignori erit,
d. l. 4. *h. t.* Collige ex *hac* 2. *et* 4. *lege.* Si credi- 5
tor, cui res est oppignorata, consentiat, ut ven-
datur, permutetur, in dotem detur, aut alio
modo alienetur, vel alienationem factam si ra-
tam habeat, quod censeatur remisisse pignus,
Neguz. d. m. 3. *part.* 6. *num.* 12. *et seqq. Card.*
Mantica d. lib. 11. *tit.* 31. *num.* 37. *Molina d.* 537.
n. 2. Sed necesse est, ut consensum suum aliquo 6
facto contestatus fuerit, nam factum adesse opor-
tet, v. g. si subscripsit illi instrumento, in quo
res vendita ita, ut nulli dicatur obligata, licet 7
enim ex praesentia nuda non praesumatur con-
sensus, quia scit jus suum duraturum, per *l.
sicut* 8. § *non videtur* 15. *ff. quib. mod. pign. solv.*
Licet etiam, si ut testis subscripsit, non videatur

approbasse negotium, secus tamen est, si in ipso instrumento quid narretur, quod sine re-
8 missione pignoris esse nequit, v. g. si in ipso instrumento dicatur, rem esse nulli obligatam, nam ex eo sequitur, creditorem eum, qui ut testis subscripsit, remisisse pignus, nam alias mentitus fuisset creditor subscribens et omnia contenta approbans, quod non est praesumendum. Vid. *l.* 26. §. 1. *ff. de pign. Molina d. d.* 537. *num.* 4.

L. Si ignorante. 3.

SUMMARIA

Facti species. num. 1.
Creditor prior Fisco est potior. 2.
Excipitur. 3.
Quid si creditor prior consenserit, ut suum pignus secundo creditori etiam oppignoraretur, an hoc ipso jus suum in totum remisisse videatur? 4.
Quid hoc casu in dubio deficientibus evidentibus conjecturis sit praesumendum? 5.

1 Creditor quidam priorem hypothecam generalem habet, postea eo non consentiente, sed ignorante, aut contradicente, debitor cum Fisco contrahit, et ei sua bona obligat, Quaeritur:
2 *An creditor prior Fisco potior?* Quod aff. *hic*
3 *et l.* 8. *ff. qui potiores etc.* Excipiuntur autem res, post contractum cum Fisco habitum, acquisitae, *l.* 28. *ff. de jure Fisci, Carpz. d. c.* 28. *def.* 103. *et lib.* 4. *resp.* 13. *Beuther. lib.* 1. *c.* 11. *Richter. d. tr. d.* 5. *limit.* 2. *p.* 118. *et d.* 7. *in princ. Donell. de pign. cap.* 12. Sed
4 Quaeritur hic: *Quid si creditor prior consensisset, ut suum pignus secundo creditori etiam oppignoraretur?* Resp. Videtur hoc ipso jus suum remisisse in totum, *l.* 22. *ff. h. t.* nisi hoc actum, ut secundus tantum praeferretur, *l.* 12. §. 4. *ff. qui potiores.* Sed in hoc difficultas est, quia in *d.* §. 4. dicitur facti esse quaestionem, an totum jus suum remittere, an vero secundum sibi praeferre voluisset? Certum est, hoc ex conjecturis esse sumendum. Sed
5 quid in dubio deficientibus evidentibus conjecturis praesumendum? *Bart.* distinguit inter consensum praestitum a muliere, et qui a viro praestatur; illo casu non habere locum totalem remissionem, sed hoc casu cum *Salyceto* subdistinguunt alii, an consenserit, ut aliis indefinite obligetur, an vero ut uni obligetur, seu certae personae, ut illo casu in dubio jus pignoris remissum videatur, non hoc, *Neguz. de pign. m.* 3. *p.* 6. *num.* 14. *Molina d.* 537. *num.* 2. Conf. *Hartman. Pist. p.* 3. *q.* 16. *Donell. de pign. c.* 14. *Petr. Barbos. ad l.* 1. *p.* 5. *num.* 71. *ff. solut. matrim.* Vid. *Menoch. lib.* 3. *praesumpt.* 119. *et Bacchov. in Treutl. vol.* 2. *disp.* 1. *th.* 9. *lit. E. et Bacchov. de pign. l.* 5. *c.* 8.

L. Debitum. 5.

SUMMARIA

Quando pactum, quo pignus remittitur, est inutile, an etiam remissio valeat? num. 1.
Ratio dubitandi. 2.
Decidendi. 3.
In donatione nec contrahitur pacto pignus, nec extinguitur. 4.
Remissio pignoris a minorenni, vel furioso facta est inutilis, nec alienatio vel oppignoratio ejusmodi valida. 5. 6.
Limitatur. 7.
Qui donatum vult, pignus omnino abdicat. 8.
Tunc demum remissio pignoris redditur inutilis, quando causa annullans et pactum et remissionem annullat, non si diversa ratio. 9.

Quando pactum, quo pignus remittitur, est 1
inutile, Quaeritur; *An etiam remissio valeat?*
Videtur quod non, quia quando donatio est 2
inutilis, remissio tamen valet, *l.* 1. §. 1. *ff. quib. mod. pign. solvitur;* sed affirmatur hic, quia pi- 3
gnus, prout hypothecam significat, pacto contrahitur, ideoque pacto contrario, sed utili tantum, extinguitur, *l.* 2. *h. t.* aliud autem in do- 4
natione, quia nec contrahitur, nec extinguitur pignus. Exemplum *hujus legis* est: Si minoren- 5
nis remittat pignus, juxta *l.* 23. *supra de pign.* vel furiosus, nam remissio inutilis pignus non perimit, ut ex *hac lege DD.* hic colligunt, et *Card. Mantica d. t.* 31. *num.* 48. *Neguz. m.* 3. *p.* 6. *num.* 27. *et seqq. Molina d. d.* 537. *num.* 11.
Et sic si alienatio vel oppignoratio non fuit va- 6
lida, nec consensus creditori praejudicat, nec remissum pignus est, *hic et l.* 4. §. *fin. ff. quib. modis pign. solvatur, Molina et Neguz. dd. locis.* Sed hoc videtur limitandum ex *l.* 1. §. 1. 7
ff. quib. mod. pign. solvat. ubi donatio inutilis, et tamen remissio pignoris valet: Aliud donatio ipsius debiti, qui enim donatum vult, pignus 8
omnino abdicat. Vel remissio hic utilis, sed pactum, quod donationi inutili inest, per se tantum utile, *Cujac. ad d. l.* 1. §. 1. *tom.* 4. *pag.* 1157. vel dici potest, tunc remissionem pigno- 9
ris reddi inutilem, quando causa annullans et pactum et remissionem annullat, ut dolus, metus non si diversa ratio. *Mant. d. t. num.* 49. *Pacius cent.* 5. *q.* 30. *Barbosa lib.* 5. *cap.* 36. *axiom.* 20.

L. Si eo tempore. 6.

SUMMARIA

Facti species. num. 1.
An creditor per programma citatus emanens et concursui se immiscere nolens, si bona interim ad petitionem aliorum creditorum a judice distrahuntur, jus suum remiserit vel amiserit? 2.

Ad instantiam quorumdam creditorum omnes 1
creditores per programma citantur, ut jura sua deducant, liquida reddant, et super prioritate disputent, quidam hypothecarius creditor se non vult immiscere concursui, ut nonnulli faciunt, nescio ex qua persuasione, bona interim distrahuntur a judice ad petitionem creditorum, Quaeritur: *an non creditor jus suum* 2
remiserit vel amiserit? Affir. si modo praesens fuit, i. e. ad eum citationis notitia pervenire potuit, per *l.* 11. §. 3. *ff. de instit. act. Card.*

Mantica d. l. 31. *num.* 42. *Neguz. d. m.* 3. *n.* 25. *Molina d. l. num.* 6. *in fin.* Conf. dicta ad *d. l.* Et sic creditores in genere citati si emaneant, pignus remisisse videntur, ut cum multis allegatis Doctoribus tradit *Salgado in Labyr. credit. lib.* 1. *cap.* 8. *num.* 6. *et seqq.* qui *num.* 16. *d. cap.* 8. non ipsum debitum, sed praelationem et pignus remissum esse dicit. Quia citatio creditorum non est simplex, sed ad certum tempus restricta, et cum comminatione exclusionis, et ideo si res sint venditae, non est audiendus creditor emanens in tertii praejudicium, *Achil. Personalis de adipisc. possess. num.* 75.

L. Creditricem. 7.

SUMMARIA

Consensus de remittendo pignore etiam conventione de principali debito interposita declaratur, et quomodo? num. 1.
Exemplo declaratur. 2.
Si pignus redditum, ipsum debitum statim remissum non est. 3.
Cancellatio chirographi non parit exceptionem pacti de non petendo, sed tantum praesumptionem solutionis. 4.

1 Consensus de remittendo pignore declaratur etiam conventione de principali debito interposita, cum aut expresse paciscitur creditor de
2 debito non petendo, vel tacite, v. g. si cautionem vel instrumentum, in quo debitum et pignus conscriptum reddiderit, nam tacite tunc videtur ipsum debitum remissum, *l.* 2. *ff. de pact. l.* 18. §. 2. *ff. de donatione mortis causa*, quia nulla alia utilitas redditionis instrumenti esse potest, quam remissio; Ergo et accesso-
3 rium seu pignus. Si vero pignus redditum, non statim est ipsum debitum remissum, *l.* 3. *ff. de pact.* (licet pignoris vinculum remissum esse putet *Bacchov. in Treutl. vol.* 1. *disp.* 6. *th.* 3.
4 *lit. D.*) Aliud etiam in cancellatione chirographi, quia haec non parit exceptionem pacti de non petendo, ut redditio chirographi, sed tantum praesumptionem solutionis, *l.* 24. *ff. de probat. Bacchov. d. l. Vivius decis.* 25. *Mascardus concl.* 256. *et seq. Menoch. praesumpt.* 140. *et seq. lib.* 3. *Neguz. d. m.* 3. *num.* 20.

L. Si hypothecas. 8.

SUMMARIA

Sola scientia et taciturnitas prioris creditoris consensum non operatur. num. 1.
Limitatur. 2.
Creditores a Fisco hypothecas vendi scientes sibi praejudicant et controversiam movere non possunt. 3.

1 Dictum supra, solam scientiam et taciturnitatem prioris creditoris non operari consensum,
2 nisi favore libertatis, ut in *lege* 1. *h. t.* vel fa-
3 vore Fisci, ut *hic.* Nam si creditores sciant a Fisco vendi hypothecas, sibi praejudicant, et possessoribus controversiam movere non possunt, *Bacch. de pign. l.* 5. *c.* 8. *num.* 2. Et sic habetur exceptio regulae, quae habetur in *l. sicut* 8. §. *non videtur* 5. *ff. quibus mod. pignus solv. Molina d. d.* 537. *num.* 6. *Card. Mantica d. l. num.* 41. *Neguz. d. m.* 3. *num.* 25.

L. Cum ex causa. 9.

SUMMARIA

Facti species. num. 1.
Quaestio inde deducta. 2.
Reddito pignore pignoris jus sublatum. 3.
Bacchovius *notatur.* 4.
Vinculum pignoris semel solutum sine pacto novo reviviscere nequit. 5.

Socer Hermiani, mandat genero Hermiano ut 1
creditori soceri solveret, et mancipia obligata liberaret, solvit Hermianus, et pignora liberata socero restituit, hac mente, ut pignus re-
mitteret, Quaeritur: *An actionem hypotheca-* 2
riam ob pignora habeat? Et resp. quod non;
quia reddito pignore, pignoris jus sublatum, *d.* 3
l. 3. *ff. de pact. Neguz. p.* 6. *m.* 3. *num.* 19. *Mo-*
lin. d. l. num. 5. cui tamen contradicit *Bacch.* 4
de pign. lib. 5. *cap.* 9. *num.* 2. Sed reddito pignore ipsum debitum adhuc peti potest. Ratio
in textu; *Quia vinculum pignoris semel solutum,* 5
reviviscere sine pacto novo nequit.

L. Res pignoris. 10.

SUMMARIUM

Sensus legis.

Debitor, quando pignus vendit citra consensum creditoris, tunc rem semper vendit salvo jure pignoris, quod creditori competit, *hic et l.* 12. *infr. de distract. pign.* Ratio in *l. id quod nostrum ff. de R. J.* res semper transit cum onere, si hoc a creditore non remissum: Res clara.

L. Solita providentia. ult.

SUMMARIA

Facti species. num. 1.
An pignus consensu domini venditum, si ex legitimo alio titulo ad debitorem iterum revertatur, reconvalescat? 2.
Lex haec limitatur. 3.
Facti species alia. 4.

Creditor consentit, ut debitor praedium sibi 1
in genere ac specie oppignoratum venderet, debitor etiam vendidit, et ita jus pignoris extinctum est, juxta *l.* 2. *et* 4. *h. t.* sed postea ex testamento, vel alio legitimo titulo idem prae-
dium revertitur ad debitorem, Quaeritur: *An* 2
pignus reconvalescat? Videtur quod sic; quia debitor obligaverat omnia sua bona, praesentia et futura, et videtur etiam hoc expresse probari per *l.* 8. §. 7. *ff. quibus mod. pign.*

solv. Sed negatur hic, licet enim generalis omnium bonorum hypotheca praecesserit, quia tamen in hujus praedii alienationem consensit creditor, hoc exceptum videtur. Et per specialem renunciationem hypothecae recessisse videtur quoad hanc rem creditor, *Perez ad hunc tit. num.* 6. Multo autem magis procederet decisio *hujus legis*, si res specialiter esset obligata, et creditor in ejus obligationem consensis-
3 set, per *d. l.* 8. §. 7. Sed *lex haec* limitatur, ut locum habeat, quando res illa, in cujus obligationem consensit creditor, ex nova causa ad debitorem revertitur, v. g. ex donato vel dote, secus autem si revertere vertatur res ex eadem causa, ex qua alienata fuit vel connexa.
Poue enim: debitorem ex pacto de redimendo, 4
actionis in diem, vel ex lege commissoria recepisse pignus, nam tunc salvum manere creditori jus pignoris, *l.* 10. *pr. ff. d. t. quib. modis pign. sol.* quia sicut per eam resolutionem debitor restituitur in dominium rei illius, ita creditor restituitur in jus suae hypothecae, quam habuit, *d. l.* 10. *pr. et* §. *ult. Neguz. d. m.* 3. *num.* 21. *et Molina d. d. num.* 14.

TITULUS XXVII.

Etiam ob chirographariam pecuniam pignus teneri posse.

L. Pignus. un.

SUMMARIA

Duae Rescripti sunt partes. num. 1.
Primae species. 2.
Soluta principali obligatione pignus etiam solvitur. 3.
Quid si creditor personali actione egerit contra debitorem et fecerit, ut condemnaretur? 4.
Novatio necessaria non est privativa, vel extinctiva primae obligationis, sed est accumulativa. 5.
An quis pignus habens possit pignus retinere non tantum in eam summam, in quam expresse obligatum est, sed in chirographarium debitum, quo idem debitor ipsi est obstrictus? 6.
Ratio dubitandi. 7.
Decidendi. 8.
Exemplo declaratur. 9.
Fidejussor offerens creditori solutionem et desiderans cessionem pignorum, non tenetur creditori chirographarium debitum solvere. 10.
Ampliatur regula hujus textus varie. 11.
Limitatur. 12.

1 Duae partes Rescripti: *Primae* haec est spe-
2 cies: debitor aliquis, pro debito, quo Titio obstrictus erat, obligat praedium; sed debitor cum vellet hoc praedium vendere, placuit ut quidem posset vendere, sed hac conditione, ut emptor Cajus obligationem debitoris in se susciperet, et ita eum liberaret. Creditor consentit, sed hac conditione, ut sibi praedium maneret obligatum, non secus ac si debitor primus retinuisset; si hanc conditionem creditor non adjecisset, extinctum fuisset jus pignoris propter novationem voluntariam, quae hic fac-
3 ta est, *l.* 11. §. 1. *ff. de pign. act.* soluta enim principali obligatione, solvitur etiam pignus, *l.* 6. *ff. quibus mod. pign. solv.* Sed quia haec conditio a creditore adjecta est, retinet creditor pignoris obligationem, et succedit in locum suum,
4 *l.* 12. §. 5. *ff. qui potiores etc.* Sed quid *si creditor personali actione egisset contra debitorem et fecisset ut condemnaretur?* Resp. hic: habet actionem judicati, et ita prior obligatio novata, sed quia novatio haec necessaria est, ideoque non perimit pignus, *l. aliam* 29. *ff. de nov.* Ratio in *l. non solet* 86. *et seq. ff. de R. J.* nam 5
novatio necessaria non est privativa vel extinctiva primae obligationis, sed est accumulativa, *Neguz. membr.* 3. *p.* 6. *num.* 2. *Molina d. d.* 537. *num.* 15. *In secunda parte* Quaeritur: *An quis* 6
pignus habens, possit pignus retinere, non tantum in eam summam, in quam expresse obligatum est, sed in chirographarium debitum, quo idem debitor ipsi esset obstrictus? Videtur quod 7
non, ob *d. l.* 11. §. 3. *ff. de pign. act.* Sed affirm. 8
hic, nam licet debitor habeat pignoratitiam actionem, potest tamen opponere creditor exceptionem doli, nam debitor vult, ut creditor stet promissis a sua parte, et pignus ex contractu restituat, sed ipse debitor non vult stare promissis, et contractum a sua parte implere, id est, non vult debitum chirographarium solvere; sed hanc exceptionem tantum locum contra debitorem habere, additur in textu, v. g. Si secun- 9
dus creditor debitam pecuniam, in quam pignus obligatum, offerat primo creditori, hic ex *hac leg.* non potest pignus retinere, quia secundus creditor non est in dolo, et sic fidejussor offerens 10
creditori solutionem et desiderans cessionem pignorum, non tenetur ex *l.* 2. *C. de fidejuss.* creditori chirographarium debitum solvere. Quia *lex haec* specialis loquens de debitore, ad alium non est extendenda, *Neguz. m.* 3. *part.* 5. *n.* 34. Sed regulam hujus texus multis ampliat *Neguz.* 11
d. m. 3. *n.* 46. quod procedat 1: In quocumque alio debito, quod non ex causa mutui descendit: 2. In alia re, et non tantum in pecunia numerata: 3. Ut locum etiam habeat in persona emptoris, qui a debitore rem emit: 4. Ut locum etiam habeat in pignore Praetorio et judiciali, unde etiam creditorem, qui jure Saxonico ex arresto jus reale seu pignus consecutus est, hujus legis beneficio frui tradit *Carpz. in process. tit.* 21. *art.* 5. *num.* 30. - 5. Etiam in simplici hypotheca, quae non est tradita: 6. Etiam in debito conditionali, quando debitor est suspectus de dilapidatione: 7. Quando pro uno debito haberet pignus minus idoneum, nam tum pro eo, magis idoneum retinere posset. Sed fallit 12
regula secundum *Neguz.* si vellet 1. agere con-

tra tertium possessorem, condemnato semel creditore: 2. si vellet distrhaere pignus pro debito chirographario, quod ei non licet. Nec habet locum *haec lex*, quando debitum, pro quo retinere vult pignus, est illiquidum, *Klock. vol.* 3. *cons.* 115. *num.* 246. *etc.* De hac materia Vid. *Trentacinq. l.* 3. *resol. tit. de pign. resol.* 10. *Neguz. de pign. membr.* 3. *p.* 5. *princ. num.* 46. *Matth. Coler. de process. execut. p.* 1. *cap.* 2. *num.* 225. *et seqq. Dn. Moller. lib.* 2. *semestr. cap.* 13. *num.* 11. *Carocius de dep. p.* 2. *quaest.* 25. *num.* 9. *et seqq.* Conferatur *Bacch. de pignor. lib.* 3. *cap.* 5. *num.* 1. 3. *et* 5. *et supra notata ad l.* 4. *C. de usuris.*

TITULUS XXVIII.

De distractione pignorum.

L. Fundum. 1.

SUMMARIA

Facti species. num. 1.
An quis fundum oppignoratum, si ex fructibus tantum accepit, quantum debebatur, adhuc distrahere possit? num. 2. 4.
Creditor, quod ex fructibus pignoris percipit omne in sortem imputare, et eatenus cum debitore compensare tenetur. 3.
Limitatur regula. 5. 6.

1 Fundum tibi oppignoravi, tu ex fructibus tantum percipis, quantum debui, ita ut fructuum perceptorum quantitas sortem aequet,
2 Quaeritur: *An adhuc fundum possis distrahere?* Quod alias licitum est creditori, §. 1. *Instit.*
3 *quibus alien. licet;* Resp. Quod non, cum enim omne, quod creditor ex fructibus percipit, id in sortem imputare, et eatenus cum debitore compensare teneatur, *l.* 1. *et* 2. *supra de pign. act.* ideo soluto hoc debito liberatum est pi-
4 gnus, *l.* 6. *ff. quibus mod. pign. solv.* Ergo distrahi a te creditore nequit, cum nullum am-
5 plius jus in fundo habeas. Sed haec locum habent, nisi pactum antichreseos additum, quo conventum, ut fructibus uteretur creditor in vicem usurarum, de qua in *l.* 11. §. 1. *ff. de pign. Carpz. p.* 2. *const.* 30. *def.* 40. *Mynsing. c.* 6. *obs.* 71. *Cothman. vol.* 2. *cons.* 57. *num.* 11. *et seq. Koppen. decis.* 22. *Rauchbarus p.* 1. *q.* 10.
6 *etc.* nec habet *haec lex* locum in fructibus extantibus, quia speciei ad quantitatem nulla compensatio, nec ubi expensas vel laborem ingentem impendit creditor, nec in *C. conquestus* 8. *et c. salubriter* 16. *X. de usuris*, de quibus alibi; vel ubi debitor jurato promisit, se nolle molestare creditorem de fructibus, de quibus limitationibus *Neguz. m.* 5. *p.* 5. *num.* 11. *et seqq.*

L. Creditor. 2.

SUMMARIA

Facti species. num. 1.
An creditor, debitore debitum non solvente aut etiam de pignore controversiam movente pignus recte vendat? 2.
Ratio dubitandi 3.
Decidendi. 4.
Per precarii concessionem nemo juri suo renunciare videtur, sed potest illud debito modo vendere, vel actione pignoratitia, vel per interdictum de precario repetere. 5.

Creditor pignus precario possidendum reddidit debitori, hac scilicet conditione, ut debitor creditori illud restitueret, quandocumque creditor peteret, quod fieri potest, per *l.* 35. 1
§. 1. *ff. de pign. act.* Deinde debitore non solvente debitum, aut etiam de pignore controversiam movente, pignus vendit. Quaeritur: 2
An recte? Debitor allegat hanc rem esse litigiosam, et sic vendi non posse; sed Resp. recte 3
vendi, quia non est res litigiosa; non enim res litigiosa est, nisi de qua controversia in judicio mota est, *l.* 2. *C. de litig.* et adeo pignus hoc vendi potest, licet debitor denunciet et prohibeat, ne creditor vendat, quia hic suo jure utitur, *l.* 1. *infr. de litig.* Ergo per precarii 4
concessionem nemo videtur renunciare juri suo, sed potest illud debito modo vendere, vel actione pignoratitia repetere, *l.* 22. §. 3. *ff. de pign. act.* vel per interdictum de precario, *Molina d. d.* 538. *num.* 22. *Neguz. m.* 1. *part.* 6. *num.* 25. 5

L. Hypothecis. 3.

SUMMARIA

An creditor, qui pignus distrahit, nec tamen totum debitum inde acquirere potest, adhuc personalem actionem ad residuum, quod deest, contra debitorem vel fidejussorem habeat? num. 1.
Ratio dubitandi. 2.
Decidendi. 3.
An idem, si in solutum acceperit hypothecam? 4.
Objectio diluitur. 5.

Creditor pignus distrahit, sed totum debitum 1
ex distractione pignoris consequi non potuit, Quaeritur: *An adhuc personalem actionem ad residuum, quod deest, habeat contra debitorem vel fidejussorem?* Videtur quod non, quia di- 2
strahendo pignus videtur renunciasse actioni personali; Sed Affirm. nam hic nulla renun- 3
ciatio est, et creditor, qui non idoneum et sufficiens pignus accepit, non amittit actionem debitae pecuniae, in quam pignus non sufficit, *l.* 28. *ff. si certum pet.* Ergo nec distrahendo amittit, *l. quod favore* 6. *C. de LL.* Vid. *l.* 14. *supra de pign.* Et sic creditor, si in totum creditum suum non potuit consequi ex venditione pignoris, retinet actionem personalem pro re-

4 siduo. Idem si in solutum accepit hypothecam,
Neguz. memb. 1. *part.* 8. *num.* 46. *Boer. dec.*
5 309. *num.* 4. Nec obstat *l.* 15. §. 3. *ff. de re jud.*
quia loquitur de pignore judiciali, deficiente
emptore, quando creditori volenti pro toto debito
in solutum datur pignus, Vid. *ibi Zasius*
et Donell. lib. 27. *C. lit. Aa. et ibi Hillig.*

L. Creditor. 4.

SUMMARIA

Creditor pignus publice vendere volens debitori prius id denunciet. num. 1.
An admonitio haec sit de essentia distractionis? 2.
In quem finem haec admonitio sit instituta? 3.
Bacchovius *notatur.* 4.
Quotnam denunciationes de solvendo requirantur? 5.
An omissa haec admonitio vitiet venditionem? 6.
Quaenam creditor ulterius praeter denunciationem in pignoris venditione observare debeat? 7.

1 Si creditor velit pignus publice vendere, debitori
prius denunciet per *l.* 10. *supra de pign.*
2 quae admonitio non quidem est pars substantialis
hujus distractionis, utilis tamen ad hoc,
ut absit omnis suspicio fraudis, *Molina d. d.*
3 538. *num.* 6. Et haec admonitio non est ad solvendum
instituta, ut priores admonitiones, sed
ut praesens sit, et videat pignus distrahi, *Neguz.
membr.* 1. *part.* 6. *num.* 6. Nam hanc distractionem
non quidem debet praecedere admonitio,
ut debitor solvat, si in datione pignoris
expresse convenit, ut venderetur per creditorem,
Gl. et Salyc. hic Neguz. d. membr. 1.
num. 1. *Molina d.* 538. *num.* 3. *Hartmann.*
4 *Pistor. p.* 3. *q.* 18. *num.* 2. Licet dissentiat cum
Castr. Bacch. in Treutl. d. d. 1. *th.* 8. *lit. E.*
5 Alias si hoc non convenit, una denunciatio de
solvendo requiritur, et sufficit; sed si convenit,
ne distraheretur, tres denunciationes requiruntur,
quia pactum, ne distrahatur, si absolute
intelligatur, pugnat cum fine pignoris,
Neguz. d. l. num. 2. *Molina et Bacchov. dd. lo-*
6 *cis, Donell. de pign. c.* 10. Admonitio de solvendo
si in posterioribus duabus speciebus omittatur,
venditio ipso jure nulla, *Neguz. d. l.
num.* 6. *et Bacchov. d. l.* Deinde requiritur hic,
ut bonam fidem adhibeat in subhastando, et
ut plus offerenti det, *l. fin. infr. de jur. dom.
impetr.* et si testes adhibere possit, facienda est
ista denunciatio coram testibus, si quid autem
fraude creditoris fuerit neglectum, aut omissum
de his requisitis, debitori competit actio
directa pignoratitia, *l.* 1. *infr. si pign. vendito
agatur. Neguz. d. num.* 6.

L. Si residuum. 5.

SUMMARIA

Creditor pignus suo jure distrahere potest. num. 1.
Quid si de quanto inter se debitor et creditor non conveniant, et debitor calculatorem aut commissarium petat, et quod se debere, liquido apparuerit, se soluturum offerat, an pignus creditor vendere possit? 2.
Quid si de facto pignus distrahat? 3.
Judicialis debiti oblatio quatenus liquidum est, liberationem hypothecae producit, non quidem totaliter, sed ad effectum producendi actionem pignoratitiam. 4.
Oblatio verbalis in judicio facta operatur, ut venditio pignoris per creditorem facta possit rescindi. 5.
An sufficiat verbalis oblatio in judicio facta, ita ut realis non requiratur? 6.

Creditor potest pignus suo jure distrahere, *l.* 1
9. *h. t.* sed quid si de quanto debiti inter se 2
debitor et creditor non conveniant, debitor
vero arbitrum seu calculatorem aut commissarium
petat, et quod se debere liquido apparuerit,
se soluturum offerat, Quaeritur: *An
tunc creditor vendere possit pignus?* Et Resp.
Neg. non enim dici potest, eum in mora esse,
dum se paratum dicit ad solvendum, modo
constet, quantum illud sit, *l. si quis solutioni*
21. *ff. de usuris.* Si igitur interim creditor de 3
facto pignus distrahat, nec si copiam coram
arbitro faciat, venditio retractanda, *l. pen. ff.
de rescind. vend.* non enim stetit per debitorem,
quo minus debitum solveretur, ergo conditio
habenda pro impleta, *l. in jure ff. de R.
J.* Unde Colligitur: Judicialem oblationem de- 4
biti, quatenus liquidum est, producere liberationem
hypothecae, non quidem totaliter, sed
ad effectum producendi actionem pignoratitiam,
Bart. in l. si debitor 91. *ff. de solut.
Neguz. part.* 3. *memb.* 3. *part.* 5. *princ. num.* 2.
Zang. de except. p. 3. *c.* 6. *num.* 121. et quos
laudat *Georg. Schultz. de oblat. cap.* 6. *num.* 3.
Item obligatio verbalis in judicio facta, opera- 5
tur, ut venditio pignoris per creditorem facta,
possit rescindi, *Neguz. d. part.* 3. *num.* 1. Et obla- 6
tionem verbalem in judicio factam sufficere,
ut realis non requiratur, quando nondum constat,
quantum debeatur, nam tunc realiter non
potest offerri debitum, *Petr. Barbosa ad l. si
mora* 63. *et ad l. divortio* 8. §. *fin. part.* 2.
num. 38. *solut. matrim.*

L. Quamdiu. 6.

SUMMARIA

An creditor debitore maximam tantum partem solvente, propter reliquam etiam minimam partem quantitatis debitae pignus distrahere possit? num. 1.
Quid si creditor plura pignora habeat, an soluta parte debiti, aliqua pignora reddere teneatur? 2.
An creditoris arbitrio relinquatur ex pignoribus sibi obligatis, ex quibus velit, distractis, creditum suum conferre? 3.
An hoc locum etiam habeat, licet principalis debitor decesserit, pluribus haeredibus relictis et unus solvat suam partem? 4.

Debitor maximam partem debiti solvit, si au- 1
tem minimam partem non solvit, Quaeritur:
An propter minimam etiam partem quantitatis

dubitae possit creditor pignus distrahere? Quod Affir. *hic et l. fin. tit. seq. et l.* 25. §. 15. *ff. famil. hercisc.* ideoque pignoris jus videtur quid indivisibile, *Bald. et Salyc. hic et Neguz. memb.*
2 1. *part.* 6. *num.* 21. Sed quid si creditor plura pignora habeat, Quaeritur: *An creditor soluta parte debiti, teneatur aliqua pignora reddere?* Quod Negatur, *Neguz. d. memb.* 1. *num.* 21. Et
3 *An creditoris arbitrio permittatur ex pignoribus sibi obligatis, ex quibus velit, distractis, creditum suum conferre?* Et id quidem affirmatur, *l. 8. ff. h. t. et l. 19. ff. de pign.* aequius tamen est, si ex una vel altera re, eaque viliori, debitum redigere possit, ne reliquas, praesertim majoris pretii, distrahat, *arg. l.* 5. §. 10. *ff. de rebus eor. qui sub tut. etc.* Non enim interest creditoris, quomodo fiat distractio, modo creditor suum consequatur creditum; quo potitus nihil juris habet ad ea, quae cum debitoris incommodo sunt conjuncta, *Mevius*
4 *p. 1. dec.* 21. Extenditur etiam a *Neguz.* hujus legis decisio, ut locum habeat licet principalis debitor decesserit pluribus haeredibus relictis, et unus solvat suam partem, per *l. 16. ff. h. t.* Et si creditor plures haeredes reliquerit, si debitor uni eorum suam portionem solvat, is impedire nequit, quo minus reliqui totum pignus vendant, modo debitori restituant quod cohaeredi solutum, *l. 18. §. 6. ff. famil. herciscc. et l. 11. §. 4. ff. de pign. act. et l. 1. infra de licit. pign. Frantzkius ad tit. Pandect. de distract. pign. num.* 22.

L. Si cessante. 7.

SUMMARIA

An quo tempore pignus vendi possit? num. 1.
Pignus cito vendi, et debitoris et creditoris interest. 2.
Quid si fraus admissa in ea venditione, an detur actio realis seu rei vindicatio contra possessorem pignoris, qui a creditore emit? 3.
Creditor hoc casu actione pignoratitia ad interesse est conveniendus. 4.
Limitatur. 5.
Si dolus ex parte venditoris intervenit, emptor ad nihil tenetur. 6.

1 Simul atque pecunia deberi coepit, neque soluta est, pignus a creditore vendi potest, quia
2 pignus cito vendi, et creditoris et debitoris interest, *Carpz. in processu tit. 25. art. 5. num.* 12. nisi prohibeatur lege, id est, expressa conventione contractus, nam si expresse convenerit, ut distrahat, trina denunciatione opus est,
3 *l. 4. ff. de pign. act.* Sed quid si fraus admissa in ea venditione, Quaeritur: *An detur actio realis, seu rei vindicatio contra possessorem pignoris, qui a creditore scilicet emit?* Et Resp. negando. Ex fraude enim et dolo auctoris non contra possessorem pignoris, quod silicet a
4 creditore emit, sed auctorem ipsum agendum
5 est, *l. dolus 10. supra de rescind. vend.* Ideoque creditor actione pignoratitia ad interesse conveniendus est juxta *l. 4. h. t.* nisi probaverit debitor 1. creditorem per gratiam et dolum rem majoris pretii, minori vendidisse pretio, et quidem 2. emptorem fuisse fraudis participem, ac 3. creditor non sit solvendo, ac 4. debitor offerat pecuniam debitam cum usuris. Tunc enim emptor tenetur restituere fundum cum fructibus perceptis atque percipiendis, ut alius malae fidei possessor, *l. 1. et 3. infra. si vend. pignore agatur.* Sed quando dolus tantum ex 6
parte venditoris intervenit, ad nihil tenetur emptor, *Neguz. d. memb. 1. part. 6. num.* 27. *Molina d. d.* 538. *num.* 24.

L. Si priusquam. 8.

SUMMARIA

Venditio oppignoratae alicujus rei a creditore facta quatenus annullari possit? num. 1.
An sola oblatio sufficiat? 2.
Objectio removetur. 3.

Si debitor pecuniam debitam 1. offerat cre- 1
ditori, et 2. si obsignaverit, et 3. obsignatam deponat, tunc venditio a creditore nulla fieri potest, tribus illis concurrentibus, ut quae solutionis vim habent, *l. 9. infr. de solut.* Sed si antequam offerretur debitum, creditor distraxit, jure suo usus est, *l. praeced.* Sed requiri- 2
tur hic non tantum oblatio, sed et depositio, cum tamen sola oblatio videatur sufficere, *l. 5. h. t. et l. 6. §. 1. ff. quibus mod. pign. solv.* Resp. ibi egisse debitorem actione pignoratitia et sic 3
judicialiter obtulisse, hic autem de oblatione extrajudiciali sermonem esse, et sic obligatio judicialis habet hunc effectum, ut per eam oriatur actio pignoratitia ad repetendum pignus, si nondum sit venditum; sed oblatio facta etiam extra judicium habet hunc effectum, ut venditionem pignoris impediat, quia venditio pignoris fieri non potest, nisi debitor constitutus sit in mora. At licet moram contraxerit, per oblationem tamen realem, licet extrajudicialem, moram hanc purgavit, et sic deficiente mora venditio fieri nequit, *Neguz. part. 3. memb. 3. part. 5. princ. num. 1. et seqq. Georg. Schultz. d. tr. de oblat. c. 6. num.* 8.

L. Quae specialiter. 9.

SUMMARIA

Speciale pignus creditor bona fide vendere potest. num. 1.
Si non sufficit hoc pignus ad reliqua bona generaliter obligata, per actionem hypothecariam procedendum est. 2.
Quandocumque generalis et specialis hypotheca concurrit, creditor caetera bona excutere nequit, priusquam excusserit specialem. 3.

Creditor speciale pignus debet vendere so- 1
lemniter, et bona fide, *l. 4. hic.* Sed si hoc 2
non sufficiat, tunc ad reliqua bona generaliter obligata, per actionem hypothecariam procedendum est. Nam quandocumque generalis 3
et specialis hypotheca concurrit, non potest caetera bona excutere creditor, priusquam excusserit specialem, cum generalis in subsidium constituta videatur, *Molina d. d.* 538.

num. 21. *Hartman. Pistor. lib.* 3. *qu.* 13. *Carpzovius part.* 2. *c.* 23. *def.* 29. Vide explicationem *legis* 2. *supra de pign.*

L. Et qui sub imagine. 10.

SUMMARIA

Facti species. num. 1.
An debitor oblato debito a creditore pignus repetere possit? 2.
Ratio dubitandi. 3.
Decidendi. 4.
Anne creditor ipse sibi pignus emere possit? 5. 6. 7.
Ex eo, quando venditor continuavit pignoris possessionem, neque emptori tradidit, venditio simulata praesumitur. 8.
Nisi pignus conduxerit aut cum fructibus emptori restituerit. 9.

1 Creditor, volens ipse sibi emere oppignoratam rem, rogat aliquem, ut pignus emat non suo nomine, sed nomine creditoris, et cum pignus acceperit, creditori reddat, quod etiam
2 factum, Quaeritur: *An non debitor, oblato debito, a creditore repetere possit pignus?* Vi-
3 detur quod non quia distractum est pignus;
4 sed affirm. quia pignus a se, et sibi creditor emere nequit, cum debeat alius esse venditor, alius emptor. Idem autem est, sive sibi directo emat, sive per interpositam personam. Neque ille videtur emptor, qui sibi non emit, *arg. l. non videtur* 51. *ff. de R. J. et l. aliud est capere ff.*
5 *de V. S.* Ergo sive sibi emat directo, sive per interpositam personam, venditio nulla est, et potest debitor actione pignoratitia pignus, obla-
6 ta debita pecunia, repetere. Sed *anne plane creditor non possit emere?* Resp. Posse emere, sed a debitore, non a se. Quod autem creditor emerit sibi per interpositam personam, id debitori est probandum, per *hanc legem.* Colli-
7 ge ergo: Creditorem vendentem pignus, neque per seipsum, neque per interpositam personam illud emere posse, quod si illud emat, potest debitor quocumque tempore solvere illi suum debitum, et recuperare pignus cum fructibus ex illo perceptis, *Molina d. d.* 538.
8 *n.* 23. Deinde collige; Ex eo, quando venditor pignoris continuavit possessionem, neque illud tradidit emptori, praesumi venditionem simu-
9 latam, nisi illud conduxerit aut cum fructibus emptori restituerit, *Card. Mantic. de tac. et amb. convent. lib.* 11. *tit.* 31. *num.* 52. *et seq. Molina d. l. Mascard. concl.* 416. *num.* 32. *et concl.* 439. *num.* 1. *et Card. Tuschus concl.* 260. *et seq. lit. S. Neguz. p.* 6. *m.* 1. *num.* 29. *Bacch. de pignore lib.* 3. *c.* 26. *in fin.*

L. Mulier. 11.

SUMMARIA

An creditor res mulieris pro marito pignori datas distrahere possit? num. 1.
SCto Vellejano mulieres pro alio intercedere prohibentur. 2.
Quid si maritus sit debitor, ac praesente et dissimulante uxore ejus res pignori det creditori ignaro, an tunc possit creditor pignus distrahere? 3.
Decipientibus mulieribus SCtum non subvenit. 4.

Mulier res suas, pro marito vel alio debito- 1
re, creditori pignori dat, quaeritur: *An creditor possit pignus distrahere?* Resp. Quod non:
Nam SCto Vellejano prohibentur mulieres pro 2
alio intercedere, quod etiam tunc fit, cum pro aliis pignora dant, *l.* 8. *princ. ff. ad Vellej.*
Sed quid si maritus sit debitor, ac praesente 3
ac dissimulante uxore ejus res pignori det creditori ignaro, Quaeritur: *An tunc creditor possit pignus distrahere?* Resp. Affirm. quia dissimulatione sua mulier creditorem decipit: De- 4
cipientibus autem mulieribus SCtum non subvenit, *l.* 2. §. 3. *ff. ad SCtum Vellej. l.* 5. *C. eod. Hering. de fidejuss. c.* 7. *num.* 423. *Scwartzenthaler de pign. c.* 37. *num.* 9.

L. Si debitor. 12.

SUMMARIA

An et quatenus debitor pignus distrahere possit? num. 1.
Jus hypothecae alienandi jus non tollit. 2.

Debitor potest pignus distrahere, sed cum 1
sua causa, id est, conditione quae futura esset, si res distracta non esset, et manet jus pignoris salvum creditori in re distracta, *l. debitorem* 15. *supra de pign. et l.* 10. *supra de remiss. pign.* Unde probatur; hypothecae jus 2
non tollere jus alienandi, *Carpz. p.* 2. *c.* 24. *d.* 8. Vide explicat. *d. l.* 15. *et l.* 10. *allegatae.*

LL. 13. 15. et 18.

SUMMARIA

Distractionis legitimae effectus quinam? num. 1.
Novum non est ut qui dominium non habeat, alii det. 2.
Quatenus emptor pignoris dominium acquirat? 3.
Ad consummandam emptionem requiritur, ut emptor in vacuam possessionem mittatur. 4.

Distractionis legitimae effectus hic est, quod 1
dominium rei, quae oppignorata erat, in emptorem transferat, *l.* 46. *ff. de acquir. rer. dom.* Non enim novum est, ut qui dominium 2
non habeat, alii det, *l. non est novum* 46. *ff. de acquir. rer. domin.* Ratio autem est: quia est quasi procurator debitoris, ejusque voluntate et legis assistentia vendit pignus, *Neguz. d. membr.* 1. *part.* 6. *num.* 12. *et seq. Molina d. d.* 38. *num.* 18. ideoque de proprietate emptor vinci non potest, *l.* 18. *h. t.* Cum enim emptor sit dominus, alius nequit esse dominus; sive enim agat, alios vincit, quia habet rei vindicationem contra omnes, qui tales res subtraxerint, vel mancipia distraxerint, *l.* 15.

h. t. sive conveniatur, non potest eo plus ju-
3 ris alius obtinere, sed ut dominium acquirat emptor, necesse est, ut res sit illi tradita, *l. traditionibus supra de pact.* et ut inductus sit in vacuam possessionem, *l.* 13. *h. t.* Ex *hac lege*
4 13. *DD.* communiter colligunt: Ad consummandam emptionem requiri, ut emptor mittatur in vacuam possessionem, de qua *DD.* in materia venditionis fusius, praesertim *Goedd. ad l.* 188. *ff. de V. S. Donell. lib.* 4. *c.* 19. *Phil. Matt. ad l.* 11. *ff. de R. J. Cilken. ad l.* 12. *C. de probat. et alii.*

L. Si in hoc. 14.

SUMMARIA

An emptor pignoris cum venditor ipsi vacuam possessionem tradere nequeat, eam propria auctoritate occupare possit? num. 1.
Creditor hypothecam in specie sic dictam, cujus scilicet possessionem non habeat, vendere potest, licet magistratus auctoritate inductio in possessionem fiat. 2.
An et quatenus creditor hypothecam vendens dominium in emptorem transferat? 3.

1 Creditor vult pignus vendere, sed non potest tradere possessionen vacuam, juxta *l.* 13. *h. t.* cum debitor id possideat, Queritur: *An propria auctoritate occupare possit?* Neg. per *l.* 13. *supra de pignor.* Sed Praeses debet jubere, rem, quae a debitore tenetur, restitui creditori, ut is rem cum effectu distrahere
2 possit; interim tamen ex *hac lege* colligi potest, creditorem hypothecam in specie sic dictam, cujus scilicet possessionem non habet, posse vendere, licet inductio in possessionem auctoritate Magistratus fiat, et ita intelligo *Castrensem in l. si convenerit ff. de pign. act.* et
3 *Neguz. d. m.* 1. *num.* 28. qui dicunt creditorem, dum hypothecam vendit, transferre dominium in emptorem, si eum in possessionem inducat, licet ipse non possideret. Quamvis verius sit, creditorem debere cum vendit, hypothecam avocare a debitore vel tertio possessore per actionem hypothecariam, per tradita *Bacchovii in Tr. de pignor. c.* 29. *num.* 8. Aliud autem est, si non ipsam rem, sed jus tantum hypothecae vendere velit, *l. ex nominis C. de haered. vel act. vendit. Neguz. d. l.*

L. Unus est. 16.

SUMMARIUM

Sensus legis.

Si debitor decedat relictis haeredibus, unus offerendo suam partem *(seinen Strang)* non potest impedire, quo minus creditor vendat pignus, quia pignus est quid indivisibile, in *l.* 1. *infra de luition. pign. et l.* 1. *infra, si unus ex pluribus haeredibus.* Et *Neguz. membr.* 1. *part.* 6. *num.* 21.

L. Rei creditor. 17.

SUMMARIA

Facti species. num. 1.
Quaestio inde deducta. 2.

Rem creditori in genere vel in specie obli- 1
gatam, alius quidam creditor chirographarius vendit, Quaeritur, *An praejudicet creditori?* 2
Resp. Neg. Nam si ipse creditor ut dominus, non praejudicat, per *l. debitorem* 15. *supra de pign. l.* 12. *h. t.* multo minus praejudicabit aliis creditoribus, quia nullum jus in re habet, *Neguz. d. memb.* 1. *p.* 6. *num.* 15. *in fine.* Sed possessorem, vel emptorem jure novo petere posse, ut debitor prius excutiatur, notat *hic Glossa, et Bald. Auth. hoc si debitor sup. de pign.*

L. Si maritus. 19.

SUMMARIA

Sensus legis. num. 1.
An uxor pignora quae maritus pro ejus pecunia mutuo data accepit distrahere possit? 2.
Ratio dubitandi. 3.

Maritus pecuniam uxoris alicui mutuo dedit, 1
et pignora accepit, Quaeritur: *An uxor illa* 2
pignora distrahere possit? Ratio dubitandi in 3
in eo posita videtur, quia in utilitatem uxoris videtur contractum; Sed negatur quia uxor non est creditrix. Non enim unde originem habuerit pecunia, quae mutuo datur, sed quis contraxerit, attendendum est, *l.* 2. *et* 7. *supra si cert. petatur.* Ergo maritus est creditor, ergo hic et haeres ejus non uxor, potest pignora distrahere.

L. Secundum placiti fidem. ult.

SUMMARIA

Facti species. num. 1.
An debitor actionem realem ad praedium ex superfluo pretio pignoris venditi comparatum instituere possit? 2.
Objectio removetur. 3.

Creditori debebam 100. et dedi pignus, me 1
cessante, ille pignus vendit 200. thaleris, quibus ille comparat sibi praedium. Jam vero certum est, me in currentem quantitatem liberari, reliqua 100. quae non debui, actione pignoratitia posse repetere, quae vocatur actio pignoratitia superflui, *l.* 6. §. *ult. l.* 7. *et l.* 24.
§. 2. *ff. de pign. act.* Sed *Anne habeo actionem* 2
realem ad praedium, ex superfluo pretio comparatum? Resp. Negando; quia creditor emendo et accipiendo, sibi dominium acquisivit, §. 40. *Instit. de R. D.* nec mihi pignus in illo
praedio constituitur. Nec obstat *l.* 12. §. 1. *ff.* 3

h. t. quae hoc tantum dicit, quod pecunia, quam accepit occasione pignoris creditor debet in utilitatem debitoris cedere, quia illud praedium non tam ex pignore, quam negotiatione sua habet, *arg. l.* 21. *circa med. ff. de haered. vend.*

TITULUS XXIX.

Debitorem venditionem pignoris impedire non posse.

L. Si sunt. I.

SUMMARIA

Quando debitor in mora est, creditor pignus potest distrahere. num. 1.

Quid si debitor in testamento caverit, ne pignora a se data creditoribus distrahantur, addita poena contraventionis, ea alias Fisci fore? num. 2.

1 Quando debitor in mora est, creditor pignus potest distrahere, *l. si cessante* 7. *tit. praeced.*
2 Sed *quid si debitor in testamento caverit, ne pignora a se data creditoribus distrahantur, addita poena contraventionis, ea alias Fisci fore?* Responsio plana est in *l.* 1. quod non valeat dispositio, et additur ratio; Quia debitor potuit jus alterius suo testamento mutare, *l.* 78. §. *fin. ff. de legat.* 3. Et potentius est aes alienum, quam ultima voluntas, *Molina d. d.* 538. *num.* 19.

L. Debitoris. 2.

SUMMARIA

Quid si debitor venditori denunciet, ne distrahat, aut emere volenti, ne emat, et nihilominus creditor distrahat, annon venditio irrita, et emptor sit malae fidei possessor? num. 1.

Denunciatio et prohibitio hic nullius effectus est. 2.

Limitatur. 3.

Protestatio in his, quae non dependent a voluntate potestatis, nullum habet effectum. 4.

Quid autem si debitor denunciet venditori, 1
ne distrahat, aut emere volenti, ne emat, et nihilominus creditor distrahat, *Annon venditio irrita, et emptor malae fidei possessor est?*
Negatur utrumque, nam denunciatio haec et 2
prohibitio nullius est effectus, nisi debitor of- 3
ferat pecuniam debitam, et quidem totam sortem cum usuris, ut ne nummus quidem desideretur; ut oblatam pecuniam, si acceptare creditor nolit, obsignet et deponat in judicio. Et sic protestatio debitoris non relevat, nec emptorem in mala fide constituit, tamquam facta a non habente jus protestandi, *Neguz. membr.* 1. *p.* 6. *num.* 15. vers. *Et similiter etc.* ubi hunc textum ob id notabilem vocat *Wesembec. in π. tit. de distr. pign. num.* 6.
Collige: Protestationem in his, quae non de- 4
pendent a voluntate protestantis, nullum habere effectum, *Surdus dec.* 39. *num.* 28. *Hering. de fidejuss. c.* 20. §. 34. *Kloch. t.* 2. *cons.* 62. *num.* 6.

TITULUS XXX.

Si vendito pignore agatur.

L. Praeses. I.

SUMMARIA

Debitori contra creditorem mala fide pignus minoris vendentem datur pignoratitia actio, ut fundum, licet venditum et distractum, restituat. num. 1.

Quid si non possit ex bonis creditoris satisfieri? 2.

Obstans l. 1. de praescript. 30. annorum *resolvitur.* 3.

Si pretium excedit quantitatem debiti, debitor offerat usque ad quantitatem debiti, reliqua emptor a creditore recuperet. 4.

1 Si creditor mala fide minoris vendat pignus, debitori datur actio pignoratitia contra venditorem, ut fundum, licet venditum et distractum restituat, per *l.* 7. *supra de distract. pign.* Sed
quid si non possit ex bonis creditoris satisfieri? 2
Tunc in subsidium actio ex interdicto fraudatorio, cujus mentio in *l.* 96. *ff. de solut.* datur contra emptorem, si fraudis particeps, et deinde pecunia debita ipsi offeratur. Vide *l.* 7. *supra de distr. pignor. Neguz. d. membr.* 1. *p.* 6. *num.* 27. *Molina d. d.* 538. *num.* 24. *Coll. Arg. tit. de distract. pign. th.* 2. *num.* 4. Sed ei, quod 3
de offerenda pecunia hic dicitur, opponi posset *l.* 1. *supra de praescript.* 30. *ann.* Sed respondeo, aliud esse dicendum de re aliena penitus, quam aliquis vendere nullo jure potest, de quo casu *d. l.* 1. aliud vero de creditore, qui vendendi jus habet, sed vel sine ordine, vel dolose minoris vendidit, hic *et l.* 65. *princ. ff. de rei vind. Perez in C. h. t. num.* 5. Quod si au- 4
tem pretium excedat quantitatem debiti, debitor offerat pretium, usque ad quantitatem debiti, quod restat, recuperabit emptor a creditore, *Molin. d. l. num.* 24.

L. Servos. 2.

SUMMARIA

Facti species. num. 1.
An debitor servum pignori datum a possessore sive emptore vindicare possit? 2.
Quid si servi ab emptore sint usucapti, an etiam tunc detur actio contra emptorem? 3.

1 Servum pignori datum, vel aliam rem mobilem creditor distraxit, sed injuste, forte quod debitor non esset in mora, et non venisset dies
2 obligationis: Quaeritur: *An servum illum a possessore, sive emptore vindicare possit debitor?* Affirm. ut tamen emptor opponere possit exceptionem doli, nisi solvat pecuniam debitor cre-
3 ditori, *d. l.* 65. *pr. ff. de rei vind.* Sed quid si usucapti sint servi ab emptore, forte quod creditor putaret, se jus vendendi habere (alias enim furtum fecisset, *l.* 1. *ff. de distract. pign.*) *Anne etiam tunc contra emptorem detur actio?* Quod negatur: Sed tunc datur actio negotiorum gestorum contra creditorem, ad pretium sive aestimationem servorum, *l.* 3. *supra de rei vind. et l.* 1. *supra de rebus alien. non alien.* Nota: hic in subsidium peti posse pretium rei suae, licet non suo nomine venditae, *argum. l.* 23. *ff. si certum petat.* quia licet creditor, ut talis vendiderit, quia tamen (licet minus recte) vendidit, reipsa videtur gessisse negotium debitoris, *l. mater.* 3. *C. de rei vindic. Bald. hic et Salyc.* Quod ex *hac lege* colligit *Cujac. l.* 7. *obs. c.* 26. refutat *Hartman. l.* 3. *q.* 19. *num.* 12.

L. Si uxor. 3.

SUMMARIA

Facti species. num. 1.
Qui allegat aliquem minori pretio quid vendidisse, id probare debet. 2.
Venditor eo pretio vendidisse, quo potuit, praesumitur. 3.

1 Uxor mea pro 30. aureis servos suos cuidam creditori oppignoravit, quos creditor dolose minori pretio distraxit, emptore doli et fraudis conscio; respondetur hic emptorem fraudis conscium teneri in subsidium, si venditor non sit solvendo. Vide not. *ad legem* 1. In specie autem ex *hac lege* notandum: quod sufficiat aliquem non esse solvendo tempore probationis, nec praesumi istam negativam postea esse sublatam,
2 et eversam, et quod is, qui allegat aliquem minori pretio vendidisse, debeat probare, nam
3 praesumitur venditor eo pretio vendidisse, quo potuit, ex §. 5. *legis ult. infr. de jure dom. impetr. Baldus hic.*

L. Cum contra. 4.

SUMMARIA

Pignore a creditore sine consuetis solemnibus distracto, debitor actione pignoratitia contra creditorem agere potest, et si emptor fraudem participaverit, etiam contra hunc ipsum datur actio realis. num. 1.
Sensus verborum, non observatis etc. 2. 3.
Si in alienando pignore substantialia omissa, liberum est debitori, rem ab emptore vindicare, vel actione pignoratitia contra creditorem agere. 4.
Si venditio nulla non est, sed fraudulenta ratione pretii et gratificationis, agitur contra creditorem actione pignoratitia, vel in subsidium restituitur actio contra emptorem fraudis conscium, nec locum habet suppletio justi pretii. 5.
Hoc quoque casu debitor pretium usque ad quantitatem debiti offerre tenetur. 6.

Quando pignus a creditore distractum, non 1
observatis his, qui in distrahendis celebrari consueverunt, tunc potest debitor agere actione pignoratitia contra creditorem, sed si emptor fraudem participaverit, etiam contra ipsum emptorem datur actio realis. Sed Quaeritur hic 2
de sensu verborum, *non observatis etc.* nam si haberent hunc sensum, quod solemnia non fuerint observata, non video, cur fraus emptoris requiratur, nam cum solemnia substantialia non fuerint observata, ipso jure nulla est venditio. Ergo debitor habet rei vindicationem, sive fraudis conscius sit emptor, sive non, *l* 65. *ff. de rei vindic. Neguz. d. membr.* 1. *num.* 18. Ergo malo 3
cum *Cujac. ad hunc titulum* ea verba non de solemnitatibus substantialibus, sine quibus nulla esset venditio, sed de frequentibus indicationibus, adjectionibus, et licitationibus, quae ex consuetudine adhiberi solent, licet ad substantiam venditionis non pertineant, intelligere. Breviter ergo ita nota: aut substantialia omissa, et 4
tunc liberum debitori vindicare rem ab emptore, vel actione pignoratitia agere contra creditorem; aut non est nulla venditio, sed fraudu- 5
lenta ratione pretii et gratificationis, et tunc agitur actione pignoratitia contra creditorem, vel in subsidium restituitur actio contra emptorem fraudis conscium, Vide *Bacch. de pignor. l.* 3. *cap.* 28. *num.* 4. primo casu, si nulla venditio, non putant habere locum suppletionis justi pretii, de qua in *leg. diligenter* §. 3. *ff. mandat. Bald. et Salyc. hic et Neguz. d. l. num.* 27. Et praeterea primo casu tenetur de- 6
bitor pretium offerre usque ad quantitatem debiti, *Mol. d. d.* 538. *num.* 25.

L. Si creditore. ult.

SUMMARIA

Observatis solemnibus et emptore doli experte, nulla contra eum, aut ejus haeredes datur actio, etsi creditor amplius debita pecunia acceperit. num. 1.
De superfluo pretio contra creditorem et successorem ejus universalem datur actio. 2.

Si solemnia observata et emptor expers doli 1
fuit, contra hunc aut ejus haeredem nulla datur actio, etsi creditor amplius debita pecunia pretium acceperit, *arg. l.* 10. *supra de rescind. vend.* Sed datur actio de superfluo pretio con- 2
tra creditorem vel successorem ejus, universalem scilicet, seu haeredem, vid. *l. ult. supra de distr. pign.*

TITULUS XXXI.

De luitione pignoris.

L. Qui pro parte. 1.

SUMMARIUM

An debitoris haeres pro parte, ex pignoribus suis mortuo creditori datis hoc vel illud luere possit?

Debitor dat aliquot pignora creditori: debitore mortuo haeres unus, qui pro parte haeres est, *l.* 65. *ff. de evict.* hoc vel illud pignus vult luere, Quaeritur: *An audiendus sit?* Resp. Quod non, quia pignoris causa est individua, et ab initio pignus ita contractum, ut obligatum maneret, nisi tota summa soluta esset, quae conditio ex persona haeredis non mutatur, *arg. l.* 2. §. 2. *ff. de V. O.* Ideoque licet plura pignora data sint, quia tamen pro uno debito data, nisi solidum debitum solvatur, nullum ex pignoribus lui potest, *hic et l.* 16. *supra de distr. pign. l.* 8. §. 2. *ff. de pign. act. Auctor in l.* 15. *ff. h. t. num.* 6. *et l.* 18. *eod.*

L. Intelligere. 2.

SUMMARIA

Hujus legis *lectio. num.* 1.
Sive ipso jure extinguatur actio personalis, sive per exceptionem pacti rei judicatae, et similem, regulariter etiam pignus et hypotheca extinguitur. 2.
Nihil interest, an quis ipso jure actionem non habeat, an per exceptionem removeatur? 3.
Exemplum sanae exceptionis. 4.
Plura exempla. 5. 6. 7.
Ad singularia exempla Imperatorem hic respexisse probabile non est. 8.
Receptior sententia de intellectu hujus legis. 9.

1 Lectio *legis hujus* videtur mendosa, et melius legi videtur, *non durare, Donell. l.* 16. *c.* 26. *lit. G, S.* Nam verba Imperatoris, *intelligere debes*, evincunt, ipsum non loqui de casu aliquo singulari, sed regulari. Regula ergo est;
2 Sive ipso jure extinguatur actio personalis, sive per exceptionem pacti, rei judicatae, et similem, regulariter etiam extinguitur pignus et hypotheca, *l.* 5. *pr. et* §. *fin. et l.* 13. *ff.*
3 *quibus mod. pign. solv.* Nam nihil interest, an quis ipso jure actionem non habeat, an per exceptionem removeatur, *l.* 112. *ff. de R. J.*
4 Exemplum sanae exceptionis ponunt in *l.* 7. §. 1. *supra de praescript.* 30. *ann.* ubi actio personalis praescribitur 30. annis, et actio hypothecaria 10. annis amplius durat contra debitorem aut ejus haeredem, aut quis ejus nomine possidet, Vid. ad *d.* §. 1. *Gl. Baldus, Salyc. et DD. Balbus de praescript. p.* 4. *partis* 4. *princ. num.* 5. *Altorfini consil.* 101. *et alii.* A-
5 liud exemplum est in duobus haeredibus unius debitoris, ubi si unus suam partem solvat, actio personalis tollitur, quoad personam ejus haeredis, licet quoad ejus partem pignus non liberetur, sed tota res maneat obligata per *legem* 1. *h. t. Cujac. ad hunc tit.* Aliud exem- 6
plum exceptionis sumunt ex *l.* 59. *pr. ff. ad SCtum Trebellian.* Si enim debitor creditori haeres extiterit, confunditur actio personalis, non hypothecaria, quia pignus haeret in re, non in persona, *Cujac. ad hunc tit.* Simile in 7
l. 38. §. *ult. ff. de solut.* quem textum ad id commendat *Hering. de fidejuss. c.* 20. §. 16. *num.* 46. *Zanger. de except. p.* 3. *c.* 7. *num.* 7. *et* 8. Sed ad valde singularia haec exempla 8
Imperatorem respexisse in Constitutione hac generali (quam omnes intelligere ait Imperator) probabile vix est; cum nemine tamen hac de re controvertam: si quis autem lectionem vulgarem retineat, *lex haec*, de propositis casibus est intelligenda. Sed et alia exempla ex *l.* 30. §. 1. *ff. ad legem aquil. ex l.* 27. *ff. de pignor. et l.* 38. §. *ult. ff. de solut.* accessit *Bacchov. de pignor. lib.* 5. *cap.* 2. Quicquid 9
sit, receptior forte est sententia eorum, qui hanc legem intelligunt de actione personali per praescriptionem sublata, quod non ipso jure, sed per exceptionem fit. Vid. *Casp. Rodriguez de annuis reditibus p.* 2. *q.* 19. *num.* 36. *et seq.* et quos magno numero refert *Salgado in labyr. lib.* 3. *cap.* 1. *num.* 193.

L. Si reddita. ult.

SUMMARIA

Debitor pignoratitia actione pignus repetere nequit, nisi pecunia debita tota soluta sit, aut eo nomine satisfactum. num. 1.
Quot modis debitum solutum dicatur? 2. 3. 4. 5.
Exceptio a regula. num. 1. *data* 6.

Per pignoratitiam actionem debitor pignus 1
non potest repetere, nisi pecunia debita, pro qua pignus datum est, tota sit soluta, aut eo nomine satisfactum, *l.* 9. §. 3. *ff. de pign. act.* idque fit I. Si debita pecunia realiter fuerit so- 2
luta, *hic et d. l.* 9. §. 3. II. Vel si pro debita 3
pecunia alia res non obligata, in solutum data, vel aliter vendita volenti creditori, ut compensari principali principale debitum valeat, *l.* 12. *infr. de compens.* III. Si debita pecunia 4
offeratur, et creditore recusante acceptare, obsignata deponatur, *l.* 20. *supr. de pign. l.* 10. *et ult. C. de pign. act.* IV. Vel si in judi- 5
cio obtulerit pecuniam, *l. si residuum* 5. *supra de distract. pign.* vel alio modo per creditorem stet, quo minus soluta sit pecunia, *hic et l.* 20. §. 2. *ff. de pign. act.* Vid. *Neguz. de pign. m.* 2. *part.* 7. *num.* 8. ubi habet exempla, in 6
quibus, debito non soluto, detur pignoratitia, quorum primum infra occurret. Secundum est in *l.* 11. §. 2. *ff. de pign. act.* aliud in *l.* 9. *in fin. d. t.* aliud in *l. fin. ff. d. t.* Conf. *Oldendorp. cl.* 3. *act.* 12. *num.* 3. *Coll. Arg. de pign. act. th.* 4. *Wesemb. in π. num.* 7.

TITULUS XXXII.

Si unus ex pluribus haeredibus creditoris vel debitoris partem suam debiti solverit vel acceperit.

L. Manifesti. 1.

SUMMARIA

De quonam haec lex *loquatur? num.* 1.
Nomina inter haeredes ipso jure quidem sunt divisa, sed actio hypothecaria singulis in solidum competit. 2.
Exemplo declaratur. 3.
Quotiescumque vel res ipsa, vel conditio, obligationis divisionem respuit, toties obligatio non dividitur inter haeredes, sed singulis, in solidum acquiritur. 4.
Idem in pignore hac conditione contracto. 5.
Si pignus commode posset dividi et in reliquo creditoribus satis sit cautum, ejus rei rationem judex habere potest. 6.

1 *Lex haec* loquitur de creditoribus haeredibus.
2 Nomina quidem (id est, actiones personales) ipso jure inter haeredes, per *ll. XII. Tabb.* sunt divisa, *l.* 2. *§. fin. et l.* 4. *princ. ff. famil. hercisc. ibique Auct.* Sed actio hypothecaria competit
3 singulis haeredibus in solidum, v. g. totum pignus mihi tenetur pro ea parte debiti, quae mihi ut haeredi competit, actio personalis divisa est, sed hypotheca tenetur mihi in solidum, ut et cohaeredi. Ergo singuli nostrum, hypothecariam actionem instituendi, et singuli etiam distrahendi pignoris potestatem habemus.
4 Quotiescumque enim vel res ipsa, vel conditio, obligationis divisionem respuit, toties obligatio non dividitur inter haeredes, sed singulis in solidum acquiritur, *l.* 25. §. 9. *ff. famil. hercisc.*
5 Jam vero pignus hac conditione contractum est, ut maneret obligatum, nisi omne et totum debitum sit solutum, *l.* 9. § *omnis* 3. *ff. de pign. act.* ergo et singulis haeredibus tenebitur in solidum, *arg. d. l.* 2. §. 2. *ff. de V. O.* ubi dicitur, quod ex personis haeredum obligatio non mutetur. Vid. *Card. Tuschus concl.* 105. *lit. A.*
6 Si tamen pignus posset commode dividi, et in reliquo satis cautum sit creditori, ejus rei rationem ex officio habere judicem posse putat *Mind. de process. lib.* 3. *c.* 13. *num.* 12. quod quidem speciem aequitatis habet, sed an in jure subsistat, dubito.

L. Actio. ult.

SUMMARIA

Eodem modo quo creditoris haeredes pro parte nomina acquirunt, etiam haeredes debitoris, si actionibus personalibus conveniantur, pro parte tenentur. num. 1.
Ille haeres, qui pignus possidet actione hypothecaria, in solidum conveniri potest. 2. 4. 5.
Actio hypothecaria, cum in rem sit, non sequitur personam obligatam, sed rem et ejus possessorem. 3.
Creditor habens hypothecam generalem, eligere potest unam rem ex pluribus et hujus nomine haeredem convenire. 6.
Excipiuntur. 7.

Sicut creditoris haeredes nomina acquirunt 1
pro parte, ita haeredes debitoris, si actionibus personalibus conveniantur, tenentur tantum pro parte, sed actione hypothecaria ille haeres, 2
qui pignus possidet, in solidum conveniri potest, nam actio hypothecaria est actio in rem, 3
l. 18. *supra de pign.* ergo non sequitur personam obligatam, sed rem et ejus possessorem. Ergo si unus ex creditoribus rem mihi pigno- 4
ris jure nexam possideat, hic in solidum a me potest conveniri hypothecaria actione, ut pignus mihi restituat, nec audiendus est, si velit portionem suam, quam ille, ut haeres, mihi debet solvere. Collige: actionem hypotheca- 5
riam contra unum haeredem debitoris possidentem pignus, dari in solidum, *Druid. lib.* 2. *act. c.* 18. *Steph. Gratianus tom.* 1. *disc. for. c.* 16. *num.* 10. *et seq. et c.* 36. *num.* 42. *et c.* 150. *num.* 13. Et creditor habens generalem 6
hypothecam, potest eligere unam rem ex pluribus, et hujus nomine haeredem convenire, *Neguz. memb.* 2. *p.* 8. *num.* 21. sed exceptio- 7
nem hoc habet, *in l.* 1. *C. communia de legatis in fin.* nam legatarii, licet hypothecam tacitam ac generalem habeant in bonis testatoris, unum tamen haeredem hypothecaria actione in solidum convenire non possunt, sed omnes pro parte, quam in haereditate habent.

TITULUS XXXIII.

Si pignoris conventionem numeratio pecuniae secuta non fuerit.

L. Si pecuniam. 1. et L. Si ut nunc. 2.

SUMMARIA

Facti species. num. 1.
An praedium pignoris loco creditori datum, exhibito ipsi chirographo, quasi tot vel tot pro tali ab eo mutuo acceperim, quod tamen non factum, per exceptionem non numeratae pecuniae actione reali repetere possim? 2.
An actori hoc loco ea, quae alias in rei vindicatione probanda, probare opus sit. 3.
Etiam putativo creditori, si a me peteret pignus, exceptionem non numeratae pecuniae opponere, et si non tantum condictionem pecuniae creditae, sed etiam hypothecariam actionem elidere possum. 4.
Obstantes leges resolvuntur. 5.
Exceptio non numeratae pecuniae per modum replicae opponi potest, et locum habet, etiamsi pignus sit datum. 6.

1 Cautionem seu chirographum dedi creditori, quo confessus sum me mutuo accepisse centum, et dedisse pignore fundum. Confessio autem ista facta est, spe futurae numerationis, quae non est subsecuta. Vindico igitur praedium, quod sine causa putativus ille creditor possidet, ille excipit, me obligasse praedium pignori, producitque chirographum, ideoque intendit et excipit, me neque actione reali neque pignoratitia pignus repetere posse, cum debitum hoc non sit solutum, quo refero verba *leg.* 1. *intentio* (i. e. exceptio creditoris) *dati pignoris neque redditae pecuniae*, i. e. dum creditor excipit pignori rem esse obligatam, et debitum non esse solutum ergo per pignoratitiam rem repeti non posse, per *l.* 11. *ff. de pignor. act.* Vid. *Hillig. in Donell. lib.* 14. *c.* 37. *lit. TT.* ego replico, imo nullum esse debitum, et oppono isti scripturae mendaci exceptionem non numeratae pecuniae: Quaeritur: *An mihi detur* 2
actio realis ad repetendum praedium? Et quamvis ex chirographo seu literarum obligatione creditor habeat condictionem certi, quia tamen querela non numeratae pecuniae hanc actionem plane elidit, datur mihi utique rei vindicatio, neque opus est ea probare, quae alias proban- 3
da sunt in rei vindicatione, scilicet dominium ex parte actoris, et possessionem ex parte rei, nam utrumque fatetur in hac specie reus. Nam pro domino me habuit, dum pignus a me se accepisse commemorat, *arg. t. tit. si aliena res pignori. etc.* Se autem possidere eo ipso fatetur, dum se pignus accepisse fatetur. Ergo sufficit hic confessio rei, imo si ille ipse puta- 4
tivus creditor peteret a me pignus, exceptionem non numeratae pecuniae ipsi opponere, et ita non tantum condictionem creditae pecuniae, sed etiam hypothecariam actionem (ut quae principali extincta regulariter subsistere nequit) elidere possem. Neque obstat his legi- 5
bus, *d. l. solutum* 11. §. 2. *ff. de pignor. act. Neguz. m.* 2. *part.* 7. *num.* 8. Nam respondet *Donell. hic*, non esse contraria, cum utraque actio detur elective, nam potest quis rem suam condicere non ut suam, sed ut oppignoratam, ut locatam, ut depositam. Collige: exceptionem 6
non numeratae pecuniae per modum replicae opponi posse, et locum hebere, etiamsi pignus datum sit, *hic et l.* 1. *supra de non numerata pecun. Trentacinq. lib.* 3. *tit. de solut. resol.* 20. *num.* 9. *Mascard. concl.* 361. *num.* 25.

TITULUS XXXIV.

De jure dominii impetrando.

L. Dominii jure. 1.

SUMMARIA

Quatenus creditor precibus Principi oblatis impetrare possit, ut sibi liceat pignus jure dominii possidere? num. 1.
Preces istae quaenam complectantur? 2.
Discrimen inter primum et secundum. 3.
An prior creditor in praejudicium posterioris, cui eadem res obligata, et qui alias jus offerendi habet, dominii jus acquirere possit? 4.

1 Postquam ea observata sunt requisita, de quibus dicitur in *l. fin. h. t.* et pignus emptorem reperire nequit; creditor precibus Principi oblatis petere potest, ut sibi liceat pignus jure dominii possidere, nam sibi vel expresse vel tacite sub nomine alterius pignus addicere non potest, *l.* 10. *supra de distr. pign.* debet et 2
complecti in precibus Principi oblatis nomina debitorum, et declarare, solemnia requisita se peregisse, et debet exprimere non in genere bona, sed res certas, quarum dominium petit sibi addici, ut his venum expositis constare possit de earum aestimatione: Et ut sciatur, si qua fraus aut iniquitas adsit, *Molin. ad consuet. Paris.* §. 52. *gl.* 1. *num.* 114. Ubi notat *Baldus* 3
discrimen inter primum et secundum decretum, nam in actione personali, licet missio ex primo decreto in omnia bona facta, ex secun-

do tamen decreto fieri nequit, nisi certa bona specificentur, ut in praxi loqui solemus, sed apud nos rarior usus primi et secundi decreti.
4 Quaeritur autem: An prior creditor in praejudicium creditoris posterioris, cui eadem res obligata, et qui alias jus offerendi habet, dominii jus adquirere possit? Quod negandum puto, quicquid dicat *Thes. p. 1. q. 58. in fine.*

L. Si creditor. 2.

SUMMARIA

Facti species. num. 1.
Quaestio inde deducta. 2.
Per unum actum contrarium, qui est incompassibilis cum privilegio, et in quem non potest cadere alia praesumptio, quam renunciationis, per contraventionem privilegio renunciatum videtur. 3.

1 Petiit creditor a Principe, ut sibi dominium habere liceat, quod impetrat, sed postea exi-
2 git usuras a debitoribus, Quaeritur: *An eo ipso, dum usuras accepit, videatur renunciasse suo privilegio?* Resp. quod sic, *arg. l. 4. supra de pactis inter emptorem etc. et l. 6. §. fin. ff. de l.*
3 *commissoria.* Unde probatur; per unum actum contrarium, qui sit incompassibilis cum privilegio, et in quem non potest cadere alia praesumptio, quam renunciationis, per contraventionem privilegio renunciatum videri, *hic et l. 4. C. de pactis inter emptorem etc. Felinus in c. cum accessissent num. 28. X. de constit. Bossius tit. de Princip. num. 320. Enenkelius Baro de privilegiis lib. 3. cap. 15. num. 14. et seq. Mevius p. 2. dec. 1. num. 9.* ubi tamen id limitat, nisi non usus privilegii tempestatibus armorum imputari debet, *Mev. d. l. num. 10.*

L. Vetustissimam. ult.

SUMMARIA

Forma impetrandi dominii praescribitur. num. 1.
Quid olim requirebatur, et quid hodie? 2.
Antecedentia impetrationis dominii. num. 3.
Subsequentia. 4.
Debitor intra biennium a tempore impetrati Rescripti computandum adhuc potestatem pignus recuperandi et liberandi habet. 5.
Restringitur haec regula. 6.
Quid si plus in debito, quam in pignore, vel contra? 7.
Anne liceat creditori pignus post dominium perfecte quaesitum vendere? 8.
Quid si creditor pignus non vendat, sed sibi possidere licere putet, et retinere sibi velit, cujus est aestimare illud pignus, an creditoris, an vero debitoris? 9.
An lex haec *etiam locum habeat in simplici pignoris venditione, ita ut creditor post denunciationem factam intra biennium pignus distrahere et vendere aliis non possit?* 10.
Sententia Auctoris de hac quaestione. 11.
Apud Italos haec lex *non observatur.* 12.
Neque moribus nostris frequentatur. 13.
Neque ad pignora judicialia haec lex *est extendenda.* 14.
Pignus judiciale post duorum mensium spatium vendi potest, non tamen nisi per subhastationem. 15.
Secus ac Praetorium, cujus tempus est arbitrarium. 16.

Lex haec formam impetrandi dominii prae- 1
scribit. Nam antiquitus praescriptio publica re- 2
quirebatur, et annus luitionis dabatur debitori, sed hoc abrogato constituit Imperator: I. 3
Ut creditor debitori denunciet, ut solvat, alioquin fore, ut creditor distrahendo jus pignoris exequatur. Si autem debitor neget se debere, creditor actionem contra illum intendere debebit, et efficere, ut condemnetur. II. Post hanc denunciationem aut sententiam, totum biennium acquiescere debet creditor. III. His peractis post biennium creditor pignus venum exponere debet. Haec in *princ. et §. 1.* quod si autem pignus emptorem non reperiat, tunc IV. Creditor iterum praesenti debitori denunciet, ut solvat, si aberit debitor, magistratum adeat creditor, ut magistratus absenti per apparitorem seu ministrum tempus constituat, intra quod adsit et pecuniam offerat, *§. 2. h. l. ult. et in princ. §. 3.* Haec fuerunt antece- 4
dentia impetrationis dominii, quibus praemissis, creditor per supplicem libellum Principi oblatum, potest petere, ut pignus sibi jure dominii possidere liceat, quod etiam impetrabit, sed cum temperamento hic addito: ut in- 5
tra biennium a tempore rescripti computandum, debitor adhuc habeat potestatem pignus recuperandi et liberandi, si modo offerat de- 6
bitam pecuniam cum usuris, et omni damno, quod accepit creditor ex frustratione debitoris; sed hoc humanitatis seu pietatis intuitu contra regulas juris introductum est, ideoque relevatus in alio creditor, ut super damnis juranti creditori fides habeatur, *§. 3. h. l.* Sed *quid si* 7
plus in debito quam in pignore, vel contra? Resp. in §. 4. ut si minus in pignore, plus in debito, aut contra plus in pignore, minus in debito sit, utrique tam creditori (primo casu) quam debitori (posteriori casu) jus suum integrum maneat, et aut debitor (primo casu) creditori id, quod minus est, suppleat, aut (secundo casu) creditor debitori superfluum restituat. Sed *Anne liceat creditori vendere post* 8
dominium perfecte quaesitum? Quid ni? Sed ut constet an plus in debito quam pignore sit, vel contra; ideoque creditor juramento confirmare tenetur, quod nulla machinatione usus tanti rem vendiderit, nec pluris vendere potuerit, et quod ita superfluum accepit, ex venditione ultra debitum principale, id debitori debet restituere, juxta §. 5. *h. legis* sin minus accedit in superfluum recte aget, per condictionem scilicet ex *hac lege d. §. 5.* Sed *quid si* 9
creditor non vendat pignus, sed sibi id possidere licere putet, et retinere sibi velit, cujus est aestimare illud pignus, an creditoris, an vero debitoris? Resp. in *§. ult.* Neutrius, sed hoc a judice aestimandum, sed haec observanda, nisi inter creditorem et debitorem initio aliud convenit, *§. 1. hujus legis;* Nam quando adest pactum vel conventio, ut lapso hoc tempore liceat vendere pignus, procul dubio cessat haec lex, *Caldas de empt. cap. 11. num. 25.* modo illa conventio non sit contra leges, ut *l. ult.*

10 *tit. seq.* Sed *anne haec lex etiam in simplici pignoris venditione locum habeat, ita ut creditor post denunciationem factam intra biennium pignus distrahere et vendere aliis non possit?* Resp. Nonnullos quidem *hanc legem* restringere ad eum casum, quando creditor jure dominii acquirere, non quando distrahere vult, et alii vendere. Sed quamvis initio de impetrando dominio Imperator loquatur, altius tamen hanc materiam Imperatorem repetere putant alii, atque adeo hanc esse ejus mentem tradunt; ut si tantum distrahere velit, biennium nihilominus expectare teneatur, Vid. *Bacchov. in Treutl. d. th. lit. G.* ubi de communi opinione testatur. Sed de his habentur ubique fere statuta, et quid Saxonico receptum Vid. *Treutl. d. l. Carpz. p.* 1. *jurisprud. constit.* 28. *def.* 136.
11 et alibi alii. Quamvis autem libenter amplecti soleam sententiam communiter traditam, non tamen existimo, Justinianum hic loqui ullo modo de distractione pignorum absolute, sed de ea ad impetrationem dominii instituenda, et nimis dure ageretur cum creditore, si post moram debitoris integrum biennium expectaret, et interim pignus sine fructibus retinere invitus cogeretur, *Caldas d. l. num.* 24. *Donell. de pign. c.* 12. *Bocerus cl.* 2. *d.* 12. *th.* 77. *Bronchorst. cent.* 1. *assert.* 98. *et Perez. ad hunc tit. num.* 5. hos sequitur *Harprecht. in* §. 1. *Inst. quibus alienare licet num.* 4. *et seq. et in* §. 4. *Inst. quibus modis re contrahatur num.* 237. *et seq.* Nec apud Italos *hanc legem* obser- 12
vari testatur *Cynus, Bl. et Caldas d. l. num.* 24.
Et sane experientia testatur, *hanc legem* no- 13
stris moribus non frequentari. Nec ea ut ex- 14
orbitans ad pignora judicialia extendenda, *Menoch. lib.* 2. *A. Q. cas.* 6. *num.* 7. nam judi- 15
ciale pignus post duorum mensium spatium vendi potest, ita tamen, ut fiat per subhastationem, *Hartm. Pist. p.* 3. *q.* 18. *num.* 15. in pignore Praetorio est tempus arbitrarium, *Hartm. Pist. d. l.* ergo tantum in pignore conventio- 16
nali locum habet, *Hartm. Pist. d. q.* 18. *d. num.* 15.

TITULUS XXXV.

De pactis pignorum et de lege commissoria in pignoribus rescindenda.

L. Qui pactus est. 1.

SUMMARIA

An per pactum hoc debitoris: si intra tempus certum pecunia debita non solvatur, pignus se cessurum creditori, *contracta sit venditio, et qualem vim haec venditio habeat? num.* 1. 3.
Valet pactum, ut si debitor sua die debitum non restituat, ex tunc intelligatur rem venditam creditori justo pretio. 2.
Quoties aliquid contractui adjicitur, quod de natura ejus est, tunc id nihil operatur. 4.
Pacta in contractibus persaepe otiosa sunt. 5.

1 Debitor pactus est, si intra certum tempus pecunia debita non solvatur pignus se cessurum creditori, Quaeritur: *An hic contracta sit venditio, et qualem vim habeat haec conventio?* Resp. ad primum non esse venditionem pecunia credita, nam si venditionem hoc pacto debitor celebrare voluisset, esset lex commissoria vel illi certe similis, quae tamen *lege ultima hoc tit.* sublata. Ideoque est quidem venditio, vel datio in solutum, quae venditioni similis per *l. si praedium C. de evict.* sed non pro pecunia credita, sed pro pretio arbitrio boni viri determinando, per *l.* 16. §. *ult. ff. de pign. Afflict. dec.* 368. *num.* 1. *in fine, Neguz. de pign. p.* 4. *princ. n.* 6. *et* 11. *Menoch. remed.* 5. *adipisc. possess.* et hos allegans *Carpz. lib.* 5. *resp.* 12. *num.* 19. et quos allegat *Menoch. d. l.* Et ideo
2 collige ex *hac lege:* valere pactum, ut si debitor sua die debitum non restituat, ex tunc intelligi rem venditam creditori justo pretio, ut multis probat *Carpzovius d. resp.* 12. *per*
3 *totum.* Ad secundum resp. hanc conventionem nihil addere naturae hujus contractus, sed ea, quae creditor, in distrahendo pignore adhibere debet, etiam hoc casu a creditore adhibenda; quoties enim aliquid adjicitur contractui, quod 4
de natura contractus est, tunc id nil operatur, *hic et l.* 3. *infra de fidejuss. l.* 9. §. 1. *ff. de dist. pign. Socinus in reg. lit. V. reg.* 7. *fallent.* 6. *Menoch. cons.* 308. *num.* 6. ubi ex *Jasone* tradit, persaepe pacta in contractibus esse otio- 5
sa. *Jac. Scultes p.* 2. *q.* 59. Et ideo regulam illam vulgarem, quando statuunt, nullum verbum in contractu adhibitum, esse otiosam, saepe habere exceptionem tradit *Bacch. lib.* 1. *de pign. c.* 16. *num.* 8.

L. Si fundi. 2.

SUMMARIA

Facti species. num. 1.
Quaestio inde deducta. 2.
Quoties pignus conditionaliter datur, toties deficiente conditione nullum est. 3.

Vendidi tibi fundum, et alium fundum pi- 1
gnori obligavi, sub hac conditione, si emptus fundus evictus fuerit; sed postea constitit evinci illum fundum non posse, Quaeritur: *An* 2
conditione ista deficiente pignus per pignoratitiam actionem repeti possit? Affirm. quoties 3
conditionaliter datur pignus, toties deficiente conditione nullum etiam pignus est, *hic et l.* 11. §. 2. *ff. de pign. act. Neguz. de pign. m.* 2. *part.* 7. *num.* 8. vers. *Secundo fallit. Tepat. dec.* 510. *c.* 4. et ex eo *Doring. in biblioth. de act. pign. num.* 28. et inde probat *hic Baldus*, quod fidejussores pro evictione dati liberandi sint secuta victoria.

L. Quoniam. ult.

SUMMARIA

Lex commissoria in pignoribus quid sit? num. 1.
An valeat? 2.
Ratio affirmandi. 3.
Negandi. 4.
Cur haec lex commissoria in emptione valeat, et non in pignore? 5.
Quatenus prohibitio hujus legis locum habeat? 6.
Quando pignus datum est et pecuniam debitor accepit, si fraus legi non quaesita, debitor in solutum creditori pignus dare potest. 7.
An lex commissoria ex intervallo adjecta valeat? 8.
Si ita conventum, ut cessante debitore pignus sit venditum creditori justo pretio, valet ea conventio. 9.
Legi commissoriae debitor renunciare nequit. 10.
An valeat jurata pacti commissorii confirmatio? 11.
Creditoris ultra creditum cum debitoris incommodo extensa cupiditas, maligna atque iniqua est. 12.

1 Lex commissoria in pignoribus est, cum cre-
ditor pecuniam credit ea lege, id est, ea con-
ditione, ut si debita pecunia certa die non
reddatur, pignus suum fiat, pro pecunia cre-
2 dita, et Quaeritur: *An valeat?* Videtur quod
3 sic, quia cuilibet licet de re sua statuere, quod
vult, *l. in re mandata C. mandati.* Sed Neg.
4 quia debitor, qui opus habet pecunia credita,
constringeretur et fraudaretur, creditor lucra-
retur, et ita pro minimo pretio saepe rem
pretiosam adquireret, *Auct. in l.* 1. *ff. de leg.*
5 *comm. num.* 1. *seqq. Sed cur lex commissoria
in emptione valet, non in pignore?* Resp. haec
lex in pignore veteri domino dominium aufert,
in emptione conservat. Hic saepe pro minima
pecunia res acquiritur, in emptione vero re-
cuperat rem venditam venditor eodem pretio,
de quo inter eos initio placuit, nec ita in em-
ptione adigitur ad hanc conventionem emptor,
ut hic debitor ex necessitate rei familiaris, et
indigentia pecuniae; nec valeret hoc pactum,
licet verbis obliquis sit conceptum, *Caldas de
empt. c.* 28. *num.* 35. *Fagundez. de J. et J. lib.*
17. *c.* 8. *num.* 8. *Neguz. de pign. part.* 4. *num.*
2. *Card. Tuschus tom.* 6. *concl.* 18. *num.* 8. *lit.
P. Mantica de tac. et amb. convent. l.* 4. *tit.* 29.
6 *num.* 5. Et haec prohibitio legis commissoriae
haberet locum, si non ex mutuo, sed alio ca-
pite pecunia debeatur et debitor pignus dede-
rit, *Tusch. concl.* 15. *lit. P.* Sed postquam 7
pignus datum est, et pecuniam debitor acce-
pit, tunc si fraus legi non quaesita, potest
debitor in solutum dare creditori pignus, *l.* 13.
supra de pign. De quo casu etiam accipienda
lex 34. *ff. de pign. act.* et ideo non est neces- 8
se, statuere ex ea lege, legem commissoriam
ex intervallo additam valere, cum *Neguz. p.* 4.
num. 6. *Mascard. concl.* 441. *num.* 9. *Tiraq. de
retr. convent. in praefat. num.* 7. Sed rectius
ea sententia negatur a *Covarr. lib.* 3. *resol. c.* 2.
num. 8. *Card. Mantic. de tac. et amb. convent.
lib.* 11. *t.* 10. *num.* 6. *Trentacinq. de pign. lib.
resol.* 11. *num.* 13. *et* 15. *Caldas de empt. c.* 28.
num. 30. *et seq. Fagundez. l.* 7. *de J. et J.
cap.* 8. *num.* 5. *Tiraq. de retract. convent. in
praefat. num.* 8. *Pinell. ad l.* 2. *C. de resc.
vend. p.* 2. *rubr. c.* 1. *num.* 30. Si tamen ita 9
conventum, ut cessante debitore, pignus sit
venditum creditori justo pretio, valet ea con-
ventio, per *l.* 16. *§. ult. ff. de pign. d. l.* 34.
ff. de pign. act. Covarr. d. l. Trentac. d. res.
11. *num.* 14. *Mantica d. t.* 10. *num.* 9. *et l.* 4.
tit. 29. *num.* 6. *Carpz. lib.* 5. *resp.* 12. *Caldas
d. l. num.* 37. *Fagundez. de J. et J. lib.* 7. *cap.*
8. *num.* 3. *Menoch. cons.* 1111. *num.* 23. Idem
est si conveniat, ut res vel pignus venditum
sit creditori, si intelligatur de justo pretio ju-
dicio boni viri determinando, *Mantica d. t.* 10.
num. 3. *Molina d.* 538. *num.* 1. *Neguzant. d. l.
num.* 6. Sed ut ad legem commissoriam rever- 10
tar, huic renunciare debitor nequit, quia jus
illam vetat in odium creditoris, et habet spe-
ciem usurae, *Azor. t.* 3. *Inst. Mor. lib.* 7. *c.* 10.
et Fagundez. d. c. 8. *num.* 7. Aliud tamen est 11
in jurata confirmatione hujus pacti, per *c. si-
gnificante X. de pign. Menoch. cons.* 789. *num.*
6. ubi distinguere solent, an juramentum tol-
lat contractum invalidum, an vero contractu
invalido manente juramentum tamen servan-
dum sit. Item an de jure Can. an vero de jure
civili loquamur, item an jurans sciverit, id pa-
ctum esse prohibitum, an vero nesciverit. Vi-
deatur *Gail. lib.* 2. *observ.* 40. *Cuno de pactis
lib.* 1. *cap.* 16. *num.* 101. *Tiraq. de retract. con-
vent. in praefat. num.* 16. conferatur *Bacchov.
de pign. lib.* 1. *c.* 16. *per totum.* Ex hoc textu
colligitur etiam, ita consulendum esse credito-
ribus, ut supra creditum nihil adquirant: Nam 12
creditoris ultra creditum cum debitoris incom-
modo extensa cupiditas maligna atque iniqua
est, ut ait *Mevius part.* 1. *dec.* 21.

TITULUS XXXVI.

De exceptionibus seu praescriptionibus.

L. Debitores. 1.

SUMMARIA

Facti species. num. 1.
Quaestio inde deducta. 2.
Debitor haereditarius omnibus haeredibus ipso jure obligatur, pro rata singulis. 3.
Debitor solvens alii, voluntate viventis, ipso jure liberatur, si modo creditor adhuc vivat. 4.
Duplex hic datur exceptio doli, et quando utraque? 5.
Dolo facit, quicumque id quod aliqua exceptione elidi potest, petit. 6.

Titius 100. debuit Cajo, Cajus creditor illud 1
praelegat nomen uni haeredum suorum. Titius

mortuo Gajo, ei, cui legatum erat, nomen
2 solvit, Quaeritur: *An non a caeteris haeredibus conveniri possit Titius debitor?* Resp. Posse, quia nomina haereditaria ipso jure inter haeredes sunt divisa, *l.* 4. *pr. ff. famil. hercisc.* ideoque debitor, etiamsi ex voluntate defuncti uni haeredum solverit, non tamen ipso jure liberatur, sed habet adhuc Titius exceptionem doli, quia reliqui haeredes Caji contra voluntatem defuncti suas portiones a debitore peterent, imo licet nondum soluta esset illa pecunia debite, haberet tamen legatarius ille scilicet haeres, actionem utilem, vel ex legato,
3 *l.* 18. *supra de legat.* Collige ex *hac l.* 1. debitorem haereditarium haeredibus omnibus ipso jure obligari, pro rata singulis. Deinde Nota: ab actione, quae hic datur legatario, liberatum esse, ab utili quidem, sed non statim a directa, quae hic datur haeredibus, sed opus esse exceptione, *Cynus, Bl. Salycetus.* Sic por-
4 ro et hic notant: debitorem, voluntate viventis, solventem alii, liberari ipso jure, sed si creditor adhuc vivat, et sic cum *Glossa* limitant *l. solutam* 49. *ff. de solut.* Et licet stipulando, in dando uni haeredum non possit providere per *l. continuus* 137. §. *ult. ff. de V. O.* secus tamen *Gl. et dd. DD.* dicunt in legando, quae
5 omnia certa. Sed notabis hic duplicem esse exceptionem doli; unam specialem, quando ab initio quis dolo circumventus quid gessit, alteram generalem, quae datur, etsi ab initio dolo nihil gestum, sed in judicio aliquid dolose petatur, *Auctor in l.* 2. *ff. de dol. mal. et met. except. num.* 9. Et haec cum aliis exceptioni-
6 bus concurrit, quia dolo facit, quicumque id quod aliqua exceptione elidi potest, petit, *l.* 2. §. 5. *ff. de dol. except. Bargalius de dolo lib.* 4. *c.* 2. *num.* 8. *Donell. lib.* 22. *c.* 6. *lit. E. et ibi Hillig.*

L. Pro portione tua. 2.

SUMMARIA

Casus legis. num. 1.
An sententia contra fratrem de communi inter nos re, me absente, lata mihi etiam praejudicet, atque adeo ille, qui tunc contra fratrem egit, mihi exceptionem rei judicatae opponere possit? 2.
Ad exceptionem rei judicatae opponendam quaenam requirantur. 3.

1 Ego et frater meus communem possidemus domum, me absente alius contra fratrem instituit rei vindicationem, et obtinet in judicio,
2 Quaeritur, *An sententia contra fratrem lata, mihi etiam praejudicet, atque adeo ille, qui tunc contra fratrem egit, mihi exceptionem rei judicatae opponere possit?* Neg. quia exceptio rei
3 judicatae requirit, ut 1. idem corpus, eadem quantitas vel idem jus: 2. eadem causa petendi: et 3. eaedem personae sint, *l. cum quaeritur* 12. *cum seqq. ff. de except. rei judic. ibique Auctor num.* 2. *Berous consil.* 102. *num.* 42. *Menoch. cons.* 501. *num.* 15. *Carpz. lib.* 1. *resp.* 17. Vid. *l.* 2. *supr. quibus res judicata non nocet,* ubi exceptiones regulae. Hic autem non sunt eaedem personae, nec eaedem res, sed pars fratris.

L. Adversus. 3. et L. Si ex majore. 7.

SUMMARIA

Facti species. num. 1.
An pactum de non petendo tutelae judicio valeat? 2.
Lectura legis. 3.
Objectio removetur. 4.
Quietatio generalis ad species dolo alterius occultatas non extenditur, sed illi obstat exceptio doli. 5.
Limitatur. 6.
Exemplo declaratur. 7.
Donatio facile praesumenda non est. 8.
Objectio diluitur. 9.
An recte dicatur, quod replicatio doli faciat bonae fidei judicium? 10.

Fratris frater tutelam fiduciariam, quae et le- 1
gitima vocatur, gesserat, cum autem alter fratrum pubes factus esset, is, qui tutor fuerat, persuadet alteri, ut secum pacisceretur, ne aliquid tutelae judicio peteret, et ita eum liberaret, persuadet autem dolose, dum forte per mendacium allegat, non fuisse plus in bonis etc. Sed non obstante pacto, alter con- 2
tra alterum instituit judicium tutelae, sed reus opponit exceptionem pacti. Respondetur hic actorem hanc exceptionem pacti elidere posse replicatione doli, quia pactum ipso jure non tollitur per replicationem, *l. si unus* 27. §. *pactus* 1. *ff. de pact.* Sed opus replicationis eliditur. Vid. *pr. Iustit. de replicat.* Vid. *Goddaeus de stipul. cap.* 8. *concl.* 2. *num.* 37. *et seqq.* vel potest alia lectura retineri, quod in ipsa 3
tutela dolus fuerit admissus, qui per generalem quietantiam non videtur remissus, quam lecturam persuadere videntur verba, *Si in ea,* quae non commode ad exceptionem, minus ad pactum, sed commode ad tutelam referuntur. Sed objieit *Gl. l. si unus* 27. §. *illud* 3. *ff.* 4
de pactis, ubi pacto de non petendo per actionem depositi, videtur de dolo transactum. Sed id putarem esse speciale in actione depositi, quia in hac tantum venit dolus, et huic aequiparatur culpa lata, secus in act. tutelae. Recte ergo secundum hanc lecturam ex *hac lege* juncta *l. tres fratres* 35. *ff. de pactis et l. Aurelio* 20. *ff. de liber. leg.* colligitur regula: Quod quietatio generalis, ad species dolo al- 5
terius occultatas, non extendatur, sed illi obstet exceptio doli, *Covarr. lib.* 2. *resol. c.* 14. *num.* 4. *Carpz. p.* 2. *constit.* 11. *def.* 8. *Marcus Mantica Sing.* 646. nisi de illis rebus quoque cogi- 6
tatum probetur, *Cravetta consil.* 294. *num.* 2. *Auctor in l.* 35. *ff. de pact. num.* 3. *et* 4. Aliud exemplum in *l.* 7. *h. t.* ubi cum decem 7
deberes, solvisti quinque, ego per errorem et dolo tuo inductus in totum delibero, et paciscor, me nihil petiturum; sed postea comperto errore nihilominus actio pristina in quinque residua nondum soluta, mihi competit, cui si objicias exceptionem pacti, hanc elido replicatione doli, *d. l.* 7. Nam quietatio generalis, partialem solutionem secuta, videtur ad eam restringenda; Cum donatio non facile 8
praesumenda sit. Non igitur obstat *l. a Divo* 9

15. §. 3. *ff. de re judic.* ubi remissio residui praesumitur in facti specie ibi proposita. Sed
10 quid sibi vult, quod in *l.* 3. dicitur, *quod replicatio doli faciat bonae fidei judicium?* Resp. non absurde dici, quod replicatio doli, si objiciatur, judicium sit quasi bonae fidei, *l. Seja* 42. *ff. de donat. mortis causa.* Vid. *Cujac. lib.* 3. *obs.* 17. et quamvis alias tutelae judicium per se sit bonae fidei, voluit tamen dicere Imperator, quod non tantum per se, sed etiam propter replicationem doli sit bonae fidei judicium. Sic ergo pactum de non petendo generaliter et simpliciter initum, ad quantitatem solutionis restringitur.

L. Cum. 4.
L. Praescriptionem. 8.
et L. Si quidem. 9.

SUMMARIA

Tempus opponendarum exceptionum peremptoriarum. num. 1.
Quando reus exceptionem opponere debeat? 2. 4. 5.
Actore non probante reus absolvitur. 3.
Exemplo dicta num. 2. *declarantur.* 6.
Quo tempore exceptiones peremptoriae allegentur? 7.
In bonae fidei judiciis exceptiones ipso jure insunt ac continentur, etsi non statim objiciantur. 8.
In stricti juris judiciis deducitur aliquid in judicium per litis contestationem. 9.
In foro hodie receptum, ut tam in stricti juris, quam bonae fidei judiciis exceptiones usque ad sententiam proponi possunt. 10.
Limitatur. 11.
Si juxta l. 8. et 9. *exceptiones ab initio sint contestatae, an postea exceptio illa omissa, id est, in judicio non ventilata, iterum opponi et ad ejus probationem reus admitti possit?* 12.
Exceptio peremptoria in ipsa litis contestatione opponi debet, et postea frustra opponitur, licet usque ad sententiam probari possit. 13.
Observantia fori hodierni. 14.
Beneficium hoc habet reus ut quando negat intentionem actoris, et eventualiter opponit exceptionem, non teneatur statim probare suam intentionem, sed possit suae exceptionis probationem differre, donec actor suam intentionem probaverit. 15.
Practici hanc ob causam reorum exceptionales articulos, vel elisivos cum beneficio l. 9. h. t. *offerre solent.* 16.
Interrogatus de facto alieno dubitative respondere potest. 17.
Reus excipiendo intentionem actoris non fatetur, sed semper tacite sub hac conditione excipere videtur, si actor probaverit. 18.
Exceptionem suam reus, si non est directe contraria intentioni actoris, sed tantum per consequentiam, per publicata attestata probat. 19.
An respondente reo, se quidem promisisse, sed sub conditioni, non probata conditione, litis contestatio pro pura habenda sit? 20.

1 De tempore opponendarum exceptionum pe-
2 remptoriarum ita habendum: Aut reus scit, non competere actori actionem, eumque non posse intentionem suam probare, et eo casu non opus est exceptionem opponere, *l.* 9. *princ. h. tit.* sed simpliciter neganda est intentio actoris; quia actore non probante reus absol- 3
vitur, *l. qui accusare* 4. *C. de edendo.* Si au- 4
tem scit, actori competere actionem, sed sibi etiam competere exceptionem, tunc exceptionem eam una cum litis contestatione opponere potest, et tunc reus statim suam exceptionem probare debet, *d. l. si quidem* 9. *h. t.* vers. *si vero de hac confitendo etc.* Si 5
vero reus dubitat, an actor intentionem suam probare possit, annon tunc poterit reus negare intentionem actoris, et simul in eventum opponere exceptiones? v. g. ego nego, paren- 6
ti meo te mutuo dedisse, aut si hoc probaveris, quia versor in justa ignorantia et probabili, oppono exceptionem praescriptionis, vel rei judicatae. Sed quaeritur hic: I. *Quo tempore* 7
exceptiones peremptoriae allegari debeant? Resp. Distingui inter bonae fidei judicia et stricti juris, de illis loquitur *l.* 4. *h. t.* cujus hic est sensus: quod in bonae fidei judiciis defensio seu exceptio quovis tempore allegari possit ante sententiam: nam in bonae fidei judiciis 8
exceptiones ipso jure insunt, *l.* 3. *ff. de rescind. vendit.* ac continentur, *l.* 81. §. 5. *ff. de legat.* 1. et si non statim objiciantur, satis per officium Judicis consulitur, *l.* 38. *l. ult. ff. de petit. haered.* de his, scilicet stricti juris judiciis loquitur *l.* 8. *h. t. et* 9. Unde dicitur exceptiones peremptorias initio contestandas esse. Id enim in *l.* 9. inferunt verba, *habita exceptionis contestatione*, qui ablativi conditionem inferunt, 40. §. 2. *ff. de condit. et demonstr.* et de stricti juris Judiciis loqui has leges duas ipsa ratio juris evincit, nam in stricti juris judiciis de- 9
ducitur aliquid in judicium per litis contestationem, *l. un. C. de litis contest.* Vide *Donell. lib.* 22. *c.* 8. *Zanger. de exceptionibus lib.* 3. *cap. ult. num.* 29. *et seqq.* Quamvis secundum 10
communem et receptam in foro opinionem exceptiones in judiciis tam stricti juris quam bonae fidei, usque ad sententiam proponi possint, *Baldus, Salyc. et caeteri ad l.* 7. *h. tit. Struv. synt. jur. civil. exerc.* 46. *th.* 9. Vide *Hillig. in Donell. lib.* 22. *cap.* 8. *lit. H. et Zanger. d. l. num.* 52. *Ummius disput.* 8. *process. num.* 57. *Berlich. vol.* 1. *concl.* 18. *num.* 41. *et seq.* nisi forte judex jussisset, ut omnes exce- 11
ptiones initio proponerentur, ut in *Ordinat. Camerae part.* 3. *tit.* 13. §. *ult. et tit.* 24. *et* 27. Quaeritur II. *Si juxta l.* 8. *et* 9. *ab initio con-* 12
testatae sint exceptiones, an postea, si exceptio illa omissa, id est in judicio non ventilata, iterum opponi, et ad ejus probationem admitti reus possit? Quod Affirm. in *l.* 8. *h. t.* ut usque ad sententiam reus audiri cum tali exceptione peremptoria debeat; Sufficit enim initio exceptionem contestatam esse. Unde colligitur: exceptionem peremptoriam in ipsa litis 13
contestatione opponi debere, et postea frustra opponi, licet usque ad sententiam probari possit, id quod facit ad lites abbreviandas; Et receptum in Imperio in *Rec. Imper. Spirens. de* 14
anno 1570. §. *(demnach sollen die gewöhnlichen) Termin. Rec. Ratisbon. de anno* 1594. *(Setzen demnach, ordnen unn wolten, etc.) Ordinat. Camerae part.* 3. *tit.* 77. *et in Rec. Imper. de anno* 1654. §. *(Es sollen auch hinführo) Mynsig. cent.* 5. *observ.* 89. *Donell. hic et lib.* 2.

c. 8. *Zanger. part.* 3. *c.* 26. *num.* 34. *Carpz.*
15 *part.* 3. *constit.* 3. *defens.* 13. Imo hoc beneficium habet reus ex *l.* 9. *h. t.* ut quando negat intentionem actoris et eventualiter opponit exceptionem, ut in causa dubitationis supra dictum, non teneatur statim probare suam exceptionem, sed possit suae exceptionis probationem differre, donec actor suam intentionem
16 probaverit. Ideo practici, reorum exceptionales articulos vel elisivos solent offerre cum beneficio *leg. siquidem* 9. *hoc tit.* Vid. *Nigrinus in tract. de protest.* in verbo *testatio, num.* 42. *Zanger. part.* 3. *de except. c. ult. num.* 142. *Mascard. de probat. conclus.* 37. *Cardinal. Tu-*
17 *schus conclus.* 373. *lit. E.* Collige ex *dict. leg. si quidem* 9. interrogatum de facto alieno, posse respondere dubitative, *Caevall. quaest.* 442. *Carpz. part.* 1. *constit.* 10. *defens.* 6.
18 *Obrecht. de litis contest. cap.* 7. *num.* 7. Colligitur etiam ex *d. l.* 9. reum excipiendo non fateri intentionem actoris, nam si fateretur, non opus haberet actor probare suam intentionem, quod hic dicitur, quod habetur etiam in *l. non utique ff. h. t.* et pluribus *ad d. l.* 7. probat *Salyc. num.* 3. Nam semper reus tacite sub hac conditione videtur excipere, si actor probaverit, *Covarr. lib.* 1. *resolut. cap.* 2. *num.* 2. *Trentacinq. lib.* 1. *tit. de except. resolut.* 2. *num.* 1. *et Ummius d.* 8. *num.* 72. Colligitur
19 etiam: post publicata attestata reum suam exceptionem, si non sit directe contraria intentioni actoris, sed tantum per consequentiam, probare, per tradita *Gail. lib.* 1. *observ.* 105.
20 *num.* 14. *Salyc. hic num.* 4. Caeterum si reus respondeat, se quidem promisisse hoc, sed sub conditione, quaerit hic *Baldus, Cynus, Salyc. An non probata conditione, litis contestatio pro pura habenda sit?* Et si in continenti addita conditio, plerique putant, non posse separari actoris confessionem et conditionem, Conf. *Carpz. part.* 1. *constitut.* 10. *defens.* 20. Declaratur tamen *d. l. si quidem* 9. quod tantum obtineat in connexis, ubi actore non probante absolvitur reus. Sed aliud in separatis, ubi unum non dependet ab alio, ut si actor mercedem petat vel pensionem 50. thal. sed reus neget hoc, et eventualiter remissionem petat ob bellum; nam in hoc casu utrique simul ad abbreviandum processum probatio injungi potest, teste *Mevio p.* 6. *dec.* 324.

L. Licet. 5.

SUMMARIA

Facti species. num. 1.
Interdictum Unde vi *annale tantum est.* 2.
Actio de dolo biennio finitur. 3.
An exceptio doli eodem tempore circumscribatur? 4.
Quae sunt ad agendum temporalia, ea ad excipiendum sunt perpetua. 5.
Limitatur. 6.

1 Basilius dejecit me a possessione fundi, habeo contra ipsum interdictum *Unde vi*, sed hoc est annale tantum, *l.* 2. *supr. unde vi*, post annum ego absente Basilio praedii occupo possessionem. Reversus Basilius mihi controversiam possessionis movet, et intendit interdictum *Uti possidetis*, quia non interest in summa possessionis, juste quis an injuste possideat, *l.* 3. §. 5. *ff. de acquir. poss.* Sed ego oppono exceptionem, quod vi possideat fundum, ergo ipsi non competere potest in effectu hoc interdictum, *l. un. supr. Uti possidetis.* Basilius putat, hanc exceptionem mihi post annum non competere, quia hoc interdictum annale est, sed, distinguitur inter interdictum Unde vi, et exceptionem Violentiae. Illud annale est, quia in pote- 2
state dejecti est, quandocumque velit agere, exceptio autem non est annalis, quia non est in potestate rei experiri, quando velit, sed tenetur expectare actorem, *argum. l.* 5. §. *fin. ff. de except. doli.* Sic licet actio de dolo bien- 3
nio finiatur, exceptio tamen doli eo tempore 4
non circumscribitur, *Auctor in l.* 5. *ff. de dol. mal. et met. except. num.* 2. cum actor in potestate sua habeat, quando agere, non vero reus, quando excipere velit, *Zanger. de except. part.* 3. *c.* 13. *num.* 78. Unde *DD.* eliciunt eam regulam: Quae sunt ad agendum temporalia, 5
ea ad excipiendum sunt perpetua, *Auctor in d. l.* 5. *ff. de dol. mal. et met. except. num.* 2. *Zang. d. l. Sig. Scaccia de appellat. quaest.* 19. *remed.* 1. *conclus.* 7. *num.* 4. *et seq. Caspar Klock. vol.* 1. *cons.* 11. *num.* 337. *et cons.* 14. *num.* 154. *Sfortia Oddus de restit. p.* 1. *quaest.* 35. *artic.* 7. *num.* 4. *et seq.* quam regulam ta- 6
men limitant, ut tunc non habeat locum, quando quis jus suum in judicio agendo proponere nequit, secus, si exceptio intra certum tempus lege praefinitum in modum actionis proponi potest, ut exceptio inoffic. testam. *Hill. in Donell. lib.* 21. *c.* 10. *lit. U. et l.* 22. *c.* 2. *lit. P.* ubi tradit, in foro receptum esse, si dolose actor differat actionem, ut probatio exceptionum interea pereat, posse peti a judice, ut certum agendi terminum praescribat actori.

L. Si pactum. 6.

SUMMARIA

Exceptio doli perpetua est, licet actio de dolo certo tempore constringatur. num. 1.
Idem in replicatione doli. 2.
Exemplo declaratur. 3.
An contra doli exceptionem doli replicatio concedatur? 4.

Quemadmodum exceptio, v. g. doli, perpe- 1
tua est, licet actio de dolo certo tempore constringatur, *d. l.* 5. §. *fin. ff. de except. doli ibique Auctor num.* 1. *et* 2. ita etiam replicatio 2
doli, opposita exceptioni pacti ut in *l.* 3. *supr. h. t.* perpetua est, nam ut non potest reus opponere exceptionem, nisi conveniatur, ita etiam replicatio doli praerequirit exceptionem pacti, vel aliam a reo propositam, et replicatio est quaedam exceptio. Sic ergo v. g. con- 3
tra pactum, sibi dolo expressum, creditor, licet 20. anni lapsi essent a tempore, quo dolus admissus, tamen replicatione doli contra debitorem uti potest. Sed contra doli exceptio- 4
nem non dari replicationem doli, volunt per *l.* 2. §. *Marcellus* 13. *ff. de doli except. Klock. vol.* 2. *cons.* 59. *num.* 43. Sed hoc *Petr. Bar-*

bosa ad l. viro et uxore num. 21. *ff. sol. matr.* de eo casu intelligit, quando actor de lucro, reus de damno certat.

L. Non exceptionibus. 10.

SUMMARIA

Exceptio rei est, replicatio vero actoris. num. 1.
Quatenus cum reus suam exceptionem, tum actor suam replicam probare teneatur? 2.
Communiter ad quadruplicationem pervenire solemus. 3.

1 Exceptio est rei, replicatio actoris, Vide *tit. Instit. de except. et replicat. et l.* 2. §. 2. *ff. h. t.*
2 Sicut autem reus non tenetur probare exceptionem suam, priusquam actor suam intentionem probaverit, ita nec actor suam replicam tenetur probare, si reus exceptionem probaverit, *Gilhausen in arb. judic. c.* 5. *Card.*
3 *Tuschus concl.* 426. *lit. E.* Communiter autem hic ad quadruplicationem pervenire solemus, *Donell. lib.* 22. *c.* 10. *et ibi Hillig. lit. A.*

L. Defensiones. 11.

SUMMARIA

An exceptio, quae principali debitori competit competat etiam fidejussoribus? num. 1.
Fidejussor mandati actione quod solvit a debitore repetere potest. 2.
Nisi fidejussor donandi animo intercedat. 3.
Exceptiones, quae personae cohaerent, fidejussoribus non competunt. 4.
Exemplis declaratur. 5.
Idem in beneficio competentiae. 6.
Exceptiones mixtae an et quatenus dentur? 7.

1 Quaeritur, *An exceptio quae principali debitori competit, competat etiam fidejussoribus?* Et distinguitur *hic*, et clarius in *l. exceptiones* 7. *et l.* 29. *ff. h. t.* inter exceptiones cohaerentes rei et personae; nam quae rei cohaerent, competunt etiam fidejussoribus, v. g. exceptio solutionis, pacti, jurisjurandi et similes, ratio
2 in §. *ult. Instit. de replic.* quia fidejussor mandati actione, quod solverat, posset repetere a
3 debitore, nisi fidejussor donandi animo intercedat, nam tunc deficit jam dicta ratio, *l. quod*
4 *dictum* 32. *ff. de pact.* sed exceptiones, quae personae cohaerent, non competunt fidejusso-
5 ribus, v. g. debitor habet exceptionem, quando ademptis omnibus bonis exulare jussus est, sed haec fidejussori non competit, hic in verbis, *integro manente statu etc. l.* 1. *infr. de fidejuss. Peregrinus de jure Fisci l.* 5. *tit.* 1. *num.* 55. *Hering. de fidejuss. c.* 20. §. 14. *num.* 22. secus si statu non mutato bona ei adimantur, *Hering. d. l. num.* 20. Sic exceptio cessionis bonorum non concernit rem seu obligationem, sed personam debitoris, ergo haec non prodest fidejussoribus, *d.* §. *fin. Institut. de replicat.*
6 Idem in beneficio competentiae, per *l. privilegia* 196. *ff. de R. J.* Vid. *Zang. d. c. ult. n.* 213.
7 *et seqq.* Sed dantur etiam exceptiones mixtae, quae dantur quidem ob qualitatem personae, sed concurrente aliqua laesione, quae in re contigit, ut SCti Vellejan. Macedon. Restitutionis ob dolum, et sim. Vid. *Donell. lib.* 22. *c.* 3. *lit. B. Card. Tuschus concl.* 416. *lit. E. Camill. Borellus lib.* 3. *decis. collect. tit* 46. *num.* 7. *Riccius collect. decis.* 771.

L. Si quis. 12. et L. ult.

SUMMARIA

Exceptiones dilatoriae regulariter ante litem contestatam opponendae sunt. num. 1.
Quatenus hoc verum? 2.
Praescriptio seu exceptio fori competentis ante litem contestatam debet opponi, et ante omnes alias exceptiones dilatorias. 3.
Exceptio declinatoria fori quatenus etiam post litem contestatam opponi possit? 4.
Procuratoria exceptio etiam opponatur ante contestatam litem. 5.
Limitatur. 6.
Poena advocati post litem contestatam dilatoriam opponentis eamque praefracte urgentis. 7.
Nec in appellationibus exceptiones dilatoriae admittuntur. 8.
Eae dilatoriae exceptiones, quae merita causae concernunt, etiam post litem contestatam possunt opponi. 9.
Quaenam sint ejusmodi exceptiones? 10.
Idem in exceptione plus petitionis. 11.
Et implementi non secuti, idem ordinis. 12.
Idem etiam in exceptione cedendarum actionum. 13.
Limitatur regula num. 1. *tradita.* 14.

Exceptiones dilatoriae regulariter ante litem 1
contestatam opponendae sunt, *l. pen. h. t. Struv. syntagm. jur. civil. exerc.* 46. *th.* 7.
Idque verum est de exceptionibus dilatoriis, 2
quae judicii vocantur, et opponuntur personae actoris vel judicis, vel procuratoris, vel
opponuntur libello, vel mandato. Sic quando 3
praescriptio seu exceptio fori competentis objicienda est, haec initio litis, ante litem contestatam opponi debet, *l.* 52. *pr. ff. de jud. et l. ult. h. t.* Et haec quidem ante omnes alias exceptiones dilatorias opponenda est, *Gail. lib.* 1. *obs.* 33. *num.* 11. *Mynsing. c.* 4. *obser.* 27. *Zang. de except. p.* 2. *c.* 1. *num.* 4. *Merckelbach. inter consilia Klockii consil.* 14. *num.* 130. *vol.* 1.
Quamvis haec exceptio declinatoria fori etiam 4
post litis contestationem opponi possit, quando judicium vetitum, et jurisdictio non prorogabilis, *l.* 5. *C. de jurisdict.* aut prorogabilis quidem, sed reus ex errore respondit. Conf. *Trentac. lib.* 2. *tit. de judic. resol.* 8. *Hilliger in Donell. lib.* 17. *c.* 22. *lit. B.* Item exceptio 5
procuratoria, *l.* 13. *C. de procurator. l.* 40. §.
pen. ff. eodem, quae tamen, si non incapacitati 6
personae opponatur, sed quod non habeat mandatum, etiam post litem contestatam opponi potest, ne judicium retro reddatur nullum, *l.* 24. *C. de procurat. Zang. de exc. p.* 2. *c.* 2. *num.* 36. *Afflict. dec.* 315. *num.* 8. *Hyppolyt. de Marsil. sing.* 323. *in fin. Vasq. lib.* 2.
controv. c. 16. *num.* 5. *et seq.* adeo ut advoca- 7
tus, si dilatoriam post litem contestatam opponat, et eam praefracte urgeat, eique insistat,

8 libra auri mulctetur, *l. pen. h. t.* Nec in appel-
lationibus admittuntur exceptiones dilatoriae,
d. l. 13. *et c.* 62. *X. de appell.* Nam si reus pure
litem contesletur, judicium subit, si autem
postea dilatoriam opponeret, judicium decli-
naret, quod priori repugnat. Vid. *Hillig. in*
9 *Donell. lib.* 22. *c.* 9. *lit. CC.* Sed eae dilatoriae
exceptiones, quae concernunt merita causae
(ut exceptio pacti de non petendo tempora-
lis), etiam post litem contestatam opponi pos-
sunt, *Zang. d. c. ult. p.* 3. *num.* 47. *Struv.*
10 *synt. jur. civil. exerc.* 46. *th.* 7. et tales sunt
exceptiones, quae contra solidi petitionem
objiciuntur, quae etiam ante sententiam op-
ponuntur, *l.* 1. §. 5. *pr. ff. solut. matrim.* imo
etiam post rem judicatam, *l.* 17. §. *ult. eod.* Vid.
11 *Donell. lib.* 22. *c.* 9. *in fin.* Sic et exceptio
plus petitionis post litem contestatam opponi
potest, *Zang. p.* 2. *c.* 11. *num.* 13. et exceptio
implementi non secuti, item ordinis, *Gail. lib.* 12
2. *obs.* 27. *num.* 3. *Zang. p.* 2. *c.* 16. *num.* 6.
Carpz. p. 1. *constit.* 3. *def.* 17. *Anton. Gabriel.*
lib. 3. *tit. de fidejuss. conclus.* 1. *num.* 9. Idem 13
in exceptione cedendarum actionum, *Zang.*
dec. 16. *num.* 7. *Hartman. Pistor. p.* 1. *quaest.*
48. *Hering. de fidejuss. c.* 27. *p.* 2. *num.* 6. *et*
seq. Atque haec est prima limitatio in exceptio-
nibus dilatoriis anomalis, quae opponi possunt
post litem contestatam: limitatur porro supe- 14
rior seu prior regula: De dilatoriis judicii ante
litem contestatam opponendis, nisi dilatoriae
exceptiones de novo emergant, vel in notitiam
rei noviter perveniant, in quo juramento rei
creditur, *c.* 4. *X. h. tit.* de quibus limitationi-
bus Vid. *Colleg. Argent. in tit. ff. de except.*
th. 11. *num.* 8. *Hillig. in Donell. lib.* 22. *c.* 9.
lit. FF. Dn. Carpz. p. 1. *constit.* 11. *def.* 15.
Carpz. in proc. tit. 9. *art.* 1.

TITULUS XXXVIII.

De litigiosis.

L. Cum creditor. 1.

SUMMARIA

Facti species. num. 1.
An ob denunciationem res fiat litigiosa? 2.

1 Creditor cessante debitore vult distrahere pi-
gnus, debitor contradicit, et denunciat, ne
2 vendat, Quaeritur: *An ob eam denunciationem*
res fiat litigiosa? Negatur; quin imo denuncia-
tio, quia actus non dependet a voluntate de-
bitoris, juste spernitur *lege* 2. *supr. de distract.*
pignor. Ergo litigiosam rem facere nequit.

Auth. Litigiosa.

SUMMARIA

Res litigiosa aliter in realibus fit, aliter in personalibus et quomodo in utrisque? num. 1.
Lis h. l. *debet esse de dominio non alio jure reali, ubi quidem jus illud litigiosum sit, sed res non item.* 2.
Ad reales actiones etiam eae, quae in rem scriptae dicuntur, referuntur. 3.
Quid si actione etiam reali quis rem certam petat, an etiam tunc res illa litigiosa fiat a die citationis? 4.
De actionibus mixtis universalibus idem dicendum, quod de realibus. 5.
Jure Canon. *si rescripto impetrato ille, contra quem impetratum, rem alienet, mandata jurisdictio etiam ad eum, in quem facta alienatio, extendenda, et is juris aequitati parere cogendus.* 6.

Res litigiosa aliter fit in realibus, aliter in 1
personalibus, nam in illis res litigiosa fit a die
editae citationis, sive illa citatio fiat a judice
ordinario, sive ab eo, quem Princeps delega-
gavit, sed oportet citationem esse validam,
Trentacinq. lib. 2. *de judic. resol.* 17. *num.* 19.
Frantzkius lib. 7. *decis.* 11. *num.* 15. *Auctor*
in l. 5. *ff. h. t. num.* 2. Et debet lis esse de 2
dominio, non alio jure reali, puta pigno-
ris, servitutis, ubi quidem jus illud litigio-
sum fit, sed res non item, *Menoch. dict. l.*
num. 13. *et num.* 20. *Frantzkius d. l. num.* 17.
Et ad reales actiones etiam referuntur eae 3
actiones, quae in rem scriptae esse dicuntur,
ut quae ex jure Protimiseos aut jure in re
feudali fundato, contra emptorem feudi vel
emphyteutici fundi dantur, *Rosenthal. de feudis*
c. 9. *conclus.* 94. *num.* 4. *et seqq. Frantzkius*
dict. l. num. 4. et quos citat *dict. l. num.* 41.
Sed quid in possessoriis judiciis? Resp. non rem
ipsam seu dominium fieri litigiosum, sed tan-
tum possessionem, *Hartman. Pistor. p.* 1. *quaest.*
40. *num.* 9. *et seq.* Sed quid si actione etiam 4
personali quis rem certam petat, v. g. em-
ptor rem emptam actione empti, vel ille, cui
per stipulationem res promissa actione ex sti-
pulatu, an etiam tunc res illa litigiosa fiat a
die citationis? Negativa communior, Vid. *Har-*
tman. Pistor. part. 1. *quaest.* 40. *Dn. Frantzkius*
lib. 1. *dec.* 11. *num.* 29. *Menoch. lib.* 2. *praesum.*
96. *num.* 15. *Hondedoeus lib.* 1. *cons.* 20. *n.* 30.
De actionibus mixtis universalibus idem dicen- 5
dum, quod de realibus, per *l.* 5. *ff. de petit. hae-*
redit. Hartman. Pistor. d. l. num. 10. *et* 11.
Menoch. d. l. num. 22. *et* 25. *Frantzk. num.*
52. *Klock. V.* 2. *cons.* 55. *num.* 37. Jure Canon. 6
si rescripto impetrato, ille, contra quem impe-
tratum, rem alienet, mandata jurisdictio etiam
ad eum, in quem facta alienatio, extenden-
denda, et is juris aequitati parere cogendus,
c. 1. *X. de alienat. judic. mutandi causa facta,*
Dn. Ziegl. ad Lancellottum l. 3. *tit.* 1. §. 20.

L. Lite pendente. 2.

SUMMARIA

De quibusnam actionibus lex haec *loquatur, et de quibus* Authentica praecedens? *num.* 1.
Omnis res, quae actione personali juxta praeced. Auth. *petitur, et de qua lis contestata, alteri cedi vel alienari nequit.* 2.
Non obstante hac cessione, si quae contra prohibitionem facta, lis cum eo, qui cedere nulliter voluit, pertractanda est. 3.
Res litigiosa vendi non potest. 4. 6.
Nec donari aut alio contractu alienari. 5.
Ex alienatione rei litigiosae nulla transfertur possessio, licet antea exceptio tantum daretur. 7.
Quid juris hodie circa venditionem rei litigiosae? 8.

1 *Lex secunda* de actionibus generaliter loqui
videtur, sed quia *Authent. praeced.* de realibus
loquitur, haec intelligenda de actionibus per-
sonalibus, quae aliter litigiosae non fiunt, quam
lite in judicium deducta, id est, lite contesta-
ta, non sola citatione emissa, *Gail. lib.* 1. *obs.*
118. *num.* 4. *Wurmser. tit.* 13. *observ.* 7. Sic
2 ergo nomen, de quo agi coeptum, et omnis
res, quae actione personali juxta *Auth. prae-
ced.* petitur, et de qua lis contestata, cedi al-
3 teri vel alienari nequit, sed non obstante ces-
sione, si quae contra prohibitionem facta, lis
cum eo, qui cedere nulliter voluit, pertractan-
4 da est: Hinc ergo apparet, rem litigiosam
quamcumque, sive per solam citationem facta
sit, ut in realibus, sive per litis contestationem
talis facta sit, non posse vendi, *l.* 2. *et ultim.* §. 1.
5 *h. t.* Nec donari aut alio contractu alienari;
Neque in extraneum neque in conjunctam per-
sonam, *l.* 2. *h. t.* Sic ergo collige ex *hac lege* 2.
6 Alienationem rei litigiosae ipso jure esse pro-
hibitam et nullam, *Lancellot. de attentat.
p.* 2. *c.* 4. *praefat. num.* 451. *et seq. Thomas
Merckelbach. inter consilia Klockii v.* 2. *cons.*
7 55. *num.* 14. Et ex hac alienatione nulla trans-
fertur possessio, *Lancellot. d. l. num.* 452.
Hondedocus d. l. 1. *cons.* 2). *num.* 3. *Merckelbach.*
d. *cons. n.* 15. licet antea exceptio tantum dare-
8 tur, *Bartholus d. l.* 4. *h. t.* Hodiernis moribus
litigiosas vendi, permutari, obligari vel alio
modo transferri posse tradit *Struv. synt. jur.
civil. exerc.* 46. *th.* 51.

L. Quicumque. 3.

SUMMARIA

Res litigiosa vel ambiguum chirographum, quod in lite versatur ne quidem legari vel per fideicommissum aut haereditatem relinqui potest. num. 1.
Limitatur. 2.

1 Res litigiosa, vel ambiguum chirographum,
quod in lite versatur, ne quidem legari potest,
vel per fideicommissum aut per haereditatem,
ut in casu *l. quoties C. de haeredibus inst.* re-
linqui, nisi hoc effectu, ut legatarius consequa- 2
tur aestimationem dotis et chirographi, lis vero
permaneat penes haeredes, a quibus illa porro
terminanda et peragenda. Sed legi derogatur
per *Auth. finalem.*

L. Censemus. 4.

SUMMARIA

Rem litigiosam in alium fraudis non ignarum alienans, quomodo puniatur? num. 1.
Quid si ignorans fecerit? 2.
Ad quem duae reliquae a poena partes devolvantur? 3.
Cur solus venditor altero casu puniatur? 4.
Executio citra novum processum potest fieri contra possessorem habentem causam a condemnato. 5.
Quando res litigiosa dari possit? 6.

Quando quis alienat rem litigiosam in alium 1
fraudis non ignarum, tunc uterque rei litigio-
sae aestimationem Fisco inferre tenetur, *l. ult.
pr. h. tit.* sin in ignorantem, accipiens excu- 2
satur, sed alienator, licet donaverit tantum,
aestimationem tamen rei litigiosae, una cum
tertia parte ejusdem, accipienti restituere, et
rem recipere tenetur, semper enim contractus
super re litigiosa initus est irritus, *d. l. fin.
pr. h. t. Auctor in l. fin. h. t. num.* 2. Excu-
sari tamen a poena hac putat *Cravetta tom.* 1.
cons. 279. *num.* 3. si quis hujus constitutionis
ignarus rem litigiosam alienet, quia haec pro-
hibitio non est juris divini, vel naturalis; sed
tantum juris civilis; quod intelligo, nisi dolus
appareat, v. g. quia in fraudem partis vendita
lis vel actio. Sed *ad quem duae reliquae partes* 3
devolventur? Nam ultra rei aestimationem em-
ptor bo. fid. consequitur tertiam partem aesti-
mationis. Has Fisco deberi, acutissimi quidam
viri observarunt, teste *Cujac. ad hunc tit. circa
fin.* et *Bald. ad hanc legem num.* 2. ergo sic 4
hoc casu solus venditor punitur, *Joan. Bapt.
Costa de facti scient. cent.* 1. *dist.* 93. *num.* 3.
M. Ant. Peregrin. de jure Fisci lib. 4. *tit.* 6.
Caspar Klock. in tr. de aerario cap. 125. ubi
duas ejus rei rationes assignat; 1. quia litis
translationes plerumque fiunt in potentiorem:
2. reus semper novis judiciis fatigari posset.
Conf. *Thomas Merckelb. inter consilia Klockii
v.* 2. *cons.* 57. *num.* 65. Ideoque ex *hac l. fin.*
colligit *Barthol. et Gail. lib.* 1. *d. obs.* 118. *num.*
2. *Covarr. pr. q. cap.* 15. *num.* 6. *Lancellot. d.
tr. et loc. num.* 459. et quos allegat *Thomas
Merckelbach. d. consil.* 55. *num.* 16. quod exe- 5
cutio possit citra novum processum fieri contra
possessorem habentem causam a condemnato,
quod etiam ex *lege secunda* probatur: Nam si
alienatio est nulla, et lis nihilominus perangen-
da, cum alienatore frustra ageretur, nisi con-
tra emptorem daretur executio. Sed in *l. fin.* §. 1.
in fine dicitur, rem litigiosam dari posse, I. 6
Dotis nomine, quia causa hujus alienationis est
justa affectio, scilicet nuptiarum, et videtur
alienatio necessaria, et idem esse volunt non

tantum in dote constituenda, sed etiam restituenda, *Menoch. d. l. num.* 37. *Frantzkius n.* 77. II. Titulo donationis antenuptialis, cujus eadem ratio, quae dotis: III. Ut legatum vel fideicommissum relinqui posset, nec enim exceptio litigiosi ad hoc genus alienationis pertinet, *Cujacius ad hunc tit.* Idem esse volunt in causa divisionis et transactionis, quae illi saepe jungitur, *Cujac, ad hunc tit. et Frantzk. num.* 78. vel si res esset tempore peritura, *Menoch. num.* 50. *Frantzkius num.* 82. vel si evidenter constet de non jure adversarii, *Menoch. num.* 48. *Frantzk. num.* 85. *et seq.* vel si res litigiosa in hunc casum alienetur, vel obligetur, cum res litigiosa esse desinet, *Sichardus ad h. l. num.* 20. *arg. l.* 6. *in fine C. ad l. Fabiam de plagiariis.*

Auth. Nunc si haeres.

SUMMARIUM

Quid juris in re litigiosa legata?

Hic dicitur legatarium, cui res litigiosa relicta est, litis eventum expectare debere, et si quidem vicerit haeres, tunc legatario ipsam rem debere, sin victus fuerit, nihil praestandum, cum eventus litis legatus videatur. Ne autem haeres in praejudicium legatarii, cum suo adversario colludat, poterit legatarius liti adesse, et sic tale legatum consistit in eventu, et sic derogatur *legi tertiae h. tit. Fr. Barry de success. lib.* 9. *tit.* 3. *num.* 20.

TITULUS XXXVIII.

De contrahenda et committenda stipulatione.

L. Licet. 1. et L. Optimam. 14.

SUMMARIA

Facti species. num. 1.
An ex verbis epistolae, illa 100 quae tibi promisi, cum Lipsiae essem, solvam, *probetur stipulationem intercessisse?* 2.
Ratio dubitandi. 3.
Decidendi. 4.
Solemnitates intrinsecae ex natura actus intervenisse praesumuntur. 5. 9.
Limitatur regula. 6.
Hodie harum legum, quae interrogationem ad formam stipulationis requirunt, exiguus usus est. 7.
Nuda pacta hodie stipulationibus adaequata sunt. 8.
Fortius probat instrumentum, quam testes. 10.
Negativa tempore et loco coarctata probanda est ab eo qui in negativa se fundat. 11.
Dies et locus cum instrumento edendus est, quando alter vult probare contrarium. 12.
Verbis enunciativis instrumenti est credendum. 13.

1 Quidam ita ad alterum scripsit per epistolam: *Illa* 100 *quae tibi promisi, cum Lipsiae praesen-*
2 *tes essemus, solvam,* Quaeritur: *An per hanc epistolam probetur, stipulationem intercessisse?*
3 Et quidem videtur quod non, quia vocabulum *promittendi* est generale, nec tantum pertinet
4 ad verborum obligationem; Sed affir. *hic et* §. 16.
5 *Instit. de inutil. stipul.* quia solemnitates intrinsecae praesumuntur intervenisse, quando verbum in instrumento occurrit, quod in dubio et communiter, et in potiori significatu, solemnitatem intrinsecam significat, ut hic vocabulum *promittendi.* Vid. *Schneidw. et Heig. in d.* §. 16. *Donell. in l.* 30. *ff. h. t. alias de V. O. Menoch. lib.* 2. *praesumpt.* 41. *n.* 5. Conferatur *Goedd. de stipul. c.* 13. *num.* 191. Idem multo magis dicendum, si scriptum in instrumento, alterum praesenti et stipulanti promisisse 100 sive ipsi, sive servo ejus, ut in *l. pen. h. t.* huic enim scripturae omnino est credendum, nec aliis probationibus opus est, idque propter utilitatem contrahentium, et quia plerique sunt, qui nolunt sua nomina instrumentis inscribi, licet ipsi sint revera, qui praesentes contrahunt, maxime honestiores viri curant inscribi nomina servorum suorum, absque ullo fraudis consilio, *Cujac. ad h. l. t.* 3. *p.* 1154. nisi quis liquidis probatio- 6
nibus, et per scripturam aut testes omni exceptione majores velit probare (de qua probatione contra instrumenta videatur *Covarr. lib.* 2. *resol. c.* 20. *num.* 6. *Trentac. lib.* 2. *resol.* 5. *de fide instrum. Lanfrancus de product. instr. num.* 31.) se, vel adversarium, tunc temporis a civitate, in qua negotium gestum, abfuisse, *l. pen. ff. h. t. alias de V. O. et* §. 11. *aliis* 12. *Instit. de inutil. stipulat.* Sed *harum legum*, quae ad 7
formam stipulationis interrogationem requirunt, non magnus hodie est usus, postquam nuda 8
pacta stipulationibus hodie adaequata sunt, quamvis in aliis materiis earum argumenta utiliter adduci queant. Nam 1. ex *l.* 1. *et* 14. proba- 9
tur, solemnitatem intrinsecam probari et praesumi ex natura actus, v. g. si scriptum, me fidejussisse, omnia praesumuntur solemniter acta, *l. sciendum* 30. *ff. de verb. oblig. Gail. lib.* 2. *obs.* 13. *num.* 2. *Menoch. lib.* 1. *de praesumpt. q.* 18. *num.* 9. *et lib.* 2. *praesumpt.* 23. *num.* 3. *Hering. de fidejuss. c.* 11. *num.* 113. Et hoc demonstrat pluribus *Maschard. de probat. concl.* 1321. *per totam.* Deinde ex *d. l.* 14. probatur; Fortius probare instrumentum, quam testes, 10
de quo praeter citatum *Covarr. Trentac. Lanfrancum, Menoch. lib.* 2. *A. Q. casu* 105. *n.* 42. Vid. notata ad *l. in exercendis supr. de fide instrum.* Colligitur etiam: negativam, tempore et 11
loco coarctatam, probandam esse ab eo, qui in negativa se fundat, *Carpz. p.* 3. *c.* 17. *def.* 14. *num.* 8. Collige etiam: Diem et locum cum in- 12
strumento edendum esse, quando alter contrarium vult probare, *Salyc. hic num.* 2. demum verbis enunciativis instrumenti credendum es- 13
se, *Bald. Salyc. hic.*

L. Si filiae. 2.

SUMMARIA

Non nobis ipsis tantum, sed etiam iis, quos habemus in potestate, recte stipulatur. num. 1.
Exemplis declaratur. 2.
Limitatur regula. 3.
Factum naturaliter cohaeret personae facientis aut electi ad faciendum, nec ab ea persona divelli et in aliam transire potest. 4.
Alia limitatio. 5.

1 Stipulari possumus non tantum nobis ipsis, sed iis etiam, quos habemus in potestate nostra, §. 4. *Instit. de inutil. stip. l.* 39. *ff. de V. O. Auctor*
2 *in l.* 130. *ff. de V. O.* Sic pater potest filio vel filiaefamilias stipulari, ita ut pater sibi acquirat obligationem, *hic et d. l.* 39. *d. t.* quia patris vox tamquam filii, *d.* §. 4. filius sibi ipsi, et conse-
3 quenter patri videtur stipulatus; sed excipiuntur facta, *Auctor in l.* 38. *ff. d. t. num.* 1. ut ire liceat, quae pater filio stipulans nihil agit,
4 *l.* 139. *ff. de V. O.* qua naturaliter factum cohaeret personae facientis, aut electi ad faciendum, nec ab ea persona divelli et in aliam transire potest; jus facile transit, sed factum non; item hoc factum, quod alius explere debet in personam filii non potest expleri in personam patris, v. g. si quis a testatore dare, tradere, solvere jussus sit filio conditionis implendae causa, per *l. qui haeredi* 44. *et l.* 55. *de condit. et dem. Cujac. ad hanc legem tom.* 3. *Donell.*
5 *lib.* 8. *c.* 33. *lit. l.* Sed nec in peculio Castrensi vel quasi pater filio stipulatur, per *l.* 15. *ff. de pecul. Castrens.*

L. Si cum. 3.

SUMMARIA

Facti species. num. 1.
Si mutuo quid dederim alicui, et stipulatus sim, ut fratri meo reddat, an utilis sit stipulatio, et quamnam habeat actionem? 2.
An frater meus hoc casu habeat actionem, et quomodo exigere illud possit? 3.
An actio hic detur mandati, cum ratihabitio mandato aequiparetur? 4.

1 Mutuo tibi dedi 10 et stipulatus sum, ea reddi fratri meo absenti vel etiam praesenti, ut vult *hic Cujac.* qui vocem *absentis* ex facto desumptam existimat, quamvis dici possit, praesente fratre facilius praesumi consensum fratris, et ita mandatum, per *l. qui patitur ff. mandati.*
2 Si ipsius nomine etiam mutuo dedissem, illi quaereretur obligatio, *l.* 1. *supra si cert. pet. et l. singularia ff. eod.* sed quia meo nomine dedi, ideoque inutilis est stipulatio, §. *alteri Inst. de inutil. stipul.* Sed quia duplex hic contractus est, alter mutui, alter stipulationis, ideoque licet inutilis sit stipulatio, ex mutuo tamen habeo actionem, *leg. certi* 9. §. 3. *ff. si cert.*
3 *pet.* Sed in hac specie, frater meus, licet nullam haberet actionem, de facto tamen exigit a te illa 10 quam exactionem postea ratam habui, hoc casu possum a fratre per negotiorum gestorum actionem petere illa 10, et si illam solutionem nolo ratam habere, possum te denuo ad solutionem convenire, quia non debuisti aliquid fratri, ergo solutione facta non liberaris, *l.* 1. *C. de solut.* Sed videtur hic actio mandati 4
dari, cum ratihabitio mandato aequiparetur, per *l. fin. C. ad SCtum Maced.* Sed responsio est, utramque dari, et electionem esse actoris: Nam naturaliter non adest mandatum, ergo si naturam respicias, dicitur actio neg. gest. si interpretationem juris, dicitur actio mandati, *Cujac. hic*, vel dici potest, aequiparationem esse quoad effectum obligationis, non vero quoad genus actionis, *Bacch. in comm. ad ff. tit. de neg. gest. c.* 2. *num.* 2. *et Barbosa lib.* 16. *c.* 4. *axiom.* 14. Conf. notata ad *l.* 9. *C. de neg. gest.*

L. Secundum. 4.

SUMMARIA

Facti species. num. 1.
Quaestio inde deducta. 2.
Ratio dubitandi. 3.
Decidendi. 4.
Moriens intestatus de suis bonis disponere videtur. 5.
Exemplo declaratur. 6.

Uxor stipulata est a marito suo dimidiam do- 1
tis reddi, ut cum moreretur, ei, cui vellet, relinqueret, sed uxor intestata diem obit,
Quaeritur: *An valeat stipulatio?* Videtur quod 2
non, quia nemini reliquit; sed affirmat. Imo 3
quod sibi et haeredi ab intestato stipulata vi- 4
deatur, *arg. l. si mulier* 25. *supra de jur. dot.* Nam quia neminem instituit, ideoque et hanc partem dotis haeredi ab intestato reliquisse videtur, quia enim stipulata est ei, cui moriens voluerit relinquere, dici potest haeredi ab intestato eam voluisse relinquere, per *l. conficiuntur* 8. §. 1. *ff. de jure codicill.* et colligitur
regula: Quod moriens intestatus, videtur dispo- 5
nere de suis bonis, et qui non testatur, expresse videtur tacite testari, *Cravetta cons.* 70. *num.* 13. *lib.* 1. *Natta cons.* 216. *num.* 6. *l.* 1. *Menoch. cons.* 950. *Donell. lib.* 7. *c.* 16. *lit. E.*
Sic si quis oneravit haeredem universali fidei- 6
commisso, ut tamen de mille thaleris disponere possit, haec mille, si haeres de iis non testetur, ad haeredis legitimos haeredes pertinet, *Card. Mantic. de conject. ult. volunt lib.* 7. *t.* 7. *num.* 14. *Rosenthal. de feudis, c.* 9. *m.* 1. *concl.* 40. *num.* 20.

L. Nuda pollicitatione. 5.

SUMMARIA

Facti species. num. 1.
An ex pacto nudo insequenti isti stipulationi; detur actio. 2.
Ratio dubitandi. 3.
Decidendi. 4.
Usus hodiernus. 5.

Promisisti mihi librum nudo pacto, nuda pol- 1
licitatione, me non quaerente, sed postea ita

2 stipulatus sum: Si autem librum non dederis,
visne mihi dare tantum, quanti interest, ubi
praestat certam summam exprimere, per *l. fin.
ff. de Praetor. stipul.* librum non das, conve-
nio te post moram ad traendum librum, vel
praestandum interesse, Quaeritur: *An recte?*
3 Videtur quod non, ob rationem dubitandi in
principio positam; scilicet quod ex nudo pacto
nulla actio, ideoque non videris esse in mora,
l. nulla 99. *ff. de R. J.* nisi in perpaucis casi-
bus, ut in promissione dotis, *l. ad exactio-
nem* 6. *supra de promiss. dotis, et l.* 35. *§. fin.
infr. de donat.* inter quos casus exceptos hic
4 praesens non continetur. Sed affirm. quia dum
litem contestari passus et in mora es constitu-
tus, stipulationis conditio est impleta, et sic
commissa est stipulatio, et ideo non ex nudo
pacto, sed stipulatione est actio, Vid. *l.* 14. *et
ibi Wesenb. supr. de pactis. Doctores* hic admo-
dum prolixe laborant in ponendo casu, sed se-
5 cutus sum sententiam *Cujacii*, et cum hodie
ex pactis detur actio vel jure Canonico, vel
consuetudinario, parum utilitatis in foro spirat
haec lex. Conferantur tamen, quae de hac lege
habet *Cephal. cons.* 312. *num.* 21. *et seqq. et
num.* 130.

L. Scire. 6.

SUMMARIA

Ex stipulatione certae quantitatis causa trans-actionis vel alia, datur condictio certi. num. 1.
Si incertam rem stipulor, vocatur actio ex stipulatu. 2.
Nomina harum actionum promiscue usurpantur. 3.
Quaenam stipulationes certae et quae incertae? 4.
An valeat stipulatio si sit error in re? 5.

1 Hoc dicit, quod habetur *pr. Instit. de V. O.*
scilicet quando stipulor transactionis causa vel
alia, 100. sive quantitatem certam, seu spe-
ciem certam, ut hunc equum, datur inde
2 actio, quae vocatur condictio certi: Quando
autem rem incertam, ut genus v. g. equum,
vel factum aliquod stipulor, quod ob interesse
est incertum, tunc datur actio, quae in spe-
3 cie vocatur actio ex stipulatu. Quamvis etiam
condictio certi interdum actio ex stipulatu vo-
cetur, *d. l.* 14. *supra de pactis, et l.* 83. *§.* 6.
ff. de V. O. Et actio stipulationis, *l.* 77. §. 9. *de
leg.* 2. generaliter scil. accepta voce actionis,
4 ex stipulatu. Quaenam autem stipulationes sint
certae et quae incertae docet *Auctor in l.* 74.
5 *ff. de V. O. num.* 1. Quid si error in re occurrat,
an adhuc valet stipulatio? *Auctor in l.* 83. *ff.
d. t. num.* 1.

L. Neque tutoris. 7.

SUMMARIA

An impuberes stipulari possint? num. 1.
An infantiae proximi? 2.
Puberes et adulti sine curatorum consensu valide stipulantur. 3.
Quoties actus vel contractus in alicujus favorem certam summam requirit, licet ea neglecta actus ipso jure nullus, valet tamen si velit ille, cujus favore ea forma est introducta. 4.
Aurea haec regula nonnullis habetur. 5.

Cum impuberes stipulari possint sine tutoris 1
auctoritate, *l. ult.* §. 2. *ff. de V. O.* §. 9. *in fin.
Inst. de inutil. stipul. l.* 9. *ff. de auct. tut.*
maxime si infante majores sint (quamvis ex 2
utilitate eorum placuerit, ut etiam infantiae
proximi sibi stipulari possint, §. 10. *Inst. de inu-
til. stipul.*) quorum ratio est in *princ. Inst.
de aut. tut.* minus dubitandum est de pube- 3
ribus et adultis, quod sine curatorum consen-
su sibi stipulari possint, cum etiam obligari
possint, *l. puberes* 101. *ff. de V. O. ibique Auctor*
de quo vid. supra not. ad *l.* 3. *C. de restit.
minor.* Collige: Quoties actus vel contractus in 4
alicujus favorem requirit certam formam, li-
cet ea neglecta actus ipso jure sit nullus, ta-
men si velit ille, cujus favore illa forma est
introducta, debeat valere, *hic et l. non eo mi-
nus C. de procurat.* et ibidem *Jason.* et hanc 5
regulam auream esse scribit ibidem *Sichardus
num.* 4. *Besoldus cons.* 29. *num.* 86. *Tiraq. de
retr. consang.* §. 1. *Gl.* 13. *num.* 25. *Sanchez
de matrim. lib.* 6. *d.* 38. *num.* 9. Vid. not. ad
l. non eo minus. 14. *C. de Procur.*

L. Non moriturum. 8.

SUMMARIA

Facti species. num. 1.
Impossibilium nulla est obligatio. 2.
An si pro promisso Sticho morituro 20. florenos promiserim, recte ex stipulatione agere possim? 3.
Ratio dubitandi. 4.
Decidendi. 5.
Res post interitum in stipulationem potest deduci quoad aestimationem. 6.
Sensus verborum, post mortem. 7.
Quando id quod promissum partim licitum, partim illicitum, partim possibile, partim impossibile, is, qui promisit, partem licitam et possibilem implere tenetur. 8.

Promisi tibi Stichum servum, et cum quidem 1
non moriturum ante traditionem promisi, aut
si moriatur, promisi 20. florenos. Prima pars
stipulationis est inutilis, quia continet id, quod
a me praestari nequit, impossibilium enim nul- 2
la obligatio, *l.* 69. *ff. h. t. l.* 135. *ff. de R. J.*
Sed quaeritur: *An ex altera parte stipula- 3
tionis agere possim?* Videtur quod non: 4
quia utile per inutile videtur vitiari: Sed ne- 5
gatur hic, quia utile non vitiatur ab inutili,
quando unum ab altero separari potest, *l.* 9.
l. 20. *l.* 19. *ff. de usuris etc.* Colligitur ex *hac
lege:* Rem post interitum in stipulationem de- 6
duci posse, scil. quoad ejus aestimationem; nam
res debita potest in stipulationem deduci, et
sic illa verba, *post mortem*, intelligo, si vivum 7
servum post ejus mortem stipulor, scil. aesti-
mationem. Nam si haberent verba hunc sen-

sum, quod mortuo servo eum stipulatus fuerim, subaudiendum esset, eum esse furtivum, vel alterum ante servi mortem in mora restituen-
8 di fuisse, *Cujac. hic.* Colligitur etiam: Quando id, quod promissum est, partim licitum, partim illicitum est, vel partim possibile, partim impossibile, tunc eum, qui promisit, teneri implere partem licitam et possibilem, *Molina de J. et J. tr.* 2. *d.* 271. *num.* 4.

L. Si quidem. 9.

SUMMARIA

An stipulatio ob metum interposita sit rescindenda? num. 1.
Deciditur per distinctionem et subdistinctionem. 2.
Cui damus actionem, multo magis exceptionem. 3.

1 Quaestio hic tractatur de stipulatione, ob metum interposita, et quaeritur: *An sit rescin-*
2 *denda?* Distinguitur autem inter metum cruciatus et mortis, ut ille vitiet stipulationem semper, et metum passus habeat exceptionem, Quod metus causa, *l.* 5. *et seq. l.* 1. *ff. quod metus causa:* Et inter metum accusationis, qui non rescindit contractum; sed subdistinguitur hic, aut ex metu accusationis, ideo aliquid promitto, quia probabilem causam habeo, v. g. in crimine, quod sanguinis poenam irrogat, *l. transigere supr. de transact.* et ibi non rescinditur promissio, quia ibi probabilis causa promissionis, scilicet permissio legis. Sed si cum innocens essem, promiserim tibi, ne contra me calumniosam accusationem institueres, talis promissio et stipulatio ex parte tua turpis et inanis est, et potest promissor exceptione
3 se tueri, cui enim damus actionem, multo magis exceptionem, *l.* 156. §. 1. *ff. de R. J.* jam vero si tibi darem, ne calumniaveris, habeo actionem *l.* 1. *et* 8. *ff. de calumniat.* ergo et exceptionem, Vid. *Goedd. de stipulat. cap.* 6. *concl.* 12. *per totam*, et notata supra ad *tit. de metu, et ad l. transigere C. de transact.*

L. Omnes. 10.

SUMMARIA

Verba inter stipulantem et promittentem nuncupanda olim erant solemnia. num. 1.
Solemnitatem hanc substulit Imperator. 2.
Jus hodiernum. 3.

1 Verba, quae inter stipulantem et promittentem nuncupanda sunt, olim erant solemnia, v. g. spondes? spondeo; promittis? promitto; fidejubes? fidejubeo, §. 1. *Instit. de V. O.* Sed
2 Imperator hic verborum solemnitatem tollit, et requirit tantum sensum verborum consonantem, ex utraque parte, quibuscumque verbis ille declaretur, modo interrogationi apte respondeatur, §. 5. *Instit. de inutil. stipul.*
3 *Auctor in l.* 5. *ff. h. t. num.* 7. Sed haec non curantur hodie, quia nec interrogatio requiritur.

L. Scrupulosam. 11.

SUMMARIA

An post mortem vel pridie quam moreretur, stipulari quis sibi possit? num. 1.
Post mortem haeredis et legatarii iis potest legari. 2.
Pro filiis stipulans non statim haeredibus prospexisse videtur. 3.

Olim post mortem suam, vel pridie quam 1
moreretur, nemo stipulari poterat, tum quia post mortem nemo acquirit, tum quod tempus mortis incertum esset, sed sicut placuit, ut post 2
mortem haeredis et legatarii iis legari posset, §. 35. *Inst. de leg.* ita etiam receptum, ut post mortem quis sibi stipulari posset, *hic et* §. 13. *Inst. h. t.* quia sic videtur haeredibus stipulatus, quod jure fieri potest, *l.* 38. §. 12. *ff. h. t. l.* 33. *ff. de pact. l. un. supra ut actiones et ab haered. etc. et ibi not. Donell. enucl. lib.* 12. *c.* 17. *lit. G. Auctor in l.* 45. *ff. h. t. num.* 1. *et* 3. Sed si 3
pro filiis stipuletur, non videtur statim haeredibus prospexisse, Vid. *Jo. Petr. Surdus decis.* 322. *Auctor in d. l.* 45. *ff. h. t. num.* 3.

L. Magnam. 12.

SUMMARIA

Facti species. num. 1.
An ex stipulatione certae rei, adjecta poena, si statuto die non solvatur, sine interpellatione ad poenam quis agere possit? 2.
Ratio dubitandi. 3.
Decidendi. 4.
Mora ex persona regulariter interpellationem creditoris saltem extrajudicialem requirit. 5.
Alia mora in re. 6.
Quando dies et poena in obligatione est, purgatio morae non admittitur, sed dies pro homine interpellat. 7.
Quoties in obligationibus dies non adjicitur, praesenti die debetur. 8.

Promisisti mihi stipulanti, te mihi soluturum 1
decem proximo primo Januarii, aut nisi solveris, poenam addis, te mihi daturum duplum; Sed cum te non interpellarem, die statuto non solvis, Quaeritur: *An lapso die agere possim* 2
ad poenam? Videtur quod non, quia mora non 3
contrahitur, nisi interpellatione, *l. mora* 32. *ff. de usuris;* sed Affirm. nam aliud est mora 4
ex persona, quae regulariter requirit interpel- 5
lationem creditoris, saltem extrajudicialem, *l.* 23. *et* 21. *ff. de usuris;* alia est mora in re, 6
l. 26. §. 1. *ff. de fideicommissar. libertatibus*, quae fit ex solo tempore tardae solutionis, *l.* 3. *C. in quib. causis in integr. restit.* Et haec fit, cum dies obligationi adjectus, qui interpellat pro homine, *l.* 77. *ff. h. t. l.* 23. *ff. de O. et A.* adeo ut si poena adjecta, mora illa non possit purgari celeri satisfactione, per *legem hanc; Doctores hic et Hillig. in Donell. lib.* 9. *c.* 15. *lit. J.* Nam quando dies et poena 7
in obligatione est, purgatio morae non admit-

titur, sed dies interpellat pro homine, *Trentac. lib.* 3. *resol.* 33. *tit. de solut. Myns. c.* 3. *obs.* 95. *Bart. Bald. Salyc. hic*, et *Salyc. in tr. de mora q.* 2. *princ. concl.* 6. *num.* 7. *et seq. Goedd. de stipul. c.* 11. *concl.* 7. *num.* 112. *Arumaeus de mora c. ult. n.* 8. *Hartm. Pistor. obs.* 222. *Kahl. exerc.* 15. *Trentacinq. lib.* 3. *tit. de solut. resol.* 33. *Bolognett. in l.* 5. *insulam ff. de V. O. Georg. Schultz. in tractat. de oblation. c.* 6. *num.* 10.
8 vers. *tertio casu etc.* Quoties autem in obligationibus dies non est adjectus praesenti die debetur, *Auctor in l.* 41. *ff. h. t. num.* 2.

L. Veteris. 13.

SUMMARIA

Quaenam stipulationes olim in haeredes et contra haeredes descenderint? num. 1.
Exemplo declaratur. 2.
Quid Justinianus *hac in parte constituerit?* 3.
Ad rationum redditionem earum explicatio et residuorum datio requiritur. 4.
Ratio Constitutionis Justiniani. 5.
Omnis contractus ita celebratus intelligitur, ut haeredes includantur etiam eorum mentione non facta, sive obligatio consistat in dando, sive in faciendo. 6.
Si factum est individuum, contra unum agitur in solidum. 7.
Limitatur. 8.
Jus conditionis potestativae implendae ad haeredem non transit, licet ipsa stipulatio alias transeat. 9.
Si haeres suum factum promisit, an ipsi noceat defuncti factum? 10.
Obligatio personalis ad haeredem non transit. 11.
Si pactum est facti negativi, pactum ad haeredes, nisi eorum facta sit mentio, transire non potest. 12.
Secus in pacto facti affirmativi. 13.

1 Ante Justinianum stipulationes dandi descendebant tantum in haeredes, et contra haere-
2 des, sed non stipulationes faciendi, v. g. si stipularer, vis mihi promittere iter, hoc factum ab haerede tuo non poteram exigere, ratio illius erat; quia non possibile videbatur, ut factum ab alio compleretur, quod alii impositum est, cujus juris vestigium est in *l.* 46. §.
3 1. *ff. h. t.* Sed Justinianus hic constituit, ut etiam in haeredes stipulantis et promissoris transeat promissio seu obligatio, non tantum, quae in dando, sed et quae in faciendo consi-
4 stit, et mixta v. g. ut rationes reddas; ad redditionem enim rationum, et factum, id est, explicatio rationum, et datio residuorum requiritur. Et superiorem rationem dubitandi Imperator vocat scrupulositatem supervacuam.
5 Additque hanc rationem suae Constitutionis; quod facta ab uno promissa etiam ab alio, vel plus, vel paulo minus, vel pariter expediri possint, quia defunctus cum haerede videtur eadem persona. Unde communiter probant ex
6 *hac lege:* Omnem contractum ita celebratum intelligi, ut haeredes includantur, etiam eorum mentione non facta, sive obligatio consistat in dando, sive in faciendo, *Tal. Franc. de fidejuss. cap.* 5. *num.* 70. *Mod. Pist. vol.* 1. *cons.* 1. *q.* 2. *num.* 30. *Colerus de process. execut. part.* 1. *c.* 10. *num.* 312. *Besoldus consil.* 35. *Goedd. de stipul. cap.* 9. *concl.* 7. *per totam*, *Donell. enucl. lib.* 12. *c.* 17. *post lit. K. Gail. lib.* 2. *observ.* 2. *num.* 10. Sed si factum 7
sit individuum contra unum agitur in solidum, *l.* 2. §. 2. *ff. h. tit. ibique Auctor num.* 3. *l.* 25. §. 10. *ff. famil. hercisc.* Excipe tamen; nisi ta- 8
lia facta sint, quae per alium explicari non possunt, et ubi industria personae electa, *argumento l. un.* §. 9. *ff. de caduc. tol.* Ergo si haeres possit implere factum sicut defunctus, habet lex haec locum, *Cephal. cons.* 630. *num.* 15. nec per *hanc legem* sublatam volunt sen- 9
tentiam illam, quod jus conditionis potestativae implendo non transeat ad haeredem, licet ipsa stipulatio alias transeat, per *l. si decem cum petiero* 48. *ff. h. t. Gail. l.* 2. *obs.* 2. *num.* 3. *Covarr. pr. q. c.* 39. *num.* 6. *Anton. Matth. ad l.* 48. *ff. tit.* 18. *c.* 2. *num.* 15. Sed si haeres 10
suum factum promisit, an ipsi noceat factum defuncti, videatur, *Mantica de tac. et amb. convent. lib.* 14. *c.* 33. *num.* 9. nec transit ad 11
haeredem obligatio personalis, quod ex verbo (ipse) colligitur *Cephal. cons.* 43. *num.* 16. Sed si pactum sit facti negativi, non transit 12
hoc pactum ad haeredes, nisi eorum facta sit mentio, et *haec lex* itaque de pacto facti affir- 13
mativi intelligenda est, sicut tradit post alios *Cephal. cons.* 352. *num.* 9. *et* 37.

L. Si quis. ult.

SUMMARIA

Casus legis. num. 1.
An aedificatio stipulanti h. m. cum moriar *promissa, ab haerede promittentis post mortem hujus perfici debeat?* 2.
Obligationes tam in dando, quam faciendo haeredem promissoris obligant. 3.
Sicut promissio dandi facta, cum promittens morietur valeat, ita promissio facti, licet in tempus mortis collata. 4.
Sensus potius, quam verba in contractibus est extendendus. 5.

Ex iis, quae ad *l.* 13. dicta sunt, patet etiam 1
explicatio *l. ult.* v. g. promisi tibi stipulanti, me aedificaturum tibi domum cum moriar: Quaeritur, *An aedificatio ab haerede meo post* 2
mortem meam perfici debeat? Et resp. ex dictis quod sic: nam licet haeredis hic nulla facta mentio, haec tamen mens contrahentium fuit; quis enim tali animo faceret stipulationem, ut putaret tantum aedificium posse uno momento horae extolli, vel eum, qui moritur, talem habere sensum, quod ipse sufficeret ad operis extructionem, nemo enim tam stultus? et sicut 3
igitur obligationes in dando haeredem promissoris obligant, ita etiam in faciendo. Et idem vult observari Imperator in legatis, v. g. si testator dicat, haeres, cum morietur, aedificet Titio domum, est eadem ratio, quae in textu: *Nemo tam stultus etc.* Unde colligit *hic Baldus Salyc. et alii:* Sicut promissio dandi facta cum 4
promittens morietur, valet, ita promissio facti licet in tempus mortis collata, quia sensum magis spectamus, quam verba, et ubi sententia contrahentium aperta, de verbis non curamus, *Wesenb. cons.* 41. *num.* 160. Sensus potius, 5
quam verba in contractibus attendendus, *l.* 3. §. 9. *ff. de adim. leg. l.* 6. §. 1. *ff. de contrah. empt.*

TITULUS XXXIX.

De inutilibus stipulationibus.

SUMMARIA

L. Ex stipulatione. 1.

Impubes an et quatenus stipulanti promittere queat? num. 1.
Infante major promittens naturaliter obligatur, sine tamen obligatione civili. 2.
Limitatur. 3.

1 Impubes, etsi major infante sit, non tamen potest stipulanti promittere, sine tutoris auctoritate, §. 9. *et* 10. *Inst. h. t. pr. Inst. de auct.*
2 *tut. l.* 9. *pr. ff. de V. O.* Sed obligatur infante major naturaliter, sine tamen obligatione civili, *l.* 127. *ff. de V. O. l.* 23. *de O. et A.*
3 §. 3. *Inst. quibus modis toll. obl.* nisi per errorem promittat, cum putaret aliquid ex alia causa se debere, cum revera nullo modo debeat, vel obligatur naturaliter quantum ad alios v. g. fidejussores, non si personam ejus respiciamus, nam solutum repetit, *l.* 41. *ff. de condict. indeb. l.* 59. *ff. de oblig. et act. l.* 25. §. 1. *ff. quando dies leg. cedat. l.* 1. §. *ult. ff. de novat. Donell. lib.* 12. *c.* 22. *Molina tr.* 2. *de J. et J. d.* 224. *num.* 33. *Hahn. ad Wesenbec. in tit. de pact. num.* 5. verbo: *impuberes.*

L. Libera. 2.

SUMMARIA

Conditio, haec ne liceret marito ab uxore divertere, *in jure repudiatur, et cur? num.* 1.
Matrimonia debent esse libera. 2.
Promissio poenae in sponsalibus Jure can. non obligat. 3.
Matrimonia Jure canon. et divino ab initio quidem sunt libera, sed contracta sunt necessitatis. 4.
Omnia matrimonia hodie sub hac conditione tacite contracta videntur, ne liceat divertere. 5.
Divortia Jure naturali, divino et canonico extra causam adulterii, sunt prohibita. 6.

1 Haec promissio vel conditio, *ne liceret marito divertere ab uxore*, repudiatur in jure nostro, quia contra bonos mores, et inhonestum visum fuit in jure nostro, vinculo poenae matrimonia obstringi, sive futura sive jam contracta, *l.* 134. *pr. ff. de V. O. Goeddeus de*
2 *stipulat. c.* 6. *concl.* 13. *num.* 173. Libera enim debent esse matrimonia, *l.* 14 *supra de nupt.*
3 Et ideo etiam Jure canon. promissio poenae in sponsalibus non obligat, per *c. gemma X. de spons. Sanchez lib.* 1. *de matrimonio d.* 30.
4 *Trentac. de matrim. resol.* 2. *num.* 20. Sed Jure divino et canonico matrimonia ab initio sunt quidem libera, sed contracta sunt necessitatis.
5 Et sic hodie dicere possum, omnia matrimonia sub hac conditione tacite contracta videri, *ne liceat divertere*, cum divortia jure naturali, 6
divino et canonico, extra causam adulterii, sint prohibita; sed si quis pacisceretur cum uxore, ne quidem, si uxor turpiter vixerit, marito non licere divertere, tunc illicita conventio, quia dolus futurus remitteretur, *l.* 27. §. 3. *ff. de pactis.*

L. Ut inter absentes. 3.

SUMMARIA

Facti species. num. 1.
Absentes non stipulantur, nec absentibus per stipulationem quid acquiritur. 2.
Quaenam actio in hac facti specie patri detur? 3.
Exempla. 4.
Jure naturali alteri etiam stipulari licet. 5.
Quibusnam casibus etiam jure civili tertio recte stipulemur? 6.

Pater pro filia sua dotem dedit, et dimidiam 1
dotis stipulatus est nepoti suo ex filio restitui, si autem ille nepos in rerum natura non fuerit, Juliano absenti reddi stipulatus seu pactus est, addita poenali stipulatione; in id quanti interfuerit sua, i. e. stipulantis patris, Juliano non reddi. Hic stipulari potuit pater nepoti ex filio, §. 4. *Instit. h. t. in fine.* Sed propter mortem nepotis illa stipulatio fit irrita. Quatenus vero Juliano reddi stipulatus est tamquam extraneo, eatenus ab initio stipulatio irrita, ob §. *alteri* 19. *Instit. h. t.* et quia absentes non stipulan- 2
tur, nec absentibus per stipulationem quid acquiritur, *l.* 3. *tit. praec. Auctor in l.* 1. *ff. de verbor. oblig. num.* 1. Sed aget pater contra 3
generum ob interesse, quod sua interesse putat, coram Judice, ut id taxet Judex, nam si stipulatoris interest, potest ille alteri stipulari, v. g. si alteri tenebatur, sed sic non alteri, sed sibi in effectu videtur stipulatus, licet verbotenus alteri stipuletur, *Bacchov. in Treutl. vol.* 2. *d.* 27. *th.* 2. *lit. F. Carpz. p.* 2. *constit.* 33. *def. ult. Anton. Gabriel. lib.* 3. *comm. concl. tit. de V. O. concl.* 1. *num.* 53. 56. *et seqq. num.* 63. *et num.* 105. ubi exempla hujus rei 4
habet *Goeddus tr. de stipulat. c.* 37. *num.* 37. *Christinaeus vol.* 1. *dec.* 177. *num.* 7. Et hoc extenditur, etiamsi interesse ex post facto accedat, Vid. *Mantica de tac. et amb. convent. tom.* 2. *lib.* 11. *tit.* 28. *num.* 4. *et seqq. Vasq. lib.* 3. *cont. c.* 58. *num.* 31. *Tiraq. de retr. consang.* §. 1. *gl.* 9. *num.* 132. de quo dubitat tamen *Hillig. in Donell. lib.* 12. *c.* 17. *lit. A.* nec immerito, ut videtur per *l.* 17. §. 4 *ff. de pactis.* Sane juri naturali convenientius esse videtur, 5
alteri licere stipulari, 1. quia omnium interest, alios beneficio a nobis affici, et si alteri depositi actionem, item mutui, item empti actio-

nem, *l.* 3. *C. si quis sibi vel alteri etc.* certe non video rationem, cur non alteri etiam stipulari possim, licet mea non intersit specialiter. Et cur non liceat alteri negotium a me ipsius gratia gestum ratum habere? Sane in foederibus et pacis contractibus multa de jure tertii exprimuntur, scilicet hunc vel illum recipiendum esse in foedus, si voluerit, ubi si quis civile jus allegaret, non licere alte-
6 ri stipulari, mea opinione rideretur; quibus casibus autem jure civili liceat tertio stipulari, recensui in notatis ad *l. stipulatio ista* 38. *num.* 7. *et seq. ff. de verb. obl.* ubi etiam nonnullas limitationes hinc inde subnecto.

L. Ex eo instrumento. 4.

SUMMARIA

Turpia legibus prohibita nec per stipulationem promitti possunt, nec promissa sunt servanda. num. 1.
Exemplum est in pactis de futura successione. 2.
Successiones stipulationibus vel pactis constringi nequeunt. 3.
Nulla conventione vel contractu quis facultatem testandi sibi praeripere potest. 4.
Ea, quae sunt contra bonos mores, in pactum deduci nequeunt. 5.
Neque ejusmodi promissio jurata est observanda. 6.
Ampliatur. 7.
Exempla subjiciuntur. 8.

1 Omnia, quae turpia sunt, et a legibus prohibita, per stipulationem non promitti possunt, si autem promissa sunt, non sunt servanda,
2 *Auctor in l.* 26. *ff. h. t.* Exemplum hic est in pactis de futura successione, *l.* 6. 19. *et ult.*
3 *supr. de pact. l.* 34. *supra de transact.* Successiones enim stipulationibus vel pactis constringi nequeunt, quia plena tristissimi eventus, ominosa et odiosa talia pacta sunt, *d. l ult.*
4 Unde probatur: nulla conventione vel contractu quem sibi praeripere posse facultatem testandi, *hic et l.* 15. *supra de pact. Ant. Faber in Cod. lib. tit.* 5. *def.* 15. *Carpz. p.* 3. *const.* 5. *def.* 19. *num.* 8. *et def.* 22. *in fin. Hillig. lib.* 12. *c.* 21. *lit. T.* Vid. not. supra *ad tit. de pactis ad l.* 15. *et l. ult. etc.* Vide etiam *Aucto-*
5 *rem in l.* 61. *ff. h. t.* Nota etiam ea, quae contra bonos mores sunt, in pactum deduci non posse, de quo *Donell. lib.* 11. *c.* 21. *post lit. B.*
6 *Zasius in l.* 26. *ff. de V. O.* Sic etiam promis-
7 sio jurata non observanda, licet tantum pecca-
8 tum in omittendo contineat, v. g. se cum patre non locuturum, *c.* 12. *X. de jurispr. Panorm. in c.* 8. *d. t. num.* 3. et ibidem *Butrigus;* sic si qua uxor promittat, se non cohabitaturam marito, *c.* 24. *h. t.* item de non fidejubendo *Covarr. in c. quamvis p.* 1. §. 6. *num.* 18. *Menoch. rem.* 1. *recup. poss. num.* 289. *Guttierez de juram. p.* 1. *quaest.* 72. *num.* 5. *et seqq.* Vide *Auctorem in l.* 134. *et* 135. *ff. de V. O.* ubi adhuc alia subjicit exempla.

L. Dolo. 5.

SUMMARIA

Inter dolum in contractibus bonae fidei et stricti juris adhibitum quidnam intersit? num. 1.
Exemplis declaratur. 2.
Si causa stipulationis falsa vel injusta, ipsa etiam stipulatio erit invalida. 3.
Idem, si cum aliter convenisset obligari, aliter per machinationem tuam obligatus sim. 4.

Hoc interest inter dolum adhibitum in con- 1
tractibus bonae fidei, et stricti juris, ut in illis ipso jure perimat contractum, his ope exce-
ptionis. Hinc ergo si dolo vel metu induxeris 2
me ad promittendum, valet quidem promissio ipso jure, sed possum tibi exceptionem doli et metus opponere, §. 1. *Instit. de except. et l.* 1. *Si quis cum aliter* 36. *ff. de V. O. ibique Auctor num.* 1. *Goedd. de stipul. cap.* 3. *concl.* 7. *per totam Wesenb. consil.* 65. *num.* 10. *Card. Mantica de tacit. et amb. convent. lib.* 1. *t.* 9. *num.*
24. *Zang. de except. p.* 3. *c.* 13. *num.* 12. Sic 3
si injusta vel falsa causa stipulationis, stipulatio est invalida, *l.* 2. §. 13. *de doli et metus exce-*
ptione. Idem est, si cum aliter convenisset 4
obligari, aliter per machinationem tuam obligatus sim, *l.* 36. *ff. de V. O.*

L. Si avia. ult.

SUMMARIA

Casus legis. num. 1.
Deciditur. 2.
Limitatur. 3.
Fundus emptus integer emptori acquiritur. 4.
An jus adcrescendi in contractibus etiam locum habeat? 5.
Quando quis sibi et alii stipulatur, partem sibi, nihil alii acquirit. 6.
Nisi ipse solus mutuum dederit aut rem emerit. 7.

Avia mea dedit tibi mutuo 100. flor. et red- 1
di eos stipulata est sibi vel Eustolio extraneo
cuidam. Haec stipulatio quatenus in Eustolii 2
personam concepta, est inutilis, *d.* §. 4. *Instit.*
h. t. ubi ratio; nisi ipse Eustolius sibi stipula- 3
tus sit, sibi reddi partem illius summae, alias enim integra summa debetur aviae, quia hic numeratio praecessit, per *l.* 3. *tit. praeced.* Nam si haec non praecessisset, dimidium tan-
tum peteret avia, *d.* §. 4. Diversum obtinet in 4
emptione, ubi fundus emptus non extraneo quidem, sed integer emptori acquiritur, *l. fundus* 46. *ff. de contrah. vend.* quia ibi dimidiam inique retineret venditor, ut qui totius fundi pretio fruitur, ex quo nonnulli volunt
colligere exemplum, ubi in contractibus est 5
jus adcrescendi, quando promissoris interest, *Tiraq. de retr. consang.* §. 23. *gl.* 1. *num.* 5. *Fabianus de Monte de empt. c.* 3. *princ. q.* 12. Sed melius *Hillig. in Donell. lib.* 7. *cap.* 12. *lit. L.* qui inutilem dicit esse adjectionem ex-
tranei. Ergo quando quis sibi et alii stipulatur, 6
partem sibi, nihil alteri adquirit, nisi ipse so- 7
lus mutuum dederit, aut rem emerit.

TITULUS XL.

De duobus reis stipulandi, et promittendi.

L. Si duo. 1.

SUMMARIA

Sensus legis. num. 1.
Qualis obligatio, talis exinde actio fluit. 2.
Lex haec est spuria quaedam et quae magis portenta habet quam verba. 3.

1 Sensus forte legis est; re tradita, si convenerint duo, et stipulati sint sibi vicissim aliquid in solidum dari, vel ipsam rem tradi, singuli agunt in solidum, vel si duo eamdem rem promiserunt, singuli tenentur in solidum, *Auctor in l.* 2. *ff. h. t. num.* 1. cujus ratio ex natura
2 obligationis fluit, qualis enim obligatio talis
3 exinde fluit actio. Sed *legem hanc* spuriam esse notat *Cujac.* ut quae potius portenta habeat, quam verba, *ad hunc tit. et lib.* 5. *obs.* 35. hinc *Glossa, et classici interpretes hanc legem* non cognoscunt, parum ergo soliciti erimus de genuino ejus sensu. Unde legem sequentem solent dicere primam, alias secundam, *Thesaur. lib.* 4. *q.* 49. *num.* 4.

L. Creditor. 2. et Auth. Hoc ita.

SUMMARIA

Duae hujus legis *partes. num.* 1.
Si duo correi sunt debendi, qui ad eamdem summam se obligant, tunc contra singulos in solidum creditor agere potest. 2.
An huic per Authent. seq. *sit derogatum?* 3.
Jus vetus. 4.
Jus Novellarum, *et quid in eo mutatum?* 5. 6.
An sufficiat, si appareat contrahentes in solidum se obligare voluisse, licet id expresse non dixerint? 7.
In dubio quid juris? 8.
An etiam, si expresse hoc actum, ut ambo teneantur in solidum, alter exceptione divisionis uti possit? 9.
Varia legis *interpretatio.* 10.
De quonam lex *loquatur?* 11.
Si aliter correorum in solidum conventus, solidum solverit, quanam actione partem alterius repetere possit? 12.

1 Duae partes *legis secundae:* In prima dicitur,
2 quando duo sunt correi debendi, qui ad eamdem rem vel summam se obligant, quod tunc contra singulos in solidum creditor agere pos-
3 sit, *Auctor. in l.* 2. *ff. h. t. num.* 1. Sed huic derogari volunt in *Authent. seq.* duobus modis, Vid. *Auctor in d. l.* 2. *num.* 2. *seqq.* Cum an-
4 tea jure veteri duo correi constituerentur, si v. g. creditor dicat, tu Maevii 100. spondes dare? Et singuli separatim respondeant, spon-
deo; per *Novell.* 99. et *hanc Authent.* non ali- 5
ter constitui volunt quidam duos correos debendi, nisi expresse hoc dictum sit, ut singuli in solidum obligarentur. Nam nisi hoc conventum, ipso jure obligationem inter duos compromissores esse divisam vult *Wesenbec. in π ff. h. t. num.* 7. *et ibi Dn. Hahn. et Rittershus. in Novell. p.* 3. *cap.* 6. *num.* 11. sed et hodie
post *Novellam* tacite duos reos constitui posse, 6
plerique volunt rectius, qui quoad modum constitutionis duorum correorum nihil esse mutatum, sed tantum quoad modum exigendi, nam si illud voluisset Imperator, pluribus verbis usus fuisset pro more suo, sed in transitu quasi de modo agit, et dicit tantum hoc adjici debere, duos illos in solidum teneri, in quo omnes consentiunt, nam si hoc non probetur, praesumitur pro parte obligatio, sed hoc tan-
tum in quaestione, an non sufficiat, si appa- 7
reat, contrahentes voluisse in solidum se obligare, licet non id expresse dixerint? Atque hoc affirmant *Salyc. hic num.* 2. *Card. Mantica de tacit. et amb. convent. lib.* 15. *t.* 3. *num.* 13. *Trentacinq. lib.* 3. *de solut. resol.* 34. *num.* 4. *Carpzov. p.* 2. *const.* 17. *def.* 14. *Bacchov. in Tr. vol.* 2. *d.* 27. *th. ult. lit. E.* quando autem tacite duo rei constituantur, de eo Vid. *Mantica*
d. t. 3. *num.* 14. *et seqq.* Sane, in dubio, si 8
verba instrumenti utramque explicationem admittant, ut correi constituti, aut non constituti dicantur, posterior interpretatio potius se-
quenda, *Bacchov. d. l.* Deinde effectus sane mu- 9
tatus est, ut licet expresse hoc actum sit, ut ambo tenerentur in solidum, possit tamen alter, si in solidum conveniatur, si velit, uti exceptione divisionis, et petere, ut dividatur obligatio exemplo fidejussorum, si modo uterque praesens et solvendo sit, cujus contrarium creditori probandum, *Trentac. d. l. num.* 14.
Vid. *Rittershus. in Nov. part.* 3. *cap.* 6. Quam- 10
vis autem cum *Cujac. Donell. in comm. Cod. h. tit. cap.* 13. *num.* 2. *Ronchegallus. in l.* 3. §. *ubi duo num.* 100. *et seqq. ff. h. t.* de correis fidejussoribus, et non de correis in genere *hanc legem* interpretentur, *Doctores*, tamen communiter recte eam generaliter intelligunt, cum Imper. eos, quos ἀλληλεγγύς vocat, postea simpliciter reos appellitet, et ad sanctionem illam
exemplo fidejussorum se decurrere dicat. Ergo 11
hic de fidejussoribus non loquitur, sed correis, exemplo fidejussorum, *Wesenbec. in* ϖ. *h. t. n.* 7. *Carpz. p.* 2. *c.* 17. *def.* 13. *Gomez. lib.* 2. *resol. c.* 12. *Card. Mantic. lib.* 15. *t.* 5. *num.* 83. *Trentac. d. l. num.* 8. *Bacch. d. l. p.* 882. *Hahn. ad Wesenb. d. l.* Quod autem de absente correo hic dicitur, id de eo, qui conditionaliter obligatus est, dicendum est, ut sc. absenti aequiparetur, *Salyc. ad d. Authent. num.* 4. Alterum quod in *lege secunda* habetur, nec immutatum est
illud, quod si alter correorum in solidum con- 12
ventus, solidum solverit (quod etiam hodie

fieri potest, quando exceptionem illam non opponit, *Rittershus. d. cap.* 3. *num.* 8. *et* 9.) tunc qui solvit partem alterius, actione pro socio, si correi sunt socii, aut actione negotiorum gestorum ab altero correo repetere potest. Nam correus qui solvit, partim suum, partim alienum negotium gerit, dum pro alio solvit, negotiorum gestorum actionem habet, si pro eo etiam fidejussit, act. mandati habet, uti autem non fidejussit, act. gest. neg. locum habet, vel actio ex remedio *leg. si me et Titium* 32. *ff. de rebus cred.* Et creditor male recusaret cessionem, cum ejus non intersit, prosit tamen debitori, *Thesaur. lib.* 4. *cap.* 39. *num.* 5. *Bacchov. in Wesenb. d. l. num.* 7. *et ibi Hahnius*, *Carpz. p.* 2. *const.* 17. *def.* 13. *et* 14. *Ant. Thesaurus decis.* 191. *Jo. Petr. Surdus decis.* 308. *Gomez. d. c.* 12. *num.* 3. qui duo distinctiones inter causas lucrativas et onerosas cum quibusdam veteribus male retinent, *Mastrill. dec.* 224. *Ronchegallus in l.* 11. *num.* 47. *ff. h. t. et in l.* 9. §. 1. *num.* 25. *Trentac. d. l. num.* 38. Conf. etiam *Neguzant. membr.* 3. *partis* 5. *n.* 53. *Hering. de fidejus. c.* 27. *parte* 3.

L. Exprimere. 3.

SUMMARIA

Illi quorum obligatio est divisa, ut ipso jure tantum in partem singuli teneantur, pro correis habendi non sunt. num. 1.
Si actum, ut singuli in solidum teneantur, creditori jus electionis competit, ut contra quemcumque agere in solidum possit. 2.
Jus hodiernum. 3.

1 Correi illi non sunt, quorum obligatio est divisa, ut ipso jure tantum in partem singuli teneantur, *hic et l. si divisa* 13. *supra de locat.*
2 *l.* 12. *si cert. pet.* Sed si actum, ut singuli in solidum teneantur, tunc quia creditori jus electionis competit, ut contra unum, quaecumque elegerit, in solidum agere possit; hoc iis per rescriptum adimi nequit, *l. quoties su-*
3 *pr. de precibus Imper. etc.* Sed hodie etiam hoc casu, ut antea diximus, competit ex constitutione generali *Nov.* 99. beneficium divisionis, *Auctor in l.* 11. *ff. h. t. num.* 2.

L. Propter. 4.

SUMMARIA

Casus legis. num. 1.
Quando exceptio non numeratae pecuniae possit opponi, et quando non? 2. 3.
In constitutione correorum hoc actum, ut numeratione uni facta omnes in solidum teneantur, et numeratio forte uni omnium voluntate facta fuit. 4.

1 Mutuo tibi do 100. flor. quam summam mihi stipulanti reddi promiserunt tres, Tu scil. Cajus, et Maevius: Hi duo mihi postea opponunt exceptionem non numeratae pecuniae, quasi non ipsis, sed tibi, numerati sint illi 100. flor.
2 Quaeritur: *An recte?* Neg. nam exceptio non numeratae pecuniae tum tantum opponitur, quando actor agit actione ex credito vel mutuo. Si vero obligatio verbis contracta, vel sti- 3
pulatio interposita, atque ex stipulatu agatur, ut hic, non potest huic actioni opponi exceptio non numeratae pecuniae, *hic et l. adversus* 5. *cum. l. seq. C. de non numerata pecunia*, *Zang. de except. p.* 3. *c.* 14. *num.* 35. *et seq. Trentac. lib.* 3. *de solut. resolut.* 20. *num.* 20.
Hoc enim actum in constitutione correorum, 4
ut numeratione uni facta, omnes in solidum tenerentur, et numeratio forte uni omnium voluntate fuit facta, *l. si non singulis C. si certum pet.*

L. Cum quidam. ult.

SUMMARIA

Correi stipulandi quinam sint, et quinam correi promittendi? num. 1.
An si unus creditor egerit, hic caeteris creditoribus ad interrumpendam praescriptionem tricennalem prosit? 2. 4.
Si unus debitorum correorum agnoverit debitum, an haec agnitio caeteris debitoribus correis ad interrumpendam praescriptionem praejudicet. 3.
Factum unius in hac specie alteri prodesse vel nocere potest. 5.
Alias regulariter obtinet contrarium. 6.
In materia correorum est receptum, ut tale factum, quod ipsam concernit obligationem, correo prosit, et noceat. 7.
An si principalis debitor usuras solverit, et fidejussor vel ejus haeres intra 30 *annos non fuerit interpellatus, hic se praescriptione tueri possit?* 8.
Observantia Camerae Brandenburgicae. 9.

Sive plures sint correi stipulandi, id est, cre- 1
ditores, quibus singulis unam rem promisit unus debitor vel plures, sive etiam sint plures correi promittendi, id est, debitores, qui uni vel pluribus creditoribus tandem rem promiserunt in solidum, saepe sane in his casibus contingebat dubitatio de praescriptione, *An si* 2
unus, v. g. creditor egerit, an, inquam, hic caeteris creditoribus prosit ad interrumpendam praescriptionem tricennalem, quam forte debitor opponit prodesse, vel si unus debitorum correorum agnoverit debitum, *An haec agnitio* 3
caeteris debitoribus correis ad interrumpendam praescriptionem praejudicet? Affirm. Imperator 4
utrumque addita hac ratione, cum ex una stirpe et uno fonte fluxerit contractus, ergo non potest dici, quod ex parte unius valeat, ut alterius parte non valeat, et haec ratio valet, 5
ut factum unius alteri in hac specie prodesse vel nocere possit. Cum alias contrarium ob- 6
tineat regulariter, *l.* 115. *ff. de R. J.* in qua ratio dubitandi. Et receptum est alias in materia 7
correorum, ut tale factum, quod ipsam concernit obligationem, correo prosit et noceat, *l.* 18. *ff. h. t. ibique Auctor. num.* 1. ut solutio, jusjurandum, *l.* 27. *et seq. ff. de jurejur.* acceptilatio, *l.* 2. *ff. h. tit.* quorum ratio est, quia una est omnium obligatio, et quando unus non debet, nec alter debet, *Card. Mantica*

lib. 15. *t. fin. Bacch. in Treutl. vol.* 2. *disp.* 27.
th. ult. lit. F. et Pacius cent. 7. *q.* 24. Confer.
etiam *Wesenbec. circa novationem in hoc tit.*
num. 9. Et *ibi Hahnius-Ronchegall.* in hoc ve-
teres JCtos dissentire tradit in *l.* 3. *ff. h. t. princ.*
num. 40. *A. Faber l.* 11. *conject. c.* 18. Ex
8 hoc textu decidendam esse quaestionem vulga-
rem; an si principalis debitor usuras solverit
et fidejussor vel fidejussoris haeres intra 30 an-
nos non fuerit interpellatus, hic se praescrip-
tione tueri possit? Quod nonnulli negant ex
subtili ratione, quia diversis actionibus obligan-
tur, sc. debitor condictione certi, fidejussor
actione ex stipulatu, vel ille ex mutuo, hic ex
stipulatione; quia tamen ambae actiones reipsa
ex eodem principio et fonte fluunt, et in ef-
fectu ad idem obligantur, nec ulla mora cul-
posa penes creditorem; Et cum ita pronun-
ciatum sciam in *Camera Elect. Brandenburg.*
continuo hanc opinionem sequor, *Covarr. in c.*
quamvis p. 2. §. 11. *num.* 3. *Ant. Gabrielius*
lib. 5. *tit. de praescript. concl.* 3. *num.* 2. *Gail.*
l. 2. *obs.* 18. *num.* 10. *Myns. d. tit.* 4. *obs.* 5.
num. 1. *Dn. Jo. Franciscus Balthasar. tit.* 9.
resol. Bav. 6. *num.* 6. *ampliat.* 2. Et sic re-
spondit etiam Fac. nostra. Videantur ea, quae
alias scrupulose notat *Ronchegallus ad l.* 12. *ff.*
h. t. num. 76. *et seqq.*

TITULUS XLI.

De fidejussoribus et mandatoribus.

L. Si Lysias. 1. et L. Sententia. 20.

SUMMARIA

Damnatus ita, ut omnia bona ejus publicentur, pro mortuo habetur, neminique creditorum tenetur. num. 1.
Si pro parte damnatus etiam pro ea parte aere alieno liberatur. 2.
An etiam fidejussores liberentur? 3.
Exceptio personae rei principalis medullitus cohaerens ad fidejussorem nequaquam porrigitur. 4.
Objectio diluitur. 5.
Debitore ob delictum capite minuto et bonis omnibus vel ex parte publicatis fidejussor non liberatur. 6.

1 Qui ita damnatur, ut ejus bona publicentur,
si omnia publicantur, ille pro mortuo habetur,
l. 20. *h. t.* neminique creditorum suorum te-
2 netur; si pro parte, v. g. dimidia, etiam libe-
ratur pro ea parte aere alieno, *hic et l.* 2. *in-*
3 *fr. de vi publ.* Sed *Anne etiam fidejussores li-*
berantur? Neg. sive omnia bona adimantur ut
in *l.* 20. sive pars ut in *l.* 1. Nam haec excep-
tio est tantum personalis. Vid. *l.* 11. *supra de*
4 *except.* Est enim haec regula certa, quod ex-
ceptio personae rei principalis medullitus co-
haerens, ad fidejussorem nequaquam porriga-
tur, *l.* 7. *in princ. ff. de except.* quam regu-
lam aliquot exemplis declarat *Hering. de fide-*
juss. cap. 27. *p.* 4. *num.* 97. *et seqq.* Est alia
hujus ratio; quia obligatio principalis non pe-
rimitur, sed transit ad Fiscum, qui manet ob-
ligatus, *l.* 2. *C. ad legem Juliam de vi*, *l.* 16.
§. *ult. ff. de his quae ut indign. Donell. et ibi Hilli-*
5 *ger lib.* 16. *c.* 26. *lit. D.* Nec obstat *l.* 4. *ff. si*
quis cautionibus in princ. quia ibi plane impos-
sibile est, principalem sistere. In *lege autem* 45.
§. 11. *ff. de jure Fisci* de alio casu sermo est,
scilicet de eo, qui Fisco ipsi debet, qui cum
liberetur per confusionem, dum ei Fiscus suc-
cedit, non est mirum, si etiam fidejussor libe-
6 retur. Colligitur ergo ex *his legibus;* debitore
ob delictum capite minuto et bonis ejus omni-
bus vel ex parte publicatis, non liberari fide-
jussorem, *M. Ant. Peregrinus de jure Fisci*
lib. 5. *tit.* 1. *num.* 55. *Hering. de fidejuss. c.* 20.
§. 14. *num.* 22. *Sebastian. Guazz. de confisc*
bonorum concl. 15. *num.* 19.

L. Creditori. 2.

SUMMARIA

Facti species. num. 1.
Creditor contra fidejussorem debitoris soluturum agere volens in fidejussorem prius actiones suas reales et personales transferre debet. 2. 5.
Fidejussor ad solutionem, nisi mandet aut cedat ipsi creditor actionem hypothecariam, compelli nequit. 3.
Excipitur. 4.
Ampliatur regula num. 2. *tradita.* 6.
Limitatur. 7.

Creditor, cui debitor caverat pignoribus et 1
fidejussoribus, contra fidejussores agit, sed hi
opponunt exceptionem cedendarum actionum,
ut scilicet creditor prius transferat in fidejus-
sorem pignora et actiones suas reales et perso- 2
nales, *l.* 13. *et* 36. *ff. h. t.* Hoc enim aequum est,
cum fidejussori prosit, creditori vero non no-
ceat, ut qui suum accepit, et de hoc beneficio
Hering. plura *d. c.* 27. *part.* 3. Nisi ergo cedat
vel mandet fidejussori creditor actionem hypo- 3
thecariam, fidejussor ad solutionem compelli
nequit, *l.* 21. *h. t.* Excipitur; nisi pignora e- 4
tiam pro alio debito ipsi obligata, tunc enim
a cedere non teneretur, quippe nondum libe-
rata. Notetur ergo regula: Creditorem teneri
fidejussori soluturo cedere omnia jura sua per- 5
sonalia et realia, *Auctor in l.* 17. *ff. h. t. n.* 1.
quae regula ampliatur a *Neguz. de pign. p.* 1.
membr. 3. *partis* 5. *num.* 32. vers. *tertio prin-* 6
cipaliter: I. Quod hoc verum sit, sive conve-
niatur fidejussor a creditore, sive ipse ultro
agat vel offerat, *Salyc. hic num.* 5. II. Licet
creditor primo acceperit fidejussorem, et po-
stea ex intervallo pro eodem credito acceperit

pignus, *Salyc. hic.* III. Ut si creditor culpa sua non possit cedere jura sua amissa, non teneatur fidejussor solvere debitum, per *l. Stichum* 95. §. *pen. ff. de solut. Neguz. d. l. num.* 36. *Francus de fidejuss. c.* 5. *num.* 480. *Hering. de fidejuss. cap.* 17. *p.* 3. *num.* 13. Cujus exceptiones aliquas recenset *d. l. Neguz.* Sed
7 limitatur ex *hac l.* 1. Si pignora etiam pro debito, pro quo fidejussor non spopondit, sint obligata, nam tunc etiam illud debitum tenetur solvere, *Neguz. d. l. num.* 32. vers. *Secundo amplia:* Sed aliud, postquam fidejussor spopondit, debitor idem pignus pro alio debito, pro alio obligavit creditori, quia tunc sufficit, quod offerat primum debitum, *Neguz. d. l. num.* 34. Multo minus tenetur solvere debitum chirographarium, quia *lex unica C. etiam ob chirograph. pecuniam pignus etc.* locum tantum habet contra debitorem, qui in dolo est, quod suum licet chiroprapharium debitum nolit solvere, sed secus in fidejussore, *Cynus hic num.* 3. *Neguz. d. num.* 34.

L. Non recte. 3.

SUMMARIA

Duae legis partes. num. 1.
Secundae partis species. 2.
Quaestio inde deducta: An beneficium divisionis competat uni fidejussorum illorum, si in solidum conveniantur? 3.
Ratio dubitandi. 4.
Nulla verba in contractu otiosa esse debent. 5.
Si plures fidejussores dantur, ipso jure in solidum obligantur, licet hoc expresse non sit dictum. 6. 13.
Contrarium constituit Imperator, et fidejussori omnino beneficium divisionis tribuit, si caeteri sint solvendo. 7.
Expressio eorum, qui tacite insunt, nihil operatur. 8. 14.
An renunciatio beneficii divisionis jure civili inducatur per haec verba, quod fidejussores in solidum se obligent (einer fur alle.) 9.
Sententia Auctoris. 10.
Heringius *notatur.* 11.
Clausula haec, quod se ut principalem constituat, non tollit beneficium excussionis. 12.

1 Duae sunt partes legis; de prima dicetur mox
2 in *l.* 5. *et Auth. praesente,* secunda pars habet hanc speciem: creditor quidam accepit duos fidejussores, et quidem hoc expresso addito pacto ut singuli in solidum conveniantur;
3 Quaeritur: *An beneficium divisionis competat uni fidejussorum illorum, si in solidum conveniantur?* Et alias omnino competeret, quando litis contestatae tempore alter fuit solvendo, §. 4. *Inst. h. t. Auctor in l.* 26. *ff. h. t. num.* 1. et non est inficiatus debitum, *l.* 10. §. 1. *ff.*
4 *h. t.* Sed videtur hoc pactum id operari, ut
5 renuuciatum sit huic beneficio, quia verba nulla debent esse otiosa in contractu, jam vero si beneficium divisionis ipsis indulgeretur, haec
6 verba nihil operarentur. Nam alias, si plures fidejussores dantur, ipso jure in solidum obligantur, licet hoc expresse non dictum (nec enim hoc per *Auth. hoc ita tit. praeced.* mutatum; Nam duo rei debendi principales pro parte se obligant, quatenus accipiunt pecuniam, sed fidejussores singuli intercedunt, pro eo, qui in solidum est obligatus). Sed negat 7
Imperator, et omnino fidejussori tribuit beneficium divisionis, si caeteri solvendo, quia ista conventio nihil addit contractui, ergo habetur pro supervacua; Supervacua autem adjecta nocere non solent. Expressio enim eorum, quae 8
tacite insunt, nihil operatur. Atque sic verissimam esse puto, etiam inspecto jure civili, sententiam, quod renunciatio beneficii divisio- 9
nis non inducatur per haec verba; quod fidejussores in solidum se obligent (*einer fur alle*), per tradita *Molleri p.* 2. *Constit. Elect.* 17. *Carpzovius p.* 2. *constit.* 17. *def.* 6. sed jure civili aliud esse putat, *num.* 7. Sed mihi non est dubium, illam sententiam, qua- 10
tenus jure civili aliud esse putant, manifeste cum hoc textu pugnare, ubi expresse dicitur, licet adjectum sit in obligatione, ut singuli in solidum tenerentur, nihil tamen hanc rem mutare constitutionem Hadriani, ut ait *Bacchovius d.* 29. *th.* 5. *lit. C. et D. pag.* 952. *Pruckmann. vol.* 1. *cons.* 8. *num.* 216. *Carpzov. part.* 2. *const.* 17. *def.* 9. *Dn. Manzius de fidejuss. cap.* 9. *num.* 9. licet *Berlich. p.* 2. *concl.* 22. *n.* 52. dicat, jure communi non dubitare licere, sed ego dubito non tantum, sed eam sententiam cum *hac lege* pugnare puto. Et facile posset *Heringii* 11
rationibus responderi, quin etiam aliam sententiam *Heringii,* qua dicit, Fidejussorem, qui se ut principalem constituit, non gaudere beneficio excussionis, non ex *hac ipsa lege,* sed ex argumento ejus, refutari posse puto. Sicut 12
enim illa clausula non tollit beneficium divisionis, sic etiam clausula haec, quod se ut principalem constituat, non tollit beneficium excussionis, ut argumentatur *Bacch. d. l.* sed de hoc alibi. Colligitur ex *hac lege:* Plures fidejussores 13
sua natura in solidum obligari, *hic et* §. 4. *Inst. h. t. Baldus hic.* Et demum colligitur: Expres- 14
sionem eorum, quae tacite insunt, nihil operari, *Baldus hic Ant. de Burgos in c.* 2. *X. de rescript. num.* 99. et quos allegat *A. Barbos. lib.* 5. *cap.* 36. *axiom. ult.*

L. Novatione. 4.

SUMMARIA

Obligatio fidejussorum tollitur, si novationem facit creditor. num. 1.
Ratio. 2.
Novatio solutioni est similis, si scil. expresse hoc actum, ut novetur obligatio. 3.
Limitatur. 4.
Novatio si non exprimitur per secundam obligationem, fidejussores non liberantur. 5.
Limitatur. 6.

Novationem si faciat creditor, tollitur obliga- 1
tio fidejussorum, *hic et l.* 60. *ff. h. t.* quia no- 2
va obligatio etiam pignus liberat, *l.* 18. *ff. de novat. et in l. un. supr. etiam ob chirograph. pecuniam pignus ec.* quia novatio solutioni similis 3
est, *l.* 31. §. 1. *ff. de novat.* si scilic. expresse actum hoc, ut novetur obligatio, *l. ult. ff. de novat.* nisi fidejussores in nova obligatione de no- 4

vo se obligent, *d. l.* 60. *et hac l.* 4. nisi etiam
novatio facta sit citra praejudicium priorum
jurium, et fidejussionum, *Gratus resp.* 126.
num. 8. *Hering. de fidejus. c.* 20. §. 3. *num.*
13. *Valent. Franc. de fidejuss. c.* 5. *num.* 114.
5 *et seqq.* Alias si novatio non exprimatur, per
secundam obligationem fidejussores non sunt
6 liberati, *Gail. lib.* 2. *obs.* 30. *num.* 6. nisi ideo
accipiatur pignus, ut fidejussor dimittatur, li-
cet non reperiatur verbum novationis, sed ta-
men obligatio pignoris surrogetur in locum
prioris obligationis. *Mevius p.* 4. *decis.* 81. et si
semel liberati, citra suum consensum et sine
suo facto non reincidunt in priorem obligatio-
nem, licet hoc inter debitorem et creditorem
ex post facto placuerit, *Mevius p.* 4. *decis.* 82.

L. Jure nostro. 5. et Auth. Praesente.

SUMMARIA

Creditori principalem debitorem vel fidejussorem, quem velit, eligere licet. num. 1.
Ratio. 2.
Aliud constituit Imperator, et fidejussori dedit exceptionem excussionis. 3.
Ratio hujus Constituti. 4.
Haec exceptio in aliis etiam casibus datur. 5.
Quatenus haec exceptio fidejussori non competat? 6. 7. 8.
An huic beneficio renunciari possit? 9.
An iste, qui se ut principalem constituit, beneficio tacite renunciasse videatur. 10.
Verba, Als selbst - schuldige, *quid operentur?* 11.

1 Per *legem* 3. *in pr. et l.* 5. *et* 19. *et* 21. *h. t.*
licitum est creditori eligere principalem debi-
2 torem vel fidejussorem, quem velit, quia fi-
dejussor pure sine conditione se obligavit pro
principali, nisi specialiter initio contractus aliud
3 convenerit, *d. l.* 19. *h. t.* sed Imperator in
Nov. 4. constituit, ut fidejussor possit op-
ponere exceptionem excussionis, et petere,
ut prius excutiatur principalis debitor, cujus
4 causa est aequitas ne fidejussori officium suum
humanitatis sit damnosum, neque magna jactura
est creditoris in mora modici temporis, *l. si de-*
5 *bitori ff. h. t. et l.* 21. *ff. de judic.* quae exceptio,
vel beneficium excussionis in aliis etiam casibus
datur, *Carpzovius part.* 2. *c.* 18 *d.* 17. *Ritter-*
shus. in Nov. p. 3. *c.* 2. *num.* 28. Sed exceptio
6 haec non competit fidejussori, si debitor prin-
cipalis absens, quo tamen casu a magistratu fi-
dejussori desideranti spatium dandum, intra
quod principalis debitor possit a fidejussore
exhiberi, *Rittershus. in Novell. p.* 2. *c.* 2. *num.*
7 21. *Carpzovius d. c.* 18. *d.* 11. Eadem ratio,
si principalis sit difficilis excussionis, ut Prin-
ceps vel Fiscus, *Carpz. d. c.* 18. *d.* 19. vel bo-
8 na debitoris in remotis locis, *Carpzov. d.* 14.
nec exceptio haec competit fidejussori, quan-
do debitor principalis non est solvendo, quae
negativa, si non sit notoria, creditori est pro-
banda, *Carpz. d. l. d.* 15. *Berlich. p.* 2. *concl.*
21. *Cacvall. q.* 372. *Hering. de fidejuss. cap.* 27.
9 *part.* 1. *num.* 200. Huic autem beneficio re-
nunciari posse certum est, et non quidem
generalem, sed subalternam tamen, qua fi-
dejussor beneficiis fidejussoribus indultis re-
nunciat, jure civili subsistere putant, *Coler.*
de proc. p. 1. *c.* 10. *num.* 396. *Hering. d. tr.*
c. 17. *num.* 45. *et seq. Carpzov. p.* 2. *c.* 17.
d. f. 1. licet certiorationem requirant illi ipsi
DD. ut *Carpz. d. c.* 17. *d.* 4. *Pruckmann. vol.*
1. *cons.* 8. *num.* 102. Et sic in effectu est spe-
cialis, nam si alicui dicatur, fidejussorem ha-
bere hoc beneficium excussionis et divisionis,
et fidejussor omnibus his renunciet, videtur in
specie illis renunciasse. De eo, qui se princi- 10
palem constituit, statuunt multi, ut supra di-
ctum, quod tacite videatur huic beneficio re-
nunciasse, *Gail. lib.* 2. *obs.* 28. *et Berlich. p.* 2.
c. 23. *Hering. de fidejuss. c.* 27. *p.* 1. *num.* 54.
sed hoc non credo per *d. l.* 3. Vid. *Bacch. d.*
th. lit. C. p. 950, *Carpz. p.* 2. *c.* 18. *def.* 2. ubi
plures cumulat *Thesaurus dec.* 166. *num.* 3.
Pruckman. vol. 2. *cons.* 3. *num.* 43. *Coll. Ar-*
gent. in tit. de fidejuss. th. 17. *num.* 6. *Fin-*
ckelthaus obs. 107. *num.* 11. Et experientia do- 11
cet verbum, *Als selbst - schuldige,* plerumque
inadvertenter in instrumentis poni, sed facile
concedo interdum ex verbis contrariam inten-
tionem colligi contrahentium, v. gr. quando
dictum, *ohne einiges Bedinge, das man schlechter*
dinge auf ihn und nicht auf den Hauptschul-
dener sehen solte, Hahn. ad Wesenbec. h. t.
ad verba, *aut excussis.* Plura de hoc beneficio
excussionis apud *DD.* ubivis, qui de fidejusso-
ribus agunt.

L. Si pater tuus. 6.

SUMMARIA

Qui subscribit instrumento obligationis non continuo fidejussit. num. 1.
In dubio potius ut testis subscribit, quam ut fidejussor. 2.
Taciturnitas in negotio quod geritur, pro consensu non habetur. 3.

Qui subscribit instrumento obligationis, non 1
continuo fidejussit, aliud enim est testis loco
subscribere, aliud fidem suam pro alio inter-
ponere, et in dubio potius ut testis subscripsit, 2
quam ut fidejussor, *hic et l.* 15. *supra de admin.*
tut. Hering. de fidejuss. c. 11. *num.* 101. *et*
cap. 17. *num.* 5. *Zasius ad l.* 126. §. *Chrysogo-*
nus 2. *num.* 3. *ff. de V. O.* Et taciturnitas in ne- 3
gotio, quod geritur, non habetur pro consen-
su, *Hering. c.* 7. *num.* 41. Et licet actus hic po-
sitivus concurrat, quia tamen hic dubius, me-
rito in leviorem causam interpretandus, ut non
quasi spopondisset, sed ut testis subscripsisse
praesumatur.

L. Si creditor. 7.

SUMMARIA

Mandator quinam dicatur? num. 1.
A creditore hic conveniri potest, si suadet alteri, ut fide sua alteri credat (das es dem andern leihen, und auff mich, den *Mandatorem,* sehen solle. *)* 2.

In quonam fidejussor differat a mandatore? 3.
Quid si mandator jusserit, ut creditor pecuniam crederet acceptis pignoribus, creditor vero sine pignoribus crediderit, an creditor habeat actionem mandati? 4.
Mandatoris interest, ut sub pignoribus pecunia credatur, et cedenda ipsi sunt pignora, et omnes actiones reales et personales. 5.
Quando fidejussor, et quando mandator se exceptione actionum cedendarum possit tueri? 6.
De eo qui commendat aliquem, ut ei credatur, remissive. 7.

1 Mandator hic est, cujus jussu creditor debi-
2 tori mutuam dat pecuniam. Hic mandator conveniri potest a creditore, quod scilicet quis suadet alteri, ut fide sua alteri credat *(das er dem andern leihen, und auff ihn, nemlich den* Mandatorem, *sehen solle), Struv. synt. jur.*
3 *civ. exerc.* 47. *th.* 35. Et videtur in eo tantum a fidejussore differre, quod hic per stipulationem constituatur, *l. blanditus* 12. *h. t.* ille nudo
4 consensu; Sed *quid si Mandator jussisset, ut creditor pecuniam crederet acceptis pignoribus, creditor vero sine pignoribus credidisset, habetne creditor actionem mandati?* Videtur quod sic, quia hoc debitoris gratia tantum mandatum videri posset: sed negatur, quia fines mandati diligenter servandi sunt, *l. diligenter* 5.
5 *ff. mandati,* et interest mandatoris, ut sub pignoribus credatur pecunia, nam cedenda ipsi sunt pignora et omnes actiones reales et per-
6 sonales. Vid. *l.* 2. *h. t.* Quemadmodum igitur fidejussor se tueri potest exceptione cedendarum actionum, quando creditor cedere non potest jura per culpam suam amissa, per *l. Stichum* 95. §. *pen. ff. de solut.* ut notatum ad *l.* 2. *h. t.* ita mandator etiam se tueri potest hac exceptione, si creditor vel non retinuit pignora, vel pignora non accepit, contra voluntatem mandatoris, *Ronchegall. l. eos ff. de*
7 *duobus reis. num.* 56. De eo, qui commendat aliquem, ut ei credatur, Vid. *dec. Elect. Sax.* 42.

L. Filiusfamilias. 8.

SUMMARIA

Filiusfamilias fidejubere potest. num. 1.
An si pro patre fidejussit, teneatur? 2.
Ratio dubitandi. 3.
Decidendi. 4.
Quinam fidejussionis effectus, remissive? 5.
An etiam studiosus recte fidejubeat? 6.
Filius interdum pro patre fidejubere tenetur. 7.

1 Filiusfamilias etiam fidejubere potest, *l.* 1. §. 3. *ff. qui satisdare, l.* 10. §. 1. *ff. h. t. ibique Auctor num.* 4. *l.* 5. *supra quod cum eo etc.* Sed
2 quaeritur: *An, si pro patre fidejussit, tenea-*
3 *tur?* Videtur quod non, quia actionem mandati contra patrem non potest habere, *l. lis nulla* 4. *ff. de jud.* ergo non videtur subsistere
4 fidejussio, *arg. l.* 25. *ff. h. t.* Sed aff. Si enim fidejussor non potest salvum habere, quod pro alio solvit, non creditori, sed ipsi imputandum
5 est, *d. l.* 25. Quinam sint effectus hujus fidejussionis, videatur in *l.* 10. §. 1. *ff. h. t.* ubi vide notata, *Dn. Manz. de fidejuss. c.* 5. *num.* 16. Si igitur certum, filiumfamilias fidejubere posse, quia ex omnibus causis tanquam paterfamilias obligatur, *l. tam ex contractibus* 57. *ff. de jud. Goedd. de stipulatione c.* 7. *num.* 7. *et* 58. *Hering. de fidejuss. c.* 7. *num.* 328. quod etiam in studioso obtinet, licet ut minus ido- 6
neus recusari possit, ob privilegium fori, *Hering. d. l. num.* 334. interdum filius pro patre 7
fidejubere tenetur, ut in *Nov.* 115. de quo *Hering. d. num.* 348.

L. Etiam. 9.

SUMMARIA

An creditor agendo contra possessores pignorum, fidejussores liberet? num. 1.
An creditore, qui plures fidejussores habet contra unum fidejussorem agente, reliqui liberentur? 2.
Si creditor contra debitorem principalem egerit, an liberentur fidejussores? 3.
Si contra unum egerit fidejussorem, et partem tantum accepit, an ad alium reverti, fidejussorem possit, et residuum ab eo petere? 4.
Creditor numquam una actione electa alteri renunciasse videtur. 5.
Nisi id specialiter a lege exprimatur. 6.
Ratio. 7.
Extensio decisionis. 8.

Saepe in judiciis occurrere solent controver- 1
siae, si v. g. creditor accepit pignora et fidejussores, *An agendo contra possessores pignorum, liberet fidejussores?* de quo in *l.* 9. *h. t.* Item, si quis plures habeat fidejussores, *An si* 2
creditor contra unum fidejussorem agat, caeteri liberentur? Item, *si creditor contra debito-* 3
rem principalem egerit, an liberentur fidejussores? de quo in *l. ult.* Item, *An si contra* 4
unum egerit fidejussorem, et partem tantum accepit, et ad alium reverti fidejussorem possit, et residuum ab eo petere? de quo in *l. reos* 23. *h. t.* Et decisio una in omnibus est: quod numquam in una actione electa alteri 5
renunciatum videatur, *l.* 4. *ff. de his qui effuderint vel dejecerint,* nisi id specialiter a lege 6
exprimatur, ut in *l.* 9. §. 1. *ff. de tribut. act. l.* 34. §. 1. *ff. de O. et A.* Ratio habetur in *d. l.* 7
ult. quia hoc potest pacto conveniri, ne, si agatur contra unum alter liberetur, cur non etiam generali Constitutione id introduci potest, praesertim cum alias simpliciores decipiantur, etiam ante Justinianum in mandatoribus idem constitutum. Vid. hac de re *Bacchov. in Treutl. disp.* 27. *th.* 1. *lit. B. et Hartm. Pist. p.* 3. *quaest.* 11. *num.* 18. *et seq.* et decisionem 8
hanc Justiniani *Carpzov. part.* 2. *Constit.* 19. *def.* 11. etiam ad eum casum recte extendit, quando fidejussor in solidum exactus debitorem elegerit, et postea debitore promissis non stante confidejussores eligere vellet.

L. Fidejussor. 10.

SUMMARIA

Quatenus fidejussor etiam ad usuras solvendas teneatur? num. 1. 2.

An et quando exceptio divisionis debeat opponi? 3.
Quando locum habere possit? 4.

1 Primo dicitur, fidejussorem etiam ad usuras solvendas teneri, si in usuras quoque obligatus est, ergo si in usuras obligatus non est,
2 ad eas non tenetur; Sed *quando ad usuras est obligatus?* Respond. distinguendum esse, an fidejussor accedat contractui bonae fidei, an stricti juris: Illo casu aut intercessit nulla expressa quantitate certa, et tenetur ex mora principalis, *arg. d. l.* 32. §. 2. *ff. de usur. l.* 13. *C. eodem.* vel in certam ac determinatam summam, et in eam tantum obligatur fidejussor, *l.* 68. §. 1. *ff. h. t.* Sed si accedat contractui stricti juris, non obligatur, nisi in omnem causam se obligaverit, per *l.* 8. *ff. de eo quod certo loco, l.* 54. *ff. locati.* Vid. de hac quaest. *Wesenb. in* ϖ. *ff. h. t. num.* 6. *et ibi Hahnius, Bacchov. in Treutl. v.* 1. *d.* 23. *th.* 5. *lit. D. et E. Pacius cent.* 4. *q.* 32. *Neguz. m.* 4. *part.* 2. *princ. num.* 55. *Francus de fidejuss. c.* 5. *num.* 6. *Hering. de fidejuss. c.* 24. *num.* 216.
3 Deinde dicitur de exceptione divisionis, quod post litem contestatam ante sententiam opponi possit, etiam in ipsa appellatione, nam est exceptio peremptoria, *Zang. de except. p.* 3. *c.* 19. *Gomez t.* 2. *resol. c.* 13. *num.* 15. ante sententiam, aut certe in ipsa appellationis instantia opponenda, non etiam post in executione, cum non ipso jure, sed ope exceptionis
4 perimat actionem, *Zang. d. l. num.* 5. Quando alias locum habeat haec divisionis exceptio, prolixe deducit *Auctor in l.* 51. *ff. h. t. num.* 1. *et seqq.*

L. Cum alter. 11.

SUMMARIA

Fidejussor contra confidejussorem nullam habet actionem, etiamsi in solidum creditori satisfecerit. num. 1.
Tacita objectio removetur. 2.
Aliud in contutoribus receptum, et cur? 3.
An habeat fidejussor actionem hypothecariam contra possessorem pignorum, quae creditori obligata erant? 4.
Quid juris, si soluta sit pecunia, et de cedendis actionibus contra confidejussorem personalibus, aut realibus contra possessores pignorum nihil actum? 5.
Excipitur casus. 6.
Conciliatio legis 36. *cum* l. 76. ff. h. t. 7.
Responsio Bacchovii *ad* legem 36. *num.* 8.

1 Fidejussor licet in solidum satisfecerit creditori, non tamen habet ullam actionem contra confidejussorem, utpote qui nihil mandavit,
2 nec ejus negotium proprie gessit. Quamvis enim quodammodo ipsius confidejussoris negotium gerere videatur, per accidens tamen et per consequentiam tantum hoc fit, ideoque hoc non attendendum, *arg. l.* 6. §. 1. *ff. de N. G.* Sed debitoris negotium gessit, dum eum libe-
3 ravit, specialiter autem aliud receptum in contutoribus, idque favore pupillorum, *l.* 1. §. 13. *ff. de tutel. et rat. distr.* ut eidus satisfiat pupillo ob spem recuperationis. Multo minus 4 habet actionem hypothecariam contra possessorem pignorum, quae creditori obligata erant, nisi creditor hoc jus cesserit, uti facere tenetur, si id petat fidejussor, quando solvit, *hic et l.* 2. *supra h. t. Goedd. de stipulat. p.* 9. *concl.* 5. *num.* 114. *et seq. Hering. de fidejuss. cap.* 27. *p.* 3. *num.* 6. *Jo. a Sande de cess. c.* 6. *num.* 32. Sed si soluta sit pecunia, et de ceden- 5 dis actionibus contra confidejussorem personalibus, aut realibus contra possessores pignorum, nihil dictum, contra hos agi nequit, per *l. Modestinus* 76. *ff. de solut. et liberat.* sed negotium facessit, *l. cum is* 36. *ff. h. t.* Et quidem 6 in *d. l.* 76. excipitur casus, nisi ante solutionem convenisset, ut sibi cederentur actiones, nam hoc casu pretium magis mandatarum actionum solutum videtur. Sed in *d. l.* 36. semper videtur venditum nomen. Ideoque *d. l.* 76. de ri- 7 gore juris, *d. l.* 36. de aequitate intelligunt, Vid. *Hering. c.* 28. *num.* 39. Sed *Bacchov. in* 8 *Tr. v.* 2. *d.* 28. *th.* 6. *lit. B.* resp. *ad legem* 36. quod sub ipso actu solutionis ibi cessio facta fuerit, quod arguunt verba, *accepta pecunia*, vel quod solutio facta fuerit sub hoc modo, vel quod pactum de cedendo praecesserit solutionem. Conf. *Carpzov. p.* 2. *c.* 7. *def.* 16. *Berlich. p.* 2. *concl.* 22. *num.* 77. *Dn. Hahn. ad Wesenb. h. t. num.* 6. verb. *quod ante solutionem.*

L. Blanditus. 12.

SUMMARIA

Facti species. num. 1.
Quaestio inde deducta: An his verbis, quodcumque volueris faciam, *interposita sit fidejussio?* 2.
Ratio dubitandi. 3.
Decidendi. 4.
Fidejussor nisi stipulatione non obligatur. 5.
Ubi scriptum est, me fidejussisse, fidejussio praesumitur. 6.
Interrogatio in fidejussione non praecise requiritur, et quid sufficiat ejus loco? 7.
Fidejussio sub obstagio an et quatenus licita? 8.

Theodorus a creditore Titii quodam interpel- 1 latus, et interrogatus, *An velit pro Titio fidejubere?* Respondet, *quodcumque volueris, faciam*, Quaeritur: *An his verbis interposita* 2 *fidejussio?* Theodorus ab aliis persuasus putat quod non, quia non videtur apposite respon- 3 sum, *fidejubeo*, sed affir. Imperator, quia fide- 4 jussio est, si quis interrogatus an velit fidejubere, responderit affirmative quibuscumque verbis illa concepta responsio. Non enim solemnia verba hic requiruntur, *l.* 10. *supra de stipul.* Colligunt ex *hac lege:* Fidejussorem, nisi stipula- 5 tione, non obligari, *hic et l.* 5. §. 2. *ff. de V. O.* Et in stipulatione formam fidejussionis consistere, *Hering. de fidejus. c.* 11. *num.* 1. *et* 2. *Goedd. de stipul. c.* 5. *concl.* 5. quae, ubi scri- 6 ptum est, me fidejussisse, praesumitur, per §. *fin. Inst. h. t. et l.* 30. *ff. de V. O. Mascard. de probat. concl.* 782. *Besold. cons.* 72. *num.* 19. *et seq.* Interdum etiam fingitur, ut in *l.* 4. §.

7 *fin. ff. de fidejuss. Caevall. q.* 616. Sed cum ex pacto etiam hodie actio detur, praecise interrogatio hodie non requiritur, sed sufficit, ut quis pro alio fidem suam interponat, etiam per epistolam vel nutum, *Hering. d. c.* 11. *num.* 76. *et seqq. Hillig. in Donell. lib.* 15. *c.* 48. *lit. C. Bacchov. d. d.* 28. *th.* 1. *lit. B. et Dn. Manzius plures referens, de fidejuss. c.* 5. *num.* 30. Fi-
8 dejussio autem sub obstagio non est licita, nisi de Jure Can. juramento confirmata fuerit, prout eleganter docet *Struv. synt. jur. civil. exerc.* 47. *th.* 41.

L. Si Barsatoram. 13.

SUMMARIA

Facti species. num. 1.
Quaestio inde deducta: An decurio latronem prehensum missum iterum faciens, et spoliato, an pro illo de judicio sisti fidejubere velit, interroganti, respondens, se eum iterum inventurum, his verbis promiserit, se prehensurum et exhibiturum latronem? 2.
Ratio dubitandi. 3.
Decidendi. 4.
Quid si decurio exhibere non possit? 5.

1 Decurio alicujus urbis, cum latronem prehendere posset, vel etiam prehendit, eum missum fecit, et spoliato interroganti, an pro illo velit fidejubere de judicio sisti, respondit, se
2 iterum eum inventurum, Quaeritur: *An his verbis promiserit se prehensurum et exhibitu-*
3 *rum latronem?* Videtur quod non: aliud enim est invenire, et aliud prehendere atque exhi-
4 bere. Sed affir. Imperator, quia invenire hic cum effectu intelligendum est, et si finem et scopum stipulatoris attendamus, hoc est actum, ut decurio inventum latronem prehenderet et exhiberet. Nam quid prodesset alteri, si latro solum inveniretur, et non prehenderetur? *Amadeus de syndic. num.* 90. *Ripa de peste tit. de remed. ad conservandam ubertatem num.* 140. *Menoch. lib.* 2. *A. Q. casu* 394. *num.* 47. Simile exemplum in §. 18. *Inst. de rer. div.* Sed
5 *quid si non possit exhibere?* Resp. transmittendus ille decurio ad Praefectum Praetorio vel Praesidem puniendus, quia hic non tantum fidejussio, sed etiam culpa aliqua intercessit ipsius. Vid. *l. si quis reum ff. de custod. reor. Farin. q.* 34. *num.* 3. Imo si reus dolo non praesentatur, fidejussor etiam poena corporis afflictiva affici potest, *Bossius tit. de carceratis fidejussori committ. num.* 65. *Farin. q.* 34. *num.* 9.

L. Mandati actio. 14.

SUMMARIA

An fidejussor pignora, quae creditori stipulandi obligata erant, a tertio possessore illorum pignorum iterum vindicare possit per actionem hypothecariam, quam habebat creditor, cur solvit fidejussor? num. 1.
Ratio affirmandi. 2.
Deciditur negative. 3.
Intellectus legis. 4.
Fidejussor solvens, juste petere potest, ut creditor sibi cedat actionem suam, sed et pignora et omne jus, quod habet contra debitorem principalem vel confidejussores. 5.

Quaeritur hic: *An fidejussor pignora, quae Reo stipulandi, id est, creditori, obligata erant, a tertio possessore pignorum illorum vindicare possit, per actionem hypothecariam, quam habebat creditor, cui solvit fidejussor?* Et quidem fidejussor putat quod sic, quia fidejussor mandati actionem habet contra debitorem, licet ea non sit cessa, §. 6. *Instit. h. t.* §. *ult. Inst. de replic. l.* 4. *pr. ff. h. t.* Cur non etiam habeat actionem hypothecariam contra possessorem pignorum? Resp. Imperator, esse diversam rationem, nam mandati actio est personalis, et oritur ex mandato debitoris fidejussori facto, sed actio hypothecaria est realis ad rem fidejussori non obligatam, ergo si creditor cessit jus pignoris, illud jus fidejussor persequi non potest. Vid. *l.* 2. *supr. h. t.* Extraordinaria actio hic videtur utilis, *Bacchov. in Treutl. vol.* 2. *disp.* 28. *th.* 6. *lit. F.* Sed non dicitur in testu de extraordinaria actione, verum de extraordinaria jurisdictione, ideoque rectius intelligit *Cujac. ad hunc tit.* haec verba ita: quod Praeses ipse cognoscere debeat de jure hypothecae, non vero judicem dare ex veteri more, qui jam desierat. Sed si jus suum vel actionem cesserit creditor, non tantum personalis, sed et hypothecaria cessa videtur actio, *l.* 6. *et* 7. *C. de obl. et act.* Et *ex hac lege* 14. Nota: fidejussorem solventem, posse juste petere, ut creditor sibi cedat actionem suam, sed et pignora et omne jus, quod habet contra debitorem principalem vel confidejussores, *Wesenb. in* ϖ. *h. t. num.* 6. *Zang. de except. p.* 2. *c.* 15. *num.* 14. *Hering. de fidejuss. cap.* 27. *p.* 3. *num.* 6. Collige etiam: actionem cessam longe pinguiorem esse actione mandati, *Jo. a Sande de cess. c.* 6. *num.* 34.

L. Si indebitam. 15.

SUMMARIA

Facti species. num. 1.
An creditores contra fidejussorem putativi debitoris, qui ad capitale supplicium fuit damnatus, ejusque bona a Fisco occupata, agere possint? 2.

Ego haeres defuncti alicujus, cum falso per- 1
suasus essem, defunctum fuisse tibi ex causa fidejussionis obligatum, nomine debitoris promitto in chirographo, me fidejussioni defuncti satisfacturum, et pro debitore soluturum. Postea debitor damnatus fuit ad capitale supplicium, et bona ejus a Fisco occupata, et creditores igitur ejus egerunt contra Fiscum, tamquam successorem debitoris, et impetrarunt solutionem, Quaeritur: *An contra me age-* 2
re caeteri possint? Resp. duplici ex causa non posse: I. Quia ex errore promisi solutionem; ergo si solvissem, condictionem haberem indebiti, ergo si non solverim, per condictionem indebiti possum condicere obligationem et re-

petere chirographum, et si petas, habeo exceptionem doli. II. Quia Fiscus solvit pro debitore, ideo licet vere fidejussissem, tamen essem liberatus per solutionem ab eo factam, qui debitori successit.

L. Liberum. 16.

SUMMARIA

Facti species. num. 1.
An creditor plures habens fidejussores, si divisit inter eos actionem post litem contestatam, poenitere, et contra unum in solidum agere possit? 2.
Conciliatio hujus legis cum l. 18. supr. de pactis. 3.

1 Creditor, cum haberet plures fidejussores, inter eos divisit actionem, et a singulis petiit
2 partem, Quaeritur: *An post litem contestatam poenitere, et contra unum in solidum agere possit?* Videtur quod sic, quia electione non tollitur jus creditoris, *l.* 23. *et ult. h. t.* Sed Neg. aliud enim est, si unum ex pluribus elegisset, et partem ab eo petiisset, ubi electio ipsi non praejudicat, ut in *d. l.* 23. *et ult.* aliud autem est, quando contra omnes reos simul in partes viriles divisit actionem, ut hic
3 facit; ratio in *l.* 18. *supra de pactis.* Et sic *lex haec* cum *l. reos* 23. *h. t.* communiter conciliatur, *Gl. et Baldus in fin. Salyc. num* 2. *Fr. Caldas de except. c.* 33. *num.* 88. *Bacchov. in Tr. v.* 2. *d.* 28. *th.* 5. *lit. E. pag. mihi* 957. *Hering. de fidejuss. c.* 20. §. 13. *num.* 6.

L. Omissis. 17.

SUMMARIA

An creditor prius fidejussores, quam pignorum possessores utrisque his concurrentibus convenire queat? num. 1.
Limitatur. 2.
Fidejussor indemnitatis quinam dicatur? 3.
Ejusmodi fidejussor semper sub conditione acceptus videtur. 4.
Jus vetus circa talem adpromissorem. 5.
An talis fidejussor beneficio excussionis renunciare queat? 6.

1 Quaeritur: *An creditor, qui accepit a debitore pignora et fidejussores; fidejussores prius quam pignorum possessores convenire queat?* Resp. hic aff. posse, imo odie debet, per *Nov.* 4. *cap.* 2.
2 sed additur hic limitatio; nisi fidejussor in id acceptus, quod ex pignoribus refici vel confici seu solvi non potuit. Talis enim fidejussor sub hac conditione acceptus est, si pignora distracta sint, et distracta non sufficiant ad debitam quantitatem, ergo ista conditio dum pendet, nondum etiam est obligatus, *hic et l.* 63. *ff. h. t. l.* 3. *supra de distr. pign. Hering.*
3 *de fidejuss.* §. 13. *num.* 18. *et seqq.* Nota igitur, fidejussorem indemnitatis, id est, in id acceptum, quantum a reo principali consequi non potuit, vel quod ex distractis pignoribus refici, i. e. solvi non potuit, semper sub condi- 4
tione videri acceptum, *l.* 116. *ff. de V. O. l.* 21. *ff. de solut. Auctor in l.* 41. *ff. h. t. num.* 1.
Et talis adpromissor etiam jure veteri ante 5
Authenticam non potuit conveniri ante reum principalem, eo quod ante constare non possit, an et quantum creditor a debitore consequi possit, *Bacchov. in Tr. v.* 2. *d. d.* 28. *th.* 3. *lit. D. E. et F. Rittershus. ad Novell. p.* 2. *c.* 2. *num.* 18. vers. *exceptis tamen quibusdam casibus etc.*
Et quando igitur talis fidejussor beneficio ex- 6
cussionis renunciat, contra naturam hoc est hujus confessionis, et renunciatio illa videtur esse erronea, et contradictionem implicat etc. Vid. *Wesenb. cons.* 10. *num.* 31. *Francus de fidejus. c.* 5. *n.* 169. *Hering. de fidejus. c.* 27. *p.* 1. *num.* 142. *Gail. lib.* 2. *obs.* 27. *num.* 13. et hos referens, *Carpzov. p.* 2. *c.* 7. *d.* 17.

L. Si ut proponis. 18.

SUMMARIA

Facti species. num. 1.
Creditor rem sibi obligatam minoris justo pretio vendens, justum pretium totum sibi imputare tenetur. 2.
Ampliatur. 3.
Limitatur. 4.

Debui tibi 100. florenos et dedi pignus, quod 1
distrahis, et vendis 50. florenis, quod tamen vendi potuisset 100. flor. ita ut debitam pecuniam exinde conficere potuisses: postea cum meo fidejussore agis ad residua 50. solvenda, quae tibi debeo. Resp. Quia te ad interesse convenire possum, *l.* 1. *et* 3. *supr. si vind. pign. agatur;* si me igitur convenires, datur mihi exceptio compensationis, ergo haec etiam fidejussori competit, *l.* 5. *ff. de compensat.* ob regulam in *l. defensiones* 11. *C. de except.*
Ergo creditor rem sibi obligatam minoris justo 2
pretio vendens, justum pretium totum sibi imputare tenetur, sive cum debitore agat, si- 3
ve cum fidejussore, *Bald. hic, Hering. de fidejuss. c.* 20. §. 13. *num.* 27. nisi forte creditor se ju- 4
ramento purgare possit, se tunc tanti vendidisse, quanti tunc potuit venire, *Hering. d. l. num.* 28.

L. Si alienam. 19.

SUMMARIA

Fidejussor vel tertio credere mandans, vel alienum debitum constituens et in se suscipiens, de jure Codicis creditorem compellere non potest, ut prius conveniat principalem debitorem. num. 1.
Limitatur. 2.
Abrogatum huic per auth. praesente h. t. *n.* 3.

Fidejussor, vel quia alteri mandavit, ut Ti- 1
tio crederet, vel quia alienum debitum constituit, et in se suscepit, non potest de jure Codicis compellere creditorem, ut prius conveniat principalem debitorem: Nisi hoc in spe- 2
cie convenerit, sed hoc abrogatum per *auth.* 3
praesente h. t. de quo supra ad *legem* 5.

L. Sicut eligendi. 21.

SUMMARIA

Creditoris privilegium quodnam? num. 1.
Quodnam fidejussoris? 2.
Gravatus in uno relevatur in alio. 3.

1 Imperator creditori dederat in praecedentibus hoc privilegium, ut posset pro lubitu vel reum
2 principalem vel fidejussorem convenire. E contrario fidejussori datur privilegium, ut possit compellere creditorem, ut sibi cedat suas actiones personales et reales contra reum principalem et fidejussores, de quo dictum ad *l.* 11.
3 *et* 14. Hic nota regulam JCtis familiarem, et quae multarum legum ratio decidendi est: Gravatum in uno relevari in alio, per *l.* 30. *ff. de jurejur. l.* 6. *ff. de jure dot. A. Barbosa lib.* 7. *c.* 14. *axiom. ult.*

L. Si ultra. 22.

SUMMARIA

Facti species. num. 1.
An mandans alteri, ut tertio quis credat, cum promissione se plus redditurum, teneatur? 2.
Ratio affirmandi. 3.
Deciditur negative. 4.
Fidejussor in majorem quantitatem, quam debitor debet, obligari nequit. 5.
An obligetur in currente summa? 6.
Aliae hujus legis *lecturae, remissive.* 7.

1 Mandavi tibi, ut crederes mea fide Titio 100.
2 flor. et promisi me redditurum 150. flor. Quae-
3 ritur: *An tenear?* Videtur quod sic; ex pacto
4 et promissione spontanea, sed negatur hic, et utitur Imperator hic eleganti ratione in fine, quae talis est: Si hoc casu plus quam 100. numerasses, non tamen obligarer ob *l. diligenter* 5. *ff. mandati:* Ergo si ex reali numeratione 150. floren. non obligor, multo minus obligor si tantum 100. numerasses, et velis 150. petere, neque prodest ubi pactum, nam rece-
5 ptum, in majorem quantitatem, quam debitor debet, fidejussorem obligari non posse, *l.* 8. §. 7. *ff. h. t. Struv. synt. jur. civ. exer.* 47. *th.* 40. adeoque hoc pactum contra bonos mo-
6 res est. Sed in currente tamen summa me obligari verius et aequius est, per *hanc legem, et l.* 33. *ff. mandati, l.* 11. §. 1. *ff. de constit. pecun. Hering. c.* 24. *num.* 65. *Gomez t.* 2. *resol.* 13. *num.* 2. *Hillig. ad Donell. lib.* 15. *cap.* 48. *lit. I.* et quos in uno numero congessit *Har-*
7 *precht. ad h. l. num.* 20. quamvis alias lecturas *hujus legis* referat et suam praeferat *Hart. Pist. p.* 3. *qu.* 10. *num.* 25.

L. Reos. 23.

SUMMARIA

Facti species num. 1.
Nemo Jus remittere censetur, nisi expresse hoc dicat. 2.
Prukmann. *notatur.* 3.
Sententia Auctoris. 4.
Carpzovius *notatur.* 5.
Creditor ex partis receptione ab uno, an adhuc reliquos in solidum convenire possit? 6.

Fidejusserant tres pro Titio, et beneficio di- 1
visionis renunciaverant. Creditor eorum unum vel in solidum, vel etiam pro parte convenit, et consequitur partem tertiam, hic ille fidejussor a solido non est liberatus, quia nullus electione liberatur, nec censetur quis jus suum 2
remittere, nisi hoc expresse dicat, *Ronchegall. in l.* 3. §. *ubi duo num.* 54. *ff. de duobus reis, Hartmann. Pistor. part.* 1. *q.* 9. *num.* 2. *Koeppen. decis.* 56. *num.* 16. *Caldas d. c.* 33. *num.* 56. *et* 88. licet dissentire videatur *Dn. Pruckmann.* 3
cons. num. 11. *et seqq. vol.* 1. et hunc secutus *Hering. de fidejuss. c.* 27. *p.* 2. *num.* 48. Hoc 4
tamen fateor, si extrajudicialiter recipiat creditor partem crediti ab uno et altero ex fidejussoribus, quod tunc facilius praesumatur divisio facta inter portiones fidejussorum, *Pruckmann. d. l. num.* 32. conferantur notata ad *l. si creditores supr. de pactis;* conferatur *de hac lege Salgado in labyr. lib.* 1. *cap.* 17. *num.* 10. *et seqq.* Illud mihi videtur nunquam 5
concedendum, quod *Carpzov.* habet, *p.* 2. *c.* 17. *def.* 11. quod ex partis receptione ab uno, 6
reliquos in solidum convenire non possit, quasi vero tacita exceptio etiam tertio competat. Sed si ignorans, secundum vel tertium fidejussorem non esse solvendo, acceperit partem a primo, non puto creditorem renunciasse suo juri ob ignorantiam.

L. Fidejussoris. 24.

SUMMARIA

Fidejussio ad haeredem transit. num. 1.
Quid si fidejussor succedat debitori, vel idem tam fidejussori, quam debitori, ut haeres succedat? 2.
An fidejussor hoc casu juvetur beneficio inventarii? 3.
Confusio obligationis in praejudicium creditoris extendenda non est. 4.
Si correus correo succedit, monstrari non potest, quae obligatio aliam perimat. 5.

Fidejussio transit ad haeredem *hic et* §. 2. 1
Inst. h. t. Sed quid si fidejussor succedat 2
debitori, vel idem tam fidejussori quam debitori, ut haeres succedat? Resp. confusione extingui fidejussionem, *hic et l.* 5. *l.* 14. *l.* 24. *ff. h. t.* manet tamen principalis obligatio *l.* 5. *ff. h. t.* Hoc tamen casu creditori petenti datur beneficium separationis, *l.* 3. *princip. ff. de separat.* Quamvis autem hoc casu teneatur 3
fidejussor, non ut fidejussor, sed ut principalis, non tamen juvatur beneficio inventarii, quia confusio obligationis non in praejudicium 4
creditoris extendenda, *Carpzov. part.* 2. *const.* 18. *def.* 13. et quos citat *Hering. c.* 20. §. 16. *num.* 37. *Hartm. Pistor. p.* 3. *q.* 1. *num.* 14. *Franc. de fidejuss. c.* 5. *num.* 428. Si autem 5
correus correo succedat, non potest monstra-

ri, quae obligatio aliam perimat, *l. generaliter* 5. *ff. de fidejuss. et l.* 93. §. 2. *et l.* 95. §. 3. *ff. de solut. Goedd. c.* 5. *de stipul. concl.* 159. *Hering. de fidejuss. d.* §. 16. *num.* 31. *Bacchov. in Tr. d. d.* 28. *th.* 7. *lit. C.*

L. Pignoribus. 25.

SUMMARIA

Facti species. num. 1.
Quaestio inde deducta: An creditor residuum et quod a debitore principali consequi nequit, post longum tempus actione personali petere possit? 2.

1 Debitor ignorante creditore pignora ipsi obligata distrahit, et longo tempore, id est, 10. annis inter praesentes emptor possidet, ideoque praescribit creditori, et creditor illa pignora vindicare nequit, Vid. *l.* 1. *et* 2. *supr. si ad-*
2 *versus credit. praescript.* Sed *potestne creditor residuum, id est, quod a debitore principali consequi nequit, post longum tempus petere actione personali?* Quod affirm. nam potest, extincta reali, manere personalis, *l.* 2. *C. de luit. pign.*

L. Sancimus. 26.

SUMMARIA

Nova Justiniani Constitutio, et quae ejus sit summa? num. 1.
Si quis promiserit, se alium intra certum tempus sub poena judicio stiturum, an tempore illo transacto poena statim peti possit? 2.
Constitutionis ratio. 3.
Menoch. *notatur, ut et* Alciatus. 4. 5.
Quodnam spatium Fidejussor in criminalibus habeat? 6.
Quoties quis promisit sistere reum toties quoties, et ad omnem Judicis requisitionem, decisio hujus legis *locum non habet.* 7.
Neque etiam obtinet, quando illi est renunciatum vel juramento confirmatum. 8.
Permissum est fidejussori hac Constitutione, etiam defensionem ejus, qui sistendus erat suscipere, ut sive eum exhiberet, sive defenderet, poenam non deberet. 9.
Limitatur 10.
Si quis fidejussor aliquem semel defendit, defensionem ad finem perducere tenetur. 11.
Quid juris, si sistendus est mortuus? 12.

1 Est nova Constitutio Justiniani, cujus haec
2 summa est; promisit quidam, se alium judicio stiturum intra certum tempus, et nisi stiterit, promisit poenam, Quaeritur: *An tempore illo transacto poena statim peti possit?* et vult Imperator non statim peti posse. Nam si vivit qui sistendus, post tempus conventum Imperator aliud adjecit tempus, *hac lege* definitum, intra quod adhuc illum sistere possit, scilicet sex mensium, si stipulatione sex menses dati fuerint, aut longius tempus, quam sex mensium. Si tamen infra sex menses initio conventum, tempus illud videtur conduplicandum esse, v. gr. si conventum, ut intra 8. dies praesentaretur, alii octo dies dandi erunt fidejussori, *Cacheran. decis.* 49. *in fine Alciatus lib.* 3. *parerg. c.* 21. *Farin. quaest.* 34. *num.* 146. Ratio Constitutionis est aequitas, 3
et quia multae causae incidere possunt, propter quas quis sisti non potest, et ideo ad morae purgationem admittitur fidejussor, qui de aliquo sistendo coram Judice spopondit, quia quasi alienum factum promisit, is vero qui pro solutione ab alio facienda, promittit factum proprium, *Pruckm. vol.* 2. *cons.* 24. *num.* 55. *etc.*
Quamvis autem *Menoch. lib.* 2. *A. Q. casu* 40. 4
num. 3. *hanc legem* non in fidejussore, sed principali debitore procedere statuat, hunc tamen consultissimum virum hac in parte labi, et verbis legis confutari, rectissime scripsit *Farin. d.*
q. 34. *num.* 145. Et licet *Alciatus lib.* 3. *parerg.* 5
c. 20. existimet, perperam interpretes confudisse eum, qui promisit judicio sisti, cum eo, qui promisit aliquem in judicio praesentare, hunc tamen labi dicit *Ant. Matthaeus ad l.* 48. *ff. tit.* 14. *c.* 2. *num.* 18. cum nihil intersit, utrum promittat aliquem judicio exhiberi, an judicio sisti, *l. quoties* 81. *ff. de V. O. Cujac. lib.* 19.
obs. 34. Et hoc spatium fidejussor semel tan- 6
tum habebit in criminalibus, quia si semel stiterit, hic reus includetur carceri, *Ant.*
Matth. d. l. Et ideo quoties quis promisit, si- 7
stere reum toties quoties, et ad omnem Judicis requisitionem, decisio *hujus legis* non habebit locum, *Clarus* §. *fin. q.* 46. *num.* 23. *Fa-*
rin. d. q. 34. *num.* 149. Sic etiam non habe- 8
bit locum *haec lex*, quando illi renunciatum est, *Farin. d. q. num.* 150. et quos hic allegat. Et sic locum non habet decisio *hujus legis*, si quis sub juramento promisisset, se exhibiturum toties quoties, *Thes. lib.* 1. *q.* 72. *num.* 2.
Intra id tempus datum ab Imperatore permis- 9
sum est, etiam *hac constitutione* fidejussori, defensionem ejus qui sistendus erat, suscipere, *Dn. Manzius in tr. de fidejuss. c.* 4. *num.* 4. ut sive cum exhiberet, sive defenderet, poe-
nam non deberet, modo ab initio contrarium 10
non placuit, aut versemur in iis criminibus, in quibus necessaria est rei persona, *Boss. tit. de carcer. fidejuss. commit.* §. 2. *Farin. d. q.*
34. *num.* 27. Hoc tamen ita temperatur; Ut si 11
velit defendere, postea defensionem ad finem
perducere teneatur. Si vero sistendus mor- 12
tuus, et quidem intra illud tempus legitimum, tunc fidejussor liberatur, si vero post illud tempus mortuus, poena debetur, *hic et l. si decesserit ff. qui satisd.* et per ea quae tradit *Farin. d. q.* 34. *num.* 36.

L. Si fidejussor. 27.

SUMMARIA

Quid juris, si fidejussor nullum tempus adjecerit? num. 1. 2. 3.
Casus. 4.
An fidejussio sine scriptis facta, sed postea coram notario affirmata in scriptis vel sine scriptis habenda? 5.

In *lege praecedenti* dictum de casu, quando 1
quis aliquem judicio se stiturum promiserit in-

tra certum tempus, sed *quid si nullum tempus adjectum?* Resp. Hic constitutum esse, ut distinguendum, utrum in scriptis, an vero sine scriptis quis fidejusserit pro aliquo de judicio
2 sisti; si sine scriptis, ad duos tantum menses tenetur ad sistendum reum, quia non debet diu in suspenso esse promissor, et cur actor citius litem non est prosecutus? Ergo sibi imputet. Unde procul dubio fluxit, quod Imper. *Auth. libellum supr. de litis contest.* constituit, ut ille qui agit, promittat, se intra duos men-
3 ses litem contestaturum. Si vero in scriptis, tenetur fidejussor tamdiu, quamdiu lis durat,
4 seu in perpetuum. Sed pone: Sine scriptis aliquem fidejussisse, sed postea coram tabellario seu notario publico affirmasse, se pro eo vel illo exhibendo fidejussisse, de qua confessione etiam instrumentum confectum, Quaeritur:
5 *An haec fidejussio in scriptis vel sine scriptis habenda?* Distinguit Imperator inter causam civilem, et criminalem, ut in illa initium inspiciatur, et quia initio sine scriptis fidejussio facta, ideoque post duos menses etiam exspirat, verum in criminalibus inspiciatur instrumentum tabularii, et sic pro fidejussione in scriptis habenda, quia publice interest, delicta non manere impunita. Et de hac fidejussione ad sistendum reum plura videantur apud *Hering. c.* 20. §. 9. *et Farin. d. q.* 34.

L. Generaliter. ult.

SUMMARIA

Debitore principali electo non liberatur fidejussor, nec electo uno fidejussore debitor vel caeteri fidejussores, nec electo uno de correis caeteri correi liberantur, donec creditori ex asse satisfiat. num. 1.

Idem in fidejussore, cui post factam solutionem actiones a creditore fuerunt cessae. 2.

Quicquid per pactum fieri potest, illud etiam generali lege et sic consuetudine introduci potest. 3.

Limitatur lex. 4.

Electo debitore principali, non liberatur fi- 1
dejussor, nec electo uno fidejussore, debitor aut caeteri fidejussores liberantur, nec electo uno de correis, caeteri correi liberantur, donec creditori ex asse satisfiat, *Caldas d. c.* 33. *num.* 79. *Carpzov. p.* 2. *constit.* 19. *def.* 11. *num.* 5. *Hering. de fidejuss. c.* 27. *p.* 2. *num.* 48.
Quae sanctio procul dubio etiam in fidejussore 2
obtinet, cui post factam solutionem cessae fuerunt a creditore actiones. Nam licet debitorem eligat, et cum eo paciscatur, tamen liberantur confidejussores, si debitor promissis non steterit, nec solverit, *Carpz. d. l. num.* 6. *A. Faber lib.* 4. *Cod. t.* 26. *d.* 36. Conf. notata supra ad *l.* 9. Collige regulam: Quicquid per 3
pactum fieri potest, illud etiam generali lege, et sic etiam consuetudine introduci potest, *Carpz. p.* 3. *const.* 37. *d.* 7. *num.* 5. limitant 4
tamen *hanc legem*, quando contra debitorem principalem, et lata est pro reo sententia liberatoria, quae in rem judicatam transierit, nam liberatio haec fidejussori etiam competet, per tradita *Menoch. cons.* 795. *num.* 11. *et seqq. et num.* 28. Sed etiam illo casu, quando quis executionem procuravit in bonis principalis, et ea jam subhastari fecit, non potest creditor variare, et executionem in bonis fidejussoris petere, *Thesaur. l.* 1. *q.* 7. *et quos ibidem refert.*

TITULUS XLIII.

De novationibus et delegationibus.

L. Delegatio. 1. et L. Nec creditoris. 6.

SUMMARIA

Discrimen inter delegationem debitoris et nominis. num. 1.

Delegatio debitoris quando fieri soleat? 2.

Quid sit delegatio? 3.

Cessio nominis debitoris consensum non exigit. 4.

Delegatio debitoris quid sit proprie et quid ad suam perfectionem requirat? 5.

Jus hodiernum hac in parte. 6.

In delegatione debitoris necesse non est, ut delegatus sit delegantis debitor, et cur? 7.

Quotuplex sit novatio et qualis utriusque effectus? 8.

1 Accurate observandum est discrimen inter delegationem debitoris, et delegationem nominis, quae alias cessio seu actio mandata vocatur; delegatio debitoris, quae hic *delegatio de-* 2
biti vocatur, fit tantum volenti et stipulanti creditori et volente et consentiente etiam debitore, *l.* 6. *h. t.* Nam inter delegantem, et delegatum, mandatum intervenit, quod nudo consensu expeditur, *l.* 7. *h. t.* quae proprie delegatio dicitur; inter delegatum vero et debitorem intervenit stipulatio, et per hanc fit novatio, *l.* 7. *h. t.* Nam delegatio est novi de- 3
bitoris substitutio facta creditori volenti, *Auct. in l.* 11. *ff. h. t. num.* Cessio nominis autem 4
non exigit consensum debitoris, nam ibi debitor novam obligationem non suscipit, sed actio vetus, quae contra illum competebat, cessionario ceditur, quae ante fuit cedentis. Vid. *Donell. lib.* 16. *comm. cap.* 20. *Hahn. ad Wesenb. h. t. in fine. Castillo de usufr. c.* 62. *num.* 3. *Tholos. lib.* 21. *synt. c.* 20. *num.* 6. *Joann. a Sande de cession. c.* 1. *num.* 10. *Perez ad h. t. num.* 11. *et Dn. Mevius p.* 5. *dec.* 396. Et 5
sic delegatio debitoris non est quidem novatio, sed formaliter est mandatum, sicut cessio, sed requirit tamen ad sui perfectionem novationem, quae fit per subsequentem stipulationem. Sed 6
quia hodie omnia, quae olim stipulationem re-

quirebant, per nudum pactum, deliberatum
tamen, fieri possunt, idem hoc loco fieri po-
test, ut ex *Giphanio ad Wesenb. h. t. num.* 9.
7 tradit *Dn. Hahn.* Sed notandum hic: In dele-
gatione debitoris non esse necesse, ut delega-
tus sit debitor delegantis; nam possum meo
creditori delegare illum, qui mihi ex nullo
capite obligatus est, *Molina de J. et J. tr.* 2.
d. 559. *num.* 4. *Decius ad l. singularia* 15.
num. 47. *ff. si certum pet. Bacchov. in Tr.*
8 *vol.* 2. *d.* 29. *th.* 6. *lit. A. et D.* Quotuplex
autem novatio, nimirum, quod alia sit volun-
taria, alia necessaria, item quid inter utram-
que intersit et qui alii effectus? ostendit *Auct.
in l.* 29. *ff. h. t. per tot.*

L. Ex contractu. 2.

SUMMARIA

Facti species. num. 1.
Quaestio inde deducta. 2.
Ratio decidendi negative. 3.
Qui delegat aliquem suo loco, licet ille minus solvendo sit, pecuniam tamen solvere tenetur. 4.
Limitatur. 5.
In delegatione nominis, quando debitor nomen aliquod in solutum dat, etiam liberatur debitor, et cessionarius nomen cessum suo periculo exigit, et debitor ad praestandum nomen, non vero idoneum, est obligatus. 6.

1 Debui 10. ex mutuo, delegavi tibi Titium,
qui tibi stipulanti haec decem promisit, Quae-
2 ritur: *An contra me actionem ex credito in-*
3 *tendere possis?* Resp. quod non, quia delega-
tio liberat primum debitorem, §. 3. *Inst. quibus*
4 *mod. toll. obl.* qui enim delegat aliquem suo
loco, licet ille minus solvendo sit, pecuniam
tamen solvere intelligitur, *l.* 18. *ff. de fidejuss.*
5 nisi periculo suo primus debitor alium delega-
verit, ut in *l.* 22. §. 2. *et l.* 45. §. 7. *ff. mandat.*
6 Atqui in delegatione nominis, quando debitor
nomen aliquod in solutum dat, etiam liberatur
debitor, et cessionarius nomen cessum suo pe-
riculo exigit, et debitor ad praestandum verum
nomen non vero idoneum, est obligatus, per
l. 69. §. 1. *ff. de solut. l.* 17. *in fine ff. de petit.
haer.* Et cessio nominis est modus liberationis,
Card. Mantic. de tacit. et amb. convent. lib. 4.
tit. 13. *num.* 21. *Carpz. p.* 2. *const.* 31. *def.* 26.
Tuschus conclus. 281. *lit. C. Berlich. p.* 2. *dec.*
290. *Joann. Petr. Surdus cons.* 269. *num.* 23.
p. 2.

L. Si delegatio. 3.

SUMMARIA

Casus legis. num. 1.
Quaestio inde deducta. 2.
Deciditur per distinctionem. 3.
Quid si debitor aliunde certo cognoverit cessionem? 4.
Casus alii, quibus cedens contra debitorem agere non potest. 5.
Si cedens et cessionarius concurrant, quis praeferendus? 6.
Quid cedens vereri debeat? 7.

Ego, cum deberem tibi 100. ut tibi satisfa- 1
cerem, delegavi tibi nomen, quo in 100. mihi
obstrictus est Titius, sed cum non exigas pe-
cuniam a Titio Cliente tuo, vereor, ne si Ti-
tius non solvendo foret, me iterum convenire
possis, quaero igitur: *An non ipse Titium de-* 2
bitorem meum possim convenire? Resp. Impera-
tor; aut delegationem veram esse factam, aut 3
nominis tantum cessionem, ut distinguebatur
etiam in *l.* 1. Nam si delegatio facta, ego pla-
ne liberatus sum, ut in *l. praeced.* Ergo vere-
ri non opus est, ut, si non solvendo fiat de-
bitor Titius, ad me periculum redundet. Si
vero nomen tantum cessum, tunc licet cessio
facta, si tamen res adhuc integra, licitum mihi
est non obstante cessione, debitum a meo de-
bitore exigere, atque ita cessam actionem inhi-
bere. Tunc vero res integra esse desinit, quan-
do vel litem cessionarius contestatus est cum
Titio, vel quando pars ipsi soluta est, vel
quando cessionarius significavit debitori ces-
sionem, ac denunciavit, ut sibi solveret, id
est, si probavit cessionem sibi factam, quod
declarat *Bart. Socinus reg.* 112. Sed quid *si* 4
aliunde debitor certo cognoverit cessionem?
Resp. cedenti hic non esse jus inhibendi actio-
nem, vel exigendi debitum, cum *Bartolo* sta-
tuit *Donell. et ibi Hillig. lib.* 15. *cap.* 93. *lit.
N. arg. l. fin. ff. de transact.* ubi propter
ignorantiam datur exceptio haeredi, et non
est certiorandus qui non ignorat, *l.* 1. *ff. de
act. empt. Ant. Rubeus in repet. l. non solum
§. morte num.* 409. *ff. de nov. operis nunciat.
Fachin. l.* 3. *cap.* 91. Alii distinguunt, utrum
cessio facta sit in gratiam cedentis, et tunc
certiorandum esse debitorem a cessionario, an
vero in gratiam cessionarii, quando is non ha-
bet regressum, et tunc sufficere qualitercum-
que cessio innotuerit, ut refert *Salgado in
labyr. creditorum p.* 1. *c.* 27. *num.* 50. *et seq.*
quod in seqq. prolixe explicat, Conf. *Gaitus
de credito cap.* 2. *tit.* 3. *num.* 475. *et seqq.
Thes. l.* 4. *quaest.* 12. *num.* 3. *et seq.* Sed di-
stinctionem illam ex *l. si cum emptore* 16. *ff.
de pactis* refert *Petr. Barbos. ad l. si alienam
num.* 61. *ff. sol. matrim.* Sed hac de re supra
aliquid me dixisse memini. Sed sunt et alii ca- 5
sus, quibus cedens non potest agere contra
debitorem, si v. gr. promisit se non exactu-
rum nomen, vel exercitium actionis omne
transtulerit in cessionarium, ut nullae penes
cedentem maneant actionis reliquiae, *Mantica
d. tract. lib.* 4. *tit.* 13. *num.* 4. *Tuschus concl.* 185.
num. 41. *lit. C.* vel si lex imponat necessitatem
cessionis, ut restitutione facta per *Trebellianum*,
ubi debilitatae sunt actiones directae a lege,
l. 1. §. 2. *ff. ad Trebell. Tuschus d. conclus.*
185. *num.* 45. vel si cessio facta sit in ultima
voluntate, *Tuschus dict. conclus.* 185. *num.*
45. *Fr. Caldas de empt. et vend. cap.* 21. *n.* 46.
Item, si cedens cessionis titulo nomen cessum
ab alio habuerit, quia is non habet actionem
directam, ergo non retinet, *Tuschus d. l. n.* 37.
Sed quaerunt hic interpretes: *Si concurrunt* 6
cedens et cessionarius, quis praeferendus? Et
cessionarium cum utili sua actione praeferen-
dum censent per *l.* 55. *ff. de procur.* quam
legem absolute intelligo, licet alia denunciatio

non intercesserit cum *Joan. a Sande d. tract. c.* 12. *num.* 4. qui enim cum debitore cesso experitur, satis denunciasse videtur, et probatur idem per *l.* 18. *ff. de pign. act. Sichard.*
7 *hic num.* 13. *Caldas d. c.* 24. *num.* 42. Sed ille nodus tamen manet in *hac lege*, quomodo cedens vereri debeat, ne, dum cessionarius non exigit, ad se redundet periculum; nam quomodo in solutum dato nomine, periculum istud sustinebit cedens, cum tamen non idoneum nomen, sed verum praestare teneatur, et quomodo culpa ac mora cessionarii, si tempore cessionis idoneus debitor cessus, interim vero fiat inidoneus, cedenti damnosa esse potest? Nihil jam succurrit, nisi forte dicas: metuere posse cedentem molestias litis. Vel etiam dici potest, in facto vanum esse timorem, ubi per delegationem liberatus delegans.

L. Non abstulit. 4.

SUMMARIA

Facti species. num. 1.
Quaestio inde deducta. 2.
Procuratori litis recte non solvitur. 3.
Iis qui sine mandato agere possunt, solvi nequit. 4.
Solutionem accipere et debitorem liberare requirit aut generale cum libera, *aut speciale mandatum.* 5.

1 Simplex procurator meus (id est, non cessionarius, qui etiam alias procurator, sed in rem suam, vocatur), exigit a debitore meo pecuniam, et pro parte eum liberavit stipulando et animo novandi, etiam postea acceptum
2 ferendo, Quaeritur: *An mihi praejudicet?* Resp. quod non, quia ad agendum tantum datus est, unde ei etiam solvi non potest, *l.* 86. *ff. de solut.* ita etiam transigere nequit, *l.* 7. *sup. de transact.*
3 Collige ergo *hac lege* 4. Procuratori litis non recte solvi, diversa enim est potestas solutionis accipiendae, et exercendae actionis, et ideo
4 iis, qui sine mandato agere possunt, solvi nequit, per *l.* 22. *et l. hoc jure* 86. *ff. de solut. Hillig. in Donell. lib.* 16. *c.* 10. *lit. N.* Multo minus ergo potest liberare debitorem per ac-
5 ceptilationem. Nam solutionem accipere, et liberare debitorem requirit aut generale *cum libera*, aut speciale mandatum, *Sichard. et DD. hic*, *Boer. dec.* 281. *Romanus sing.* 227. *num.* 3. *Ferd. Vasq. p.* 2. *illustr. l.* 2. *c.* 16. *n.* 10.

L. Si pater. 5.

SUMMARIA

Facti species num. 1.
Quaestio inde deducta. 2.
Non est justa excusatio ejus, qui sibi ab aliis fidem non servari queritur, et ideo se mihi fidem praestare non teneri. 3.

1 Debuit Alexander Titio 100. flor. eam quantitatem animo novandi in se derivat Cajus et pro Alexandro promittit solutionem Titio stipulanti, sed Alexander postea improbe recusat satisfacere Cajo, qui pro ipso promiserat solutionem, Quaeritur: *An nihilominus ad sol-* 2
vendum Titio condemnari debeat Cajus? Affirm. quia postquam delegatio facta, Alexander a Titio liberatus, ergo Titius dum exigit summam 100. flor. a Cajo, suum petit, viderit ergo Cajus, quomodo suum ab Alexandro consequatur, *hic et l.* 9. §. 1. *ff. de condict. causa dat. l.* 5. §. 5. *ff. de except. doli l.* 12. *ff. h. t.*
Non est ergo justa excusatio ejus, qui sibi ab 3
aliis fidem non servari conqueritur, et ideo se mihi non teneri fidem praestare, *Baldus hic et Salyc.*

L. Si solvere. 6.

SUMMARIUM

An et quatenus a debitore ad satisfaciendum mihi delegatus, suo nomine a me conveniri possit?

Debitor meus delegavit mihi Eucarpum, et promisit, ipsum mihi satisfacturum, Quaeritur: *An Eucarpus possit suo nomine a me conveniri?* Resp. Affirm. Si modo illa delegatio perfecta, atque adeo consensus non tantum delegati Eucarpi accesserit, *l.* 1. *et* 6. *h. t.* sed etiam stipulanti mihi spoponderit solutionem Eucarpus, aut si ille, ut constitutor in se receperit solutionem, quod si hoc non est factum, non possum convenire Eucarpum, nisi 1. debitor omnia sua bona, vel in specie nomen illud, quo Eucarpus illi obtrictus est, pignoris loco obligaverit. Nam eo casu contra Eucarpum, etiam citra delegationem, agere possem, *l.* 18. *pr. ff. de pign. act. l. grege* 13. §. 2. *ff. de pignor.* Ideo notanter hic chirographarii debitoris mentio fit; Vel nisi 2. debitor meus condemnatus et in executione judicati alia media solutioni deficiant, *l.* 2. *supr. quando Fiscus vel privatus*, *l. a divo* 15. §. 2. *ff. de re jud.*

L. Novationum. ult.

SUMMARIA

Novatio olim ex conjecturis colligebatur. num. 1.
Exemplo declaratur. 2.
Mutatum hoc a Justiniano. 3.
Quomodo hodie novatio debeat fieri? 4.
Si inter partes quid conveniat, quod priori obligationi est ex parte contrarium, an et tunc fiat novatio? 5.
Si posterior obligatio priori in nullo capite contraria, sed forte aliquid addit, tunc prior non novatur, ne quidem ope exceptionis. 6.
Ratio. 7.
An delegationi semper insit novatio? 8.
An haec l. ult. *etiam in delegatione locum habeat?* 9.
Casus. 10.
Novatio hodie ex conjecturis et presumptionibus non colligitur. 11.

Quatenus etiam hodiernum per conjecturas introducatur. 12.

1 Olim novatio colligebatur ex conjecturis, v.
2 g. Si quis loco unius alium fidejussorem adhibebat, vel loco fidejussoris pignus accipiebat, vel aliquid de quantitate detrahebat, vel qualitatem obligationis quacumque ratione muta-
3 bat. Hoc mutat hac Constitutione Justinianus et vult, non esse novationem faciendam, vel
4 fingendam, nisi expresse partes dixerint, se velle novare, nam alias sine novatione vetus
5 consistit obbligatio, si tamen postea quid conveniat inter partes, quod priori obligationi est ex parte contrarium; v. gr. Si creditor pro frumento aliud quid dari stipuletur: Quaeritur *An et tunc fiat novatio*? Resp. non ipso jure, sed ope exceptionis, id est, in iis tantum punctis, in quibus posterius pactum priori obligationi durogat, partes habent exceptionem pacti, si alter vellet ex priori obligatione agere, interim caetera in priori obligatione contenta manent immutata: Vide *Bacchov. in Treutl. vol.* 2. *disp.* 29. *th.* 5. *lit. F. et Gail. lib.* 2. *obs.* 30. Et in hoc omnino utilitas residet: Si enim novatio adesset, omnia, quae in priori obligatione continerentur, essent mutata, sed si contrarium quid priori obligationi in posteriori obligatione contineatur, non est prior novata, sed in illo puncto videtur tantum recessum a priori, et potest objici exceptio doli, quatenus posterior contractus est incompatibilis cum priori, *Bacch. d. l. Mastrillus dec.* 40. *Mantica de tacit. et amb. convent.*
6 *lib.* 17. *t.* 8. Sed si posterior obligatio non sit in ullo capite priori contraria, sed forte aliquid addat, tunc prior non novatur, ne quidem ope exceptionis, ne alias verbis, non factis lex 7
lata esset, *Gail. d. obs.* 30. *Alex. Trentacinq. lib.* 3. *tit. de novat. resol. un. Carpz. p.* 3. *const.*
19. *def.* 14. Sed *an delegationi semper insit no-* 8
vatio, licet expresse non dicatur? Difficilis est quaestio. Aff. id *Gail. d. obs.* 30. *num.* 9. Ubi dicit: in delegatione per *hanc legem* jura non esse correcta, et *Bacch. d. d.* 29. *th.* 6. *lit. A. et Hahn. ad Wesenb. h. t. num.* 8. *Auctor in l.*
11. *ff. h. t. num.* 3. Sed *hanc legem ult.* etiam 9
in delegatione locum habere alii sentiunt, ut *Wesenb. d. l. Sichardus hic, Carpz. p.* 2. *const.* 19. *defin.* 16. *et lib.* 5. *resp.* 105. Nam delegatio non est species opposita novationi, sed ejus genus est mandatum, et hanc sequitur novatio. Hoc vero concesserim, non esse opus in delegatione, ut partes dicant, se velle novare, modo dicant, se velle delegare, nam tunc animus novandi satis expressus, et sic conciliari
forte puto contrarias sententias. Vel dici potest, 10
si jussero meum debitorem tibi solvere, et tu stipularis ab eo, non videri novationem statim factam, nisi animus novandi ex verbis saltem: *ex delegationis* vocabulo appareat, nam alias praesumerem jure novo per *hanc legem* potius
adpromissionem, quam expromissionem. Colli- 11
go ergo, hodie novationem non colligi ex conjecturis et praesumptionibus, *Menoch. cons.* 702. *num.* 13. nec factam credi, nisi hoc expres-
se dictum, *Auctor in l.* 2. *num.* 2. *ff. h. t.* Qua- 12
tenus autem etiam hodiernum per conjecturas introducatur, docet *idem in dict. l.* 2. *num.* 3. *seq.*

TITULUS XLIII.

De solutionibus et liberationibus.

L. In potestate. 1.

SUMMARIA

Sensus legis. num. 1.
Diversi casus. 2. 3.
In potestate creditoris est, ut possit non accipere solutionem in eam causam, in quam offertur. 4.
Debitor hoc casu obsignatum deponere potest. 5.
Quid si debitor non dicat, in quam causam solvat? 6.
Limitatur. 7.
Quid si neuter voluntatem declaraverit perfecta solutione? 8.
Si omnia debita pura, illud est gravius, cujus dilata solutio periculum creare potest. 9.
Quotuplex h. l. *periculum?* 10.
Quid si una sit sortis obligatio, alia usurarum? 11.

1 Cum ex pluribus causis idem debitor, eidem creditori aliquid debet, lis esse solet, in quam
2 summam solutio imputanda sit, et primo quidem, si debitor in continenti et tempore solutionis dixerit, quod debitum velit solutum, hoc ipsius arbitrium merito sequimur, *hic et l.*
1. *pr. l.* 5. §. 1. *ff. eod.* Scilicet si ipse debitor 3
solvat, secus, si creditor pignus distrahendo
sibi ipsi solvat, *l.* 101. §. 1. *ff. h. t.* In pote- 4
state tamen creditoris est, ut possit non accipere solutionem in eam causam in quam offertur, *l.* 2. *ff. h. t. Auctor in l.* 1. *ff. h. t.*
num. 2. *et d. l.* 2. quamvis hoc casu debitor 5
obsignatum deponere possit, *l.* 9. *h. t.* Quod 6
si debitor non dicit, in quam causam solvat, hoc licet creditori dicere, in quam causam, vel quod debitum accipiat, vel cui debito etiam leviori, acceptum ferat, *hic et l.* 1. *ff.*
eod. l. 21. *supra de usur.* modo creditor in 7
continenti id constituat, *l.* 2. *l.* 3. *pr. ff. eod.* et creditum id sit extra controversiam, *l.* 1. *l.*
4. *l.* 97. *ff. h. t.* Si neuter voluntatem suam 8
declaravit perfecta solutione, tunc in causam graviorem, id est, quae debitorem magis urget, accepto ferenda est pecunia soluta, *l.* 2. *pr. l.* 5. *pr. h. t.* et quidem hoc, si de pluribus summis principalibus sermo est, gravius autem debitum est, ad quod debitor statim solvendum condemnari potest, id est, quod non est naturale tantum, aut civile tantum, nec in diem, vel sub conditione, sed purum,
et quod est extra controversiam. Deinde si 9
omnia debita pura, illud est gravius, cujus

10 dilata solutio periculum creare posset, 1. Famae, ut si actio exinde famosa, ut in deposito; vel 2. Periculum creare possit pecuniae, id est, ubi poena annexa est, vel usurae, vel ea, quae inficiatione crescunt, vel quae hypothecam adjunctam habent; vel 3. Periculum molestiae; ut si quid debet sub fidejussoribus, ubi a duobus conveniri potest. Haec si hactenus paria, illud est gravius debitum, ad quod proprio nomine, non alieno quis obstrictus est, *d. l.* 97. *ff. h. t. Mevius p.* 1. *dec.* 76. vel quod est antiquius; Si omnia autem sint paria, tum ex omnibus summis pro portione videtur solutum, *l.* 8. *ff. h. t.* Si vero sit una obligatio sortis, alia usurarum, tunc non sequi-
11 tur commodum debitoris, sed creditoris, et id quod solutum est, prius in usuras computandum, *hac l.* 1. alias enim una cum sorte adimeretur creditori obligatio usurarum, quod ipsi valde praejudicaret, qua de re vide *Hartmann. Pist. p.* 5. *quaest.* 21. *num.* 25. *et Benedict. Carpzov. part.* 2. *constit.* 29. *def.* 17. *et lib.* 5. *resp.* 103. *Menoch. lib.* 3. *praesumpt.* 136. *Bacchov. in Tr. d. d.* 29. *th.* 3. *lit. C. Molin. tr.* 2. *d.* 565. *Dn. Hahn. ad Wesenb. in ff. h. t. num.* 6.

L. Liberari. 2.

SUMMARIA

Facti species. num. 1.
An, si confusa sint debita et credita, fidejussores liberentur? 2.
Obstans l. 1. de compensat. *removetur.* 3.

1 Titius Fisco aliquid debet in statione hac hujus Provinciae et dedit fidejussores. Idem Fiscus debet Cajo 10. in statione alterius Provinciae. Fiscus postea utrique succedit, Titio forte ex testamento vel alia ex causa, Cajo ex delicto, vel etiam utrique ex delicto succedit,
2 Quaeritur: *An quia confusa sunt debita et credita, liberentur fidejussores?* Resp. id omnino certum ob regulam in *l. debitori* 7. *supra de pactis, Auctor in l.* 38. *ff. h. t. num.* 8. sed
3 propter diversas stationes Fisci forsan *Bassus* dubitabat ob *l.* 1. *supra de compensat.* sed remota hac dubitandi ratione, etiam hic confusum esse debitum Imperator ait, quia compensationis alia ratio, alia confusionis.

L. Si cum servus. 3.

SUMMARIA

Servo, ut et ei, qui liberam peculii administrationem habet, an et quatenus recte solvatur? num. 1.
Ampliatur. 2.

1 Servo etiam, qui e peculio suo credidit, recte solvitur, ut etiam ei, qui liberam habet peculii administrationem, ante ademptum peculium, vel priusquam ademptum cognosceret, debitum recte solvitur, *l.* 3. *h. t. l.* 18. *ff. eod.*
2 *l.* 20. *et* 21. *ff. de jurejur.* etiam tali servo, qui pecuniis mutuo dandis et accipiendis debitis est praepositus, *l.* 19. *h. t.* etiamsi instrumentum obligationis penes creditorem dominum permanserit, et is decesserit, cum semel liberatus sit debitor, *l.* 4. *et* 19. *h. t.*

L. Nihil interest. 4.

SUMMARIA

Solutio est mater liberationis, sive ipsi creditori solverim, sive alii ejus nomine. num. 1.
Ampliatur, licet instrumentum obligationis penes creditorem permanserit, quando decessit. 2.

Solutio est mater liberationis, sive ipsi cre- 1
ditori solverim, sive alii ejus nomine, et licet 2
instrumentum obligationis penes creditorem permanserit, quando decessit; prius certum est per *l. vero procuratori* 12. *ff. h. t. Tiraq. de retr. consang.* §. 9. *gl. ult. num.* 8. *Molin. d. tr.* 2. *d.* 563. *num.* 3. posterius etiam certum est, quia solutione facta instrumenta possum vel vindicare, vel condicere, per *l. fin. C. ad exhibendum, l.* 2. *C. de condict. ex lege,* ubi vide.

L. Nulla. 5. et L. Manifesti. 17.

SUMMARIA

Extraneus quoque pro debitore solvere vel res pro pecunia volenti creditori in solutum dare potest. num. 1.
Ampliatur. 2.
Absentis conditionem meliorem, non deteriorem facere possumus. 3.
An extraneus pro debitore solvens possit compellere creditorem, ut ille cedat actiones contra debitorem? 4.
Ratio affirmandi. 5.
Negative decidendi ratio. 6.
Alius pro alio solvere potest invito creditore et debitore, sed aliud pro alio solvi nequit, nisi consentienti creditori. 7.
Extraneus non potest petere, ut creditor in eum pro soluta pecunia transferat omne jus suum, quod habet. 8.
Casus. 9.

Extraneus etiam pro debitore solvere, vel res 1
pro pecunia in solutum dare volenti potest creditori, ita ut inde liberetur debitor, *princ. Instit. quibus modis oblig. solv. l.* 17. *h. t.* et
pignora etiam liberentur, *l.* 21. *supra de pi-* 2
gnoribus, licet id fiat invito debitore, vel ignorante, *l.* 8. §. *ult. ff. de novat. l.* 23. *l.* 40. *l.* 53.
ff. h. t. Absentis enim conditionem meliorem 3
facere possumus, non deteriorem, *l.* 12. *h. t. l.* 39. *de N. G. l.* 23. *ff. h. t.* et hic datur beneficium invito, sed per consequentiam: primario enim is, qui pro alio solvit invito, facit id in gratiam creditoris, vel dici potest, invito debitore solutionem factam, liberare ex
natura rei debitorem; sed Quaeritur in *l.* 5. *An* 4
non extraneus pro debitore solvens possit com-

pellere creditorem, ut ille cedat actiones contra
5 *debitorem.* Videtur quod sic, exemplo fidejus-
sorum, *l.* 2. *l.* 11. *l.* 14. *supra de fidejuss.* Sed
6 negatur hic, quia fidejussor solvit ex necessitate, ergo ipsi succurrendum. Sed hic solvit ex spontanea voluntate, ideoque nullam habet actionem contra debitorem, neque exceptionem, quas tamen habet fidejussor, *d. l.* 2. 11.
7 *et* 14. Colligitur igitur *ex his duobus textibus:* Alium pro alio solvere posse invito creditore et debitore, sed aliud pro alio solvi non posse, nisi consentienti creditori, de quo *infra.*
8 Deinde: Extraneum non posse petere, ut creditor in eum, pro soluta pecunia transferat omne jus suum, quod habet per *h. l. nulla* 5. quae ad id solet quotidie allegari, et tractatur id fusius a *Neguz. de pign. p.* 1. *membr.* 3. *part.* 5. *princ.*
9 *num.* 26. Et sic si mihi dedit pignus debitor, et ejusdem debitoris alius creditor chirographarius mihi offerat meum creditum, non teneor ipsi credere pignus, nisi ipse sit hypothecarius posterior, nam tunc habet jus offerendi, de quo supra. Et ideo *legem quintam* in iis, qui habent beneficium cedendarum actionum, cessare dicit *Christin. vol.* 4. *dec.* 181.

L. Si inter. 6.
LL. 13. 21. et 23.

SUMMARIA

Facti species. num. 1.
Species in l. 23. *num.* 2.
Legis 13. *species.* 3.
An falsa solutionis confessio creditori noceat? 4.
Ratio affirmandi. 5.
Negative decidendi ratio. 6.
Exceptio debiti non soluti contra apocham intra 30. *dies tantum admittitur.* 7.
Quomodo creditor errorem probare possit, remissive? 8.
Exceptiones a regula num. 7. *tradita.* 9.

1 Creditor, accepta parte debiti, persuasus a debitore, quasi residuum jamdum ejus procuratori vel institori solutum esset, ut in *l.* 6. *h. t.* vel spe futurae numerationis, *l.* 21. *h. t.* fatetur in apocha, sibi totum solutum esse debitum, cum tamen non sit solutum, ideoque
2 confessio est erronea: vel debitor mandaverat alicui, ut creditori suo solveret, qua spe inductus creditor debitorem per apocham liberat, sed is, cui a debitore mandata est solutio, mandatum non implet, ut hodie etiam saepe
3 fieri solet, quae est species *legis* 23. Alia species in *l.* 13. ubi dominus procuratori dat apocham, in qua fatetur, procuratorem sibi numerasse debitam pecuniam, quae est *species legis* 13. in his, inquam, speciebus, Quae-
4 ritur: *An falsa talis confessio solutionis, cre-*
5 *ditori noceat?* Videtur quod sic, quod omnino in re dubia confessioni alicujus standum sit, *l. generaliter* 13. *supr. de non numerat.*
6 *pecun.* Sed negat Imperat. in *l.* 6. 21. *et* 23. Falsa enim confessio, sicut substantiam rei non mutat, ita veritati non nocet, *l.* 29. §. 1. *ff. de probat. l.* 2. *de non numerat. pecun. l.* 5. *et*
7 8. *supr. de juris et facti ignorantia.* Sed haec exceptio debiti non soluti contra apocham intra 30. dies tantum admittitur, *l.* 11. §. 2. *supr. de non numerat. pecun.* Quomodo autem 8
creditor errorem probare possit, videatur *Mascard. vol.* 2. *de probat. conclus.* 642. *Ant. de Padilla ad l. error num.* 152. *supr. de juris et fact. ignor.* Aliud autem, si per acceptilatio- 9
nem liberasset, ubi ipso jure tutus esset debitor, *d. l.* 13. licet error intervenerit, ubi tamen daretur condictio causa data non secuta, *leg.* 4. *ff. de condict. causa data.* Aliud etiam, si transactio intervenisset, *d. l.* 6. *et* 21. Aliud etiam, si donationis causa residuum remissum esset, *d. l.* 6. quae omnia sua luce patent.

L. Ejus quantitatis. 7.

SUMMARIUM

Sensus legis.

Compensatio pro solutione est, atque ita ut sorte soluta, non debentur usurae, *l. accepta* 19. *supra de usur.* ita ab eo tempore, quod creditor vicissim aliquid debuit debitori, ad concurrentem quantitatem cessat etiam cursus usurarum, *hic et l.* 4. *et seq. supr. de compensat.* ubi vide.

L. Usuras. 8.

SUMMARIA

Facti species. num. 1.
Bannitus ab aliqua urbe 'alibi suos debitores convenire, et a creditoribus conveniri potest. 2.

Debitor promittit creditori suo, se quotan- 1
nis Romae soluturum usuras, creditor postea vult, ut solvantur Neapoli, et petit ab Imperatore, ut debitor ad id adigatur, urget hoc, quod sibi hoc sit commodum, debitori autem aeque facile solvere, Neapoli quam Romae? Resp. Imperator, quamvis id aeque facile debitori esset, exemplo tamen esse perniciosum, si Imperator vellet permittere, ut debitor, qui in certo loco promisit solutionem usurarum, eas alio loco solvere cogeretur. Nam id facile a creditoribus in exemplum trahi posset, nisi esset justa ejus permissionis causa, v. gr. si utrique expediat, solutionem alio loco fieri. Nam malitia tunc debitoris esset, locum conventum urgentis, cui indulgendum non est. *l. in fundo* 38. *ff. de rei vind.* unde post glossam hic in verbo *promittere DD.* colligere so-
lent, quod bannitus ab aliqua urbe alibi suos 2
debitores convenire possit, et a creditoribus conveniri, *Romanus sing.* 72. *Fr. Cecurensis* 121. *Hippol. de Marsil. sing.* 261.

L. Obsigatione. 9.

SUMMARIA

Solutioni similis est debiti oblatio, si creditor accipere recuset. num. 1.

Requisita hujus. 2.
Totum est solvendum debitum, nec invito creditori particularis solutio offerenda. 3.
Limitatur. 4.
Nuda realis oblatio creditorem in mora constituit, nisi inopportuno tempore facta. 5.

1 Similis solutioni est oblatio debiti, si credi-
tor recuset accipere, sed notanda sunt ejus re-
2 quisita: I. Ut ad oblationem accedat obsignatio
et depositio, *hic et l.* 6. 9. *et* 19. *supr. de usur.*
l. ult. supr. de pign. act. Auctor in l. 30. *ff.*
h. t. II. Ut deponatur totum debitum, nam
partem debiti creditor jure recusaret, *hic et*
l. 27. *l.* 34. §. 10. *ff. h. t.* cum usuris, *dict. l.* 19.
supr. de usur. III. Solemniter, id est, coram
testibus, *d. l.* 6. *et* 19. et publice, *l.* 56. §. 1.
ff. mandati, l. 64. *ff.* de *fidejuss.* IV. Oppor-
tuno loco et tempore, v. gr. si quis pecu-
niam, quam Lipsiae debet, hic vellet offerre,
nihil ageret, nam accipere creditor juste re-
cusaret, *l.* 122. *ff. de V. O.* Tempus etiam de-
bet esse opportunum, *l.* 39. *ff. h. tit.* de quo
scilicet initio convenit; si igitur hac ratione de-
posita sit pecunia debita, et in ea causa per-
manserit, *l.* 8. *supra de distr. pign.* tunc de-
bitor plenam consequitur liberationem, *hic et*
d. l. 19. et creditor sustinet periculum dictae
pecuniae, *d. l.* 19. et cursus usurarum sistitur,
d. l. 6. *et* 19. et liberantur pignora, *l.* 20. *supr.*
de pignor. et fidejussores, *arg. l.* 43. *ff. h. t.*
Vide *Donell. lib.* 16. *c.* 13. *et seq. Collect.*
Arg. in tit de solut. th. 24. *Georg. Schultz. in*
tr. de obl. c. 4. *et seq. Carpzov. p.* 2. *constit.*
28. *def.* 16. *et seq. Neguzant. de pign. p.* 2.
membri 3. *partis* 5. *princ. Klock. vol.* 2. *cons.*
39. *num.* 289. *et multis seqq. Dn. Hahnius ad*
hunc tit. in Wesenbec. notatis num. 8. Probari
3 etiam solet ex *hoc textu:* Totum debitum sol-
vendum esse, nec invito creditori particularem
solutionem offerendam, *Carpzov. p.* 3. *constit.*
24. d. 15. *Wesenb. in π. h. t. num.* 5. *Hahnius ad*
Wesenbec. tit de V. O. num. 6. *Bacchov. d. d.*
4 29. *th.* 2. et multi alii. Nisi pars illiquida, *l.*
21. *ff. de rebus credit.* vel agatur de libertate
servo donanda aliquo dato, ubi particularis so-
lutio etiam admittenda, *l.* 4. §. 6. *ff. de statulib.*
item, si ex duabus haereditatibus debentur di-
versa nomina, *l. fin. ff. quib. mod. pignus*
solvatur, et *l.* 4. *C. de collatione fundorum pa-*
trim. Mev. p. 3. *dec.* 236. *et part.* 6. *dec.* 381.
idem Mev. in levam. debit. c. 4. *sect.* 9. *per*
5 *totam.* Nuda autem realis oblatio constituit cre-
ditorem in mora, nisi inopportuno tempore
facta, *Auctor in l.* 39. *ff. h. t. num.* 3. *et* 4.

L. Successores ejus. 10.

SUMMARIA

Aliud pro alio regulariter solvi nequit, nisi volente creditore. num. 1.
Facti species. 2.

1 Aliud pro alio quidem solvi non potest, *l.* 2.
§. 1. *ff. de rebus cred.* nisi volente creditore
2 *hic et l.* 17. *h. t.* Sed pone: Debitorem in so-
lutum dedisse mancipia pro pecunia, hujus
haeres vult illam dationem ob laesionem ali-
quam retractare. Sed resp. Imperator: si ma-
jorennis fuit debitor, qui dedit in solutum,
retractari id non posse, quia semel recte so-
lutum revocari non potest, et haeres factum
defuncti praestare debet, sed si debitor, qui
solvit, fuisset minorennis, et in datione hac in
solutum laesus, daretur restitutio, non ipsi
tantum, sed haeredi etiam ejus, *l.* 6. *ff. de restit.*

L. Cum maritum. 11. et L. Invito. 12.

SUMMARIA

Creditori, non alii, fieri debet solutio. num. 1.
Si quis invito vel ignorante creditore alii solverit, liberationem non consequitur. 2.
Exemplo declaratur. 3.
Cur in l. 11. *requiratur, ut uxor post majorem aetatem ratam habeat solutionem?* 4.
Ob conjunctionem personae, alii, quam cui debetur, solvi non potest. 5.
Ampliatur. 6. 7.
Quale mandatum ad recipiendam solutionem sufficiat. 8.
An et quatenus tutor solutionem a debitore accipere possit? 9.

Creditori solutio fieri debet, non etiam alii 1
sine voluntate creditoris, *l.* 12. *et l.* 4. *h. t.*
Ergo si quis invito vel ignorante creditore alii 2
solvit, non consequitur liberationem, *d. l.* 12.
Exemplum in *l.* 11. ubi debitor uxoris tuae, 3
tibi, non consentiente uxore tua, et ea quo-
que in minore aetate constituta, solverat, sed
excipitur, si vel mandante creditore, vel eo
ratum habente persolverit alii, tunc enim non
minus liberationem consequitur, quam si ipsi
creditori solvisset, *l.* 49. *ff. h. t. l.* 39. *ff. de*
N. G. Auctor in l. 12. *ff. h. t. num.* 1. *et in*
l. 11. *de pign. act.* Sed cur in *d. l.* 11. re- 4
quiritur, ut uxor post majorem aetatem ra-
tam habeat solutionem? Resp. quemadmodum
ille, qui minori solvit, non consequitur ple-
nam liberationem, *arg. l.* 7. §. 2. *et l.* 16.
prin. ff. de minor. ita etiam si ratam habuerit
solutionem minorennis, habet restitutionem,
et ita securus debitor non est. Colligitur ex 5
l. 11. non posse ob conjunctionem personae
alii solvi, quam cui debetur; Sic nec filiofami- 6
lias solvi potest quod patri debetur, *l. filiusfa-*
milias 22. *ff. h. t. et ibi Auctor et Castrens.*
nec marito recte solvitur, quod uxori debetur, 7
Hillig. in Donell. lib. 10. *cap.* 10. *lit. S.* quale au- 8
tem mandatum sufficiat ad recipiendam solutio-
nem, de eo agit *Mevius p.* 5. *dec.* 19. *Auctor in d.*
l. 12. *ff. h. t. num.* 1. Interdum contingit li-
beratio, si probabili ex causa credit, recipien-
tem habere mandatum, *Mevius part.* 5. *dec.* 174.
item si ei solvit, qui habuit mandatum ven-
dendi, quae est communis opinio, per *l.* 35.
ff. h. t. ibique Auctor, et Mevius d. par. 5.
dec. 175. vel si alias probabilem credulitatis
causam habuit, *Mevius d. par.* 5. *dec.* 176.
idem si ei, qui mandatario substitutus est, sol-
verim, *Mevius d. l. dec.* 177. An et quatenus 9

tutor solutionem a debitore accipere possit? *Auctor in l. 14. ff. h. t.*

L. Pecuniae. 14. et L. Quod debitori. 15.

SUMMARIA

Facti species. num. 1.
An debito soluto non solum apocha, sed et chirographum redditur? 2.
Si creditor chirographum cancellatum reddere nequit, apocha sufficit, qua creditor dicit, chirographum, si aliquando reperiatur, pro cancellato habendum esse et pro nullo. 3.
Fallit haec regula. 4.
Casus legis *15. num. 5.*
An debitor adhuc amisso chirographo, quo solutio probata ad solutionem compelli debeat? 6.
Utrumque, et quietantiam, et restitutum instrumentum habere, de jure hodierno est utilissimum, et practici illud suadent. 7.
An creditor reddito chirographo, in quo alius etiam se obligaverat, actionem contra alium cessisse videatur? 8.

1 Debitor solverat creditori et acceperat apocham, id est, literas seu scripturam, quae continebat confessionem creditoris, qua solu-
2 tionem fatebatur creditor, sed cum nondum chirographum restituisset creditor, volebat debitor, ut etiam chirographum, id est instrumentum debiti, quod jam per solutionem inane factum est, *l. 4. h. t.* sibi restitueret: Resp. Imperator in *l. 14.* non esse hoc necessarium, sed sufficere solam professionem solutionis factam a creditore, scilicet post lapsum 30. dierum, *l. 13. §. 2. ff. de non num. pecun.* Et hanc esse longe firmiorem probationem, quam restitutio chirographi, ex qua etiam tacite sequitur solutio, *l. 2. ff. de pact.* Unde notat hic
3 *ad l. 14.* Baldus, si creditor chirographum cancellatum reddere non possit, quod tunc apocha sufficiat, et creditor dicat chirographum, si aliquando reperiatur, pro cancellato illud habendum esse, et pro nullo, *Riminaldus*
4 *volum. 3. cons. 208. num. 46.* quod tamen perpetuum non esse apparet ex traditis *Mevii part. 6. dec. 194.* Nam potest fieri, ut non a creditore, sed aliunde chirographum debitor
5 acceperit. Pone enim casum, amissum chirographum pervenisse in manus debitoris, creditor agit contra debitorem, et probat debitum testibus; debitor allegat se habere instrumentum obligationis in manibus, ex quo vult praesumptive probare solutionem esse factam, juxta *d. l. 2. ff. de pact.* creditor replicat, non sua voluntate pervenisse chirographum in manus debitoris, quae est species *l. 15.* Quaeritur
6 ergo: *An non adhuc debitor ad solutionem compelli debeat?* Et Resp. in *d. l. 15.* quod sic, nisi debitor probaverit a creditore sibi redditum chirographum juxta *dict. l. 2. ff. de pactis*, nam tunc videtur per tacitum pactum remissum esse debitum, *Br. Bl. Jason. Castr. Alex. et caeteri DD. in d. l. 2. et Canonistae in c. Ecclesiae sanctae X. ut lite pendente, Alex. Trentaq. lib. 3. resol. tit. de solut. res. 17. n. 1. Menoch. lib. 3. praesumpt. 140.* Sed utilissimum 7
est, utrumque habere, scilicet quietantiam, et restitutum instrumentum debiti, quia confessio solutionis potest amitti, etc. sicut hodierni practici utrumque solent suadere. Illa vero impro- 8
babilis opinio, quod creditor, reddito chirographo, in quo alius etiam se obligaverat, videatur cessisse actionem contra alium, quam licet tradat *Menoch. dict. praes. 140. num. 2. et seq. Treutl. v. 1. d. 6. th. 3. lit. B.* recte tamen refutat *Bacch. d. l. et Trentac. d. resol. num. 2.*

L. Eum. 16. et Auth. Hoc nisi.

SUMMARIA

Aliud pro alio solvi nequit. num. 1.
Exemplo declaratur. 2.
Exceptiones a regula. 3.
Si debitor pauper aliud pro alio solvere velit, quaenam requirantur? 4.
Quinam ordo in rebus offerendis, et alias quid observetur. 5.

Aliud pro alio solvi non potest. *l. 2. §. 1. ff.* 1
de rebus cred. ibique Auctor num. 2. Vid. *supr. l. 10.* ideoque si quis velit nomina sua in so- 2
lutum dare creditori invito (aliud, si vellet creditor accipere, *l. 17. h. t.*) non esset audiendus, *l. 16.* Sed inter alias exceptiones, ut 3
in haerede confecto inventario, item in *l. 114. §. 5. ff. de legat. 1.* vel si res periit, *l. 8. ff. de cond. furt. l. 68. ff. de R. V.* item in servo noxae dando, *l. 7. ff. de noxal. act.* item *in l. 115. §. 2. ff. de V. O. l. 71. §. 3. ff. de legat. 1.* item si debitor habet facultatem a lege aut conventione etc. aliud pro alio solvendi, *Auctor in l. 2. ff. de reb. cred. num. 17.* etiam haec est, nisi debitor quantitatis non habeat praesentem pecuniam unde solvat. Nam tunc necessitas cogit creditorem, ut aliud pro alio accipiat, *Auctor in l. 2. ff. de reb. cred. num. 3.* Sed notandum 4
est ex *Novell. 4. c. 3. et hac Auth.* Debitorem 1. probare debere, se esse pauperem, et non habere pecuniam, *Trentac. lib. 3. tit. de solut. resol. 36. num. 3.* - 2. Quod quaesiverit emptorem bonorum, et eum reperire non potuerit, scilicet qui justum pretium offerat, *Salgado in labyr. cred. p. 1. c. 22. num. 1. et seqq.* - 3. Ut meliora offerat: 4. Ut creditor eligat unam ex melioribus, *Salgado d. l.* et 5. Ut det fidejussorem pro evictione. Vide, *Natta cons. 311. Trentac. d. l. Vinc. de Franchis dec. 81. Joan. Balt. Asinius de execut. §. 7. c. 13.* Et inter res of- 5
ferendas, primo debent esse res mobiles, his destitutus debet offerre res immobiles, si earum emptores non reperiantur, sed dentur optimae ac praestantissimae in suo genere, et quidem a Judice facta earum aestimatione, et praeterea cautione de evictione creditori per debitorem praestita. Videatur *Rittershus. in Novell. part. 2. c. 3. num. 4. et seqq. Thesaurus decis. 153. Koppen. q. 55. Hillig. in Donell.*

lib. 16. *cap.* 9. *in fine. Carpz. in asilo debitorum c.* 4. *num.* 226. Vid. *etiam Dissertatio eruditissima Dn. Samuelis Stryk. prof. publ. ordin. de donatione in solutum, responden e Dn. Nicolao Michaelis.* Sed si creditor vellet emptorem praestare, res distrahenda esset, et satisfaciendum creditori.

L. Inquisitio. 18.

SUMMARIA

Facti species. num. 1.
Oratione generali non continetur is, qui scribit, ut hic procurator. 2.

1 Procurator tuus debita ab ipso in tua causa contracta, solvit sua pecunia, et ita chirographa a creditoribus accepit: ejus haeres etiam illa chirographa tibi restituit. Erat autem his chirographis subscriptum, nihil amplius creditoribus deberi. Sed postea haeres procuratoris tui contra te agit, et pecuniam a procuratore in solutione tuorum debitorum erogatam repetit. Excipis autem 1. ex eo praesumi solutionem, quod chirographa tibi restituerit procuratoris: 2. Quod ipse procurator chirographis subscripserit, creditoribus nihil deberi. Et cum ipse procurator inter creditores numeretur, sequetur inde, nec ipsi aliquid deberi; sed Imperator refutat intentionem tuam. Nam quod ad primam rationem attinet, hoc tantum sequitur, obligationem esse solutam, sed non sequetur, Ergo pecunia tua est soluta. Nihil enim impedit, quo minus a procuratore solvi potuerit. Ad secundam respond. de creditoribus, cum dicit procurator, non se intelligit, sed quorum illa erant chirographa; ergo adhuc inquirendum, cujus pecunia soluta sint illa
2 debita, an tua, an procuratoris. Nota bene, oratione generali non contineri eum, qui scribit, ut hic procurator, *hic et l.* 30. §. *fin. ff. locati, et ibi DD. ac Hart. Pist. lib.* 2. *part.* 2. *q.* 48. *num.* 9. *et* 20. *Ant. Gabr. Rom. lib.* 6. *tit. de verb. sign. concl.* 9. *Menoch. cons.* 182. *num.* 2. *et cons.* 250. *num.* 23.

L. Si actore. 19.

SUMMARIUM

Facti species.

Sententia *hujus legis* plana est; quod solutio, servo recipiendis pecuniis praeposito, et sic mea, domini scilicet voluntate facta, liberet solventem, nec nocet, si adhuc habeam instrumentum obligationis nondum cancellatum, ratio in *l. nihil* 4. *h. t. l. dissolutae C. de condict. ex lege.* Si autem sine hac propositione a me facta servo meo quid solveret, non liberaretur, quia sine voluntate mea solvit alii, quam cui debuit, tacitum tamen mandatum sufficere potest, *Mevius p.* 3. *dec.* 36.

L. Si operas. 20.

SUMMARIA

Debitor pro pecunia debita per operas servi pignori interim dati compensare potest. num. 1.
Debito praestatione operarum ita per compensationem soluto servus repeti potest. 2.

Debitor pro pecunia debita creditori servum 1
dedit pignori, hac conditione, ut creditor ejus operis uteretur, usque dum tantum percepisset operarum, quantum ad solutionem debiti sufficeret, convenit etiam, ut si tantum percepisset, servus restitueretur. Percepit autem 2
creditor, quantum ad debiti solutionem sufficit, et procul dubio liberatus est debitor, qui aliud pro alio volenti creditori solvit, *l.* 17. *h. t.* et ex pacto servus quoque potest repeti, quia non est pactum nudum, sed traditione vestitum, *l.* 10. *supr. de pactis.*

L. Inductum. 22.

SUMMARIA

Probatio solutionis sufficit, licet instrumentum nondum sit inductum. num. 1.
De solutionis probatione, remissive. 2.

Sufficit probatio solutionis licet, instrumen- 1
tum nondum sit inductum, id est, deletum nec cancellatum. Ratio in *l.* 4. *et* 19. *supr. h. t.*
De solutionis autem probatione agit *l.* 1. 8. *sup.* 2
de testibus, Mascardus de probat. concl. 1325. *Hering. de fidejuss. c.* 20. §. 4. *num.* 41. *Menoch. de praesumpt. lib.* 3. *praesumpt.* 35. *Hartm. Pist. p.* 4. *q.* 13. Eleganter etiam *Struv. synt. jur. civil. exerc.* 47. *th.* 76.

L. Cum pro pecunia. 24.

SUMMARIA

Facti species. num. 1.
Non debet quis illud petere, cujus contrarium postulaturus non esset sequiore eventu. 2
Fundo emphyteutico vel feudo aucto canon non augetur, vel servitia determinata et certa. 3.
Limitatur. 4.
Si contra me testes producuntur, et mihi contra istos exceptiones reservaverim, iis non facile credendum, si aliquid contra me deponant. 5.

Debitor in solutum dat fundum creditori suo, 1
eum creditor fortuna vel labore suo longe meliorem efficit, vel etiam non melioratum, pluris vendit, debitor augmentum illud petit a creditore, sed non petit jure, licet minor esset, *l.* 39. §. 1. *ff. de minor.* is enim tantum melioramenta repetit, qui facit in re aliena, *l. mulier* 22. §. *sed enim si quis ff. ad Trebell. l. fin. supr. communia de leg.* Et si minoris

vendidisset, debitor damnum illud creditori non restituisset, ergo neque lucrum illud ei invidere debet; oppositorum enim eadem est ratio;
2 et Collige: Non debere quem illud petere, cujus contrarium postulaturus non esset sequiore
3 eventu. Et inde probat *Bald.* fundo emphyteutico vel feudali aucto, non augeri canonem vel servitia determinata et certa. Et in priori, ut et posteriori cum *Baldo* sentit *Nizolius al-*
4 *leg.* 40. Sed in feudo distinguunt *DD.* an incrementum sit magnum an parvum, an fortuna contigerit, an ex industria vasalli, *Rosen-*
5 *thal. de feudis c.* 10. *concl.* 44. *num.* 57. Colligitur etiam, si contra me producantur testes, et mihi reservaverim exceptiones contra testes, non facile iis credendum, si aliquid contra me deponant, per *c. praesentium* 31. *X. de testib.*

L. Solutionem. ult.

SUMMARIA

Debitor solutionem allegans eam probare debet. num. 1.
Hac probata instrumentum obligationis, si forte apud creditorem permansit, vindicare potest. 2.

Debitor, qui allegat solutionem, eam debet 1
probare, *l. adseveratione supr. de non num. pec.* qua probata instrumentum obligationis, si 2
forte apud creditorem permansit, vindicare potest debitor, *l.* 2. *supr. de condict. ex leg. l. fin. supr. ad exhibend.* vel si ejus non sit, condicere.

TITULUS XLIV.

De acceptilationibus.

L. Jam tibi. 1.

SUMMARIA

Facti species. num. 1.
Deciditur per distinctionem. 2.
Acceptilatio inutilis vim habet pacti. 3.
Limitatur. 4.
Si tutoris auctoritas sine verbis solemnibus intervenit, non valet acceptilatio, sed habet vim pacti. 5.
Quomodo tutor acceptum ferre potuerit. 6.

1 Pupilla debitorem acceptilatione (qua tantum eae obligationes tollebantur, quae verbis contrahuntur) liberaverat. Sed debitor ex errore forte eam pecuniam exsolvit pupillae, hac mortua pecuniam illam solutam ut indebitam repetit debitor a pupillae fratre ut haerede: Resp:
2 Imperator distinguendo, an acceptilatio solemniter per interrogationem et resp. facta sit, et quidem cum auctoritate tutoris, et eo casu indebite fuit soluta pecunia, et ideo potest condici; Sed si sine auctoritate tutoris acceptilatio facta, nulla est, et ideo recte soluta pecunia, male autem condicitur. Collige ex *hac*
3 *lege:* Quamvis acceptilatio inutilis habeat vim
4 pacti, per *l.* 8. *ff. h. t.* secus tamen esse, ubi ne pactum quidem expressum valeret, nam ubi nulla vis expressi pacti, multo minus taciti, *Donell. lib.* 16. *c.* 21. *in fin.*, *Goedd. ad l.* 17. *ff. de V. S. et in tr. de stipulat. c.* 3. *num.* 201. *Coll. Arg. h. t. th.* 13. *num.* 12. Ideoq.
5 Si tutoris auctoritas intervenisset, sed sine verbis solemnibus, non valeret acceptilatio, sed
6 haberet vim pacti. Sed *quomodo hic tutor potuit acceptum ferre?* Resp. non omnem acceptilationem fieri animo donandi, sed ob merita potuit fieri vel aliam causam onerosam, vel inter conjunctos ex causa non improbabili, ut si pro acceptilatione aliud quid detur pupillo, *Christinaeus vol.* 4. *d.* 182. Hodie inter acceptilationem et pactum liberatorium in foro nulla est differentia, *Auctor in l.* 8. *ff. h. t. num.* 2.

L. Si donationis. 2. et L. ult.

SUMMARIA

Facti species. num. 1.
Quaestio inde deducta. 2.
Acceptilationis usus hodie exiguus. 3.

Debebam tibi ex empto vel mutuo 200. ea 1
cum velles donationis gratia mihi remittere, prius redegisti illud debitum in Aquilianam stipulationem, et ita novasti, postea per acceptilationem me liberasti juxta §. 2. *Inst. quib. mod. toll. obl.* quia Aquiliana stipulatio viam sternit acceptilationi, ut ea in aliis etiam contractibus praeter verb. obligationem locum habere possit, et sic quasi materiam idoneam reddit, *Goedd. de stipul. cap.* 1. *num.* 71. *Hillig. in Donell. d. lib.* 6. *c.* 21. *lit. N. Bacchov. in Tr. v.* 2. *d.* 9. *th.* 1. *lit. C. et D.* Quaeritur: 2
An agere adhuc contra me possis? Resp. Neg. quia omnis agendi via tibi per acceptilationem praeclusa est, nisi 1. non donationis gratia, sed ut aliquid praestarem, me liberaveris, et id a me praestitum non sit, *l.* 9. *ff. de praescript. verb.* aut 2. justa causa sit restitutionis, aut minor aetas, dolus etc. *l. ult. h. t.* Hodie 3
acceptilationis exiguus usus, et ejus fere theoretica tantum cognitio, cum pacti liberatorii et acceptilationis veterum sit unus effectus, ut recte *Dn. Struvius exerc.* 47. *ad h. t. th.* 90. *Wissenbach. ad h. t. th.* 23.

TITULUS XLV.

De evictionibus.

L. Emptor haereditatis. 1.

SUMMARIA

Venditor haereditatis de evictione rerum singularium non tenetur. num. 1.
Emptor res haereditarias sumptu ac periculo suo a possessoribus vindicare debet. 2.
Legis *ratio.* 3.
Limitatur varie. 4.
Quid si omnes et singulae res haereditariae evictae? 5.

1 Venditor haereditatis, non sicut reliqui ven-
ditores, tenetur de evictione rerum singula-
rium, quia non tamquam dominus, sed ut hae-
res vendit, *Struv. synt. jur. civil. exerc.* 27.
th. 21. Sufficit igitur, haereditatem praestari,
qualem adiit, non etiam rerum particularium
dominium. Ideoque satisdare de evictione ven-
ditor haereditatis non tenetur, *l.* 2. *ff. de hae-
red. vendit. et ibi Wesenb. in* ϖ. *ff. h. t. num.* 3.
2 ideoque etiam emptor res haereditarias sumptu
ac periculo suo a possessoribus vindicare debet,
nisi scilicet initio convenerit, ut venditor rerum
3 singularium evictionem praestaret. Ratio autem
hujus legis est, quia aut fuit haereditaria, et
tunc per injuriam judicis evicta, et sic non
tenetur venditor, aut non fuit haereditaria, et
sic nec vendita. Atque hoc idem est, si alia
universitas, ut peculium, non si plures res
vendantur, ut grex, *Boer. dec.* 33. *num.* 36.
4 *Caballin. de evict.* §. 5. *num.* 30. Sed limitatur
haec lex 1. si venditor non fuit haeres, *l.* 8.
ff. de act. vel haered. vendita, Sich. hic num.
7. *Joan. Franc. Balthasar. in resol. Bavaric.
tit.* 8. *res.* 7. *num.* 15. - 2. Si contrarium conve-
nit, *Balth. d. l.* - 3. Si hanc illam rem haeredi-
tariam esse affirmavit, *l.* 5. *ff. d. t. Donell. hic*
5 *in fine*, *Balth. d. l.* Sed quid si omnes et sin-
gulae res haereditariae evictae? Tunc nullam
esse in effectu haereditatem, nec in dubio ti-
tulum esse emptum, pluribus probat *Coevall.
q.* 536. *num.* 37. *et seqq. Balth. d. l. Joan. de
Castillo lib.* 4. *c.* 42. *num.* 67.

L. Quoniam avus. 2.

SUMMARIA

An donator de evictione teneatur? num. 1. 8.
Ex donatione oritur actio. 2.
Quid si donator evictionem promiserit? 3.
Casus. 4.
An nepos hic contra cohaeredes suos ad evictionem praestandam agere possit? 5.
Casus. 6.
Ex pacto non oritur obligatio ad evictionem. 7.
Ampliantur num. 1. *dicta* 9.
Limitantur eod. num. *dicta.* 10.
Objectio diluitur. 11.
Sententia Auctoris. 12.
Jus hodiernum 13.

Donator non tenetur de evictione, quando 1
scilicet per traditionem facta est, *l.* 18. §. *fin.
ff.* de donat. *Auctor in l.* 1. *ff. h. t. num.* 3.
quod nec hodie mutatum. Nam licet ex dona- 2
tione oriatur actio, per *l.* 35. *pr. C. de donat.*
non tamen oritur obligatio ad evictionem. Aliud
in donatione dotis, *Auctor in l.* 1. *ff. h. t. n.* 3.
Sed *quid si donator evictionem promiserit?* v. 3
g. avus nepoti donat praedium et promittit 4
evictionem, avus moritur relicto hoc nepote
et aliis haeredibus, Quaeritur: *An nepos hic* 5
*contra cohaeredes suos agere ad evictionem
praestandam possit?* Resp. distinguendo, utrum
per stipulationem promissa sit evictio, an per
nudum pactum: Si per stipulationem, nepos
ad evictionem praestandam agere potest con-
tra cohaeredes, pro portione haereditaria. Nam
pro ea portione, qua nepos est haeres, extin-
cta est actio ad evictionem, *arg. l.* 5. *supra
de haered. act.* Atque id est, quod hic dicitur,
pro portione haereditaria cohaeredes teneri,
v. g. Si nepos ille ex semisse sit haeres, ex 6
altero semisse reliqui cohaeres, ex semisse etiam
tenentur cohaeredes ad evictionem. Ex pacto 7
autem non oritur obligatio ad evictionem, cum
pactum non pariat actionem. Collige ergo do- 8
natorem non teneri de evictione, ne ex sua
liberalitate damnum capiat, *l. ad res donatas*
62. *ff. de edict. aedilit.* quae regula ampliatur, 9
ut locum habeat in quocumque titulo lucrativo,
Gomez. t. 2. *resol. c.* 2. *num.* 34. Et idem in
legato, quia videtur legatum jus, quod testa-
tor habuit, *Perez. ad hunc tit. num.* 10. *Franc.
Caldas de empt. c.* 31. *num.* 45. Sed limitatur
1. Quod non habeat locum in donatione re-
muneratoria vel sub modo facta, *Auctor in l.*
1. *ff. h. t. num.* 3. *Boer. dec.* 67. *num.* 1. *Ca-
ball. de evict.* §. 4. *num.* 44. *Berlich. p.* 2. *concl.*
24. *num.* 72. Deinde communiter hoc limitant, 10
quod verum non sit, si donatio a promissione
inceperit, sed tantum eo casu, quando statim
a traditione incipit, *Boer. d. l. Sich. hic num.*
9. *Caballinus d.* §. 4. *num.* 2. *Gomez. num.* 35.
Sed illa limitatio valde dubia, per tradita
Trentacinq. lib. 3. *tit. de donat. resol.* 2. *Bac-
chov. in Treutl. v.* 2. *d.* 2. *th.* 5. *lit. D. Balthas.
tit.* 8. *resol. Bavar.* 6. *num.* 13. *Franzkii ad
tit. de evict. num.* 424. *per l. Aristo* 18. §. *ult.
de donat. et l.* 61. *ff. de aedil. edicto.* Nec 11
obstare videtur *haec lex* quia Severi et Anto-
nini tempore pactionis donationis nulla vis,
Franzkius d. l. num. 426. Si mihi liceret talem 12
componere litem, distinguerem, an quis in
genere rem promiserit, an in specie hanc rem,
ut illo casu donans rem alienam teneatur de
evictione, non hoc. Alias limitationes regulae
hujus videre licet apud *Sich. hic et Gomez.
d. l.* Interim quod de pacto hic dicitur, hodie 13

indistincte secus habet, sive b. f. contractus sit, sive stricti juris, sive in continenti, sive ex post facto interpositum sit, cum ex pacto hodie actio oriatur.

L. Qui rem. 3. et L. Ex iis. 5.

SUMMARIA

Venditor, licet evictionem non promiserit, de evictione tamen actione empti tenetur, quoties res empta emptori evicta est. num. 1.
Quandoque venditor propter consuetudinem loci ad evictionem compelli potest. 2.
An in aliis contractibus etiam locum habeant num. 1. *dicta.* 3.
Limitatur regula. 4.
Ad praestandam evictionem agi non potest, nisi res judicio sit evicta, nisi venditor ad id in specie se obligaverit, quomodocumque res evicta sit, etiam extra judicium. 5.
Si res oppignorata venditur, non ad evictionem, sed ad liberationem praestandam, et ad id, quantum res minoris valet, agi potest. 6.
De quonam lex quinta *loquatur?* 7.

1 Regula est in *l.* 6. quod venditor, licet evictionem non promiserit, de evictione tamen teneatur actione empti, quoties res empta emptori evicta est, *l. ult. ff. de comm. rer. alien. l.* 6. *h. t. et l. si in venditione* 60. *ff. eod.* Sed hoc intelligendum est, si res evicta sit, nam si nondum evicta sit, aut alteri obligata, frustra tamen agitur ad evictionem praestandam, *l.* 3. *h. t. Ant. Gomez. lib.* 2. *tit. resol. num.* 39. *princ.* quia conditio, scilicet evictio, nondum est
2 impleta; Imo quandoque propter consuetudinem loci venditor ad evictionem compelli potest, maxime si non dives nec possessionatus,
3 *Auctor in l.* 6. *ff. h. t. num.* 1. Sed hoc in contractu venditionis tantum locum habet, non in aliis contractibus, nam vendere licet etiam rem alienam, *l. rem alienam* 28. *ff. de empt.* non tamen sine periculo, sed tunc tantum, si evincatur. In aliis autem contractibus, v. g. si stipulanti tibi promiserim, me daturum equum, non liberor, si alienum dem, sed vetus actio tibi manet, *l.* 38. §. 3. *ff. de solut.* dare enim est dominium transferre, §. *sic ita-*
4 *que* 14. *Inst. de act.* Sed superior regula, quae habetur in *l.* 3. *h. t.* limitatur I. In *l. post perfectam* 21. *infr. h. tit.* II. In *l.* 30. §. 1. *ff. de act. empti.* Si venditor sciens rem alienam vendiderit, ubi propter dolum conveniri potest, licet nondum evicta sit res. III. In datione in dotem etiam rei aestimatae, quae quidem venditio, sed tamen maritus aget statim actione empti, si res oppignorata alii, in dotem marito data sit, licet nondum evicta, *l.* 52. §. 1. *ff. de act. empti.* IV. In re oppignorata alii, ac mihi vendita, sed nondum tradita, ubi ex *l.* 5. *h. tit.* licet nondum evicta res sit, possum agere, ut venditor a pignoris nexu rem liberet, et mihi tradat; vel si pretium petat, opponere possum exceptionem doli. Nam tradere debuit, et quia nondum tradita est, potest simul agi, ut libe-retur. V. Limitatur in *l.* 12. nisi ab initio convenit, ut si super re vendita mihi quaestio moveatur, v. g. super servo, statim de evictione agere possim, licet res nondum evicta sit, ob conventionis fidem. Sed si res sit adjudicata per sententiam, nondum ablata per executionem, omnino ad evictionem praestandam agi posse tradit *Thesaur. decis.* 102. Vide etiam *Cacheran. decis.* 181. *num.* 4. *Jac. Schultes pr. qu.* 56. *num.* 40. quamvis *id neget Franzkius ad h. t. num.* 615. Colligitur ergo ex *l.* 3. non agi posse 5
ad praestandam evictionem, nisi res judicio evicta sit, nisi venditor ad id in specie se obligaverit, quomodocumque res evicta sit, etiam extra judicium, *Boer. d. d.* 67. *num.* 2. *Caball. d.* §. 5. *num.* 45. *Colleg. Arg. h. t. th.* 6. *num.* 22.
Deinde ex *lege* 5. Notetur: Si res oppignorata 6
vendatur, agi posse non quidem ad evictionem praestandam, quia evictio nulla facta, sed ad liberationem, et ad id, quantum res minoris valet propter dictam obligationem, *Bart. Bald. Salyc. hic et Neguz. de pignor. memb.* 1. *p.* 5. *num.* 24. Sed *haec lex* 5. loquitur de re non- 7
dum tradita, ubi datur actio non ad evictionem, sed ex empto. Venditor enim omnis praesumitur velle rem liberam vendere. Si autem res tradita, non agetur, nisi evicta res, sed si venditor pretium petat, repellitur exceptione doli. Vid. *Franzkius ad h. t. num.* 613. Sed quia hic agitur de re alteri pure obligata, quaeri solet, annon emptor agere possit ad liberandum, vel excipere de dolo possit, si obligatio sit conditionalis, vel fideicommissum sub conditione. Et videtur ex *hac lege* non agi posse, cum revera res nondum sit obligata, sed agi posse, ad praestandam cautionem de indemnitate, si conditio aliquando existat, *Neguz. d. l. num.* 27. *Alex. vol.* 5. *cons. q.* 65. *num.* 3. *etc. Rimin. vol.* 2. *cons.* 171. *num.* 71. *et seq.*

L. Si praedium. 4.

SUMMARIA

Facti species. num 1.
Quaestio inde deducta. 2.
Ratio dubitandi. 3.
Ratio decidendi. 4.
An et quatenus in haereditatis divisione evictio locum habeat? 5.
Evictio in omnibus contractibus onerosis obtinet, et quatenus in transactione? 6.

Debuisti mihi centum, et cum non haberes, 1
unde solveres, dedisti agrum in solutum, qui tamen erat aliis pignoris jure obligatus: Hac datione in solutum adimitur jus pignoris, quod habent in eo fundo creditores, *l. distractis* 14. *et seq. supr. de pign.* Quid si ergo creditores hunc agrum evincant, Quaeritur: *An ad evi-* 2
ctionem praestandam agere possim? Videtur quod non, quia in emptione tantum agitur ad 3
evictionem, non in aliis contractibus, et hic potius distrahendi, quam contrahendi animo dedisti praedium; Sed affirm. quod detur actio 4
utilis, *hic et l.* 1. *et* 2. *supr. de rer. permut.* scilicet actio ex empto utilis, *l.* 21. *pr. ff. de pign. act.* Est enim haec quasi emptio, dum debitum solvere vis cum non habeas pecu-

niam, praedium mihi vendis, ut pretium cum
debito tuo compensetur, *Riccius coll. dec.*
582. *Caball. de evict.* §. 4. *num.* 39. *Gomez.*
5 *d. l. num.* 33. Sic etiam in divisione haere-
ditatis locum habet evictio, quando divisio fa-
cta fuit a magistratu vel ipsis partibus, quia
videtur quasi quaedam permutatio, et pro par-
te, quam cohaeres in singulis partibus habuit,
in solutum datio, secus vero si ab ipso testa-
tore facta divisio, salva legitima, quia tunc
inter partes nihil actum est, *l. cum pater* 77. §.
evictis 8. *ff. de legat.* 2. *Gail. lib.* 2. *obs.* 116.
Molina tr. 2. *de J. J. d.* 245. *num.* 10. *Petrus
Sanz. Morquecht. de divis. bonor. lib.* 1. *c.* 1.
num. 13. *Caldas de empt. c.* 31. *num.* 12. *Go-
mez. d. l. num.* 34. quam quaestionem octo
conclusionibus elucidat *Fachin. l.* 6. *c.* 68. ut
quod 1. in re praelegata: vel 2. a testatore uni
assignata: 3. in divisione facta in cohaeredes
judicio familiae erciscundae: item quando
4. evictio fit ex facto cohaeredis: 5. quando
omnes sciunt, rem subjacere periculo evictio-
nis: 6. si uni soli res evictioni obnoxia in di-
visione attributa: 7. quando periculum evictio-
nis commune est: 8. quando evictio ex rei na-
tura est, his casibus non esse locum evictioni.
sed si a cohaeredibus data res uni ignoranti
periculum etc. Conf. *Ant. Peregr. de fideicom.*
6 *art.* 52. *num.* 53. Et evictionis praestatio in
omnibus contractibus onerosis et in transactio-
ne locum habet, quoties pro transactione ali-
quid datum est, *Mevius p.* 5. *dec.* 342. *Struv.
synt. jur. civil. exerc.* 27. *th.* 17.

L. Non dubitatur. 6.

SUMMARIA

Praestatio evictionis olim per stipulationem ut plurimum promittebatur. num. 1.
An si nihil de evictione actum, ea nihilominus sit praestanda? 2.
Ratio dubitandi. 3.
Decidendi. 4.
Ampliatur. 5.
Si nihil de evictione actum, venditor ad pretium rei et interesse tenetur. 6.

1 Evictionis praestatio ut plurimum promitte-
batur per stipulationem. Sed fieri potest, ut
2 nihil actum sit de evictione, Quaeritur: *An
3 tunc evictio praestanda?* Videtur quod non,
4 quia nihil promissum. Sed Affirmatur; Quia a-
gitur actione ex empto, cum evictionis prae-
statio sit de natura emptionis, *Sichard. ad
rubr. h. t. num.* 9. *Wesenb. in π. h. t. num.* 2.
et 6. *Jo. Fr. Balth. tit.* 8. *res.* 1. *num.* 4.
5 *Auctor in l.* 60. *ff. h. t. num.* 2. Et haec adeo
vera sunt, ut licet expresse conventum sit, ne
evictio praestetur, ad pretium tamen resti-
tuendum recte conveniatur venditor. Nec enim
b. f. contractus patitur hanc conventionem,
ut rem amittat emptor, et pretium retineat
venditor; nec hic ullum justum titulum habet
ad retinendum pretium, *l. ex empto* 11. §. *fin.
ff. de act. empt. Romanus sing.* 387. *Ant. de
Burgos in c. fin. X. de emptione num.* 15. *Ca-
ballin. d. tr.* §. 2. *num.* 23. *et* §. 5. *num.* 23.
Covarr. lib. 3. *resol. c.* 17. *num.* 2. *Molina d.*
380. *num.* 18. Sed si nihil actum de evictione, 6
tenetur venditor ad pretium rei, *l.* 70. *ff. de
evict.* et interesse, *d. l.* 70. *et* 80. *Auctor in d.
l.* 60. *ff. h. t. num.* 1.

L. Auctore. 7. et L. Emptor. 8.

SUMMARIA

Emptor, cui controversia movetur, litem statim venditori denunciare debet. num. 1.
Ampliatur. 2.
An requisitio ad assistendum liti sit necessaria? 3.
Quid si expresse requisitio facta non sit? 4.
An etiam fidejussori facienda sit denunciatio? 5.
Limitationis legis octavae, *in quibus venditor, licet res emptori evicta sit, ad evictionem tamen praestandam non tenetur.* 6. 7.
Iniquum est, injuriam emptori factam ad venditorem etiam extendere. 8.
Exemplo declaratur. 9.
Quo tempore denunciatio sit facienda? 10.
An denunciatio necessaria, si venditor jurato evictionem promiserit? 11.

Quando emptori super re empta controver- 1
sia movetur, statim denunciare debet litem
venditori, *l.* 29. *ff. h. t. et l.* 8. *h. t.* quamvis 2
litem non ignoret venditor. Quoties enim de-
nunciatio facienda est ad aliquod factum prae-
standum, ut hic, ad defensionem emptoris, non
ad nudam scientiam, tunc etiam scienti de-
nunciatio facienda est, *Covarr. lib.* 3. *resol. c.*
17. *num.* 3. *Caball.* §. 1. *num.* 1. *Berlich. p.* 1.
concl. 24. *num.* 25. *Molina d.* 380. *num.* 8. *Go-
mez. d. l. num.* 39. *Bacch. d. d. th.* 7. *lit. A.
in fin. Cacvall. q.* 385. *Ummius disp.* 11. *n.* 20.
Imo et requisitionem ad assistendum liti ne- 3
cessariam esse putant *Fachin. lib.* 2. *c.* 35. *Ca-
ball.* §. 3. *num.* 21. *Guttierez de juram. con-
firm. p.* 1. *c.* 61. *num.* 5. *Molina d. l. num.* 9.
Cacvall. q. 585. Sed si haec requisitio expresse 4
non sit facta, per denunciationem solemnem
eam factam esse puto. Vid. *Covarr. d. l. num.*
3. *P. Barb. in l. venditor num.* 19. *ff. de ju-
dic. Balth. d. res.* 3. *num.* 1. nam dum em-
ptor denunciat litem motam venditori, vir-
tualiter eum videtur incitare, ut veniat ad
causam defendendam, quia ad nullum alium
effectum videtur facta illa denunciatio, *Ant.
de Burgos ad c. fin. X. de empt. et vendit.
num.* 5. *P. Barb. ad d. l. venditor* 49. *ff. de
judic. num.* 18. *et seq.* Sed Quaeritur in *l.* 7. 5
An etiam fidejussori sit facienda denunciatio?
Quod negatur in *l.* 7. Ratio est; quia obliga-
tio fidejussoris pendet ex obligatione rei prin-
cipalis, ergo sufficit, si ipsi venditori tantum
denuncietur, vel haeredi ejus per *l.* 8. *h. t.* Seu
omnibus haeredibus, si plures habeat, quia
quilibet et tantum pro sua portione tenetur,
Mol. d. l. num. 10. *Gomez. num.* 39. *Jo. Fr.
Balth. d. tit.* 8. *res.* 3. *num.* 1. Venditor autem
laudatus, si non defendat, nec emptori in li-
te adsistat, agit contra venditorem vel haere-
dem ejus, vel etiam fidejussorem, aut ex sti-
pulatu, si per stipulationem simplae vel duplae

sit promissa evictio (de duplae evict. videatur *Wesenb. in π. ff. h. t.)*. Aut si non sit promissa per stipulationem, vel nullo modo promis-
6 sa, agetur actione empti. Sed habentur in *l.* 8. aliquot limitationes, in quibus venditor, licet res emptori evicta sit, non tamen tenetur ad evictionem praestandam: I. Si res evicta culpa emptoris, ut si non fuerit in judicio, ubi magis ob propriam culpam et contumaciam, quam malam causam fuit condemnatus, *l* 8. *h. t.* Aliud autem fuisset dicendum, si tempore sententiae ferendae tantum fuisset absens, sed tempore cognitionis causae praesens, *Caball.* §. 5. *num.* 5. *Capyc. dec.* 106. *num.* 4. *Balth. d. t.* 8. *res.* 7. *num.* 25. Item si justis defensionibus non sit usus, *l.* 29. §. 1. *ff. h. t.* si non appellaverit, nam tenetur appellare, si regressum contra venditorem habere velit, *Covarr. d. c.* 17. *num.* 9. *Caball.* §. 5. *num.* 41. *Mol. num.* 19. *Gomez. d. l. num.* 39. si sponte cum adversario transegit, compromisit, *l.* 56.
7 §. 1. *l.* 63. *ff. h. t.* II. Si evicta sit per injuriam judicis, *d. l.* 8. *et l. si per imprudentiam*
8 51. *ff. h. t.* Nam iniquum est, injuriam emptori factam etiam extendere ad venditorem, *Covarr. d. c.* 17. *num.* 10. *Caball.* §. 4. *num.* 6.
9 *Bacch. d. l. th.* 5. *in fine.* Sic qui accepit partem feudi a Vasallo, et eo mortuo sine haerede feudali et feudo ad dominum reverso, partem amittat, non potest ad evictionem praestari, cum subsequens casus vel injusta Judicis sententia facit, ut possit agi ad praestandam evictionem, *Mevius p.* 6. *dec.* 34. Sed
10 Quaeritur: *Quo tempore sit facienda denunciatio?* Resp. quolibet tempore, modo jus emptoris sit integrum, et sic nondum publicata attestata, *Covarr. d. l. num.* 8. *Caball.* §. 3.
11 *num.* 141. *Berlich. d. concl.* 24. *num.* 80. *Zang. de except. p.* 2. *c.* 2. *num.* 7. *Balth. d. res.* 3. *num.* 4. An autem denunciatio etiam sit necessaria, si venditor jurato evictionem promiserit, docet *Auctor in l.* 55. *ff. h. t. num.* 5.

L. Si controversia. 9.

SUMMARIA

Sensus legis. num. 1.
Qui sciens rem alienam emit, non habet actionem. 2.
Objectio diluitur. 3. 4.
Casus, in quibus emptor ab evincente melioramenta recuperare non potest. 5.
Vendens rem mala fide indistincte ob melioramenta tenetur. 6.

1 Quando emptori lis movetur de fundo empto,
2 sed bona fide empto (quia si sciens rem alienam emat, non habet actionem, *l.* 27. *ff. h. t. l.* 69. *princ. ff. h. t.)*, tunc si denuncietur tempestive venditori, et nihilominus ille fundus evincatur, aget emptor contra venditorem actione empti ad interesse, quanti intersit, rem alienam sibi non esse venditam nec evictam, *hic et l.* 25. *et l.* 29. *h. t.* et consequitur etiam sumptus litis, *l.* 102. *ff. de V. O.* et quae ad
3 meliorationem fundi impendit, *h. l.* 9. Sed obstare videtur *l.* 45. §. 1. *ff. de act. empt. l.* 29. §. 2. *ff. de minor.* in quibus dicitur, melioramenta ab adversario, qui fundum evincit, solvenda esse. Ideoque *Gl. hanc legem* intelligit 4
de eo casu, si emptor casu amisisset possessionem, et ageret contra evincentem, *Franzkius ad tit. de evict. num.* 909. Sed planius est, si intelligamus de emptore reo. Nam sunt 5
casus, in quibus emptor ab evincente melioramenta recuperare non potest, *l. in fundo* 38. *ff. de rei vind. Garcias de expens. c.* 6. *num.* 26. Imo si mala fide venditor vendidit, indistincte 6
venditor ob meliorationes tenetur, per *d. l.* 45. §. 1. *in fine ff. de act. empt. Cujac. ad hanc l. in fin. Garcias de expensis cap.* 7. *num.* 18.

L. Si fines agri. 10.

SUMMARIA

Casus legis. num. 1.
Quaestio inde deducta. 2.
Deciditur per distinctionem. 3.
Ratio diversitatis. 4.
Sententia Auctoris. 5.

Quidam vendit fundum et dicit eum constare 100. jugeribus; Quaeritur: *Si* 20. *jugera* 1
evincantur, an emptor agere possit contra venditorem ad evictionem praestandam? Distin- 2
gnitur autem hic utrum venditor tot jugera vendiderit, et tunc tenetur ad evictionem, *hic et l. qui fundum ff. h. t.* quia quo ampliores sunt fundi fines, eo pluris fundus venit. An vero fines quidem demonstret, sed addat, se tamen non praecise tot jugera vendere, sed vendere fundum cum suis, et fundo debitis finibus *(in seinen Kähnen und Grentsen die zum Acker von Rechtswegen gehören und von Altersher gehöret haben)*. Et hoc casu non tenetur ad evictionem, quia qui fines postea evincuntur, hi fines fundi non fuerunt. *Cujac. cum Glossa in hac lege* putat, rationem diversitatis in eo consistere, quod in priori agatur 3
de actione in rem, in secundo de actione finium regundorum. Sed distinctionis fundamentum non video. Quid si diceremus, in priori specie quantitatem jugerum additam fuisse ut modum, sub quo venditus ager, cui partes sunt innixae, quo casu ad evictionem praestandam tenetur venditor, si illa quantitas non reperiatur, per *l. Julianus* 13. §. *si Titius* 14. *ff. de act. empt. Covarr. lib.* 2. *resol. cap.* 2. *concl.* 11. *Molin. d.* 367. *num.* 9. Sed posteriori casu, quando tantum nudae demonstrationis causa quantitas exprimitur, non minuitur pretium, *Ant. Gomez. t.* 2. *var. resol. c.* 2. *num.* 16. *Molina d. l. num.* 8. *Auctor ad l.* 44. *ff. h. t. per tot.* 4
5

LL. 11. 13. 14. et ult.

SUMMARIA

Regula legis 11. *num.* 1.
Dolo facit, qui petit id, quod restituturus est. 2.
Casus hujus legis. 3
Legis. 13. *species.* 4.
Factum judicis censeri factum partis, quatenus verum? 5.

Exemplum legis 14. *num.* 6.
Ampliatio legis 11. *num.* 7.
Objectio removetur. 8.
Quem tenet actio de evictione, eumdem agentem repellit exceptio. 9.
Ampliatur. 10.
Limitatur. 11.
Ratio differentiae inter haeredem venditoris et fidejussoris. 12.
Haeres contra factum defuncti venire potest, quando ex proprio jure venit. 13.

1 Regula continetur *l.* in *exceptione* 11. *h. tit.* Quisquis re evicta ab alio, ad evictionem obligatur emptori, is de re vendita controversiam movere non potest emptori, quem enim de evictione tenet actio, eum, si agat, multo magis repellit exceptio, per *hanc l.* 11. (Vide hac de regula *Donell.* et ibi notata, *lib.* 20. *cap.* 2. *lit. L.*) *Caballin.* §. 5. *num.* 2. ubi quatuor modis restringit, *Tiraq. de retr. consang.* §. 1. *gl.* 9. *num.* 37. *Petr. Barbos. p.* 5. *legis* 1. *ff. solut. matrim. num* 20. *Riminald. lib.* 2. *cons.* 204. *num.* 90. *Cravetta cons.* 378. *num.* 3. Qui enim debet defendere emptorem, ille non de-
2 bet eum oppugnare: Et dolo facit, qui petit id, quod restituturus est, *leg. dolo* 8. *ff. de except.*
3 *doli.* Casus autem talis est in *l.* 11. Titius mihi vendidit fundum, et dedit fidejussorem Cajum pro evictione, Cajus postea ipse evincere vult fundum, dicens se per uxorem emisse fundum. Recte respondetur, non posse Cajum evincere, quia de non evincendo fundo fidem suam in-
4 terposuit. Aliud exemplum est in venditore in *l.* 13. cujus haec est species: debitoris bona in causam judicati pignorata, et per magistratum ad instantiam creditoris distracta sunt, hic non creditor, multo minus magistratus, sed debitor ad evictionem obligatur; Videantur notata ad *tit. seq.* Nam ad debitoris emolumentum et liberationem illa bona venduntur. Sed pone debitorem, qui hoc casu per alios vendidit, controversiam movere emptori ob illa bona sua; sed repellitur *d. l.* 13. ob regulam in *d. l.* 11. Et quia in *d. l.* 13. dicitur, licet a judice sit facta venditio, nihilominus teneri debitorem ad evictionem praestandam; ideo ex
5 *hac lege* colligunt: Factum judicis censeri factum partis, *Bald. et Salyc. hic Neguz. de pignor. part.* 1. *memb.* 3. *part.* 5. *num.* 7. *Morozius de jure offerendi num.* 38. aliique, quos addit *A. Barbos. lib.* 3. *cap.* 6. *axiom.* 25. Sed hoc non simpliciter nec indefinite procedere, nec quoad omnia, sed quoad quaedam tantum, ut pluribus explicat *Franc. de Clapperiis causa* 100. *quaest.* 3. *num.* 6. ubi dicit, dationem in solutum factam a judice non videri factum partis, et sic non habere locum jus offerendi, nisi judex non citato posteriore creditore dedisset in solutum priori creditori, ut declarat
6 *Fachin. l.* 11. *cap.* 9. Aliud exemplum in *l.* 14. ubi pater vendiderat fundum, filius idemque haeres patris illum fundum vindicat, non quidem jure haereditario, sed jure proprio, forte dicit matris fuisse fundum, et sic a patre vendi non potuisse. Sed resp. cum ipse filius haeres venditoris, ut auctor laudari, id est, ipsi lis, si ab alio moveretur, denunciari possit, atque adeo is ad evictionem teneatur, ideoque ipse litem de re a patre vendita movere non potest, *d. l.* 14. ob regulam *in d. l.* 11. Sic 7
qui pro venditore fidejusserat, quia ipse tenetur ad evictionem ex stipulatione, non potest rem a venditore distractam, etiamsi proprio jure nitatur, et ante aliquot annos per uxorem sibi illam rem esse emptam alleget, vindicare ab emptore, ob eamdem regulam *d. l.* 11. ubi exemplum hoc habetur. Illud mirum est, quod in *l. ult. h. t.* dicitur, fidejussoris haeredem tamen posse de evictione agere, adeo ut ipsi non opponatur exceptio doli (nam alias *lex illa* non rebus, sed verbis scripta esset, alia enim ratio *l.* 73. *ff. h. t.* ubi utrumque conjungitur) sed tamen additur, evictionis causam durare, id est, posse eum ab emptore conveniri ex stipulatione ad evictionem praestandam. Sed *dicis: eodem res redit?* Resp. 8
forte si ex stipulatu conveniatur ut haeres fidejussoris, aliam poterit habere exceptionem, ut ita adhuc *d. l. ult.* ipsi utilis esse possit. Unde colligitur insignis limitatio regulae superioris; licet enim regula illa, Quem tenet actio 9
de evictione, eumdem agentem repellit exceptio; eaque regula etiam in eo, qui haeres est 10
venditoris, obtineat, per *l. ult. h. t.* fallit tamen haec regula in eo, quem tenet actio de 11
evictione accessorio nomine, non principali, *Bald. hic et Cephalus cons.* 392. *num.* 46. *Caballinus in tract. de evict.* §. 5. *num.* 2. *limit.* 3. *Honded. part.* 1. *cons.* 3. *num.* 72. *Hering. de fidejuss. cap.* 20. §. 10. *num.* 70. *et* 78. Confer. *Donell. ad l. exceptione h. t.* Confer. *Menoch. cons.* 89. *num.* 112. *Pinell. ad l.* 1. *C. de bonis matern. part.* 3. *n.* 8. *et Franzkius ad h. t. num.* 593. *et seqq. ubi num.* 598. *et seq.* rationem discriminis inter haeredem ven- 12
ditoris et fidejussoris statuit, quorum ille pretium rei repetit in bonis, hic non. Aliam reddit rationem differentiae *Petr. Barbos. ad l. Lucius Titius num.* 25. *ff. soluto matrim.* qui *d. l.* recte notat eos *DD.* qui ex *l. ult.* regulam generalem faciunt, quod haeres contra 13
factum defuncti venire possit, quando ex proprio jure venit, quos etiam notat *Cephalus d. cons.* 392. *num.* 48.

L. Sive in libertatem. 12.

SUMMARIA

Facti species. num. 1.
An servo (hac conditione, ut mihi pretium restituere sive evictus esset servus, sive quaestio tantum de servo moveretur) vendito in libertatem proclamante detur praestatio evictionis? 2.
Si nondum sit evictus, sed quaestio tamen mihi moveatur super hoc servo, an detur actio ad praestandam evictionem? 3.

Vendit mihi Titius servum cum hoc pacto, 1
ut pretium mihi restitueretur, sive evictus esset servus, sive quaestio tantum de servo moveretur. Quaeritur hic 1. Si servus in liberta- 2
tem proclamaverit et ita obtinuerit, *An habeat locum praestatio evictionis?* Et responsio est indubitabilis, quod evinci videatur, qui in libertatem provocat. Sed 2. Quaeritur: *Si non-* 3
dum sit evictus, sed quaestio tamen mihi mo-

vcatur super hoc servo, an detur actio ad praestandam evictionem? Et quidem alias non agitur, nisi evictio facta fuerit, *l.* 3. *h. t.* Sed ex pacto hoc datur actio tantum quaestione mota, sed merito hic dicit Imp. Praesidem super hac re cogniturum. Nam posset v. g. per collusionem lis moveri emptori, qui potius mallet pretium recipere etc. Notetur in textu: pactum hoc quod valeat, ut tantum quaestione mota ad pretium agatur.

L. Si non injuria. 15.

SUMMARIA

Facti species. num. 1.
An emptor actione hypothecaria pignus evictionis loco datum persequi possit? 2.
Ratio dubitandi. 3.
Per pignora etiam evictionis praestatio promitti potest, si fidejussor non possit praestari. 4.

1 Quidam vendidit fundum et promisit evictionem, et ut securior esset emptor, ob evictionis periculum obligavit pignori aedes suas. Evincitur postea fundus emptus; Quaeritur:
2 *An actione hypothecaria emptor pignus, id est, aedes persequi possit?* Et affirm. si modo jure evictus est, *l.* 4. *supr. h. t.* et non per imprudentiam judicis, *l. si per imprudent.* 51.
3 *ff. h. t.* Ratio dubitandi forte haec fuit, quod conditionalis fuerit obligatio pignoris et debitor sub conditione fuerit obligatus, et conditionalis creditor non sit creditor, *Neguz. de pign. m.* 1. *part.* 5. *num.* 26. Sed hic, non de pendente conditione, sed existente sermo est.
4 Collige ex *hac l.* 15. per pignora etiam evictionis praestationem promitti posse, si fidejussorem praestare non possit, *Hering. de fidejuss. cap.* 10. *num.* 249.

L. Super empti. 16.

SUMMARIA

Casus legis. num. 1.
Quaestio inde deducta. 2.
Meliorationes a domino partem agri vindicante repeti, et per retentionem servari possunt. 3.
Ratio. 4.
Pretium repeti nequit. 5.
Limitatur. 6.

1 Foemina agrum vendidit Alexandro 100. fl. Alexander sumptus facit, et agrum reddit meliorem, forte in vineam redigit, partem agri postea suam rem dicit Titius, et obtinet ac evincit illam partem. Alexander non vult restituere agri partem dimidiam, nisi ipsi meliorationes et dimidia pars pretii restituantur,
2 Quaeritur: *An hoc recte postulet?* Resp. melio-
3 rationes ipsum a domino partem agri vindicante, omnino repetere et servare posse per retentionem, opposita doli mali exceptione, *l. sum-*
4 *ptus* 48. *ff. de rei vind.* Quia alias dominus locupletaretur cum alterius damno contra *legem nam hoc* 14. *ff. de condict. indeb.* Sed pre- 5
tium a domino repetere nequit, *l. mater* 3.
l. 23. *supr. de rei vind.* nisi quando et qua- 6
tenus pretium in utilitatem domini versum est, *l.* 65. *ff. de rei vind.* sed de pretio restituendo aget Alexander emptor contra auctricem sive venditricem ratione evictionis, *hic et l.* 1. *ff. h. t.*

L. Si cum quaestio. 17.

SUMMARIUM

An re evicta emptori contra venditorem regressus detur?

Re evicta, datur emptori regressus contra venditorem, sed sub his conditionibus: 1. Si tempestive denunciaverit litem venditori, ut is liti adesset: 2. Si non sponte tradidit, sed jussu Judicis coactus dare, *hic et l.* 29. §. 1. *ff. h. t.* Vide explicationem *l.* 7. *et* 8. *h. t.* Colligunt nonnulli: Re evicta sed non tradita, non dari regressum contra venditorem. Vid. *Gomez. d. tr. num.* 31. *in princ. et alii.* Sed id ex hoc textu non probatur, quin et contrarium supra dixi ad *l.* 3.

L. Si status. 18.

SUMMARIA

Casus legis. num. 1.
An ex venditione servi cum evictione per fidejussores facta, si is postea evincatur, regressus mihi detur contra venditorem ejus haeredem vel fidejussorem? 2.
Quid si in judicio obtinuerim et absolvar? 3.
An emptor expensas factas recuperare possit? 4.

Servum comparavi, et ob evictionem mihi 1
obligantur fidejussores, sed postea lis mihi de 2
servo movetur, et servus evincitur, id est, liber proclamatur. Resp. si 1. Solemnia praestiterim, id est, denunciaverim rite: si 2. nesciens, liberum eum esse, emerim, *l.* 27. *h. t. l.* 69. *pr. ff. h. t.* datur mihi regressus contra venditorem vel haeredem ejus, vel etiam
fidejussorem; Sed si obtinuerim servum et 3
absolvar, non datur mihi regressus contra venditorem, id est, non possum sumptus etiam a venditore repetere, quia injuria a meo adversario mihi illata, non debet ad venditoris injuriam torqueri, *arg. d. l. si per imprudentiam* 51. *ff. h. tit.* Neque enim cavere aut impedire potest venditor, quominus emptor per injuriam aut calumniam vexetur, et eventus judicii justitiam causae demonstravit, *Bacch. d. l. th.* 8. *lit. D. et E. Perez. ad hunc tit. num.* 31. Sed quia venditor obligatus est ad factum, i. e. defensionem, factum illud praestare debet sua impensa, *l. suo victu ff. de operis libert.* licet
expensas ab emptore factas non teneatur re- 4
fundere, et alias omnes expensas emptorem victorem recuperare posse tradant *Caball.* §. 3. *num.* 146. *Gomez. d. t.* 2. *num.* 47. *Molina d. d.* 380. *num. fin. Fachin. lib.* 2. *cap.* 39. Quo-

rum sententia in eo casu potest concedi, quando adversarius justam causam litigandi habuit, nam si imprudentia judicis in expensas condemnatus non fuisset, hoc non posset nocere venditori, per *d. l.* 51.

L. Si obligata. 19.

SUMMARIUM

Facti species.

Aliquis vendidit praedium, quod emptor possedit 10. annis, ergo praescripsit seu usucepit. Lis postea movetur emptori post decem annos ab eo, qui praesens semper fuerat, emptor etiam dennnciat litem rite venditori. Venditor non comparet, interim praedium evincitur emptori. Resp. hic, periculum evictionis non pertinere ad venditorem, nec ipsum teneri ad evictionem, aut enim emptor opposuit exceptionem praescriptionis, et Judex nihilominus contra emptorem pronunciavit, et venditor non tenetur ad evictionem ob *d. l.* 51. *ff. h. t.* aut non opposuit dictam exceptionem emptor, et nec tunc tenetur venditor, *l.* 19. §. 1. *ff. h. t.* quia justam defensionem omisit emptor, *Caball. d. tr.* §. 5. *num.* 47.

L. Si parentes. 20.

SUMMARIA

Casus legis. num. 1.
An venditoris haeres, cum lis emptori de proprietate rei emptae moveatur, nec isti lis denuncietur, sponte sua adesse, et emptorem defendere possit? 2.
An si res evincatur, emptor ex persona venditoris litem de novo instituere queat? 3.
An emptor re evicta et lite non denunciata possit contra venditorem ad evictionem agere? 4.

1 Parens Solidii servos vendidit, emptori postea movetur lis super proprietate, emptor non denunciat, vel quod absens esset, vel quod confideret causae ac dexteritati suae: Quaeri-
2 tur hic: I. *An venditoris haeres, seu filius Solidius, sponte sua liti adesse et emptorem defendere possit?* Quod Affirm. quia causa etiam ad ipsum consequenter pertinet, ergo potest liti adsistere etiam invito emptore et causam instruere ac defendere, *Molina d. d.* 380. *num.* 14. *Covarr. pract. q.* 13. *num.* 2. *et* 3. *Guttierez*
3 *de juram. confirm. p.* 1. *c.* 67. *num.* 4. II. *An si res evincatur, emptor ex persona venditoris possit litem instituere de novo?* Neg. nisi appellatum sit, nam si sententia transit in rem judicatam, palam est, venditori jus nullum in re competiisse. Et interventio est frustranea post sententiam, quae in rem judicatam transiit, *Cravetta cons.* 14. *num.* 3. *Berlich. p.* 1. *concl.* 23. *num.* 21. nisi appellaverit, per allegata *Ber-*
4 *lich. d. l. num.* 22. III. *Anne emptor re evicta et lite non denunciata possit contra venditorem agere ad evictionem?* Et Neg. quia debuit denunciare, ergo quia denunciatio non est facta, et ita solemnia omissa, agere ad evictionem nequit, *l.* 8. *h. t.*

L. Empti actio. 21.

SUMMARIA

Facti species. num. 1.
Quaestio inde deducta. 2.
Actiones eae, quae jam natae sunt, 30. annis praescribuntur. 3.
An fidejussor pro evictione datus possit ad liberationem agere, si diu in obligatione stetit? 4.

Emi a te mancipium et possedi 30. annos, 1
post lapsum trigiuta annorum mancipium proclamat in libertatem, litem tibi denuncio, interim mancipium liberum pronunciatur, et ago contra te ad evictionem, tu opponis exceptionem praescriptionis 30. annorum, quibus personalis etiam actio praescribitur, Quaeritur: 2
An recte? Resp. Quod non, nam praescribun- 3
tur actiones 30. annis eae, quae jam natae sunt, *l.* 1. §. 2. *supr. de annali except.* At haec actio ad evictionem, antequam evinceretur res, nondum nata est, competit enim sub conditione, si res evicta sit. Ergo cum mancipium liberum proclamaretur, jam incipit actio competere, ergo actio prius praescribi non poterit. Atque ex hoc ipso fluit decisio quaestionis: *An fidejussor pro evictione datus possit ad* 4
liberationem agere, si diu in obligatione stetit? Quod Negatur, quia re evicta nondum est nata obligatio fidejussoris, nec stetit pendente obligatione in fidejussione, *Afflict. dec.* 241. *num.* 4. *Caballin.* §. 2. *num.* 19.

L. Cum tibi liberum. 22.

SUMMARIA

Casus legis. num. 1.
Quaestio inde deducta. 2.
Ratio dubitandi. 3.
Decidendi. 4.
Re per hypothecariam actionem evicta, emptor potest agere contra venditorem, quod sibi non fuerit tradita libera, etiamsi litem non denunciaverit. 5.

Cum aliquis fundum venderet, stipulanti em- 1
ptori promisit, si appareret, fundum esse alienum, aut pignori obligatum et aliquid emptor ob eam causam amiserit, quod tunc emptorem indemnem praestare velit. Postea creditor aliquis convenit emptorem actione hypothecaria, et probat, sibi fundum esse oppignoratum, emptor ut fundum retineret, solvit pecuniam debitam creditori, ac sic fundum liberat, Quaeritur: *An de evictione contra venditorem* 2
agere possit? Videtur quod non, quia non 3
expectavit sententiam, quod facere debuit, *l.* 24. *ff. h. t. l.* 3. *h. t.* Sed Affirm. quod regres- 4
sum habeat contra venditorem, non quidem ad evictionem praestandam, sed indemnitatem praestandam ex stipulatione. Et non videtur

fundus liber venditus, si alii obligatus. Colligi
5 etiam ex *hac l.* 22. potest: Quando res esset evicta per hypothecariam actionem, quod emptor possit agere contra venditorem, quod sibi res non fuerit tradita libera, etiamsi litem non denunciaverit, *Maranta p.* 6. *spec. membro* 5. *de laudat. num.* 2. *Trentac. lib.* 3. *tit. de empt. resol.* 4. *num.* 13. *Carpz. p.* 2. *c.* 341. *def.* 21.

L. Cum successores. 23.

SUMMARIUM

Sensus legis.

Venditor mihi fundum vendidit, quem respublica quaedam actione hypothecaria vindicat, denuncio litem venditori, ille adest et defendere conatur rem, sed respub. obtinet. Quaeritur: *An detur mihi actio contra venditorem, cum tamen nihil ipsi possit imputari?* Resp. hic omnino ipsum teneri, cum obligationi suae non satisfecerit, *l. ex empto* 11. §. 2. *ff. de act. empti*, et multo magis igitur tenebitur, si se non stiterit ad me defendendum.

L. Si post perfectam. 24.

SUMMARIA

Casus legis. num. 1.
Quaestio inde resultans. 2.
Quid juris, si perfecto contractu vel in ejus limine periculum evictionis immineat? 3.
Evictionis cautio in genere praestanda respectu etiam aliorum, qui forte poterant molestias emptori creare, et quia lite mota merito etiam de aliis suspicari poterat. 4.
Si initio vel ante terminum pretii solvendi immineat evictio et venditor sit solvendo, an teneatur cavere de evictione praestanda? 5.

1 Quidam mihi vendidit praedium, perfecta venditione pretii partem numeravi, sed antequam residuum pretium solvam, mihi de fundi proprietate lis movetur etiam post aliquot annos. Pendente hac lite tu agis ex empto contra me ad pretii residuam partem solvendam. Excipio, et peto, ut mihi prius caveatur de
2 evictione, Quaeritur: *An recte?* Resp. quod
3 sic, nam quoties contractu perfecto vel in limine contractus evictionis periculum imminet, tunc antequam pretium omne solvat emptor, potest per exceptionem petere, ut venditor ob evictionem sibi satisdet, et tamdiu donec hoc fiat, potest pretium vel pretii partem nondum solutam retinere, per *hanc l. et l.* 18. §. *ult. ff. de peric. et commodo etc.* etsi saltem super pignore emptori lis moveatur, etiamsi conventum initio, ne de evictione venditor teneretur, *d. l. exempto* 11. §. *ult. ff. de act. empt. Vivius decis.* 152. *num.* 3. *Gomez. d. l. num.* 30. *H. Pist. lib.* 3. *qu.* 5. *num.* 4. *et q.* 6. *Caball.* §. 2. *num.* 8. *Pruckmann. vol.* 1. *cons.* 50. *num.* 533. *Heig. p.* 1. *qu.* 36. *num.* 7. *Card. Tuschus concl.* 360. *lit. E. Carpz. p.* 2. *const.* 31. *def.* 31. *Jo. Franc. Balth. d. t.* 8. *resol.* 2. *per totam.* Et quidem cautio evictionis in genere 4
etiam praestanda est respectu aliorum, qui forte poterant molestias emptoris creare, et quia lite mota merito etiam de aliis suspicari poterat. Videatur *Heig. part.* 1. *qu.* 36. *Hartm. Pistor. part.* 3. *quaest.* 5. *et seq. et Carpzov. part.* 2. *const.* 34. *defin.* 31. *Trentac. lib.* 3. *tit. de empt. resol.* 16. *Surdus decis.* 173. *et dec.* 183. *et* 295. *Bacch. th.* 12. *lit. C. et D. Caball. d. l.* §. 2. *num.* 12. *Balth. d. t.* 8. *res.* 2. *num.* 5. Sed quaeritur: Si initio vel ante ter- 5
minum pretii solvendi immineat evictio, et venditor sit solvendo, an teneatur cavere de evictione praestanda? Negat *Afflictus dec.* 171. quem videtur sequi *Dn. Mevius p.* 4. *dec.* 157. Sed *Surdus dec.* 235. *num.* 13. dicit, ne quidem, si locupletissimus sit venditor, ipsi remittendam esse cautionem; Quam sententiam nostro tempore, ubi pecuniae extorquendae ratio difficillima, praeferrem, cum emptoris intersit, habere plures pro evictione obligatos, sed consuetudo ab eo tantum, qui possessionatus non est, cautionem exigit praetoriam vel judicialem. Quam sententiam communiter receptam post citatum *Afflictum, Menoch. et Surdum* a se allegatos testatur *Mevius p.* 4. *dec.* 157. *num.* 7. *et p.* 6. *dec.* 36. Ergo ob evictionem non est agendum, nisi 1. initio periculum evictionis immineat: aut 2. novum non praevisum periculum postea accedat, vel venditor non sit possessionatus, *Mev. d. dec.* 157. Sed posset interdum deferri emptori juramentum purgationis, si quaedam praesumptio collusionis cum evincente contra eum militet.

L. Si tibi liberam. 25.

SUMMARIA

An ancillam vendens ignorans liberam, eam postea in libertatem vindicare possit? num. 1.
Objectio diluitur. 2.
Venditor evictionis nomine duplici actione h. l. *convenitur.* 3.
Venditor etiam ignorans ex empto ad interesse tenetur. 4.
Quem de evictione tenet actio, eumdem agentem repellit exceptio. 5.
Limitatur. 6.
Exemplo declaratur. 7.

Saturninus vendit ancillam Saturninae, igno- 1
rans eam esse liberam; postea comperta libertate ejus ancillae eam vindicat in libertatem. Quaeritur: *An possit?* Videtur ipsi obstare 2
regula in *l.* 11. *h. t. et l.* 17. *ff. eod.* Sed speciale est in libertatis favore, ut ipse venditor possit puellam pro ancilla venditam in libertatem asserere, et magis ipsa puella se vindicat in libertatem, quam vindicatur. Sed venditor 3
nihilominus evictionis nomine conveniri potest duplici actione: vel actione empti ad id, quod interest, *hic et l.* 9. *l.* 23. *l.* 29. *h. t.* vel actione ex stipulatu, ad id, quod per stipulationem fuit promissum, sive simplum, sive duplum, quod scilicet in stipulando convenit. Nota bene: Etiam 4
ignorantem venditorem teneri ex empto ad interesse, ut ex *hac lege* contra *Mynsing. cent.*

1. *obs.* 56. *num.* 8. probat *Auctor Colleg. Argentorat. h. t. th.* 6. *num.* 16. Et nota re-
5 gulam illam: Quem de evictione tenet actio eumdem agentem repellit exceptio, habere in-
6 signem limitationem; Nisi res illa alienata favore libertatis vel alterius personae favore prohibita fuisset alienari, *Bald. et Salyc. hic*
7 *et Caball.* §. 5. *num.* 2. *limit.* 2. Sic maritus, qui tenetur de evictione rei dotalis per ipsum venditae, potest venire contra contractum et rem vindicare ex *Alex. Caball. d. l.*

L. Si quis tibi servum. 26.

SUMMARIA

Casus legis. num. 1.
An emptor sciens rem alienam sibi venditam, si casu haec perit, ad evictionem agere possit? 2.
Ratio affirmandi. 3.
Negative dicidendi ratio. 4.
Venditor, nisi in dolo est, contra eum agi nequit. 5.

1 Quidam vendit rem alienam vel alteri oppignoratam, emptor postea rescivit, rem esse alienam, vel etiam lis ipsi movetur, sed inte-
2 rim casu res perit, Quaeritur: *An ad evictionem agere possit emptor?* Videtur quod sic,
3 quia iniquum est, ut venditor pretium lucretur rei alienae, *d. l.* 11. §. *ult. ff. de act. empt.*
4 Sed Neg. *hic*, quia ad evictionem agi non potest, priusquam res evicta sit, *l.* 3. *h. t.* tunc autem tantum evincitur, cum in judicio aufertur, *l.* 24. *ff. h. t.* non cum fatum humanae sortis rem ademit, *l.* 21. *pr. ff. h. t.* ideo-
5 que nisi in dolo venditor sit, contra cum agi nequit, *d. l.* 21. *Caball. d.* §. 2. *num.* 58. *Jo. Fr. Balth. d. t.* 8. *res. ult. num.* 32.

L. Si fundum. 27.

SUMMARIA

Qui sciens rem alienam vel alteri obligatam emit, de evictione, si evincatur, agere non potest. num. 1.
Ratio. 2.
Omnia pacta, quae non sunt contra leges, Praetor tuetur. 3.
Exceptio a regula. 4.
Emptor, si sciens rem alienam emit, ne quidem pretium repetere potest. 5.
Si uterque mala fide agit, melior est causa possidentis. 6.
Perez *notatur.* 7.
Quando fundus ex jure retractus gentilitii evincitur, non praestatur evictio. 8.
Ratio. 9.
Aliud in fundo conventionali. 10.

1 Emptor, qui sciens rem alienam vel alteri obligatam emit, non potest de evictione agere, si evincatur, *hic et l.* 69. *pr. ff. h. t. l.* 7.
2 *in fine. C. communia utriusque judic.* Nam videtur fundum emere qualis est, nisi aliud conventum. Nam pacta omnia, quae non sunt 3
contra leges, Praetor tuetur. Exceptio in *l.* 4
ult. §. *ult. supr. communia de legat.* quia Imperator ibi in totum rescindit venditionem, quasi nunquam facta esset, et ita ad priorem statum causam reducit, ergo etiam pretium emptori restituendum. Accedit, quod emptor ibi rem legatam ita emat lege permittente. Colligunt *Doctores* communiter ex *hac l.* em- 5
ptorem, si sciens rem alienam emat, ne quidem pretium repetere posse, nam cum uter- 6
que mala fide agat, melior est causa possidentis, *Struv. synt. jur. civil. exerc.* 27. *th.* 34. *Covarr. lib.* 3. *resol. c.* 17. *num.* 2. *Gomez d. t.* 2. *num.* 42. *Fr. Caldas de empt. c.* 11. *num.* 6. *Tiraq. de retr. consang.* §. 12. *gl.* 1. *num.* 11. *Hartm. Pist. p.* 2. *qu.* 10. *num.* 22. *Treutl. et ibi Bacch. th.* 7. *in fine*, licet ad hunc tit. 7
dissentiat *Perez. num.* 24. Ex *hac l.* Colligitur; Quando fundus jure retractus gentilitii 8
evincitur, quod non praestetur evictio, quia 9
statuta civitatis omnes praesumuntur scire;
Aliud tamen est in retractu conventionali, 10
Mevius p. 5. *dec.* 313.

L. Emptori etiam. 28.

SUMMARIA

Facti species. num. 1.
Quaestio inde deducta. 2.
Ratio dubitandi. 3.
Decidendi. 4.
Exceptiones, quae causae cohaerent, in singularem successorem transeunt. 5.

Vendidisti mihi fundum, de quo antea lis 1
fuit inter te et Titium, qui eum suum esse dicebat. Sed illa lis sopita est per transactionem vel sententiam pro te latam, vel juramentum, quo tuum esse confirmasti; postquam vero ego emi fundum, Titius mihi denuo movet litem, Quaeritur: *An ego etiam ex tua* 2
persona, defensione, id est, exceptione tua, v. g. transactionis, rei judicatae, jurisjurandi, uti possim? Videtur quod non ob regulam 3
in *l. si unus* 27. §. *pacta* 4. *in fine ff. de pact. l.* 24. *C. eod.* Sed Affirm. quia ipsius vendi- 4
toris interest ob periculum evictionis; pacta enim cum aliis personis inita omnibus prosunt, quos non teneri paciscentis interest, *l.* 21. §. *ult. et l.* 23. *ff. de pact. et ibid. in* ϖ. *Wesenb. num.* 10.
Colligitur ex *hac lege*, exceptiones, quae cau- 5
sae cohaerent, transire etiam in singularem successorem, *Boer. sing.* 52. *num.* 27. *Donell. lib.* 22. *cap.* 3. *tit.* 8. et ibi *Hillig.*

L. Si permutationis. 29.

SUMMARIA

Sententia legis. num. 1.
Is, qui rem permutat cum alio, ad evictionem praestandam et ad interesse tenetur. 2.
Limitatur. 3.
Permutatio emptionis vicem sustinet. 4.
Discrimen inter emptionem et permutationem. 5.

1 Casus planus: Sententia haec est; Quod sicut ex contractu emptionis, si emptori res evincatur, et hic venditori denunciaverit, venditor tenetur ad evictionem praestandam et ad in-
2 teresse, *l.* 23. *h. t.* ita etiam, qui permutat rem cum alio, tenetur etiam ad evictionem praestandam et ad interesse, *l.* 23. *h. t. Molina d.* 380. *num.* 2. *Berlich. p.* 1. *concl.* 24.
3 *num.* 49. *Caballinus* §. 4. *num.* 43. si res permutata alteri evincatur, modo ille alter observaverit, quae emptori observanda, *hic et l.* 1.
4 *ff. de rer. permut.* nam permutatio vicem emptionis sustinet, *l.* 2. *ff. de rer. permut.* In
5 hoc tamen diversitas, quod licet emptor re nondum evicta, non possit agere contra venditorem, *l.* 3. *h. t.* in permutationis tamen contractu liceat, per *l.* 5. §. 1. *ff. de praescript. verb. l.* 5. *ff. de condict. causa data etc. Caball.* §. 4. *num.* 45. *Jo. Fr. Balthasar. d. t.* 8. *res.* 6. *num.* 3. Conf. *Frantzkius ad tit. de evict. num.* 350.

L. Non ex eo. 30.

SUMMARIA

Facti species. num. 1.
Qui de evictione stipulatus est, sive sciverit rem alienam, sive ignoraverit, ad evictionem agere potest. 2.
Fallit haec regula: Cautela nimia et exacta arguit dolum. 3.
Malitia nostrorum temporum. 4.

Emptor duplum sibi stipulatus erat, si fun- 1
dus emptus evinceretur: Postea evincitur, venditor allegat, emptorem scientem emisse fundum alienum, et ita non posse convenire venditorem, *l.* 27. *h. t.* Sed quia hoc debet venditor probare, ideoque scientiam rei alienae probat ex stipulatione dupli, sed Imperator negat hanc consequentiam valere. Sed videtur inanis esse lis, qui enim de evictione stipula- 2
tus est, ille sive sciverit rem alienam, sive ignoraverit, potest agere ad evictionem, *d. l.* 27. ibi: *neque quicquam etc.* Sed praesupponendum est; forte emptorem ex stipulatione duplae non egisse, sed ex empto, ut potest, *l.* 25. *supr. h. t.* Ex *hac lege* colligi potest: Non es- 3
se universalem illam regulam, *Cautelam nimiam et exactam arguere dolum;* non enim sequitur: hic in duplum sibi caveri voluit, ergo habuit scientiam, quod res evinci possit. Et illa regula tantum habet locum in insolitis, et si negotium clam geratur et contrahentes soliti fuerint dolose agere, ut ait *Menoch. cons.* 230. *num.* 60. Nam sane nostra tempora talia 4
sunt, ut nemo sibi satis prospicere possit, et ad fraudes aliorum excludendas insolitas cautelas saepe adsumere coguntur, qui nolunt decipi. Ea nostri heu sacculi calamitas!

TITULUS XLVI.

Creditorem evictionem pignoris non debere.

L. Cum jure. 1. et L. Si a creditrice. 2.

SUMMARIA

Creditor pignus datum concedente lege vel pacto distrahens, si res emptori evincatur, an evictionem creditor praestare debeat? num. 1.
Deciditur per distinctionem. 2. 3. 4.
Primi casus limitationes. 5.
Casus alius. 6.
Quaestio inde deducta. 7.
Requisita, ut creditor de evictione non teneatur. 8.
Creditor jure crediti vendens pignus, instrumenta et omne jus, quod contra debitorem habet, emptori cedere tenetur, ut emptor venditoris jura probare possit. 9.

1 Quando creditor pignus sibi datum, concedente id lege vel pacto, distrahit, ut §. 1. *Inst. quibus alienare etc.* et illa res emptori evincitur, tunc Quaeritur: *An creditor evictionem*
2 *praestare debeat?* Et distinguitur, utrum res emptori evincatur propterea, quod aliena illa fuerit et non debitoris, an vero propterea evincatur, quod creditor non habuerit jus distrahendi, vel quia non licebat lege prohibente, vel quod res ipsi non oppignorata esset, vel quod prior creditor esset, qui potius jus ipse haberet. Primo casu certum est, credito- 3
rem non teneri ad evictionem praestandam, neque Fiscum, neque privatum, *l.* 1. *h. t.* sed debitorem; in hujus enim utilitatem illa distractio tendit, dum liberatur, *l.* 2. *h. t. et l.* 11. §. 16. *ff. de act. empt.* Et creditor non suo nomine, sed tamquam Procurator debitoris vendidit, *Molin. d.* 538. *num.* 28. Hoc decla- 4
ratur tamen, quod creditor teneatur emptori cedere suam actionem hypothecariam contra debitorem, et actionem pignoratitiam, *Molina d. l. Jo. a Sande de cession. c.* 6. *num.* 4. et debet praestare, se creditorem fuisse, *Bart. Bald. Salic. ad hanc l.* 1. *Trentac. resol. ult. de empt. num.* 3. *Rodericus in tr. de ann. cens. lib.* 2. *q.* 16. *num.* 23. *Auctor in l.* 38. *ff. h. t. num* 1. Nam reviviscit quasi pignus creditori hypotheca evicta, *Carpz. p.* 2. *c.* 23. *d. ult.* Sed adduntur in *l.* 2. duae limitationes: 1. Si 5
creditor evictionem promiserit: 2. Si in dolo sit, id est, sciens rem alienam vendiderit, quam scivit non fuisse debitoris, atque adeo scivit, sibi jus vendendi non competere, nec sibi jus pignoris constitisse, *Auctor in d. l.* 38. *ff. h. t. num.* 2. Hic dolus ipsi prodesse non debet, *Bald. et Salyc. hic in l.* 1. *Alexand. Trentac. lib.* 3. *resol. tit. de empt. res. ult. num.* 1. *concl.*

2. *Molina tr.* 2. *d.* 538. *num.* 28. Posteriori vero
6 casu, quando is, qui evincit, propterea evincit, quod res quidem debitoris fuisset, sed creditorem non habuisse jus vendendi aut distrahendi. Creditor omnino tenetur ad evictionem, et tenetur probare, rem fuisse sibi obligatam, et se aliis creditoribus, si qui forte in illo pignore jus habeant, potius jus habere, *d. l.* 11. §. 15. *Trentac. d. res. ult. num.* 7. Sed pone, eamdem rem fuisse Fisco et privato obligatam, et Fiscum rem illam vendidisse, postea Fiscum privato
7 illi successisse, Quaeritur: *An Fiscus possit nomine privati evincere rem distractam contra factum suum?* Resp. aut Fiscus privato jus potius habuit, et tunc, quia vendere potuit, venditio retractari nequit, aut habuit jus infirmius, et venditio posset retractari ab alio, sed non a Fisco, qui proprium factum impugnare nequit, per *l.* 1. *h. t.* Ex dictis notentur quatuor 8
Requisita, ut creditor non teneatur de evictione: I. Ut debitor sit potior evincente. II. Ut fuerit creditor et res ei fuerit obligata. III. Quod creditor non debeat esse in dolo. IV. Quod creditor jus habeat vendendi, *Trentac. d. l. Molina* etiam *d. l.* putat, debitore non existente solvendo, posse emptorem in subsidium agere contra creditorem, nam is non habuit jus consequendi suum ex bonis alienis; Sed id aliis dijudicandum relinquo. Hoc certum est, 9
quod creditor jure crediti vendens pignus, instrumenta et omne jus, quod habet contra debitorem, cedere emptori teneatur, ut emptor probare jura venditoris possit, *Caballinus de evict.* §. 5. *num.* 37.

TITULUS XLVIII.

De patria potestate.

L. Si filium tuum. 1.

SUMMARIA

Facti species. num. 1.
An pater administrationem bonorum filii, tutorem ex testamento matris habentis, etiam post decennium recipere possit? 2.
Per vocabulum diu *quale tempus intelligatur?* 3.
Hodie filius, qui consensu patris separatam familiam instituit, pro emancipato habetur. 4.
Qui matrimonium contrahit et peculiarem oeconomiam habet, de consuetudine Germaniae fit sui juris. 5.
Etiam talis, qui actus patrisfamilias exercet, pro tali habendus. 6.

1 Mater filium suum haeredem instituit, dato ei tutore, qui a magistratu postea confirmatus, res filii administrat diu, i. e. per 10. annos, *arg. l.* 16. §. 3. *ff. qui et a quibus manumissi.* Sed cum adhuc ille haberet patrem; Quaeritur:
2 *An non pater administrationem bonorum filii etiam post decennium recipere possit?* Videtur quod sic, quia non emancipavit: Sed Neg. quia qui diu patitur filium suas res sibi habere, vi-
3 detur emancipare, per *hanc legem.* Alii in vocabulo *diu* intelligunt vicennium exemplo servi adquirentis libertatem, *Cephal. cons.* 687. *num.* 3. Et sufficit in hoc casu lapsus temporis, et patientia patris, qui passus est dari tutorem filio instituto, quod licet matri, et passus est bona a matre relicta a tutoribus administrari, *Petr. Barb. ad l. Titia num.* 15. *ff. soluto matr.* Confer. *Cephal. d. cons. num.* 31.
4 Hodie filius, qui separatam familiam consensu patris instituit, pro emancipato statim habetur, *Auctor in l.* 1. *ff. ad SCt. Maced. num.* 6. Vid. *Zasius ad l.* 10. *ff.* de *V. O. num.* 4. *et Harpr. in h. t. Instit. in* §. 6. *num.* 7. *Sichardus ad rubr. C. qui admitti num.* 7. *Col. dec.* 41. *num.* 4. *D. Mevius ad jus Lub. lib.* 1. *t.* 3. *num.* 24. *Berlich. p.* 2. *concl.* 11. *num.* 26. Et
5 qui matrimonium contrahit, de consuetudine Germaniae et aliarum nationum sui juris fit, *Auctor in l.* 31. *ff. de adopt. num.* 3. *Her. de fidejuss. cap.* 7. *num.* 621. *et seq. et Mevius d. l. num.* 25. praesertim, si peculiarem oeconomiam habeat. Item qui propriam exercet mercaturam, *Auctor in d. l.* 1. *ff. ad SCt. Maced. num.* 6. Sicut etiam alias filius, qui actus pa- 6
trisfamilias exercet, pro tali habendus est, *Trentac. lib.* 1. *tit. de emanc. resol. un. num.* 8.

L. Ejus. 2.

SUMMARIUM

Sensus legis.

Omnia, quae acquirit vel possidet filiusfamilias, acquirit et possidet patri, ut domino, exceptis bonis Castrensibus et quasi Castrensibus, et hodie, quoad proprietatem, idem in adventitiis; Vid. notata ad *l.* 6. *supr. de bonis quae lib.* ubi hac de re plura, et apud *Ascanium de patr. potest. effect.* 2.

L. Si filius. 3. et L. Libertati. ult.

SUMMARIA

Patri olim in liberos jus vitae ac necis competebat. num. 1.
Secus hodie. 2.
Patria potestas non in atrocitate, sed pietate consistere debet. 3.
Vestigium juris veteris circa filiam in adulterio repertam. 4.
Parens hodie filio libertatem non adimere potest. 5.
Neque in spiritualibus praejudicare. 6.
Nec in iis, quae juris munerisque publici. 7.
Modice tamen castigare, imo aliquando Judici puniendum eum offerre licet. 8.

Si pater h. m. filium offert, poena a Judice solet mitigari. 9.

1 Patri olim competebat jus vitae et necis in
liberos, *l. ult. h. t. l.* 11. *ff. de lib. et posthum.*
2 *Struv. synt. jur civil. exerc.* 3. *th.* 39. Sed hoc
3 jus sensim abrogatum: Patria enim potestas
non in atrocitate, sed pietate consistere debet, *l.* 5. *ff. de l. Pompeja de parricid.*
4 Vestigium illius juris adhuc in *l.* 20. *et seq.*
ff. de *adult.* ubi pater filiamfamilias in adulte-
5 rio repertam interficere potest. Sed hodie nec
libertatem filio adimere potest, id est, non potest vendere ut mancipium, vide *supra de patribus qui filios distraxerint.* Et sicut libertatem filio regulariter eripere non potest, per
6 *hanc l. fin. et l.* 1. §. 1. *ff. de rei vind.* ita neque
in spiritualibus filio praejudicat, *c. fin. de judic. lib.* 6. *Cothman. cons.* 1. *num.* 132. nec
7 in iis, quae juris munerisve sunt publici, *l.* 9.
ff. de his qui sui vel alieni etc. Mevius d. t. 3.
8 *num.* 17. *et seq.* modice tamen filium castigare
potest, *l.* 3. *h. t. Struv. exerc.* 3. *th.* 39. potest etiam filium, immorigerum si se praebeat parenti v. g. bona ejus alienando et dilapidando, puniendum offerre Judici, ut is cogatur ex praescripto patris, ferre sententiam, *l.* 3. *h. t.* quia nemo moderatius animadvertet, et nullus affectus vincit paternum. Vid. *Donell. lib.*
9 2. *comment. c.* 25. Sed tamen ex hac causa so-
let poena filio mitigari, si pater filium offerat, ne videatur eum ad supplicium obtulisse, per *l.* 13. §. *ult. ff. de re milit. Caepoll. caut.* 1. *et Tiraq. de poenis temp. causa* 19. *et seq.* Sic igitur emendatio quidem, sed non poena atrocior parentibus concessa per *hanc l.* 3. *et l. un C. de emend propinq. Mod. d.* 228. *num.* 25. videatur *Bacchov. ad prota tit. de patria potest. num.* 8. *contra Dionys. Halicarnassaeum disputans.*

L. Congruentius. 4.

SUMMARIA

Sententia legis. num. 1.
Inter patrem et filium lis nulla esse potest. 2.
Limitatur. 3.
Quid si lis inter matrem et filium intercedat? 4.
Favorabilia illa sunt statuta, quae domesticos et consanguineos litem inter se habentes ad compromittendum compellunt, ut ita lis a consanguineis aliis amice componatur. 5.
Si contra revererentiam matri debitam quid agitur, Judex ex officio id graviter vindicet. 6.
Idem in Praeceptoribus a discipulis, et ministris Ecclesiae ab auditoribus. 7.

1 Sententia legis haec est, reverentiam etiam
2 matri a filiis esse praestandam, sed licet inter
patrem et filium lis nulla esse possit, *l.* 4. *ff. de*
3 *judic.* nisi agat de alimentis aut nomine alieno,
ut tutor, curator, procurator, *Capyc. dec.* 56.
4 *num.* 1. *Mol. tr.* 2. *d.* 228. *num.* 7. si tamen
quaestio pecuniaria inter matrem et filium oriatur, nec illa inter privatos parietes componi posset (quod tamen melius esset) sed coram Judice disceptanda; Juris ordine res ea tractanda, salvo tamen respectu matri a filio exhibendo. Si vero filius contra reverentiam matris quid gesserit, atrocius pro arbitrio suo
Judex vindicabit. Collige: Favorabilia esse illa 5
statuta, quae domesticos et consanguineos inter se litem habentes, compellunt ad compromittendum, ut ita lis a consanguineis aliis amice componatur *Alderan. Mascardus de interpret. stat. concl.* 4. *num.* 141. *et seq. Camillus Borell. lib.* 1. *dec. tit.* 63. *num.* 7. *Card. Tu-*
schus, concl. 487. *lit. S.* Collige etiam: Si con- 6
tra reverentiam matri debitam quid agatur,
Judicem ex officio id graviter vindicare. Idem 7
dixerim, si injuria sit illata praeceptoribus a discipulis, ministris Christi ab auditoribus, ex officio judicem id inquirere et punire debere.

L. Filia tua. 5.

SUMMARIA

Filius patrem egentem alere tenetur. num. 1.
Ampliatur. 2.
An alitio parentum sit effectus patriae potestatis? 3.

Filius tenetur parentem egentem alere, de 1
quo fuse agit *Ascanius Clementinus de patr. potest. effect.* 17. *Surdus tr. de alimentis tit.* 1. *qu.* 17. *Azorius p.* 2. *lib.* 2. *Inst. mor. c.* 3. *Molina tr.* 2. *d.* 228. *num.* 16. *et seq. Cole-*
rus in tr. de alim. l. 1. *c.* 2. Et hoc adeo ve- 2
rum est, ut si filia esset maritata, teneatur parentibus succurrere, licet clam et invito ma-
rito, ut recte ait *Mol. d. l. num.* 16. Sed in- 3
commode id videtur tanquam effectus patriae potestatis his recenseri, cum non tantum pater, qui in potestate habet, sed etiam, qui emancipatos liberos habet, imo et mater et avia ali debeant, post *glossam Molina d. l. Surdus t.* 1. *qu.* 14. Videantur notata ad *tit. supr. de alendis liberis.*

L. Abdicatio. 6.

SUMMARIA

Modus habetur tollendae patriae potestatis Jure veteri licitus. num. 1.
Improbatus hodie. 2.
Liberi inviti patria potestate hodie non liberantur. 3.
Limitatur. 4. 5.

Erat olim modus tollendae patriae potestatis, 1
quo pater negabat suum esse et abdicabat, ac
domo sua ejiciebat. Sed hic modus *hac lege* 2
improbatus: nam hodie inviti liberi patria 3
potestate non liberantur, *l.* 5. *C. de emancipat.*
Si tamen filius causam exhaeredationis prae- 4
beat, quod tunc ex aedibus paternis ejici possit, videtur probari posse ex *l.* 132. *ff. de V. O. Vid. Hillig. in Donell. lib.* 2. *comm. c.* 26.
lit. G. Sicut etiam ex tali causa alimenta filio 5
denegari possunt, *Surdus de alim. tit.* 7. *q.* 1. *Mind. lib.* 2. *de process. c.* 51. *num.* 6. scilicet, si ad frugem non redeat, parum supplicii satis est patri.

L. Si maritus tuus. 7.

SUMMARIA

Quinam liberi sint in potestate patris? num. 1.
Jus hodiernum. 2.

1 In potestate patris non tantum sunt liberi pri-
mi gradus, sed etiam nati ex filio, si hic in
potestate patris, et deinceps, *l.* 4. *in fin. ff.*
h. t. l. 8. *ff. de agnosc. lib.* Imo licet filius es-
set miles, liberi tamen ejus sunt in potestate
2 avi, *hac l.* 7. Sed hodie ex consuetudine per
nuptias liberi emancipantur, ut supra dixi,
atque adeo nepotes numquam in avi sed pa-
tris potestate erunt. Videatur *Vultejus in tit.*
de patr. pot. §. 2. *num.* 3. *Rauchbar. part.*
2. *quaest.* 18. *num.* 24. *et Berlich. parte* 2.
concl. 11. *num.* 33. *Hering. de fidejuss. c.* 7.
num. 6. 21. *Molina d.* 229. *num. fin. P. Gilken.*
de praescr. p. 3. *c.* 3. *num.* 30. *Dn. Mevius ad*
Jus Lubec. p. 1. *tit.* 3. *num* 25.

L. Libertos. 8.

SUMMARIUM

Sensus legis.

Libertus etiam potest filium suum in potestate habere, Vid. *l.* 7. *supr. de suis et legit. haered.*

L. Nec filium. 9.

SUMMARIA

Parenti, aliquem filium suum esse, negare, et alimenta ei denegare, non licet. num. 1.
Poena. 2. 3.
Quamdiu pater liberos alere jubeatur? 4.
An mater per triennium liberum infantem alat? 5.
Interpretatio varia hujus legis. 6.
Pater in filium nondum natum tenetur sumptus subministrare necessarios. 7.

Non licet parenti negare, aliquem esse filium 1
suum, et alimenta ei denegare. Nam sunt 1. duo
SCta, quorum mentio fit *l.* 3. §. 1. *ff. de agnosc.*
lib. ex quibus, si mulier denunciaverit mari- 2
to, se ex ipso praegnantem esse, maritus de-
negans partui alimenta, sine ulla alia cogni-
tione alimenta suppeditare cogitur: 2. Praejudi- 3
cialem etiam quaestionem filius contra patrem
potest movere, §. *praejudiciales* 13. *Inst. de*
act. Imo extat Edictum etiam de alendis liberis, 4
ex quo pater trimum, id est, triennem alere
jubetur (tamdiu enim solebant lacte materno
ali) quae modica impensa, et quia a natura
ob id ubera habet. Vid. *Surdus* plurimos alle-
gans *de alim. tit.* 1. *quaest.* 14. *num.* 1. *et seq.*
Licet autem hunc textum nonnulli ita intelli- 5
gant, ut ad matrem lactantem sumptuum in
infantem faciendorum onus intra illud trien-
nium redundet, et pater vel ejus haeredes in-
tra istud tempus ab omni sumptu liberentur,
quos allegat *Colerus tr. de alim. lib.* 1. *c.* 6.
num. 4. alii tamen *hanc legem* de alimentis 6
lactis materni tantum interpretantur, *Colerus*
plures allegans *d. l.* qui et ea ratione confirmat
hunc intellectum, quod *lex haec* posita sit sub
tit. de patria potestate. Ergo probabile est, 7
hunc filium fuisse legitimum; atqui in filium
nondum natum sumptus necessarios tenetur
pater subministrare per *l.* 5. *ff. de ventre in pos-*
sess. mitt. cur non etiam caetera alimenta,
praeter lac maternum pater subministraret,
v. g. vestitum, habitationem, lectulum etc.?
Vid. *Finckelthaus obs.* 102. *q.* 1. et quos refert
num. 12. *Auctor in l.* 5. *ff. de agnosc. et al.*
lib. num. 1. *et multis seqq.*

TITULUS XLVIII.

De adoptionibus.

L. Hi. 1. et L. Adoptio. 4.

SUMMARIA

Adoptionis in genere divisio. num. 1.
Adoptio in specie quomodo fieri debeat? 2. 3.

1 Adoptionem in genere sumptam in duas spe-
cies dividi ex institutis novimus, sc. adoptio-
nem in specie sic dictam, et arrogationem.
2 Adoptio in specie sic dicta, qua scil. eos, qui
in potestate parentum suorum sunt, adopta-
mus, *Auctor in l.* 1. *ff. h. t.* non fieri potest,
nisi apud magistratum, apud quem plena le-
gis actio, *hic et l.* 4. *ff. h. t.* ut Romae sunt
Consul, Praetor, in Provinciis Praeses, Pro-
consul, §. 8. *Inst. h. t. d. l.* 4. *et* 5. *ff. h. t.*
qui magistratus etiam apud se adoptare pos-
sunt, *l.* 2. *h. t.* ideoque adoptio non potest fieri 3
tabulis aut instrumentis per Tabellionem seu
Notarium conficiendis, sed solemni juris or-
dine, *l.* 4. *h. t.* et fit intervenientibus actis,
l. ult. h. t.

L. Impuberem. 2. et L. Arrogationes. 6.

SUMMARIA

Arrogatio unde dicta? num. 1.
Ejus solemnitates et requisita. 2. 3. 4. 5.

Arrogatio, inde dicta, quod fieri soleat ro- 1
gato utroque, an hanc fieri velit, *Molina tr.*

2. *d.* 227. *num.* 70. sive adoptio impuberis ejus, qui juris est, plures solemnitates requirit. De-
2 bet enim I. accedere rescriptum Principis, §. 1. *et* 3. *Instit. h. t. et l.* 6. *et* 8. *h. t. Auctor in l.* 2. *ff. h. t. num.* 1. quod rescriptum praesidi vel praetori est intimandum, *l.* 2. *h. t.*
3 II. Requirit causae cognitionem, *Auctor in l.* 15. *ff. h. t. num.* 4. Audiendi enim sunt impuberis consanguinei, et videndum, an expediat pupillo, et debet inquiri, an liberos habeat arrogaturus, vel eorum spem, et num arrogatorem moveat pia actio aut suspicio sinistrae alicujus intentionis, et num conjunctus sit arrogandus, ut exinde pia affectio sumi possit, quibus moribus praeditus sit arrogaturus, qualis famae sit, quas habeat facultates, et quas habeat pupillus, ut inde dijudicetur, an pupillo expediat arrogatio, per *l.* 15. *et l. nec ei permittitur* 17. *ff. h. t. ibique Auctor*, *Molina*
4 *d. l. num.* 11. III. Debet pater promittere se, si exhaeredaverit eum, vel emancipaverit sine justa causa, ipsi de suis (id est, arrogatoris) bonis relicturum vel daturum quartam partem scilicet debitae portionis, Vid. *Bacchov. in*
5 *Treutl. vol.* 1. *disp.* 2. *th.* 9. *lit. C.* IV. Debet personae publicae, i. e. Notario nomine pupilli (non infantis tamen, quia arrogatus expresse debet consentire, *l. in adoptionib. ff. h. t.* quod hic non est, *Molina d. l. c.* 11.) stipulanti promittere, si pupillus intra pubertatem decesserit, quod velit ejus bona restituere his, qui ab intestato successissent pupillo, si arrogatus non fuisset, *hic et d.* §. 2. *Inst. h. t.* ubi videantur Interpretes, hoc declarantes uberius. Et eo ipso, quod impubes ad pubertatem venit, cessat obligatio fidejussorum, si quos habebit, *Mol. d. l. num.* 12.

L. Cum eum. 3.

SUMMARIUM

In arrogatione causae cognitio est necesaria, et cur?

In adoptione necessaria est causae cognitio, *l.* 3. *h. t. Auctor in l.* 15. *ff. h. t. num.* 4. v. g. ne adoptet is, qui liberos habet, *hac. l.* nec is, qui liberis generandis studere debet, *l.* 15. §. 2. *ff. h. t.* Item nec is, qui minor est adoptando, vel ejus tutor, *l.* 17. *pr. ff. h. t. etc.* Sed textus hi de arrogatione loquuntur in specie, et sic eos intelligit *Mol. d. l. num.* 11.

L. Mulierem. 5.

SUMMARIA

Foeminae cur adoptare nequeant? num. 1.
Quatenus hodie foeminis adoptare liceat? 2.
An hac adoptione ipsis Jus potestatis tribuatur, et quid inde consequantur? 3.

1 Quod foeminae nec naturales ex conjugio natos liberos habent in potestate, §. 10. *Instit. h. t.* ideoque nec adoptare possunt, *d.* §. 10.
2 hodie tamen foemina in solatium liberorum amissorum permittente Principe potest adoptare per *h. l. et l.* 29. §. 3. *ff. de inoff. testam.* Sed 3
hac adoptione non tribuitur foeminae jus potestatis, sed tantum jus vocandi liberos, et liberi acquirunt jus succedendi ab intestato per verba hic *ad vicem naturalis etc. Molin. d. d.* 227. *num.* 22. *Harpr. et DD. in d.* §. 10.

L. In adoptionem. 7.

SUMMARIA

Facti species. num. 1.
Ratio decidendi. 2.
Adoptio dignitatem pristinam adoptato non adimit, sed addit augetque. 3.
Effectus domicilii originis quoad munera obeunda generali consuetudine hodie est sublatus. 4.

Civis Lipsiensis adoptat Norenbergensem, Quaeritur: *An adoptatus patriae suae muneribus, an vero Lipsiensis urbis muneribus obstringatur, an utriusque?* Resp. Affirm. ult. *hic et* 2
l. 15. §. *ult. ff. ad municipalem*, *et l.* 17. §. 9.
d. t. ratio in *l.* 35. *ff. h. t.* quia adoptio non adi- 3
mit dignitatem adoptato, sed addit augetque, *Auctor in l.* 35. *ff. h. t. num.* 1. ergo nec ab oneribus et muneribus origini debitis liberat, *arg. l. secundum naturam ff. de R. J.* de quo pluribus agit *Cephalus cons.* 451. *n.* 156. *et seqq.*
Sed hodie effectus domicilii originis, quoad mu- 4
nera obeunda generali consuetudine est sublatus, *Paurmeister. lib.* 2. *de jurisdict. c.* 8. *num.* 38. *Zang. de except. part.* 2. *c.* 1. *num.* 75.

L. In adoptionem. 8.

SUMMARIUM

Sensus legis.

Patronus potest citra rescriptum adoptare filiam libertae suae, si filia illa sit in potestate parentis, nam si sit pupilla et sui juris, requiritur rescriptum, Vid. §. 1. *Inst. h. t.* et explicationem *l.* 2. *et* 6. *h. t.*

L. Adoptatum. 9.

SUMMARIUM

An et quatenus arrogator impuberis eumdem postea emancipare possit?

Qui arrogavit impuberem, licet ad id opus habuerit rescripto, citra rescriptum tamen, solemniter et coram magistratu eumdem consentientem, *l.* 5. *seq. tit.* postea emancipare non prohibetur; ergo id, quod auctoritate Principis factum, potest dissolvi per inferiorem, partibus consentientibus, facilius enim aliquid ad pristinam suam naturam recedit, et facilis est ad pristinam naturam recursus, *l. filio* 23. *ff. de lib. et posth. Petr. Peckius de testam. conjug. lib.* 3. *c.* 16. *pr. Vasq. lib.* 2.

cont. c. 82. *num.* 4. *Kloch. cons.* 50. *num.* 300. *vol.* 1. *et cons.* 19. *num.* 5. *et seq. vol.* 2.

L. Cum in adoptivis. 10.

SUMMARIA

Sententia juris novi quoad filiumfam. a patre naturali adoptandum data. num. 1.
Duo vincula fortius ligant, quam unum. 2.
Justiniani *Constitutio hac in parte.* 3.
Adoptatus postquam emancipatus est in bonis paternis extranei adoptivi intestati nihil juris habet. 4.
Dicta de adoptatis locum etiam habent in eo, qui ex tribus matribus adoptatus est. 5.
Lex haec *prolixior, quam utilior.* 6.

1 *Princ.* prolixe traditur haec sententia juris novi filiumfamilias, si a patre naturali detur adoptandus, siquidem extraneo, non transire in potestatem patris adoptivi, nec contra testamentum ejus habere querelam, sed manere in potestate patris naturalis et hunc tantum effectum adoptionis esse, ut filius adoptatus patri adoptivo ab intestato succedat, nisi prius fuerit emancipatus: Si vero filiusfamilias non extraneo, sed avo materno vel etiam paterno, (si ipsius pater sit patria potestate liberatus) in locum filii vel nepotis adoptandus detur, tum eum transire in potestatem patris adoptivi, et servari jus antiquum, et perdere jura, quae in naturalis patris bonis habet (nisi ante mortem patris sit emancipatus ab adoptante) quia hoc casu in unam personam concurrunt et naturalia cognationis et civilia adoptionis
2 jura, et ita duo vincula fortius ligant, quam unum, *arg. Auth. itaque C. communia de successionibus.* Vid. *Interpretes in* §. *sed hodie Instit. hoc tit. Molina tr.* 2. *d.* 227. *num.* 18. *et seq. Forst. de success. lib.* 5. *c.* 2. *et seq. Schneid. in tit. de success. liberorum adopt.*
3 §. 1. Hoc costituit *Justinianus*, ut adoptatus ab extraneo, patri adoptivo quidem possit succedere ab intestato, ejus testamentum vero impugnare non possit, sed succedit tantum ab intestato, vel ex eo testamento, in quo haeres institutus est; cum agnatis vero parentis adoptivi nullam habet communionem, adeo ut nec ille agnatis, nec hi illi succedant ab intestato; sed in bonis parentis naturalis retinet successionis jura ab intestato, et huic etiam acquirit bona adventitia, quoad usumfructum, juxta §. 1. *Instit. per quas personas.* Vid. *DD. ad* §. *citat.*

§§. 2. *et* 3. In bonis paternis extranei adopti- 4
vi intestati, adoptatus, postquam emancipatus est, nihil juris habet, et quae de adoptatis di- 5
cta sunt, locum habent, si quis ex tribus maribus adoptatus, qua de re videatur §. 14. *et ibi DD. Inst. de haeredit. quae ab intest.*

§. 4. Praecedentia tantum ad ulterioris gradus liberos extendit, et §. 5. concludit, tantum in adoptione in specie sic dicta haec locum habere, non in arrogatione; *lex haec* proli- 6
xior est, quam utilior, ideoque ejus summam brevibus sumus complexi.

L. Veteres. ult.

SUMMARIA

Adoptio et emancipatio quomodo olim factae fuerint? num. 1.
Quid Imperator constituerit hac in parte? 2.
Hujus exemplo unio prolium in superiori Germania introducta est. 3.

Antiquitus ut emancipatio per tres venditio- 1
nes et tres manumissiones fiebat, §. 6. *Instit. quibus mod. patr. potest. toll.* ita etiam adoptio per ternas venditiones et duas manumissiones; sed istiusmodi circuitus, et nugas sustulit Im- 2
perator, et constituit, ut quibuscumque verbis adoptans et adoptatus suum consensum coram competenti judice declarare possit, actis intervenientibus judicialibus; nam utriusque praesentia et consensus requiritur, et quidem adoptati tacitus sufficit, si non contradicit. Quae a me dicta, sufficiant in hac materia nostris non occurrente in judiciis, nec tamen, utut quidem rara, penitus abolita, *Auctor ad rubr. ff. h. t.* Et hujus exemplo introducta unio prolium, 3
praesertim in superiori Germania, *Koppen lib.* 1. *obs.* 55. *Gail. lib.* 2. *obs.* 125. *et ibi Graeven. Carpz. l.* 5. *resp. et alii, Struv. synt. jur. civil. exerc.* 3. *th.* 66.

TITULUS XLIX.

De emancipationibus liberorum.

L. Si lex municipii. 1.

SUMMARIA

Emacipatio coram quo judice fiat? num. 1.
An civis alterius civitatis coram magistratu hujus urbis liberos emancipare possit? 2.
An Jurisdictio voluntaria etiam ad forenses extendi, eaque extra territorium et inter non subditos exerceri queat? 3.
Quoad solemnitates emancipationis consuetudo loci attendatur, in quo actus celebratur. 4.
An introducta in nonnullis locis inscriptione judiciali (die heimliche Klage), *haec creditoris impetratio bona in alia Provincia sita afficiat?* 5.

Emancipatio fit coram judice et magistratu 1
competente, *l. ult. h. t.* Ideo civis alterius civi- 2
tatis coram magistratu hujus urbis liberos suos emancipare nequit, nisi statutum reperiatur, ut magistratus hujus urbis inter alienigenas etiam jurisdictionem istam voluntariam exercere possit. Sed *DD.* hic plerique colligunt:

3 jurisdictionem volontariam etiam ad forenses extendi, et posse eam extra territorium et inter non subjectos exerceri, si hi consentiant. Vid. *Knichen. de sublim. territ. jur. cap.* 1. *num.* 344. *Covarr. lib.* 3. *resol.* 20. *num.* 8. *Matth. Steph. lib.* 1. *de jurisd. cap.* 33. *num.* 24.
4 Colligunt etiam *Doctores:* Quoad solemnitates attendi consuetudinem loci, in quo actus celebratur, *hic et l.* 6. *ff. de evict. Gail. l.* 2. *obs.* 8. *in fine, et obs.* 123. *num.* 2. *Rota Genuensis dec.* 38. *Colerus de process. execut. p.* 2. *c.* 1.
5 *num.* 72. *Carpz. p.* 3. *c.* 6. *d.* 12. Hinc quaesitum memini, quia Stetini a Duce Pomeraniae Dn. Jo. Friderico ni fallor, introducta inscriptio judicialis (*die heimliche Klage*), An creditoris haec impetratio afficiat bona in alia provincia sita? Quod negandum videtur, quia statuta non afficiunt res alibi extra jurisdictionem statuentis sita, si statutum de re conceptum, per tradita *DD. ad l.* 1. *C. de SS. Eccles.* Sed posset responderi, statutum in rem conceptam non afficere rem alterius territorii, nisi accedat factum partis, v. g. testamentum vel contractus etc. juxta tradita in *d. l.* 6. *ff. de evict.* et, ni fallor, verba extensiva in Constitutione Ducis Jo. Frider. reperiuntur, et declarationem Senatus Stetin. legi, qua declarabat et testabatur Senatus Sedin. Nobiliss. quod clancularia inscriptio afficiat res extra civitatis jurisdictionem sitas. Et hoc statutum hic non immediate afficit res externas; nisi praesupposito facto debitoris, qui se statuto submisit et factum judicis, quod factum partis reputatur, *l.* 13. *supr. de evict. et ibi notata, Barb. locupl. l.* 6. *tit.* 3. *axiom.* 25. *et quos ibi refert.*

L. In emancipationibus. 2.

SUMMARIUM

An scriptura sit de essentia emancipationis?

Quaeritur: *An scriptura sit de essentia emancipationis?* Resp. Quod non; quia veritas hic attenditur, non scriptura, *hic et l.* 11. *supr. de fide instr.* hinc si aliud actum, aliud scriptum de emancipatione liberorum, potius veritatem facti sequemur, quam scripturam, *supr. t. t. plus valere quod agitur etc.* et ideo, licet amissum instrumentum emancipationis, haec tamen valet, si aliunde probari possit.

L. Non nudo consensu. 3.

SUMMARIUM

Liberatio a patria potestate quomodo fieri possit?

Liberatio a patria potestate non potest fieri nudo consensu patris et filii, sed fit vel per solemnitatem judicii coram Judice competenti, ut in *l. fin.* aut casu, id est, morte patris naturali vel civili, vel haeresi, aut incestu ejus, per *Auth. incestus C. de incest. nupt. Covar. de matrim. p.* 1. *c.* 6. §. 8. *num.* 20. *Molina d.* 229. *num.* 6.

L. Nec avus. 4.

SUMMARIA

Nemo invitus emancipare cogitur. num. 1.
Casus excepti. 2.
Invitus quoque emancipari nequit. 3.
Ampliatur. 4.
Princeps nemini jus suum quaesitum auferre potest. 5.
In cujusquam injuriam beneficia alteri tribuere, Principi non convenire jam olim putarunt. 6.
Omnia privilegia sine praejudicio tertii concessa et concedenda intelligantur. 7.
Angelus *notatur.* 8.

Invitus nemo cogitur emancipare, nisi in ca- 1
sibus quibusdam specialibus, ut si crudeliter 2
tractet, *l. ult. ff. si a parent. quis manumissus etc. Auctor in l.* 31. *ff. h. t. num.* 1. vel si ad peccata pertrahat, *l. si lenones C. de episc. audient. l. ult. C. de spect. Auctor d. l.* 31. vel si sub hoc modo relictum legatum, ut emanciparet, et legatarius amplectatur legatum, *l. si cui legatum* 92. *ff. de condit. et demonstr. Molina d. d.* 229. *num.* 14. *Auctor in d. l.* 31.
sicut nec invitus emancipari potest, *l.* 6. *ff.* 3
de patr. pot. nov. 89. *c.* 11. adeo ut nec re- 4
scriptum Principis ad hoc impetratum ut quis invitus emancipetur quicquam valeat. No-
ta bene: Ex *hac lege* Colligunt; Principem 5
nemini suum jus quaesitum auferre posse. Idem in *l. quoties* 2. *supr. de precib.* quae regula
alibi pluribus exornatur. Interim non possumus 6
non commendare omnibus, qui aliquando Principibus futuri sunt a consiliis, ut sciant, Diocletiano et Maximiano ethnicis Imperatoribus in more non fuisse, in cujusquam injuriam beneficia tribuere. Ingemisco haec scribens, dum video Ethnicis hoc non fuisse in more; oh si numquam in mores christianorum transeat Principum! Nemo lugeat ex beneficio mihi vel
tibi dato! Solet etiam *hac lege* probari: Omnia 7
privilegia sine praejudicio tertii concedenda, et concessa intelligenda esse, *Gail. lib.* 2. *obs.*
1. *num.* 14. Mentiri eos dicit *Angelus*, qui di- 8
cunt, non posse Principem jus alterius sine causa tollere. Sed haec scripsit *Angelus*, non ut *Angelus*, sed ut homo mendax, ut eum redarguit *Christin. dec.* 75. *num.* 2. *vol.* 2.

L. Jubemus. 5.

SUMMARIUM

Triplex emancipationis forma, quarum duae in hac lege.

Triplex est emancipationis forma: I. Legitima ex *l. XII. Tabb.* et hodie plane obsoleta, quae fiebat per trinas venditiones et trinas manumissiones et raphismata etc. ut describ. in *pr. l. ult.* et in §. 6. *Inst. h. t.* II. Anastasiana in *l. pen.* qua imaginariae istae venditiones, et perplexa ac superstitiosa legitimae emancipationis formula sublata, et constitutum, ut prius rescriptum ab Imperatore impetretur, hocque

apud judicem competentem edatur, simul et emancipandi consensus probetur (nisi infans sit) atque ita emancipatio procedat ex rescripto.

L. Cum inspeximus. ult.

SUMMARIA

Tertia emancipationis forma. num. 1.
Jus hodiernum. 2.

1 III. Forma est Justinianea, quae explicatur in *l. ult.* qua pater non opus habet, ut Principem adeat eique supplicem libellum offerat, sed competentem magistratum potest adire, et quibuscumque verbis declarare, quod hunc vel illum filium vel nepotem emancipet, et pater, qui ita emancipavit, legitima jura successionis retinet, licet specialiter sibi non reservaverit. Quamvis autem in *hac l. ult.* tribunalis fiat mentio, procul dubio tamen id ideo factum, quia ut plurimum id fieri solet, nam etiam extra locum tribunalis eam fieri posse patet ex *l.* 36. *ff. de adopt.* et quia est voluntariae jurisdictionis. Hodie tacite fit separatione 2
oeconomiae, vel nuptiis de generali consuetudine, de quo supra satis actum.

TITULUS L.

De ingratis liberis.

L. Filios. un.

SUMMARIA

Ingratitudo liberorum emancipationem rescindit. num. 1.
In quibusnam ingratitudo ista consistere soleat? 2.
Duplex liberorum impietas. 3.
Ingratitudo est causa, propter quam quis in patriam potestatem revocatur. 4.

1 Ingratitudo liberorum rescindit emancipationem, atque adeo filius emancipatus iterum redigitur in potestatem patriam, *Auctor in l.* 12. *ff. de adopt. num.* 1. Ingratitudo autem in duo- 2
bus potissimum consistit: 1. In acerbiori convitio. 2. Injuria reali seu manus violentae illatione, Vide *Donell. lib.* 2. *cap.* 24. Duplex e- 3
nim liberorum impietas, 1. quod gratiam parenti non referant: 2. Beneficia patris contumeliis dispungant. Et sic notetur causa, propter 4
quam quis in patriam potestatem advocatur, scilicet ingratitudo, de qua *Tholos. lib.* 11. *Synt. cap.* 6. *num.* 2. *Ascanius Clementinus de patria potest. c.* 5. *num.* 65. *et seqq.*

TITULUS LI.

De postliminio reversis, et redemptis ab hostibus.

L. Ex duobus. 1.

SUMMARIA

Facti species. num. 1.
2 *An matre apud hostes concipiente, et filiam pariente, mortuo ibi patre reversa, nata filia jus postliminii habeat, ita ut patris conditionem sequatur?* 2.
Ratio decidendi. 3. 4.

1 Maritus et uxor simul capti sunt ab hostibus, mater apud hostes concipit et parit filiam. Sed patre apud hostes mortuo, reverti-
2 tur mater sola cum filia sua, quaeritur: *An haec habeat jus postliminii, ita ut patris sequatur conditionem?* Resp. si pater cum matre rediret, non dubium est, filiam patris sequi conditionem, non quidem jure stricto, quia enim filia non est capta, nec habere potest jus postliminii, sed ex aequitate, *hic et l.* 9. *et* 25. *ff. h. t.* et ex persona parentum: verum quia sola mater redit cum filia, jus postliminii habet ex persona matris, et ita in hoc puncto pro spuria habetur, quasi sine patre nata. Hoc probatur hac ratione. Quando enim quis apud 3
hostes moritur, Lex Cornelia fingit eum statim, cum caperetur, mortuum esse, alias enim servus esset, Vid. *DD. in* §. 5. *Instit. quibus mod. jus patr. potest.* Quia ergo Lex Cornelia 4
statim mortuum fingit, non aliter dici potest, quam quod filia illa in captivitate concepta nullum patrem habuerit.

LL. 2. 5. 6. 7. 8. 11. 13. 15. 16. 17. et ult.

SUMMARIA

Captos ab hoste data pecunia redimere omnibus licet. num. 1.
Redemptorum ejusmodi qualis conditio? 2.
Res captae, si ab hoste redimuntur, oblato pretio restitui debent. 3.
Quid si captivus pretium restituere nequeat? 4. 12.

Declaratio hujus legis. 5.
An redemptor expensas in alimenta et vestimenta captivorum factas repetere queat? 6.
Redempti ab hostibus loco pignoris sunt. 7.
Sensus hujus regulae. 8.
An redempti tales haereditatem interim delatam adire possint? 9.
Quamdiu redemptus servire cogatur? 10.
Redemptor pretium accipere nolens a judice est compellendus. 11.
Casus excepti, in quibus redemptor pretium a redempto petere nequit. 13.
Quatenus captivus redemptus pristinum statum recuperet? 14.
An mater, quae filium redemerat, animo repetendi Lytron dedisse praesumatur? 15. 17.
Alimenta vel pretia pro captivis a parentibus data, animo pietatis data videntur. 16.
Alimenta et redemptio captivorum quatenus aequiparentur? 18.
Pecunia a patre filio ab hostibus etiam Christianis liberando data in divisione haereditatis conferenda non est. 19.
Redemptor pretium repetere non potest, si redemptam prostituit aut prostituere conatus est. 20.

1 Captos ab hoste, data pecunia, redimere li-
2 cet omnibus. Et qui ita redempti sunt, quoad
exsolvatur pretium magis in causam pignoris
constituti, *Auctor in l.* 12. *ff. h. t. num.* 6.
quam in servilem conditionem detrusi esse videntur, per *l.* 2. *h. t. et ibi DD. Valascus*
tom. 1. *consult.* 30. *num.* 15. *Colleg. Arg. in*
3 *hoc tit. ff. num.* 16. ex quo colligitur: Captas
etiam ab hostibus res, si ab hoste rediman-
tur, oblato demum pretio restitui debere,
Covar. in c. peccatum p. 2. §. 10. *n.* 7. *Auctor*
4 *in l.* 12. *ff. h. t. num.* 5. Et si non possit ca-
ptivus pretium restituere, servire debet re-
demptori suo tamdiu, donec pretium solverit,
ne homines a tali officio pietatis, consideratio-
5 ne damni, arceantur, *l. ultim. h. t.* Sed de-
claranda 1. est haec regula: nam loquitur *haec*
lex de redemptis, ergo statim apparet capti-
vos ab hoste reversos nihil quicquam iis resti-
tuere debere, quibus captus ab hoste restitu-
tus est gratis sine ullo contractu, quo casu
captus reversus jure postliminii statim omnia
sua jura pristina denuo recipit per *l.* 5. *h. t.*
6 Imo licet quis in alimenta ac vestimenta capti-
vorum aliquid expenderit, id tamen repetere
non potest, quia humanitati haec et pietati
impendit, multo minus reversum detinere, per
d. l. ultim. Unde probatur: Alimenta captivo
praebita praesumi ex pietate data, et quae ex
pietate sunt data, non possunt repeti, *Surdus*
de aliment. tit. 6. *quaest.* 9. *num.* 3. *et quaest.*
18. *num.* 1. *Tiraquell. de priv. piae causae pri-*
vil. 319. *Coler. de aliment. lib.* 3. *cap.* 5. *n.* 10.
2. Id quod supra dictum, quod redempti ex
7 hostium manibus sint loco pignoris, non habet
8 hanc sententiam, quasi interea servilis condi-
tionis sint reversi, sed sunt ingenui, in servi-
tute tantum sunt, seu potius serviles operas
ad tempus pretio dato praestant, ideoque in-
terim jura ingenuorum habent, et utuntur ju-
9 ribus postliminii. Si interim ipsis deferatur hae-
reditas possunt omnino adire haereditatem, ut
alii liberae conditionis homines, et ex haere-
ditate solvere λύτρον, *per l.* 15. *h. t.* Sed redem-
ptor interim tantum habet jus pignoris in re-
dempto, *l.* 2. *h. t.* donec pretium solvatur: 3. De-
claratur, licet si venter pignoris loco, et par-
tus eodem jure sit, aliud hic tamen, ubi ma-
ter redempta pignoris jure redemptori obliga-
ta, sed partus interim natus est ingenuus po-
tentia et actu, *l.* 8. ubi ratio; quando pro
partu pretium numeratum non est, sed pro
matre, licet mater ex servo peperit, *l.* 16. *h. t.*
Sed *quamdiu servire cogitur redemptus?* Resp. 10
in l. 6. donec pretium offerat ipse vel alius
ejus loco, quo oblato, si redemptor id accipe- 11
re nolit, a Praeside compellendus, *l.* 6. aut
quinquennii labore atque obsequio vicem de-
bet referre beneficii, si nequeat pretium sol-
vere, per *l. ultim.* ubi certa poena eorum, qui 12
restituere redemptum libertati nolunt. Sed exci- 13
piuntur casus, quibus redemptor pretium a
redempto petere nequit, ut 1. Si expresse re-
misit ac donavit, *l.* 2. *et* 11. *h. t.* qualicumque
judicio inter vivos vel mortis causa, *l.* 17. *pr.*
h. t. et l. 12. §. 18. *ff. h. t.* II. Si tacite repe-
titio pretii remissa, quod praesumitur vel ex
matrimonio, si redemptor redemptam in uxo-
rem ducet, *d. l.* 2. *et* 13. *h. t.* ubi ratio in
dignitate nuptiarum et voto futurae sobo-
lis; vel ex conjunctione sanguinis, ut si ma-
ter filiam redemit, quae non animo recupe-
randi pretium, sed ex pietate materna rede-
misse natam praesumitur, salvis interim aliis
actionibus, quas contra filiam habere potest,
l. 17. *h. t.* in qua *lege* 17. Dicitur, tunc de- 14
mum captivum redemptum commercio, id est,
qui non fugit ab hostibus, nec bello recupe-
ratus nec gratis remissus, recuperare pristi-
num statum scilicet actu (nam habitu statim
recuperat, cum restituitur, cum vel pretium
restituit, vel ipsi pretium donatur), et Quae-
ritur: *An mater, quae filium redemerat, prae-* 15
sumatur animo repetendi dedisse Lytron? Et
negatur id hoc loco, sed praesumitur animo
pietatis maternae dedisse, salvis tamen aliis actio-
nibus, si quas contra filium habet. Unde col-
ligunt: Quod alimenta vel pretia pro captivis 16
a parentibus data, videantur animo pietatis da-
ta, *Surdus de alim. t.* 6. *quaest.* 8. *num.* 96.
Et concurrit hic ad praesumendam donationem 17
maternus affectus, matris votum, ut potius in
personam suam, quam alterius videatur im-
pendisse, et favor redemptionis, *Menoch. lib.*
2. *a. q. casu* 87. *num.* 29. Colligitur etiam de-
claratio regulae, qua dicunt, alimenta et re- 18
demptionem e captivitate aequiparari, *Surdus*
de aliment. tit. 9. *q.* 3. *in princ.* Nam hoc in-
telligendum de personis junctis, maxime pa-
rentibus: Nam alimenta etiam ab extraneo ca-
ptivo data, praesumuntur ex pietate data, sed
aliud in pretio. Demum ex *hac lege* 17. Colli-
gunt: Si pater pro filio ab hostibus, etiam 19
christianis, liberando pecuniam solverit, hanc
a filio in divisione haereditatis conferendam non
esse, quia pater vel mater ex pietate sua et
magis in suam personam contulit hoc benefi-
cium, quam in filium, *Dn. Carpz. p.* 3. *const.*
11. *def.* 25. *num.* 7. *Jo. Garcias de expens.*
cap. 4. *num.* 12. *Alvar. Valasc. in prax. partit.*
cap. 13. *num.* 176. *Fr. Barry de success. lib.*
14. *tit.* 4. *num.* 21. Demum III. Non potest re- 20
demptor pretium petere, si redemptam pro-
stituit, aut prostituere conatus est, *l.* 7. *h. t.*
ubi non possum non laudare fervorem ethni-

corum Imperatorum Diocletiani et Maximiani, qui cum audivissent foeminam puellam captam redemisse et prostituisse, palam profitentur, se foedissimae ac flagitiosae mulieris nequitia permoveri, et ipsam restitutione pretii esse indignam. Utinam his et similibus sceleribus permoverentur corda christianorum Principum!

L. Cum cognatos. 3.

SUMMARIA

Remedium, ne bona capti ab hostibus interim dissipentur. num. 1.
Bonis absentis vel captivi interim curator cum cautione dandus est. 2.

1 Ne illius, qui ab hostibus captus est, bona interim dissipentur, debet implorari magistratus, ut det bonis illius curatorem, qui servo publico, id est, notario, nomine absentis stipulanti debet idoneo cavere, *hic et l.* 15. *princ. ff. ex quibus causis majores, l.* 6. §. 4. *ff. de tutel. l.* 6. *num.* 4. *ff. ex quibus caus. in poss.*
2 Collige: bonis absentis vel captivi interim dandum esse curatorem cum cautione, de quo *Paul. Mont. de tutel. cap.* 28. §. 72. *et seq. Carpzov. part.* 3. *c.* 15. *def.* 48. *Menoch. lib.* 2. *A. Q. casu* 150.

L. Nec nos praeteriit. 4.

SUMMARIA

Facti species num. 1.
Quaestio inde deducta. 2.
Ratio dubitandi. 3.
Decidendi. 4.
Incertus et dubitans de morte alterius se pro haerede gerere nequit. 5.

1 Capta est foemina ab hostibus; cum autem nondum certum esset, ipsam vivere vel mortuam esse, filius haereditatem adiit, forte etiam litigavit cum alio de haereditate, et eam per sententiam obtinuit, ac postea de ea transegit; mortuo autem filio innotescit demum eam foeminam mortuam esse, Quaerunt foe-
2 minae illius sororis liberi, *An non obstante pacto filii, agnoscere bonorum possessionem*
3 *possint?* Videtur quod non, quia filius statim ab ipso puncto captivitatis haeres fuit, propter *legem Corneliam* et propter *l.* 8. *supr. de suis*
4 *et legitimis haered.* Sed affirmatur: Quia capto aliquo nemo succedere potest, nisi is, qui eo tempore, quo alter mortuus est, ei fuit proximus; Nec enim filius de viventis haereditate pacisci potuit, *l. ult. supr. de pact.* Ergo non obest quaerentibus aditio haereditatis a filio praemature facta. Et *lex illa* 8. de suis haeredibus loquitur, non de extraneis, qualis
5 filius est respectu matris. Nota bene: Incertum et dubitantem de morte alterius, non posse se pro haerede gerere, per *l.* 13. §. 1. *et l.* 32. *ff. de adquir. haeredit. Donell. lib.* 5. *cap.* 7. *lit. A. Forst. de success. lib.* 2. *c.* 7. *num.*

L. Captum 9. et L. Jus Postliminii. 14.

SUMMARIA

Casus legis. num. 1.
An filius captus cum patre ab hostibus, patre in captivitate moriente, domum revertens sit suus haeres et res patris recuperare possit 2.
Ratio dubitandi. 3.
Decidendi 4.
Fictio legis Corneliae. 5.
Postliminii *fictio* 6.
Limitatio. 7.
An idem in filia ex captivitate redeunte? 8.

Captus erat ab hostibus cum filio pater (id 1
enim praesupponendum est, nam alias *lex Cornelia* locum non haberet), pater in captivitate moritur, relicto testamento ante facto, quod tuetur lex Cornelia, *l.* 12. *ff. de testamentis*, vel etiam intestatus, postea filius revertitur in patriam, Quaeritur: 1. *An sit suus haeres:* 2. *An* 2
res patris recuperare possit? Videtur neutrum, 3
quia suus haeres est is, qui mortis paternae tempore in patris potestate fuit, §. 2. *Instit. de haered. qualit.* Sed affirmatur utrumque: 4
Quia hic concurrunt duae fictiones, altera *legis Corneliae*, ex parte patris, quae fingit eum in 5
ipsa pugna, in qua captus fuit, decessisse, et sic mortis tempore in potestate patris fuisse fingitur filius: Altera fictio est ex jure *Postli-* 6
minii, et hoc fingit filium jam reversum semper in patria permansisse, et jura familiae ac jura sui haeredis semper retinuisse, et potest ita res haereditarias recuperare. Sed additur 7
hic limitatio, nisi temporis prolixitas, id est, annus utilis, seu quadriennium continuum post reditum effluxerit, *l. ult. supr. ex quibus causis major.* si forte intereas res quaedam usucaptae. Et eodem jure filia, quae capta erat, 8
et jam redit, matris suae haeres legitima est, non secus ac si tempore mortis in civitate fuisset, *l.* 4. *h. t.* est enim eadem ratio, licet in suitate diversitas.

L. Sicut liberis. 10.

SUMMARIA

An eodem modo, quo liberi homines, etiam servi jura Postliminii recuperent? num. 1.
Differentia inter utramque recuperationem. 2.

Sicut liberi homines ab hoste capti jure Post- 1
liminii omnia jura recuperant, ita et servi. Sed hoc interest; quod liberi acquirant denuo sua jura, §. *si ab hostibus Inst. quibus mod. jus patr. pot. solvitur.* Sed servi acquiruntur et in domini sui potestatem statim redeunt, etiam transfugae, *l.* 19. §. 5. *h. t.* nisi ab alio sint redempti, de quibus supra.

L. Ab hostibus. 12.

SUMMARIA

An servi et res, quae jure Postliminii redire possunt, ut et liberi homines virtute militari hostibus iterum erepti tamdiu, donec pretium solvatur, pignoris loco apud militem, qui recuperavit, esse debeant? num. 1.
Milites res subditorum, quos defendere debent, in pugna recuperatas sine pretio restituant. 2.
Ampliatur. 3.
Limitatur. 4.
Jus gentium hac in parte constituit, restituere debere militem res in bello recuperatas. 5.

1 De servis et rebus, quae jure postliminii redire possunt, imo et liberis personis, si non pretio redimantur, sed virtute militari hostibus eripiantur, Quaeritur; *An pignoris loco apud militem, qui recuperavit, tamdiu esse debeant, donec pretium solvatur?* Resp. quod non, nam haec est professio militum, ut debeant cives defendere, et civibus ab hostibus erepta virtute sua recuperare. Non ergo exinde lucrum facere debent, quod ex necessitate
2 officii fecerunt. Nota bene: Milites res subditorum, quos debent defendere, in pugna recuperatas, sine pretio debere restituere. Quia receptos eos non captos judicare debemus, et militem nostrum defensorem eorum decet esse, non dominum, inquit Imp. in *hac lege* 12.
3 ex qua ratione forte liceret concludere, mobilia etiam nostra ab hoste ablata, a milite nostro etiam ex intervallo recuperata, dominis suis esse restituenda. Vid. *Covar. in d. c. peccatum p.* 2. §. 11. *n.* 8. *vers. nihilominus etc. Grotius de jure Pacis et Belli lib.* 3. *c.* 9. *num.*
4 16. licet alias distinguant 1. inter res, quarum et Postliminium et quarum non est: 2. inter res statim, vel ex intervallo recuperatas: 3. inter res in praesidia hostium delatas, vel non.
5 Sed quicquid sit de jure civili, jure gentium putarem, restituere debere militem res in bello recuperatas; nec res hostium mobiles in pugna captae statim militi adquiruntur, a quo captae.

L. Ab hostibus. 18.

SUMMARIA

Captus ab hoste et reversus, si res suas dissipatas reperiat, an et qua actione eas recuperare possit num. 1. 3.
Possessionem jure Postliminii nemo recipit. 2.

Si captus ab hoste reversus sit, et reperiat 1
suas res dissipatas, Quaeritur: *An, et qua actione, eas recuperare possit?* Distinguit hic Imperator; utrum usucaptae sint interea res, an non. Hoc casu, directa actio competit, quae ante captivitatem competebat, *l.* 24. *supr. de rei vind.* Nam recipit omnia jura, jure Postliminii, *d.* §. 5. *Inst. quib. mod. patr. pot. solvitur*, sed possessionem, quia facta est, non 2
recipit, *l.* 23. §. 1. *ff. de acquir. poss.* ergo ea petenda est per actionem. Sed si usucaptae 3
sint res, vel actiones personales etiam tricennio amissae, id quod per liberationem hic intelligitur, tunc per actionem rescissoriam, rescindenda est usucapio et actionis praescriptio, §. 5. *Inst. de act.* intra annum utilem, hodie quadriennium continuum, *l. ult. supr. de temp. in integr. restit. et DD. in* §. 5. *Instit. de act.*

L. Si quos. 19.

SUMMARIA

Quinam res suas ab hostibus jure Postliminii recuperare possint? num. 1.
An transfugae ad hostes? 2.
An illi, qui ab initio quidem capti, sed postmodum, cum per pacta redire licuerit, apud hostes volentes aliquamdiu permanserunt? 3.

Liberi homines demum illi omnia jura sua 1
jure Postliminii recuperant, qui capti sunt et inviti ab hostibus detenti. Qui enim transfugerunt ad hostes, regulariter nullum Postliminium habent, quia animo proditoris, et malo consilio patriam reliquerunt, et ideo hostium numero habendi, *l.* 19. §. 4. *h. t. l.* 14. *ff. ex quibus causis.* Et ita transfugae jura Postliminii 2
non habent, *Decianus lib.* 7. *c.* 14. *num.* 6. Conf. *et Magonius dec.* 24. Ita nec illi habent 3
jus Postliminii, qui licet ab initio capti, postea tamen cum per pacta iis redire licuisset, apud hostes volentes aliquamdiu permanserunt, *l.* 20. *pr. h. t.* et per *l. hanc;* quod intelligendum, si citra probabilem causam hoc factum.

TITULUS LII.

De infantibus expositis, liberis et servis, et de his, qui sanguinolentos nutriendos acceperunt.

L. Si invito. 1.

SUMMARIA

Facti species. num. 1.
An quis partum ancillae suae sua ignorantia expositum ab eo, qui istum educavit, et artibus instruxit, repetere possit, et quomodo? 2.
Limitatur. 3.
Discrimen inter furem et malae fidei possessorem. 4.
Quasnam impensas malae fidei possessor et quas fur repetere possit? 5.
Fachinaeus *notatur.* 6.

1 Alius, me ignorante, partum ancillae meae exponit, quem Titius invenit, suscipit et educat, et artibus liberalibus instruit. Postea indicatur mihi, hunc hominem a Titio educatum, esse meum, vindico ego, sed Titius duo opponit: 1. Quod expositus sit: 2. Quod suis
2 expensis aluerit et instruxerit. Resp. hic ab Imperatore, si me ignorante expositio facta, possum vindicare, sed ita, ut expensas restituam: nec obstat, *l.* 27. §. *fin. cum. l. seq. ff. de rei vind.* quia hic infans fuit educatus, qui nullas operas praestare potuit, nec ego hic extra praesumptionem negligentiae constitutus
3 sum. Excipitur tamen, nisi ille, qui aluit, sit fur, qui non poterit repetere expensas. Quod hic etiam speciali odio furti hominis constitutum, cum alias malae fidei possessor impensas necessarias repetat, *l. domum* 5. *supr. de rei*
4 *vind.* Colligitur igitur ex *hac lege*, discrimen inter furem et malae fidei possessorem. Omnis fur est malae fidei possessor, sed non omnis malae fidei possessor fur est. Nam ut *Bald. ad l. malae fidei C. de condict. ex lege.* malae fidei possessor vel est improbus, qui a non domino sciens emit, alius improbior, qui a fure emit, alius improbissimus sc. ipse fur. Et
5 notandum igitur: malae fidei possessorem necessarias impensas quidem repetere, modo fur non sit, nam fur etiam expensas necessarias amittit, *Covarr. in c. peccatum p.* 2. §. 6. *num.* 3. *de reg. jur. Garcias de expensis et meliorat. cap.* 2. *num.* 17. *Menoch. remed.* 15. *recup. poss. num.* 516. *et lib.* 2. *arb. quaest. casu* 258. *num.* 50. licet dissentiat *Petr. Gilken. de impensis*
6 *p.* 2. *cap.* 7. *num.* 26. licet etiam dissentiat, *Fachinaeus lib.* 1. *c.* 54. cujus rationi responderem, non omnem praedonem furem esse.

L. Unusquisque sobolem suam nutriat. 2.

SUMMARIA

Poena expositionis filii, sive naturalis tantum, sive naturalis et legitimi simul. num. 1.
Quomodo dominus vel patronus mancipium vel libertum abjiciens puniri debeat? 2.
Quomodo vasallus deserens dominum? 3.
Quomodo civis patriam periclitantem deserens? 4.
Quomodo desertor militiae? 5.
Quae poena eorum, qui infantes exponunt. 6.

Si quis filium suum naturalem et legitimum, 1
vel naturalem tantum exposuerit, poenae extraordinariae subjacet, cum necare eum videatur, *l. necare* 4. *ff. de lib. agnos.* Sed si 2
dominus vel patronus mancipium suum vel libertum abjicit, amittit dominium vel jus patronatus; nec enim quis suum dicere potest, quem pereuntem contempsit. Sic vasallus de- 3
serens dominum periclitantem, cum defendere potuisset, jura vasallagii amittit, si ipsum defendere potuit, *c. un. quibus modis feudum amittit. Clarus* §. *feudum q.* 21. *et* 55. *Rosenthal. de feudis cap.* 10. *concl.* 16. *Schrad. p.* 6. *c.* 8. *num.* 74. etsi vasallus feudum deserat, *Rosenthal. d. c.* 10. *concl.* 37. *num.* 15. *et seqq.* et quos ibi allegat: et civis patriam pericli- 4
tantem deserens, jura civitatis amittit, *Menoch. lib.* 2. *arb. quaest. casu* 366. *num.* 12. *et seq. Magonius dec.* 24. *Cephal. cons.* 451. *num.* 146. De desertoribus militiae alibi. Quae sit poena 5
exponentium infantes, si inde mors sequatur, traditur in *ordin. crim. art.* 132. *Struv. synt. jur. civil. exerc.* 48. *th.* 112. Si infans exposi- 6
tus incolumis reperitur, arbitrarie punitur, *Struv. ibid.* Et si expositio facta sit in loco deserto, qua non est transitus hominum, et sequatur mors, poena supplicii ultimi, *Auctor in l.* 4. *ff. de agn. et alend. lib. num.* 2. non vero, si prope viam reperiatur mortuus etc. de quo *Carpz. in pract. crim. q.* 10. *num.* 5. *seqq. Struv. d. exerc.* 48. *th.* 112.

L. Sancimus. 3.

SUMMARIA

Sensus legis. num. 1.
An exponens talem infantem eum vindicare possit? 2.

Ii, qui expositos liberos collegerunt, ex pietate eos collegisse praesumuntur. 3.
Exemplum praesumptionis juris et de jure. 4.
Ampliatur regula num. 3. *tradita.* 5.
Nutritor non succedit alumno. 6.

1 Qui expositum ab alio, sive liberum, sive servum, suscipit, licet ea mente suscipiat, ut fieret dominus vel patronus ejus, vel ut ipsum, postquam adolevisset, in agro haberet tamquam adscriptitium, non praejudicat suscepto, nec adquirit dominium, quia officium pietatis venale esse non debet. Et ideo ille expositus et susceptus pro ingenuo habetur, et potest matrimonium contrahere, et succeditur illi ex
2 testamento et ab intestato. Qui autem exposuit talem infantem, eum vindicare nequit, ut in *l. praeced.* quod improba spe mortis ejus et improbo facto expositionis se indignum red-
3 dit hoc jure. Unde Collige: Eos, qui collegerunt expositos infantes, praesumi eos ex pie-
4 tate collegisse, et sic nota hic exemplum prae-
5 sumptionis juris et de jure, licet ille, qui suscepisset talem infantulum expositum, coram testibus protestaretur, se non animo pietatis, sed ut uteretur aliquando infantulo, ut adscriptitio, vel servo, vel homine proprio, non auditur tamen hoc volens probare, sed causa pietatis praesumitur suscepisse et collegisse. Collige etiam, nutritorem non succedere alumno, 6
Donell. lib. 9. c. 1. lit. X.

Auth. Antiqua lex.

SUMMARIA

In l. ult. C. de agric. et cens. *quid constitutum? num.* 1.
Restrictio legis. 2.

In *l. ult. C. de agric. et censitis lib.* 11. consti- 1
tutum, ut nati ex libera matre et patre adscriptitio, id est, colono, certo fundo adscripto, matris conditionem, non patris sequantur. Id 2
ad eos restringit *Nov.* 54. *c.* 1. qui post *hanc legem* nascentur; licet olim contra. Vid. *d. l. ult.* et ibi notata.

TITULUS LIII.

Quae sit longa consuetudo.

L. Praeses. 1.

SUMMARIA

Consuetudo custodienda est, nec quicquam contra eam admittendum. num. 1.
Ampliatur. 2.
Consuetudo quatenus probari possit? 3.
An duo actus ad consuetudinem sufficiant? 4.
Quatenus etiam ad casus similes recte consuetudo extendatur? 5.
Unde rationalitas ejus colligatur? 6.
Cujusnam loci consuetudo attendenda sit, an unde actor oriundus, an vero judicis? 7.
An mulier consuetudinem introducere potest? 8.

1 Consuetudo, si modo ea legitime per actuum frequentiam probata, et rationabilis, ac ratio-
2 ne nitatur, etsi illa ratio aequitati naturali repugnet, custodienda est, nec quicquam contra consuetudinem admittendum, quia scilicet vim legis habet, §. 9. *Instit. de J. N. l.* 32.
3 *pr. et* §. 1. *ff. de LL.* Nota bene: I. Consuetudinem probari posse, scilicet quatenus in facto consistit, ex actuum frequentia. Vid. *Mascard. concl.* 423. *seqq.* II. Consuetudinem requirere
4 actuum frequentiam, sed *An duo etiam sufficiant ad probandam consuetudinem?* Affirmatur id communiter, si judici ita videatur, et casus talis non saepe occurrat. Quod intelligere placeat de praesumptiva probatione, ut tamdiu pro consuetudine praesumatur ex duobus actibus, donec probentur actus alii difformes. Sed de hac quaestione passim *Doctores* agunt; malo nullum allegare, quam ex tanto numero paucos. III. Consuetudinem etiam ex- 5
tendi posse ad casum similem, scilicet, quoties ratio et aequitas id admittit, nam in hoc textu dicitur, consuetudinem praecedentem et consuetudinis rationem, quae illam suasit, in similibus exemplis sequendam esse, *Trentac. l.* 1. *tit. de consuet. res. un. num.* 2. *et seq.* IV. Nota: Consuetudinem rationabilem, quae probabiliter saltem rationem habuit, nec contra rationem ac aequitatem pugnat, tantum observandam esse. Sed an aliqua consuetudo rationalis sit, 6
in arbitrio judicis consistere plures ajunt, *Card. Tuschus concl.* 801. *lit. C. Marcus Mantica in c. fin. num.* 17. *X. h. t. Menoch. lib.* 2. *A. Q. casu* 82. *Caevall. q.* 359. et ex opinione introducentium, *Gilken. lib.* 1. *obs.* 36. *num.* 15. Hoc est extra dubium, illam esse irrationabilem, quae est contra jus Divinum et canonicum, et peccatum inducit, aut bono publico adversatur, *arg. c. fin. X. de praescript. c. ex parte X. de consuet. Cravetta cons.* 137. *num.* 4. *Rol. a Valle d. cons.* 98. *num.* 27. *et seq. vol.* 4. Sed cujus loci consuetudo attendenda sit, Quae- 7
ritur: *An unde actor est oriundus? An vero judicis?* Distinguunt hic *Bartolus, Baldus et DD.* an consuetudo spectet ad litis ordinationem, et tunc servandam esse illam, quae in loco judicii obtinet: an vero litis decisionem, et tunc spectandam illam, quae in loco contractus obtinet, *Gail. lib.* 2. *obs.* 8. *num.* 5. *et* 6. *et obs.* 123. *num.* 2. *Myns. c.* 4. *obs.* 82. *Ant. Gabriel. l.* 6. *tit. de consuet. concl.* 2. *Borellus t.* 1. *decis. tit.* 14. *num.* 70. *et seq. Rosenthal. de feudis c.* 1. *concl.* 14. *num.* 17. Incidenter hic quaeri potest, an mulier consuetudinem recte introducat? Vid. *Auctor in l.* 1. *ff. de LL. num.* 4.

L. Consuetudinis. 2.

SUMMARIUM

An consuetudo legem certa ratione introductam abolere possit?

Quaeritur: *An consuetudo legem, certa ratione introductam, abolere possit?* Nam indubium est consuetudinem non abrogare legem subsequentem. Distinguitur autem in superiori quaestione, aut lex inhibet omnem consuetudinem contrariam, ut *Auth. navigia supr. de furtis*, et tunc consuetudo non potest tollere legem; aut lex non inhibet consuetudinem, et tunc consuetudo tollit legem, quando ab iis introducta, qui vim condendi statuta habent, vel si potestatem condendi statuta non habent, consensus Superioris accedat, quod ex diutina observantia interdum colligitur. *Alii hanc legem* restringunt ad tempora *Justiniani*, quibus non licuit populo Principi subjecto consuetudinem introducere. Alii vero dicunt, hunc esse sensum, quod consuetudinis et legis par sit auctoritas. Ergo sane cuilibet hoc dijudicandum relinquo. In nulla harum explicationum video absurditatem, in omnibus tamen difficultatem. Vid. hac de re praeter *DD. hic*, *Tiraq. in praefat. tract. de retr. lign. num.* 18. *Panorm. in c.* 2. *X. de probat. num.* 5. *et seq. Covarr. lib.* 3. *res. cap.* 13. *num.* 4. *Donell. lib.* 1. *cap.* 20. *Bacchov. in Treutl. vol.* 1. *disp.* 1. *th.* 9. *lit. G.* et ibi allegatos, *Hahnius ad Wesenb. de LL. num.* 9. ad verba: *An autem contra jus scriptum.*

L. Leges quoque. ult.

SUMMARIA

Consuetudo rationabilis legem imitatur, et pro lege est servanda. num. 1.
Collegia suas consuetudines, sicut et statuta, habere possunt. 2.
An etiam familiae? 3.

Consuetudo imitatur legem, et pro lege ob- 1
servanda est, sc. rationabilis, ut in *l.* 1. *l.* 23. *l.* 35. *ff. de LL. Auctor in l.* 38. *ff. de LL. num.* 1.
Collige ex *hac lege:* Quod Collegia suas possint 2
habere consuetudines, sicut et statuta, *Berlich. dec.* 150. *Carpz. p.* 2. *c.* 6. *def.* 9. Quin et fa- 3
miliae suas habere possunt consuetudines, *Guido Papae dec.* 131. *Boer. dec.* 158. *ed dec.* 228. *num.* 6. Sed quia materia consuetudinis passim fuse tractata reperitur, haec sufficiant: cavendum tamen, ne cum vulgo consuetudo cum praescriptione confundatur.

TITULUS LIV.

De donationibus.

L. Emptionum. 1.

SUMMARIA

An emptor mancipii, donans alteri istrumentum emptionis, ipsum mancipium donasse praesumatur? num. 1.
Dubitatur. 2.
Ratio decidendi. 3.
De quonam instrumento lex *loquatur?* 4.
Exemplo illustratur. 5.
Legato chirographo debitum legatum videtur. 6.

1 Emit a me mancipium Titius, hic donavit tibi instrumentum emptionis, Quaeritur, *An ipsum mancipium tibi donasse praesumatur?*
2 Et videtur quod non, nisi mancipium sit praesens, *arg. l. clavibus* 74. *ff. de contrah. empt.*
3 Sed Affirmatur: quando enim lego vel dono instrumentum emptionis, ipsam rem, licet absentem, donare vel legare videor, *hic et l.* 14. §. 5. *ff. de legat.* 1. *l.* 2. *supr. quae res pign. oblig. l. qui chirographum* 59. *ff. de legatis* 3. quia nulla alias esset chirographi seu instrumenti utilitas, *Menoch. cons.* 103. *num.* 35. *Molina*
4 *tract.* 2. *d.* 13. *num.* 9. Quamvis autem hoc de instrumento donationis quidam intellexerint, loquitur tamen *haec lex* de instrumento continente jus et titulum donatoris in illa re, nam nunc videor non tantum per traditionem instrumenti donasse rem illam, sed etiam tradidisse; v. g. Si hortum donare vellem, trado 5
autem instrumentum emptionis, quod confectum est, cum illum hortum emissem, videor donasse et tradidisse hortum, licet non sit in conspectu, *Covarr. lib.* 3. *res. c.* 6. *num.* 12. *Hillig. ad Donell. l.* 5. *c.* 9. *lit. F.* sicut etiam legato chirographo, debitum legatum videtur, per *dictos text. Card. Mant. de conject. ult. vol. l.* 9. *t.* 1. *num.* 9. *Fr. Barry de success. lib.* 9. *tit.* 22. *num.* 2. *Menoch. lib.* 3. *praesumpt.* 140. *num.* 3. *Gilkenius de praescript. part.* 2. *memb.* 3. *cap.* 10. *num.* 11. *et seq.*

L. Si nominis. 2.

SUMMARIA

Casus legis. num. 1.
Cessio nominis ignorante etiam debitore fieri potest. 2.

Pater filiae emancipatae donavit nomen, seu 1
debitum, quo ipsi obstrictus erat Titius: Titii haeres hanc cessionem nominis titulo donationis factam, ex eo impugnat, quod inscio debitore Titio esset facta, sed repetendum est
ex *l.* 1. *supr. de novationibus*, cessionem no- 2
minis etiam ignorante debitore fieri, ergo donatio haec impugnari nequit. Potest ergo et nomen donari, *Mozz. de donat.* §. *de rebus num.* 3.

L. Spem. 3.

Facti species. num. 1.
An nomen sive spes obligationis sub hac conditione, Si Deus pacem dederit, *nondum adhuc impleta conditione cedi, et per cessionem donari possit?* 2.
Limitatur. 3.
Spes actionis probabilis cedi et donari potest. 4.
An idem in spe fideicommissi universalis? 5.

1 Stipulatus sum a te 100. *si Deus pacem de-*
2 *derit*, Quaeritur: *An hoc nomen sive spes po*
tius obligationis, pendente et nondum impleta
conditione, cedi et per cessionem donari possit?
Et resp. quod sic: quia etiam vendi talis spes
potest, *l. nomina* 17. *ff.* de *haered. vend. l.*
nec emptio 8. *ff. de contrah. emptione;* modo
3 illa donatio spei non sit contra bonos mores,
ut si quis haereditatem viventis donaret, *l.* 29.
§. 2. *ff. h. t. Mozz. in tit. de donat.* §. de
4 *rebus num.* 15. Et sic nota: Spem actionis pro-
babilem cedi et donari posse, *Car. Ruinus*
cons. 98. *num.* 15. *lib.* 1. *Tiraq. de retract.*
5 *consang.* §. 26. *l.* 3. *num.* 4. licet spes fidei-
commissi universalis conditionalis cedi non
possit, juxta receptam sententiam, nec resti-
tutio fideicommissi alii fiat, quam cui voluit
testator, et quia SCtum hic deficit, *Tiraq. de*
retr. consanq. d. §. 26. *num.* 6. *M. Ant. Pere-*
grinus de fideicomm. art. 31. *num.* 37. *Horat.*
Carpanus ad Stat. Mediol. vol. 445. *num.* 3.
Nic. Noalis de transmiss. cas. 2. *num.* 32.
Coepolla caut. 140. *Joann. a Sande in tr. de*
cess. act. c. 5. *num.* 25. *Vinc. Fusarius de*
substit. q. 521.

L. Si functiones. 4. L. Censualis. 7. et L. Si praeses. 8.

SUMMARIA

Per solutionem tributorum et censuum praedii nomine fisco factam, non probatur donatio aut titulus, nec praejudicatur vero domino. num. 1.
Animus donandi non praesumitur in domino, qui scivit solutionem censuum fieri de praedio suo. 2.
Extensio in patre filiorum suorum nomine censum solvente. 3.
Exemplo declaratur. 4.
Limitatur. 5.
Dominium ex solutione collectarum vel catastro non probatur. 6.
Ratio. 7.
Limitatur. 8.
Collectarum solutio pro domino praesumptionem facit. 9.

1 Regula est in *l.* 4. *h. t.* licet quis per se vel
actores et vicarios suos, tributa et census no-
mine praedii Fisco solverit, per id tamen non
probatur, fundum ipsi fuisse donatum, vel ipsi
acquisitum, nec vero domino praejudicat,
ideoque censualis professio domino non prae-
judicat, *l. censualis* 7. *h. t.* non enim hic est
modus transferendi dominii, *l.* 64. *ff. de acquir.*
rer. dom. l. solemnibus 25. *supr. de reì vindic.*
l. 8. *supr. de act. empt.* nec praesumitur ani- 2
mus donandi in domino licet solutionem cen-
suum sciverit per dicta jura, *M. Ant. Peregri-*
nus de fideicomm. art. 44. *num.* 8. Hoc exten- 3
ditur in *l.* 8. *h. t.* imo si pater ipse praedio-
rum suorum censum nomine filiorum, quasi
ad eos pertinerent, solveret, sibi ipsi non prae-
judicaret, si hoc probaret, quod non donandi
animo hoc fecerit: potuit enim alia de causa 4
hoc facere, quam donandi animo, forte ad
conciliandas filiis nuptias honestiores, nam
consensus simulate praestitus non potest indu-
cere donationem. Limitatur tamen dicta regu- 5
la in *l.* 7. nisi dominus alteri fundum vel man-
cipia quasi sua in censum referenti consenserit,
nam hoc casu dominus tacite donasse videtur,
d. l. 7. nisi alio se animo fecisse probare pos-
sit, *d. l.* 8. Ex *his legibus* probatur: dominium 6
non probari ex solutione collectarum, neque
ex catastro vel aestimo, *Mascard. de probat.*
concl. 543. cujus rei causa esse potest, quod 7
causa obligationis ad collectas remota tantum
sit dominium, causa proxima possessio et per-
ceptio fructuum, *Klock. de collect. c.* 11. *num.*
105. Sed in praejudicium ejus, qui consensit ca- 8
tastro, potest ita dominium probari, per *l.* 7.
Mascard. d. concl. num. 3. Sicut etiam alias 9
solutio collectarum praesumptionem facit pro
domino, *Mascard. d. l. num.* 4.

L. Si donatio per epistolam. 5.

SUMMARIA

Donatio etiam per epistolam fieri potest. num. 1.
Casus legis. 2.
An quis aedes inter vivos sibi per epistolam donatas et morte donantis denuo testamento confirmatas ex testamento petere, vel pro suis vindicare possit, licet illa epistola nunquam appareat? 3.
Ratio dubitandi. 4.
Decidendi. 5.
Quando in uno instrumento mentio fit alterius instrumenti, non est necesse, de primo constare, quando secundum potest per se principaliter disponere. 6.

Donatio per epistolam fieri potest, sed forte 1
testator ita disposuit in testamento: Aedes quas 2
sorori inter vivos in epistola donavi, eidem
etiam confirmo: *(Sie sollen ihr bleiben.)*
Mortuo testatore non potest soror producere
illam epistolam, cujus in testamento fit men-
tio, Quaeritur: *An non aedes ex testamento* 3
petere, vel pro suis vindicare possit soror,
licet illa epistola numquam appareat? Videtur
quod non, quia instrumentum se ad aliud refe- 4
rens non probat sine productione relati, *Auth.*
si quis C. de edendo: Sed Affirmatur in *l.* 5. quia 5
haec ipsa confirmatio pro legato vel fidei-
commisso habenda; et hinc sumunt *DD.* regu-
lam: Quando in uno instrumento fit mentio 6
alterius instrumenti non est necesse de primo

constare, quando secundum potest per se principaliter disponere, ut hic. Et sic statur referenti, quando referens potuit illud adhuc disponere, *Decius in d. Auth. num.* 4. *Menoch. consil.* 90. *num.* 42. *Cravetta cons.* 357. *num.* 3. *Card. Tusch. concl.* 128. *num.* 18. *et seqq. lit. R.*

L. Nec ambigi oportet. 6.

SUMMARIA

An et quatenus absentibus donari possit? num. 1.
Donator rem absenti donans, antequam is rem acceptet, poenitere potest. 2.
Excipitur, si donatum fuerit Ecclesiae. 3.
Donatio piae causae per absentiam facta valet. 4.
Hartman. Pistor. *notatur.* 5.

1 Absentibus etiam donari potest, per interpositam scilicet personam vel epistolam, *l.* 4. *et* 10. *ff. eod. ibique Auctor num.* 1. *et* 5. ubi tamen donatio non perficitur, nisi quando absens acceptat, *d. l.* 10. *ibique Auctor num.* 2. et traditio facta fuit absenti, aut alii ejus voluntate, aut Notario publico, loco absentis donationem stipulanti vel acceptanti, de quo *Clarus* §. *donatio q.* 12. *Garcias ad l.* 1. *num.* 7. *ff. de pactis, Auctor in d. l.* 10. *ff. h. t. num.* 3. *Decius cons.* 35. *Joann. Aloys. Riccius decis. collect.* 43. *Thesaurus decis.* 70. *Card. Mantica de tac. et amb. convent. lib.* 13. *t.* 8. *num.* 9. *et seqq. Mozz. de contract. tit. de donat. tit. de substant. num.* 27. *Carpz. p.* 2. *c.* 12. *def.* 20. *et seq. Honded. p.* 1. *cons.* 67. *num.* 26. *et seq.*
2 Et qui absenti donat rem, antequam rem illam acceptet donator, potest poenitere, *l* 2.
3 §. 6. *et l.* 10. *ff. h. t.* Quod tamen in collatione beneficii Ecclesiastici secus esse tradit *Covarr. l.* 3. *resol. c.* 16. *num.* 1. Ecclesiae potest dari sine acceptatione, per *l. si quis* 15. *C. de SS. Eccl. Carpz. lib.* 5. *resp.* 62. *num.* 14. ubi in toto responso plura hac de re habet,
4 *Auctor in d. l.* 10. *ff. h. t. num.* 4. Sic valere puto donationem piae causae factam, licet aliquis extraneus hanc donationem pio corpori
5 denunciet, quicquid dicat *Hartm. Pist. p.* 1. *q.* 13. *num.* 5. *seq.*

L. Legem. 9. et L. Cum res. 22.

SUMMARIA

Facti species. num. 1.
An creditores mei contra istum, cui sub hac conditione, ut creditoribus satisfaceret, quid donavi, ex hoc pacto agere possint? 2.
Pacta inter alias personas inita aliis non prosunt. 3.
Quid si huic conditioni detrectes, quanam actione contra te possim experiri? 4.
Per alterum alteri actio non quaeritur. 5.
Quatenus hoc verum? 6.
Ex pacto traditioni rei annexo, ut ex pacto vestito, datur actio praescriptis verbis. 7.

Dono tibi praedium ea conditione, ut credi- 1
toribus meis satisfaceres, Quaeritur: I. *An cre-* 2
ditores mei ex hoc pacto contra te agere possint? Resp. in *l.* 22. *in pr.* quod non, nam pa- 3
cta inter alias personas inita aliis non prosunt, *l.* 27. §. 4. *in fin. ff. de pact.* Sed creditores contra me retinent actionem. Quaeritur II.
Quid si vero huic vel simili conditioni parere 4
detrectes, qua actione contra te experiri possim? Resp. Distinguendo, aut stipulatio intercessit, et datur mihi actio ex stipulatu, aut non intercessit, sed nudum pactum, et datur actio incerta, i. e. praescriptis verbis, *l.* 10. *supr. de pact.* quia est pactum vestitum traditione, Conf. *l.* 6. *supr. de rer. permutat. l.* 2.
supr. de condict. ob causam. Collige: Per alte- 5
rum alteri actionem non quaeri, *hic. et DD. in* §. *alteri Inst. de inutil. stipul. Vasq. p.* 2.
lib. 3. *illust. c.* 58. Quod in mera juris civilis 6
subtilitate consistit, nam quid impedit, cur non ego tibi quaeram actionem, ut negotiorum
gestor, quod negotium tu ratum habes? Notes 7
etiam: ex pacto traditioni rei annexo, ut ex pacto vestito, dari actionem praescriptis verbis, *hic et l. fin. C. de pact. inter empt. Jul. Pac. cent.* 2. *q.* 11. *Klock. vol.* 2. *cons.* 42. *num.* 112. et multi alii.

L. Nec ignorans. 10.

SUMMARIA

Facti species, et inde deducta quaestio. num. 1. 2.
Veritatis major, quam scripturae, ratio. 3.
Nemo dat ignorans. 4.
Exceptio est in hac lege. 5.
Nec donat invitus, neque etiam invito donatur. 6.

Confectum est instrumentum, in quo scrip- 1
tum, me donasse Titio fundum Sejanum, cum tamen Tusculanum vel aliud quod donare vo-
luerim, Quaeritur: *An donatio fundi Sejani* 2
valeat? Resp. quod non, quia major veritatis, 3
quam scripturae habetur ratio, *t. t. supr. plus*
valere quod agitur. Et nemo donat ignorans, 4
l. 5. *ff. de transact.* Excipitur tamen: nisi do- 5
nator tali scripturae specialiter subscripsisset, *l. hac* 10. quod intelligo, si in subscriptione fundi Sejani mentionem fecisset, aut instrumentum sit publicum, quo tamen casu donator ad probationem contrarii admittitur, *l. cum*
precibus 10. *supr. de probat.* Nota: Invitum 6
non donare, ut nec invito, cum invito beneficium non detur.

L. Cum de bonis. 11. et L. Sive. 17.

SUMMARIA

An et cur donatio inter patrem et filium fieri nequeat? num. 1.
Si quid pater donat filio, destinatio potius paternae voluntatis, quam perfecta donatio. 2.
An emancipato filio donare possit? 3.
Limitatur varie num. 1. *assertum.* 4. 6. 7.

Quid si pater adimere vellet, sed filii reddere recusent? 5.
Donatio per juramentum confirmatur et valida redditur. 8.
An et quatenus etiam filius donare possit? 9.

1 Ratio potestatis facit, ne inter patrem et filiumfamilias facta donatio subsistat, quia patri hoc acquireret filius, quod a patre donatur, quod etiam in aliis contractibus locum habet;
2 ideoque, si pater quid donat filio, destinatio potius paternae voluntatis, quam perfecta do-
3 natio est, *l.* 11. *h. t.* Sed emancipato filio ut donare, ita etiam donationis titulo in specie nomina sua pater cedere potest, *d. l.* 11. *h. t.*
4 *et l.* 17. *in pr. h. t.* Sed sunt in jure prioris limitationes, I. Si pater emancipaverit filiumfamilias, et id, quod antea ipsi donaverat, expressè non adimat, tunc enim ex post facto pater donationem perficere videtur, *d. l.* 17. *h. t.* ibi: *tenentibus non ademisti etc. l.* 31. §.
5 2. *ff. eod. Quid si autem pater adimere vellet, sed filii reddere recusarent?* Resp. in *d. l.* 17. Patrem manere dominum, nam cum in potestate esset filius, non constitit donatio, cum autem emanciparetur, noluit pater donare, igitur primo obstat facultas, postea voluntas, invitus autem nemo donat, *l.* 10. *h. t.* Et sic ex *hac lege* 17. etiam probant regulam; Actus agentium non operari ultra eorum intentionem,
6 *Carpz. p.* 3. *c.* 1. *d. ult.* II. Excipitur donatio morte patris confirmata, *l.* 25. *supr. de donat. inter vir. et uxor.* quae donatio morte confirmata retrotrahitur ad tempus, quo fuit facta traditio, ut una cum re donata fructus inde percepti ad filium pertineant, de quo *Clarus de donat. q.* 8. *Molina d.* 291. *num.* 1. *Bacch. d.* 19. *th.* 3. *lit. E. Trentac. lib.* 3. *tit. de do-*
7 *nat. res.* 6. III. Excipitur donatio facta ob singularia et excellentia benemerita, ut est communis opinio, Vid. *Gail. lib.* 3. *obs.* 38. *num.* 5. *Clarus* §. *donatio q.* 8. *Schneid. ad* §. *aliae autem num.* 7. *Inst. de donat. Menoch. lib.* 3. *praesumpt.* 29. *num.* 1. *et seq.* ubi plura habet, et *l.* 2. *A. Q. casu* 132. *Trentacinq.*
8 *d. res.* 8. *num.* 6. *Bacch. d. l.* Et quia ex juramento oritur obligatio naturalis, haec per juramentum confirmari potest, et redditur valida, ut tradit *Clarus d. q.* 8. *num.* 8. *Gail. lib.* 2. *obs.* 38. *num.* 9. *Mol. d.* 291. *num.* 2. *Tren-*
9 *tac. d. res.* 8. *num.* 5. An et quatenus etiam filius donare possit, Vid. *Auctorem in l.* 2. *et* 3. *item l.* 7. *ff. h. t. per tot. n.* 9.

L. Portionem propriam. 12.

SUMMARIA

Res communis pro parte, nondum etiam facta divisione, recte extraneo venditur et donatur. num. 1.
Quatenus procedat? 2.
Ampliatur regula. 3.

1 Qui cum alio rem communem habet, partem suam pro indiviso, id est, nondum facta divisione, extraneo ut vendere, *l. pen. supr. de contrah. empt. l.* 3. *supr. de commun. rer. alienat.* ut in dotem dare, *l.* 16. *supr. de jur. dot.* ita etiam donare potest, *hac l.* 12. sed 2
semper ante litem contestatam, id est, antequam super communione inter socios lis mota, *d. l.* 3. *et l.* 1. *supr. commun. divid.* nam postea fiet res litigiosa, et orietur praesumptio gravandi socii. Licet donatio sit in brevi seri- 3
ptura vel epistola facta, hoc tamen non officit donationi, quod potest allegari pro contractibus rusticorum: de quibus solent viles chartae conscribi.

L. Si aliquid. 13. et LL. 14. 19. 21. et 24.

SUMMARIA

Res donanda donatoris propria esse debet. num. 1.
Donator rem donatarii facere debet. 2.
Restringitur. 3.
Quid si quis rem alienam alicui donet, et num praestetur evictio? 4.
Ampliatur regula num. 1. *tradita.* 5. 6. 7.
Casus. 8.
Quaestio inde deducta. 9.
Ratio dubitandi. 10.
Decidendi. 11.

Res, quae donanda est, debet esse donatoris 1
propria, per *l.* 9. §. *fin ff. h. t. et l.* 14. *C. h. t. l.* 20. *ff. de acquir. rer. dom. l.* 51. *ff. de R. J.* quia 2
donator rem debet facere donatarii, *d. l.* 9. §. *fin.* quod tamen eatenus verum est, ut domi- 3
no vero ea donatio non praejudicet. Alias potest quis bona fide rem alienam pro sua donare, ita ut usucapiendi conditio transferatur, *t. t. ff. pro donato, Auctor in l.* 9. *ff. h. t. n.* 4.
Sed si post traditionem evincatur illa res do- 4
natario, donator ad evictionem non tenetur, *l.* 2. *supr. de evict.* Et haec regula de rebus alienis non dandis, ampliatur in *l.* 14. I. Ut 5
nec filius quidem, licet una persona cum patre esse videatur, *l. fin. supr. de impub. substit.* licet vivo parente dominus paternorum bonorum esse videatur, *l. in suis* 11. *ff. de lib. et posth.* res patris alii, v. g. sponsae suae citra patris consensum donare possit, *l.* 14. *h. t.* ratio in *l. id quod nostrum ff. de R. J.* II. Amplia- 6
tur ut nec uxor dotem marito constitutam alteri, constante matrimonio, donare possit, *l.* 21. *h. t.* nam licet uxor dotis dominium retineat naturaliter, *l.* 30. *supr. de jur. dot.* possessio tamen dotis, et utilitas ejus, ac civile dominium dotis marito invito adimi nequit, *l.* 17. *et* 23. *supr. de jure dotium. Glossa* tamen hic notat, uxorem, spem illam quam habet ad recuperandam dotem, alii cedere posse, quam *glossam hic Bald. et Salyc.* singularem, et *Jason. alibi* solemnem appellat, *Tiraquell. de retr. consanguin.* §. 26. 7
gl. 3. *num.* 7. III. Ampliatur, ut nec pater res filii donare possit, *l.* 24. *h. t.* nam si donaret de facto, filius eamdem impugnare potest, si non sit haeres patris, nam alias factum praestare teneretur, *l.* 14. *supr. de rei vind.* Proprias igitur esse oportet res donandas. Sed v. g. 8
Avia mea nupsit avo, et cum antea nihil haberet, ex testamento avi bona accipit, quorum nonnulla donavit Titio, Quaeritur: *An haec* 9

10 *donatio valeat?* Ratio dubitandi est, quod haec bona ab avo originem sumpserunt. Sed affir-
11 matur, valere in *l.* 19. quia hoc tantum quaerendum est, an tempore donationis res donantis fuerint, non unde originem habuerint, per *l. non unde originem supr. si certum pet. l. dudum supr. de contrah. emptione.*

L. Aeris alieni. 15.

SUMMARIA

Donatarius an ad aes alienum solvendum teneatur? num. 1.
Limitatur. 2.
Ampliatur. 3.

1 Donatarius non tenetur ad aes alienum solvendum, scilicet cui res certa donata est, v. g. praedium *l.* 15. *h. t.* sed aeris alieni solutio est onus haeredis, *l.* 1. §. 7. *ff. ad Trebell. l.* 50. §. 1. *ff. de judic. et l.* 2. *supr. de revocandis*
2 *his etc.* Limitatur hoc in *d. l.* 15. *h. t.* nisi res donata pro debito sit obligata; tunc enim nec quidem personalis, sed realis, seu hypothecaria datur contra donatarium, ut alium singularem possessorem, *d. l.* 15. licet hypotheca sit generalis, nam transit cum onere, *Mevius p.* 5. *dec.* 273. *num.* 4. vel si a lege hoc onere affectae res, *l.* 1. *C. de haered. vel act. vend. Mevius d. l. num.* 5. *et seq.* Excipitur debitum Primipili, quod in subsidium ex rebus donatis solvendum, *l.* 15. *supr. de donat. inter vir. et*
3 *uxor. Mev. p.* 5. *dec.* 272. *n.* 3. Extendit autem *hanc legem Dn. Carpzov. p.* 3. *c.* 1. *def.* 38. ubi ait: aeris alieni onus non magis sequi donatarium omnium bonorum, quam eum qui certae tantum rei donatarius est. Sed potest creditor actionem revocatoriam intendere, vel non existente haerede in subsidium agere contra donatarium, *Card. Tusch. concl.* 651. *lit. D.*

L. Senectus. 16.

SUMMARIUM

An senes recte donare possint?

Senes qui vegeto sunt judicio, ut testamentum condere, *l.* 3. *pr. supr. qui testamenta etc.* ita et donare possunt, et sic senectus, nisi delirium attulerit, non impedit donationem, *Mozz. de donat. tit. de personis num.* 5.

L. Si donationis causa. 18.

SUMMARIA

Actio ex maleficio donari seu remitti potest. num. 1.
Anne haec donatio ob ingratitudinem donatarii vel ob causam finalem donationis non secutam revocari queat? 2.

1 Actio ex maleficio v. g. actio furti, donari, id est, gratuito remitti potest, *hic et l. post decisionem* 13. *supr. de furt.* Sed *Anne haec* 2
donatio ob ingratitudinem donatarii vel ob causam finalem donationis non secutam, revocari possit? Neg. *arg. l.* 27. §. 2. vers. *sed si pactum ff.* de pact. *l.* 40. *supr. de transact. Salyc. hic.*

L. Vice donatricis. 20.

SUMMARIUM

Instrumentum super donatione confectum an opus habeat subscriptione ipsius donatoris?

Quando instrumentum super donatione conficitur, non necessaria est subscriptio ipsius donatoris, sed sufficit, si alius volontate ejus subscribat, *hic et infr. l.* 31. Sufficit enim consensus donatoris, et paria sunt, si quis per se subscribat, et si alius nomine ejus subscribat; per regulam: Quod quis per alium etc.

L. Si ea. 23.

SUMMARIUM

An prior donatio, re redonata, rescindatur, atque ita instrumentum super priori donatione confectum sit irritum?

Donatarius donatori rem donatam redonat, Quaeritur: *An prior donatio rescissa, et etiam Instrumentum super priori donatione confectum, sit irritum?* Quod Affirm. nam pacta posteriora inter easdem personas derogant prioribus, *l. pacta novissima* 12. *supr. de pact.*

L. Donatio. 25.

SUMMARIA

In omni donatione certa pacta, modo non sint turpia admittuntur. num. 1.
Turpia pacta, quae hic molesta vocantur, rejicienda sunt. 2.
Certa donationis scriptae requisita. 3.
Cujusnam et an omnis donationis scripta forma hic praescribatur? 4.

Generaliter hic duo constituit Imperator: I. 1
In omni donatione, sive sit directa, id est, inter vivos, sive mortis causa, sive habeat conditionem, sive ex die facta, sive pura, in omni, inquam, certa pacta admittuntur, quaecumque contrahentibus placent, modo non sint turpia, quae hic *molesta* vocantur; nam talia pacta 2
turpia rejicienda sunt, *l. pacta quae contra* 6. *supr. de legibus*, et spretis pactis valet donatio, *Card. Tuschus concl.* 642. *lit. D. Mozzius tit. de accidentalibus donat.* II. in eo casu, quan- 3
do ab initio placuit, ut super donatione conficeretur scriptura et ita in scriptis contraheretur, praescribit certam formam instrumenti, quod debeat continere nomen donatoris et donatarii, item rem donatam vel jus donatum, neque illud instrumentum debet fieri occulte,

et privatim, sed opera Notarii publici. Nam de publico instrumento ab initio videntur cogitasse partes, materia autem quaecumque esse potest instrumenti. Interdum etiam acta judicialia necessaria sunt, quando scilicet leges hoc requirunt; scilicet in donatione, quae excedit 500. solidos, ut infra dicetur. Et sic nota: In
1 *hac lege* non statui formam generalem in omnibus donationibus observandam, sed tantum, si vel ex conventione partium, vel ex quantitate rei donatae appareat, scripturam requiri. Forma instrumenti traditur, *Bart. hic et Bald. et Salyc. et Bacchov. ad Treutl. d. d. 19. th. 9. lit. D.*

L. Si quis. 26.

SUMMARIA

Infanti donari nequit. num. 1.
Quid si pater filio emancipato infanti donare velit? 2.
An hoc casu intrumentum requiratur? 3.

1 Infanti non potest donari, quia intellectum
2 non habet. *Sed quid si pater filio emancipato infanti donare vellet?* Resp. hunc debere adhibere servum infantis vel servum publicum, hodie Notarium, qui nomine filii accipiat donationem, et ita infanti adquirat, *l. 28. ff. de*
3 *usucap.* Et quamvis Imperator requirat instrumentum, accipiunt tamen *DD.* id de eo casu, quando patri placuit in scriptis donare: nam alias etiam sine scriptura donare quis potest, *l. 29. et l. 31. h. t. Treutl. vol. 2. disp. 19. th. 6. lit. B.* quamvis non sit absurdum dicere Imperatorem in hoc speciali casu requirere insinuationem; quomodo autem filio nondum nato pater vel alius donare possit, Vid. *Card. Tuschus concl. 611. lit. D.*

LL. 27. 30. et 32.

SUMMARIA

Quaenam donationes olim et hodie insinuatione egeant? num. 1.
An etiam in donatione inter personas consanguineas insinuatio, si nim. donatio excedat summam licitam, sit necessaria? 2.
Ratio dubitandi. 3.
Decidendi. 4.
Cur insinuatio ad donationem summae amplioris requiratur? 5.
An huic solemnitati renunciari possit? 6.
Coram quo judice insinuatio sit facienda? 7.
Quid si donatae res sub alio judice sitae sint. 8.
Jus hodiernum, et coram quo hodie fiat insinuatio. 9.
Sententia Auctoris. 10.
Sententiae Gailii et Carpzovii *non videntur tutae.* 11. 12.
Partes jurisdictionem incompetentis judicis hoc casu prorogare nequeunt. 13.
Ratio. 14.

1 Donationes olim excedentes 300. solidos, *l. 31. h. t.* hodie 500. solidos, *l. pen. §. ult. h. t.* opus habent judiciali institutione. *Sed quid si* 2
inter necessarias, id est sanguine junctas vel domesticas personas donatio fiat, an etiam eo casu insinuatio necessaria? Videtur quod non, 3
quia causae, quae inter domesticos versantur, melius intra privatos parietes componuntur, *l. supr. de patr. pot.* Sed affirm. in *l. 27. h. t.* 4
cum quia lex requirens insinuationem generalis est, nec excipit conjunctas personas, tum quia ratio requirens insinuationem etiam in domesticis locum habet. Nam ideo ad donatio- 5
nem summae amplioris requiritur insinuatio, ut 1. nimis effusae donationes refrenentur: 2. ut fraudibus occurratur, *Schneidw. ad §. aliae Inst. de donat.* Sed hae rationes etiam in conjunctis et quidem magis, quam in aliis, locum habent. Facilius enim conjunctus vel domesticus vera instrumenta, seu in quibus rei veritas praescripta continetur, surripere potest, quam extraneus, facilius quid fingere et falsum instrumentum supponere potest. Et notandum 6
hic est, solemnitati huic renunciari non posse, quia lex hanc formam actus introduxit et alias fraudulenta donatio posset valere, *Molina d. d. 278. num. 12. Gomez. t. 2. c. 4. num. 7. Fagundez de J. et J. lib. 4. cap. 9. num. 16.* Sed *coram* 7
quo judice insinuatio facienda, seu in cujus judicis acta donatio excedens 500. *solidos referenda est?* Resp. coram judice competenti insinuandam esse, ut Constantinopoli est Magister census, in provinciis est Praeses vel Magistratus loci, et si coram competente judice non sit facta, donatio non valet, *l. 32. in fin.* Sed *quid si donatae res sub alio judice sint* 8
sitae? Resp. in *d. l. 27. et* 30. ibi, *rerum ubicumque positarum:* donationem valere etiamsi res donatae sub jurisdictione illius, cui donatio insinuanda est, non sit. Hodie obtinuit, 9
coram quocumque judice vel magistratu donationem insinuari posse, coram majore tamen judice illius provinciae et civitatis hoc jure Hispanico fieri debet, *Guttierez de juramento confirm. p. 1. c. 7. num. 16. Molina d. 278. num. 9.* Sed apud nos dixerim, apud quemli- 10
bet judicem competentem insinuationem hanc fieri posse. Vide *Schneidw. in d. §. aliae num. 11. Eman. Suarez. in Thesauro recept. sent.* vers. *insinuat. num. 107.* Quamvis autem *Gail.* 11
lib. 2. obs. 39. in fine putet, insinuationem donationis coram quocumque judice etiam non suo fieri posse, id tamen non videtur conveniri *legi 32. h. t.* ubi dicitur, coram competente magistratu faciendam esse insinuationem, *Wesenb. ad hunc tit. ff. num. 6.* Conf. *Perez ad tit. 29.* Licet cum *Gail.* videatur consentire 12
Carpz. p. 2. const. 12. def. 18. et quos hic allegat; quae sententia minus tuta videtur, quia judex omnino debet interrogare donatorem, an vi, metu vel fraude fuerit allectus ad donationem, imo si fraudis suspicio esset, sub juramento etiam potest interrogare, *Molina d. d. 278. num. 10. Guttierez de juram. confirm. p. 1. cap. 7. num. 9.* quod fieri non posset facile a judice incompetente. Et ideo *Baldus in l. 32.* notat: Partes non posse prorogare jurisdictio- 13
nem judicis incompetentis et hoc statutum esse specialiter, ut fraudibus obvietur. Facile autem fraus committi posset, si coram quocumque judice etiam incompetente, fieret insinuatio. Quamvis autem *Dn. Hahn. ad d. l. 32.* respon- 14
deat, illum loqui de donatione facta in urbe

Constantinopoli, ratio tamen ejus legis videtur generalis. Sed et ipse *Hahnius cum Schneid. ad d. §. 2. et Grevaeo pract. observ. concil.* 39. *consid.* 1. *num.* 6. tutius esse concedit, si coram ordinario Magistratu fiat, habente saltem civilem jurisdictionem.

L. Quisquis. 28.

SUMMARIA

Facti species. num. 1.
An rei donatae, venditae, vel in dotem datae dominium, retento usufructu, nec interveniente traditione transferatur? 2.
Ratio dubitandi. 3.
Decidendi. 4.

1 Donavi tibi, vel vendidi, vel in dotem dedi praedium, retento mihi usufructu, sed tradi-
2 tio nulla intervenit; Quaeritur: *An ita dominium*
3 *transferatur?* Videtur quod non, ob *l. tradi-*
4 *tionibus supr. de pactis.* Sed Affirm. hic, sicut enim, si a te rem meam conducerem, tacite tuo loco constituo me possidere, atque ita transfero dominium, *l.* 77. *ff. de rei vindic.* ita etiam, qui rem donat retento sibi usufructu: quia enim ususfructus rei suae non consistit, videor dominium transferre velle, Vid. *Donell. et ibi Hillig. lib.* 5. *c.* 10. Ideoque quando res vendita vel donata retento usufructu, retentio ususfructus est pro traditione, *hic et l. quod meo* 18. *ff. de adquir. poss. Donell. lib.* 10. *cap.* 5. *post lit. D. Molina tr.* 2. *d.* 13. *num.* 12. *Riminaldus cons.* 99. *num.* 1.

L. In extraneos. 29.

SUMMARIA

An ignoto et extraneo recte donetur? num. 1.
An ad ejusm. donationem scriptura sit necessaria? 2.

1 Sicut ignotus et extraneus potest institui haeres, §. *ult. Inst. de haered. inst. l.* 11. *supr. de haered. inst.* ita in extraneum quoque et ignotum hominem, certum tamen, potest do-
2 natio conferri, per *hanc l.* et donatio non requirit scripturam, *hic et l.* 31. *in fin. h. t.* nisi placuerit, donationem fieri debere in scriptis, *l.* 25. *supr. h. t.*

L. In donationibus. 31.

SUMMARIA

Duo exempla, quibus testium subscriptio in donatione non requiritur. num. 1. 3.
In actibus judicialibus frustra testes privati adhibentur. 2.
In instrumento publico testium subscriptio non requiritur, sed sufficit, si notarius in eodem instrumento eorum testium mentionem faciat. 1.

Duo exempla producuntur, quibus testium 1
subscriptio non requiritur: 1. Si donatio insinuata actis. Additur hic ratio aptissima, quia *superfluum est privatum testimonium, cum publica monumenta sufficiant, hic et l.* 10. *ff. de probat. et arg. l. omnium supr. de testam.* Et sic nota: In actibus judicialibus frustra testes 2
adhiberi privatos, quia superfluum est privatum testimonium, cum publica monumenta sufficiant. Et videtur ergo *Bacchov. in Wesenb. ad tit. de fide instrument. num.* 5. verbis *porro ad solemnitatem etc.* immerito perstringere *Mynsing. cent.* 6. *obs.* 29. Sic 2. non est ne- 3
cessaria testium subscriptio, quando Tabellio instrumentum publicum super donatione confecit, ubi tamen requiritur, ut ipse donator vel alius ejus voluntate subscribat, scilicet si ab initio placuit, ut fieret scriptura publica. Et in fine repetitur, quod in *l.* 29. dictum, etiam sine scriptura fieri posse donationem. Colligitur etiam ex *hac lege:* Quod in instru- 4
mento publico non requiratur testium subscriptio, sed sufficit, si notarius in instrumento eorum testium mentionem faciat, *Bald. hic Covarr. pr. q.* 20. *num.* 4. *Sichardus praelud. tit. Cod. de fide instrum. num.* 19.

L. Illam subtilem. 33.

SUMMARIA

Sensus legis. num. 1.
Cessionarius olim cessam alicui actionem seu mandatum ad haeredes suos non transmittebat. 2.
Limitatur. 3.
Nec procuratorem constituere poterat. 4.
Omnia haec ab Imperatore sunt correcta, et quid juris hodie? 5.
Ratio hujus constituti. 6.
In quibusnam causis actio cessa seu mandata olim ad haeredes transmitti potuerit? 7.
Non de morte mandantis, sed procuratoris hic agitur. 8.

Si olim titulo donationis alicui cessa esset actio, 1
seu mandata, eam ad haeredes suos non trans- 2
mittebat cessionarius, nisi lis cum defuncto 3
esset contestata, vel nisi impetratum esset privilegium, ut ad haeredes transmitti posset, nec poterat procuratorem constituere: ratio 4
erat, quia cessionarius non est dominus, sed procurator in rem suam, ergo procuratorem constituere non potest, *arg. l. neque* 11. *supr. de procurator.* Sed Imperator haec omnia cor- 5
rigit, quia hodie cessionarius etiam ante litem contestatam, suo nomine utilem habet actionem, *l.* 2. *supr. de O. et A.* Ergo transmittit eam ad haeredes, et potest procuratorem constituere. Accedit alia ratio, quod in venditione 6
etiam idem olim admiserint veteres, *l.* 7. *et seq. C. de haered. vel act. vend.* et in legato idem, *l. ex legato* 18. *C. de legatis* et dotis datione, *l.* 2. *C. de O. et A.* in solutum datione, *l.* 1. *et* 2. *C. de O. et act.* et pignore, *l.* 20. *ff. de pignor.* quod contra *Doctores* in omni- 7
bus causis, ex quibus jure civili res transferri solent, tradit *Jo. a Sande de cess. act. cap.*

8. *num.* 8. Praesertim vero haec sententia ex hoc textu probatur, quo utilis actio etiam ex causa lucrativa concessa est, multo magis ergo in omnibus causis onerosis, contractibus nominatis et innominatis, *Fr. Caldas de empt. c.*
8 24. *num.* 15. Et bene hic notandum: De morte mandantis hic non agi, sed procuratoris, *Cald. d. l. num.* 21.

L. Sancimus. 34. et Auth. Item.

SUMMARIA

Tria continentur in principio. *num.* 1.
Qualis summa donanda olim et hodie insinuationem requirat. 2.
Per solidos *qualis intelligatur pecunia?* 3.
An omissa insinuatione donatio in totum sit irrita? 4.
Utile per inutile non vitiatur, quoties utile ab inutili separari potest. 5.
Quaenam donationes, etiamsi summam praescriptam excedant, insinuatione non egeant. 6. 7. 8. 9.
Piissima causa quaenam dicitur. 10.
Insinuationi sub juramento renunciari potest. 11.
Donationes pietatem respicientes ad quam usque summam insinuatione non habeant opus. 12.
Hodie nulla donatio insinuationem requirit, nisi excedat 500. solidos. 13.
An donatio piae causae sine insinuatione facta sit valida? 14. 17.
Pontificii *notantur.* 15.
Falsa illorum ratio. 16.
Donatio propter nuptias facta minorenni insinuationem non requirit. 18.
Secus hodie. 19.
Quid si donatio in corporibus et speciebus facta, quomodo sciri possit, an excedat 500. *solidos?* 20.
Quid juris, si fundus aliquis pluribus sit donatus et unus ex illis propter litem vel aliam causam in communione manere nolit? 21.
Quid si nullus pretium offerre, nec totum fundum redimere velit? 22.
Quid si res divisionem commode non patiatur? 23.
Si una persona diversis temporibus donationes in me fecerit, eaeque conjunctae, non singulae, excedant 500. solidos, anne tales donationes non insinuatae sint validae? 24.
Ratio dubitandi. 25.
Decidendi. 26.
Objectio removetur. 27.
Si quis eodem tempore et forte in eodem instrumento plures donationes eidem facit, donationes istae non valent. 28.
Ampliatur. 29.
Donatio centum v. g. thalerorum in singulos annos insinuationem non desiderat. 30.
Ob incertitudinem multa admittuntur, quae alias non admitterentur. 31.
Exceptiones a dictis. 32.
Donatio ob causam facta non opus habet insinuatione. 33.
Item donatio jurata. 34.
An donatio facta ob causam praeteritam honestam vel inhonestam valeat? 35.
An recte colligatur, congressum cum meretrice esse vendibilem vel locabilem? 36.

Tria in *principio* dicuntur; Primo quod cum 1
olim summa donanda excederet 200. solidos, 2
insinuanda esset, Imperator constituit, ut summa excedens 300. solidos insinuetur, placuerunt
postea in *l. pen.* §. *ult.* 500. solidi (per quos 3
in dubio ungarici floreni intelliguntur, *Carpz. p.* 1. *c.* 12. *def.* 12.) Cujus non alia ratio adsignari potest specifica, quam, quia ita placuit
Principi. Deinde hoc notabiliter dicit, licet sum- 4
ma excedat 300. solidos (hodie 500.) non tamen in totum irritam esse donationem, sed tantum in ea quantitate, quae excedit, reliquum valet, v. g. donavit quis 700. florenos vel solidos sine insinuatione, hic 200. inutiliter, 500. vero utiliter donata sunt. Ratio est
in regula vulgari: utile per inutile non vitia- 5
tur, quoties utile ab inutili separari potest, *l.* 9. 20. *et* 29. *ff. de usuris, Molina d. d.* 272.
Guttierez l. 1. *de juram.* In *fine principii* 6
subjicitur exceptio: I. scilicet quando Imperator quid donat, ea donatio licet excedat 300. (hodie 500.) solidos, non tamen est irrita, quia Imperator semper proceres in comitatu suo videtur habere, ergo nihil praesumitur occulte et fraudulenter fieri, *l. omnium supr. de testam.* vide *Schneid. d.* §. *aliae n.* 30. II. Ea- 7
dem est ratio donationis factae Principi a privato, *Auth. item a privatis, et Nov.* 52. *cap.* 2. *Carpzov. p.* 2. *c.* 12. *def.* 16. ubi hoc ad Principes Imperii extendit, *Molina d.* 279. *num.* 4. *Fagundez. d. c.* 9. *num.* 11. *et Menoch. cons.* 1.
num. 375. Eandem rationem esse volunt, si ipse 8
Magistratus donet vel ipsi donetur, ita ut praesentia judicis et tabellionis instar insinuationis sit, *Bart. in l.* 3. *ff. de adopt. Baldus hic num.* 4. *et seq. Schneid. in* §. 2. *Inst. h. t. num.* 31. *Ant. Gabr. lib.* 3. *commun. conclus. tit. de donat. concl.* 1. *num.* 46. *Carpzov. def.* 16. III.
Exceptio est in donatione facta ad piissimas 9
causas, ut ea, licet excedat 300. (hodie 500.) solidos, non tamen opus habeat insinuatione.
Causa piissima est hoc loco redemptio captivo- 10
rum, vide *l. pen. pr. ff. h. t.* nam aliae donationes piae omnino insinuatione opus habent,
ut in §. 1. dicetur. Illud tamen notandum, in- 11
sinuationi sub juramento renunciari posse, *Auctor in l.* 23. *ff. h. t. num.* 4.
§. 1. Aliae donationes pietatem respicientes, 12
si excedant 200. solidos, *hic et l.* 19. *C. de SS. Eccles.* modo non excedant 500. solidos, opus non habent insinuatione, sed si 500. solidos ex-
cedant, tunc opus habent. Sed hodie nulla est 13
diversitas inter donationes pietatem respicientes et alias, cum nulla donatio requirat insinuationem, quae non excedit 500. solidos, *Auctor in*
l. 9. *ff. h. t. num.* 2. *et l.* 23. *eod. num.* 1. Et ita 14
donationem factam piae causae sine insinuatione non esse validam dicit *Carpz. d. c.* 12. *d.* 13.
Sed ab hac sententia recedunt plerique *Ponti-* 15
ficii DD. v. g. *Molina d.* 279. *num.* 3. *Clarus d.* §. *donatio q.* 17. *Panorm. et Felinus, et alii,* quos citat *Steph. Fagundez de J. et J. lib.* 4.
c. 9. *n.* 6. Sed utuntur illi falsa ratione, quod 16
necessitas insinuationis veniat ex dispositione juris civilis, et ideo non debeat attendi in praejudicium Ecclesiae et piae causae, in quibus causis nullum locum habet constitutio Principis

secularis. Nam posito, quod in rebus Ecclesiasticis non habeat jurisdictionem Princeps, non concesso, non tamen inde efficitur, Principem non habere jurisdictionem in rebus Ecclesiae nondum quaesitis, sed quaerendis. Cur enim non Princeps possit demandare suis subditis, ne ultra certam summam vel in privatum, vel in civitatem, vel in ecclesiam per donationem conferant? Quis negabit etiam hic fraudem intervenire posse, et interdum intervenisse? Quia
17 tamen piae causae judicantur secundum jus gentium, non secundum subtilitates juris civilis, et quilibet jure gentium omnia sua bona possit donare piae causae, et quia in sanctissimis Ecclesiis optima mensura est rerum eis donatarum immensitas, *Nov.* 7. *cap.* 2. §. *sancimus* 1. si fraudis praesumptio non adsit, puto donationes excessivas factas Ecclesiae non esse violandas, praesertim nostro tempore, ubi summa Ecclesiarum paupertas, et magna donantium ad pias causas raritas. Unde etiam volunt, donatarium, cui excessiva quantitas donata est, non teneri in conscientia restituere hanc excessivam sua sponte; sed aliud, si donans vel haeres ejus petat, *Andr. a Matre Dei Carmelita, in cursu theol. mor. tr.* 14. *cap.* 4. *puncto* 5. *n.*
18 95. Deinde agit de donatione propter nuptias, et ea facta minorenni non opus habet insinua-
19 ne; secus si majorenni; sed hodie secus per *auth. eo decursum supr. de donat. ante nuptias.* Nam per eam *Auth. et Nov.* 127. Donatio propter nuptias non requirit insinuationem ex parte mulieris, sed bene ex parte mariti, si ex dote lucrum speret, *Rittershus. p.* 5.
20 *c.* 10. *in Novell. n.* 8. Quando autem donatio in corporibus et speciebus facta, Quaeritur: *Quomodo sciri possit, an excedat* 500. *solidos?* Resp. in §. 1. quod quantitas earum aestimanda sit, ut hoc sciri possit.
21 §. 2. Donatus est mihi et tibi fundus, sed ita, ut ego habeam duas partes fundi, tu tertiam tantum. Incidit inter nos contentio, ut jam non placeat amplius in communione commorari: Resp. hic, ei, qui ampliorem quantitatem vel majorem partem habet in fundo donato (ut hic mihi) defertur jus pretii offerendi alteri, et hic, qui majorem partem habet, non tene-
22 tur sortem acceptare. Sed *quid si nolim offerre pretium, nec totum fundum redimere?* Resp. tunc faciendam esse divisionem fundi, ut mihi
23 duplo plus quam tibi assignetur. Sed si res non patiatur commode divisionem, me nolente tibi offerre pretium, tibi seu illi, qui minorem quantitatem habet, datur facultas offerendi pretium mihi seu illi, qui majorem partem habet, *Capyc. dec.* 36. *n.* 1. *Alvar. Valascus de partit. cap.* 22. *num.* 3. *Morquecht. de divis. bonorum lib.* 2. *cap.* 10. *num.* 7. *Tiraq. de jure primogen. q.* 60. *num.* 15. *Petrus de Ubaldis in tr. de duobus fratribus part.* 11. *q.* 12. *num.* 13. *in fine.* Et ex his nonnulli hunc textum generaliter non tantum in re donata, sed ex aliis titulis multis quaesita intelligunt.
24 §. 3. Quid si una persona in me plures diversis temporibus fecerit donationes, eaeque omnes conjunctae quidem, licet non singulae excedant 500. solidos, v. g. ante quadriennium 300. ante triennium 400. ante biennium 200. *Anne tales donationes non insinuatae validae sunt?*
25 Videtur quod non, *arg. l.* 10. §. 1. *ff. de*
26 *appell.* Sed affirm. *arg. l.* 11. *pr. ff. de jurisdict. et l.* 1. *supr. qui num. tut.* Quia sunt hic plures donationes, non una, nec debet conjunctio fieri in odium donatarii; nec obstat *d.* 27
l. 10. §. 1. quia ibi licet plures summae, vere tamen una est sententia et unum judicium. Et sic Collige ex *hoc* §. Quando diversis temporibus plures donationes, ab eodem donatore eidem donatario factae, eas non opus habere insinuatione, *Molina d. d.* 279. *num.* 21. Aliud 28
igitur, si quis eodem tempore, et forte in eodem instrumento plures donationes faciat eidem, quia cautela haec excogitata videtur in fraudem legis, *Gomez. t.* 2. *resol. c.* 4. *num.* 7. *Covar. lib.* 2. *resol. c.* 16. *num.* 4. *Guttierez d. tr. c.* 7. *num.* 17. *Molina d. l. num.* 18. Non etiam 29
valebit donatio, si eodem tempore pluribus donatariis diversae res ab eodem donatore dentur, quia donatoris persona hic potissimum attenditur, *Molina d. l. num.* 20. *Fagundez d. c.* 9. *num.* 18.

§. 4. Quidam promisit mihi stipulanti titulo 30
donationis centum singulis annis solvenda, Quaeritur: *An valeat donatio non insinuata?* Resp. hic hanc donationem valere. Possibile enim erat, nos in primo anno ambos mori, et sic non excessisset donatio modum legitimum, et licet plures annos possimus supervivere, et quoque supervixerimus, tamen duobus possibilibus positis illud acceptandum est, quod facit ut contractus valeat; Ex quo notant: ob incertitudinem 31
multa admitti, quae alias non admitterentur, *hic et l.* 17. *et* 23. *C. de usur. Tiraq. ad l. si unquam C. de revoc. donat.* verb. *donatione largitus, n.* 128. *Carpzov. p.* 3. *c.* 29. *def.* 3. *Gail. l.* 2. *obs.* 8. *num.* 3. Si autem facta esset mentio haere- 32
dum, ita ut haeres etiam tuus meis haeredibus, vel etiam primo haeredi 100. annua praestet; vel si conventum, ut ad 6. 7. vel plures certos annos praestentur, hic propter infinitatem et diuturnitatem temporis statim apparet, donationem, licet illa sit divisa in plures annos, tamen excedere modum legitimum, et hic deficit superior ratio, quia licet primo anno morerer, non tamen interciderct promissio, *Molina d. d.* 279. *n.* 22. *Fagundez. d. l. n.* 20. Placet hic alias annectere limitationes; videlicet, 33
si donatio fiat ob causam, non opus habet donatio insinuatione, *Tiraq. ad l. si unquam C. de revoc. donat.* verbo *donatione num.* 47. *Menoch. cons.* 1. *n.* 376. *Thes. p.* 3. *q.* 89. *num.* 5. item si donatio facta fuisset sub juramento. 34
Tiraq. in d. tr. in praefat. n. 145. *Menoch. d. l. num.* 377. *Thesaurus d. q.* 89. *num.* 6. Incidenter hic quaeri posset: An donatio facta ob 35
causam praeteritam honestam vel inhonestam valeat? *Auctor in l.* 5. *ff. h. t. num.* 1. *et* 3. ubi etiam simul *num.* 2. ostendit, male colligi 36
congressum cum meretrice esse vendibilem vel locabilem.

L. Si quis argentum 35.

SUMMARIA

Casus legis. num. 1.
An donator promittens certum argenti pondus, se liberare possit offerendo massam argenti elaboratam pro rudi, vel aestimationem? 2.
Ratio dubitandi. 3.
Decidendi. 4.

Pro materia materiatum ejusdem substantiae recte solvitur. 5.
Donans rem, istam tradere tenetur. 6.
Certum annuum reditum ex possessionibus suis donans, fundos dare necesse habet, ex quibus ii reditus percipi possunt. 7.
Quosnam fundos, et an etiam optimos? 8.
An idem h. l. *quod in generali legato?* 9.
Quid si donator nec argentum, nec annuos reditus, nec servos habeat? 10.
Quomodo singulae hae res aestimari soleant? 11.
Exemplo declaratur. 12.
Contractus super annuo reditu celebratus ad rationem fructuum quindecim annos acceptorum an computari debeat. 13.
Ratio specialitatis. 14.
An quis omnia sua bona alteri recte donare possit, et num insinuatio requiratur? 15.
An etiam futurorum bonorum donatio valeat? 16. 24.
Doctores *invalidam hanc donationem asserentes notantur.* 17.
An donatio ejusmodi juramento confirmata valeat? 18.
An donatio omnium bonorum tam praesentium, quam futurorum ad pias causas valeat? 19.
Donator quanam actione teneatur? 20.
An donatio nudo pacto facta sit perfecta? 21. 22.
Retentio ususfructus pro traditione est. 23.

Pr. Donavit aliquis certum pondus argenti alteri. cum autem donatarius peteret argentum, donator excipit, sibi non esse argenteam materiam rudem, ideo offert ex argento calices vel etiam pecuniam paratam, qua illud argen-
2 ti pondus aestimari possit; Quaeritur: *An donator possit liberare se offerendo massam argenti elaboratam pro rudi, vel aestimationem?*
3 Videtur quod non, quia aliud pro alio solvere
4 nequit, *l.* 2. §. 1. *ff. de reb. cred.* Sed affirm. *hic in pr. l.* 35. modo illa vasa argentea non sint deteriora massa argentea rudi, id est, non sint aere contaminata, vid. *l.* 1. §. 1. *ff. de au-*
5 *ro et arg. leg.* Nota bene: pro materia solvi materiatum ejusdem substantiae: quia nulla cessio, nec aliud pro alio solvitur, quia eadem materia est, quae fuit massa, et tam certam formam induit, quam cito potest deponere. Et pecunia parata aestimationem facit metalli ejusdem materiae. Et sic pro massa auri vel argenti debita pecunia solvi potest, non contra, *Pinell. de rescind. vend. p.* 1. *cap.* 3. *num.* 11. et hunc laudans *Hill. in Donell. lib.* 16. *c.*
6 9. *lit. M.* Notetur etiam ex *hoc princ.* donanti rem, necessitatem incumbere, ut rem tradat. Et sic ex pacto donationis verbis praesentibus conceptae agitur, *hic et* §. 2. *Inst. h. t. DD. hic et Donellus lib.* 13. *cap.* 22. *lit. C.* et quos ibi allegat *Hilliger. Clarus* § 14. *Finckelthaus. obs.* 2. *num.* 8.
7 §. 1. Donans certum reditum annuum ex possessionibus suis, necesse habet dare fundos, ex quibus ii reditus percipi possint, ita, ut non
8 optimos, nec vilissimos, sed mediocres det, licet enim regulariter electio debitoris, *l.* 10. *ff.*
9 *de jur. dotium*, aliud tamen in generali legato, *l* 37. *pr. ff. de legat.* 1. Cujus exemplo idem hic statuitur in donatione, quia haec plenius interpretanda. Quamvis igitur in genere legata re animata mediocrem eligere teneatur legatarius, per *d. l.* 37. in re inanimata vero minus, *l. nummis* 75. *ff. de legat.* 3. *Covarr. in c. indicante* 4. *num.* 5. X. *de testam. Card. Mant. de conject. ult. volunt. lib.* 7. *t.* 1. *n.* 32. *Molina d.* 198. *num.* 2. *et seqq. Barry de succ. lib.* 9. *t.* 8. *num.* 6. sed in donationibus videtur indistincte dicendum, rem mediae aestimationis sive animata sit, ut in §. *seq.* sive inanimata, ut *hic*, eligendam esse.

§. 2. Eadem ratio servorum in genere promissorum, ubi nec vilissimi, nec optimi, sed mediocres praestandi.

§. 3. Si autem in praefatis casibus donator, 10
nec argentum, nec annuos reditus, nec servos habeat, vel habeat quidem, sed non tantum, quantum promisit, aestimationem eorum praestare tenetur, ita ut argentum communiter ex consuetudine regionis aestimetur. Servus autem 11
non nisi 15. solidis aestimetur, reditus autem fundorum in 15. annos praestentur, v. g. pro- 12
misit quis 10. florenos de reditibus annuis, hic si praestet una vice, vel separatis vicibus 150. fl. liberatur obligatione sua, ita tamen obligatur promissor, nisi summa excederet 500. solidos. Colligunt: Contractum super annuo re- 13
ditu celebratum, ad rationem fructuum quindecim annos acceptorum computari debere, *Tiraq. de retr. cons.* §. 1. *gl.* 6. *num.* 18. *Gail. lib.* 2. *obs.* 9. *num.* 12. Sed specialem hic ra- 14
tionem esse putat *Caspar. Rodericus de annuis redit. l.* 1. *q.* 6. *num.* 28. ne donator ex sua liberalitate nimis gravetur, ubi plures citat, quod etiam mihi probabile videtur.

§. 4. Potest quis omnia bona sua alteri dona- 15
re, vel quotam partem bonorum suorum, ut dimidiam, sive semissem, bessem, id est, duas uncias, ita ut possit conveniri ad praestandam donationem, nisi inofficiosa esset donatio, *supr. tot. tit. de inoff. donat.* Sed facta donatio omnium bonorum, eget insinuatione, scilicet si excedat modum legitimum, id est, 500. solidos, id quod colligitur ex verbis hic, *secundum quod jam sanximus etc.* Atque ex hoc textu probatur; donationem omnium bonorum valere, sed hoc Quaeritur: *An omnium bonorum, etiam futuro-* 16
rum donatio valeat? Quod ex *hac lege* liquido non probatur, *Auctor in l.* 23. *ff. h. t. num.* 6. Neque puto in alio textu probari. Ideoque *DD.* 17
hanc sententiam amplectuntur; non posse omnia simpliciter bona donari, ne sibi adimat potestatem testandi, quae tamen ratio nimis levis videtur, Vid. *Bacch. in Treutl. d. d. th.* 5. *lit. D. Harpr. in* §. *aliae Inst. h. t. num.* 115 *Carpz. p.* 2. *c.* 12. *d.* 26. Sed quicquid sit, plerique tamen volunt, ab hac sententia in judicando non esse recedendum, *Carpz. d. l. et lib.* 5. *resp.* 65. *n.* 5. Nam sic per viam hanc consequeretur aliquis id, quod saltem per viam testamenti jura concedunt, *Mant. lib.* 13. *t.* 26. *num.* 16. Et quidem in totum invalidam hanc esse volunt donationem etiam respectu praesentium, *Dec. p.* 1. *cons.* 30. *Jo. Guttierez de juram. confirm. p.* 1. *c.* 11. *num.* 3. Et qui- 18
dem nec juramento eam confirmari volunt *Guttierez. d. l. num.* 11. *Honded. v.* 1. *consult.* 39. *num.* 11. *Fachin. lib.* 6. *c.* 88. Sed forte contrarium verius est ob religionem juramenti, et cum illa levior sit ratio, ut dixi. Conf. *Trentac. lib.* 3. *tit. de donat. res.* 3. *num.* 8. *Covarr. p.* 2. *rubr. de testam. num.* 5. *Molina d.* 280. *Besold. cons.* 11. *num.* 31. *Mantica lib.* 13. *tit.*

19 27. Ad pias causas volunt fieri posse donationem
omnium bonorum, praesentium et futurorum,
quia in piis causis sequimur jus gentium et ca-
nonicum, Vid. *Andreas a Matre Dei Carme-
lita in cursu theol. mor. tract.* 14. *c.* 4. *puncto*
5. *num.* 98.

20 §. *ult.* Donator, si per stipulationem promi-
sit res donatas, tenetur ex stipulatu, si per nu-
dum pactum, tenetur ex *l. hac*; non ipse tan-
tum, sed etiam haeredes ejus, imo tenetur etiam
21 haeredi donatarii. Atque adeo non imperfecta
est donatio, quae nudo pacto fit: in arbitrio
enim donantis fuit ab initio nihil promittere.
Et hoc potissimum in donationibus factis ad
pias causas, ubi qui promissis non stat, non ho-
minem sed DEUM etiam fallit. In *principio* au-
tem §. *ult.* repetitur illud quod habetur in *l.*
28. *supr. h. tit.* scil. pro traditione esse, si do-
nem praedium retento mihi usufructu, quo
casu alterius nomine me possidere constituo,
atque adeo hoc casu non opus est ex lege ut
agat donatarius, quippe dominus jam factus
22 rem vindicare potest. Ex hoc Colligitur: I. Do-
nationem nudo pacto celebratam esse validam
23 et oriri exinde obligationem civilem. II. Reten-
tionem ususfructus pro traditione esse, de
24 quo supra. Sed quaeritur: An juxta traditam
antea opinionem *Doctorum, donatio omnium
bonorum praesentium et futurorum hoc casu sit
valida?* Et videtur nonnullis, quod sic, quia
de fructibus quaerendis poterit testari. Restricta
enim videtur donatio futurorum bonorum, ut
in eis fructus non intelligantur, quia videntur
excepti, *Covarr. lib.* 3. *resol. c.* 12. *num.* 1.
Card. Mant. de tac. et amb. convent. lib. 13.
tit. 32. *num.* 5. *et seqq.*

L. Si quis. 36.

SUMMARIA

Secunda exceptio a regula in l. 34. h. t. *tra-
dita. num.* 1.
Ratio. 2.
Tertia exceptio. 3.
Ratio. 4.
Quarta exceptio. 5.

1 *Princ.* Secundam exceptionem diximus ad *l.*
34. *pr.* esse, quando quis quamcumque quan-
titatem, etiam omnia bona donat pro redem-
ptione captivorum. Tunc enim donator, licet
ea donatio actis insinuata non sit, eam retra-
ctare nequit, nec soluta repetere, sed promis-
sis etiam stare tenetur, et qui eam pecuniam
recipit, debet juramento probare, se eam in
eum finem erogasse. Ratio in summo favore 2
redemptionis captivorum, ob quam causam
etiam aurea Ecclesiae vasa vendenda, *c. sacro-
rum caus.* 12. *dist.* 2.

§. 1. Tertia exceptio est in donatione magi- 3
stri militum vel ducis belli, quam confert ex
propriis bonis, vel ex spoliis hostium in bene
meritos milites; haec enim insinuatione opus
non habet, potissimum favore militiae, *Molina
d.* 279. *num.* 5. *Fagundez d. c.* 9. *num.* 12.
quia videtur esse remuneratoria donatio, quae, 4
juxta communem, insinuationem non requirit,
Clarus §. *donatio q.* 2. *num.* 6. *et q.* 6. *num.* 6.
Gomez. d. res. 4. *num.* 10. *Molina de jure pri-
mogen. c.* 8. *num.* 15. *et Molina theol. d.* 279.
num. 6.

§. 2. Quarta exceptio est in donatione facta 5
his, quorum domus incendio vel ruina cor-
ruptae sunt: nam donator non tantum dona-
tionem factam revocare non potest, sed etiam
ad praestandam solutionem potest conveniri,
modo donatarius non ad alium finem, sed ad
hunc expendat pecuniam donatam, id quod
juramento ejus committitur.

§. *ult.* Hic Imperator omnem donationem si-
ne insinuatione valere vult, usque ad 500. solidos,
et sic corrigit partem primam *principii legis* 34.
quod, ut diximus, ex arbitrio Principis solo
pendet.

L. Verba superflua. ult.

SUMMARIA

Intellectus legis. num. 1.
*Verbis nihil opus est, cum nullus rerum effe-
ctus sequitur.* 2.
*Verba superflua stipulationi addita non vitiant,
omissa non violant.* 3.

Erat olim clausula solemnis in donationibus, 1
quam, quia supervacua erat, abolet Imperator,
et habet non pro adjecta, quae enim extrinse-
cus et nihil ad praesentem actum pertinentia
adjiciuntur stipulationi, pro non adjectis ha-
bentur, *l. qui intrinsecus* 65. *ff. de V. S.* No-
ta bene: Verbis nihil opus esse, cum rerum 2
effectus nullus sequitur. Et verba superflua, 3
si addita, non vitiare, si omissa, non violare.
De aestimatione Sestertii vide *Covarr. de col-
lat. numismatum cap.* 2. *num.* 11. *Cujac. lib.*
19. *obs.* 31.

TITULUS LV.

De donationibus, quae sub modo, vel conditione, vel certo tempore conficiuntur.

L. Si doceas. I.

SUMMARIA

Facti species. num. 1.
Quaestio inde deducta. 2.
*An avia praedium nepti donans, ut alimenta
sibi praestaret, nepte promissis non stante,
praedium illud actioni reali vindicare pos-
sit?* 3.
Ratio dubitandi. 4.
Decidendi. 5.
*An Ecclesia non praestando alimenta domi-
nium non amittat?* 6.

1 Gamica nepti suae hoc pacto praedium donavit, ut neptis sibi, id est, aviae alimenta praestaret. Sed neptis non stetit promissis,
2 Quaeritur: *Quae actiones competant Gamicae contra neptem?* Resp. 1. actio praescriptis verbis, *l.* 9. *tit. praeced.* vel condictio ex lege, per *l.* 35. *fin. tit. praeced.* ad promissa scilicet alimenta praestanda, sed de hac actione, quia non interrogatus Imperator, de ea etiam non respondet. Est autem certum, si Gamica ad rescindendum contractum vellet agere, quod possit uti condictione ob causam, *l.* 2. *supr. de*
3 *condict. ob causam.* Sed *anne actionem etiam realem habet avia ad vindicandum agrum?* Vi-
4 detur quod non, quia actio personalis excludit realem, §. *sic itaque* 14. *Inst. de act.* Sed af-
5 firm. hic, idque speciali favore alimentorum, ut his non praestitis, possit donator res donatas vindicare, quod alias secus. Atque sic constitutio haec specialis est ad alimenta pertinens, per verba textus *in hoc casu* - *Card. Mantica de tac. et amb. convent. lib.* 13. *c.* 44. *num.* 5. *Perez. ad hunc tit. num.* 5. *Bacch. d. d.* 19. *th.* 8. *in fine. Covarr. l.* 1. *c.* 14. *num.* 4.
6 quamvis auctor ille eximat Ecclesiam, quasi ea non praestando alimenta non amittat dominium, per *c.* 4. *de condit. appos. Covarr. d. l.* 1. *resol. c.* 14. *num.* 6. *Mantica d. c.* 44. *num.* 10. de eo tamen dubitandum per tradita *Fach. in lib.* 8. *c.* 88. quod *d. c.* 4. de modo in genere loquatur, et ita speciali constitutioni non videatur derogare.

L. Si rerum tuarum. 2.

SUMMARIA

Facti species. 1.
An donatio hoc pacto, ut mortuo donatario ad donatorem res remeet, valeat? 2.

1 Donavi tibi praedium hoc pacto, ut mortuo
2 te ad me illud remearet, Quaeritur: *An valeat haec conditio?* Quod affirm. quia ut legatum, *l.* 1. *ff. de condit. et demonstr. l. ult. supr. de legatis,* ut et dos dari potest in diem certum, v. g. 10. annos, vel incertum, v. g. usque ad annos vitae, *l* 24. *supr. de jur. dot.* ita etiam donatio sub tali conditione fieri potest: Sed *anne te mortuo habeo realem actionem?* Affirm. Vid. *Bacchov. in Treutl. disp.* 19. *th. in fin.* Est ergo secundum exemplum, ubi ex donationis resolutione datur actio realis. Aliud habebitur in *l.* 8. *tit. seq.*

L. Quoties. 3.

SUMMARIA

Casus legis. num. 1.
Quomodo donatarius jussus, ut praedio donato ad 10. *annos possesso illud alii restituat, ad dandum praedium post* 10. *annos possit compelli.* 2.
An tertius ille, cui restituatur, contra eum actionem habeat? 3.
Ratio dubitandi. 4.
Decidendi. 5.
Fideicommissum per donationem in alium transferri potest. 6.

Donavi tibi praedium, hac conditione; ut 1
possideas 10. annos, et his elapsis restituas Titio; Quaeritur ergo: *Quomodo possis compelli* 2
ad dandum praedium post 10. *annos?* Resp. ego quidem, si non stes promissis, habeo condictionem ob causam, causa non secuta, *l.* 2. *supr. de condict. ex causa,* ad id ut praedium mihi restituas. Sed Quaeritur: *Anne etiam Ti-* 3
tius habeat actionem? Videtur quod non, ob 4
regulam in §. *si quis alteri Instit. de inutil.*
stipul. Sed Affirm. quia hic in donationibus 5
speciale est, ut quis per donationem etiam alteri providere possit, partim quia leges favent liberalitati, partim quia ab initio inter praesentes fuit contractum; Ergo Titius habet utilem actionem ex stipulatu, si stipulatus sim, vel condictionem ex hac lege, vel quia ab initio dominus stipulatur de re sua, licet sit sua non mansura, *Gratianus lib.* 2. *discept. for. cap.* 332. *num.* 17. *et seq.* Quamvis enim nonnulli tertio actionem realem dederint, rectius tamen alii id negant, et personalem intelligunt actionem per verba textus, *condictitiae actionis persecutionem, Covarr. d. c.* 14. *num.* 3. *Fachin. l.* 8. *c.* 88. *Perez. hic num.* 5. *Vinc. de Franch. dec.* 74. *Guido Papae dec.* 512. Colligitur ex
hac lege: Fideicommissum, ut ita loquar, per 6
contractum inter vivos, scilicet per donationem, in alium transferri posse, *Carpzov. p.* 3. *c.* 8. *def.* 12. *Fusarius de substit. q.* 14. ubi plures citat, *Klock. vol.* 2. *cons.* 17. *num.* 7. *Dn. Richter. dec.* 26. *num.* 30. *Menoch. cons.* 1153. *num.* 12.

L. Perfecta donatio. 4.

SUMMARIA

Donatione perfecta donatario donator novas conditiones ferre nequit. num. 1.
Ratio. 2.
Compromissum ab una parte in totum vel pro parte dissolvi non potest. 3.

Donator, donatione perfecta sive ante tradi- 1
tionem, sive post traditionem, non potest novas ferre donatario invito conditiones, quia eae 2
demum conditiones firmae sunt, quae tempore contractus adponuntur, *l. pen. supr. de pact. inter empt.* et quae paulo ante contractum vel inter contrahendum vel statim celebrato contractu apponuntur; nam ea pacta contractui inesse videntur, *Gratianus t.* 2. *disc. forens. c.* 297. *num.* 19. *et seq.* Ex qua lege probat *Dn. Carpz. p.* 1. *c.* 1. *d.* 16. *num.* 14. Compromissum ab una 3
parte in totum vel pro parte dissolvi non posse, quia jus jam alteri quaesitum parti, et non posse novum onus a donatario imponi post acceptationem, *Covarr. lib.* 1. *resol. c.* 14. *n.* 1. *Tiraq. in l. si unquam tit. seq.* verb. *postea, num.* 17. *Fagundez de J. et J. d. lib.* 5. *c.* 6. *num.* 2.

L. Si quid mater. ult.

SUMMARIA

Facti species. num. 1.
Quaestio inde resultans. 2.
Ratio dubitandi. 3.
Decidendi. 4.

1 Mater filiae donat praedium, si intra bien-
nium emancipata fuerit. Sed filia non emanci-
patur, et pater filiae moritur, atque ita sine
emancipatione filia illa ad libertatem pervenit,
Quaeritur: *An filiae debeatur praedium dona-* 2
tum? Videtur quod non, quia conditio illa in 3
forma vel specifice non est impleta; Sed affirm. 4
hic Imperator ad exemplum institutionum et
legatorum, Vid. *l.* 3. *supr. de instit. et subst.*
quia haec fuit voluntas matris, ut non ad pa-
trem, sed filiam praedium perveniret, quod
etiam hoc casu fit, quando parente mortuo
filia fit sui juris.

TITULUS LVI.

De revocandis donationibus.

L. Etsi perfectis. 1.

SUMMARIA

Facti species. num. 1.
An patronus praedium liberto donatum, si alii hic vendidit, ob recusatum debitum obsequium revocare possit? 2.
Ratio dubitandi. 3.
Decidendi 4.

1 Patronus dedit liberto praedium, quod prae-
dium libertus vendidit alteri accepto pretio;
libertus postea extitit ingratus obsequium de-
bitum negligendo, seu non praestando, Quae-
2 ritur: *An patronus revocare possit donationem?*
3 Videtur quod non, quia 1. quod ex re furtiva
redactum pro re furtiva habendum non est,
l. qui vas 48. §. *fin. ff. de furt. et* 2. ob *l.* 30.
4 *supr. de liber. causa.* Sed Affirm. quia hic et
aliis in causis pretium succedit loco rei, et
quod de principali dicitur, etiam de surrogato
dicendum, *hic et l. si et rem* 25. in verbis *quia
potest existimari*, et ibi *gl. ff. de pet. haered.*
et hic non de libertate revocanda agitur, ut
in *d. l.* 30. sed donatione facta liberto, quae
ob leviores causas, in legibus etiam non de-
terminatas revocari potest, sed a solo Patrono,
non haeredibus ejus, quia hoc jus personale
est, et soli patrono competit.

L. Si apud. 2. et L. Possessionem. 3.

SUMMARIA

Donationes perfectae temere et sine causa revocari nequeunt. num. 1.
An ob poenitentiam donatoris? 2.

1 Donationes perfectae, temere, et sine causa
revocari non possunt, *l.* 17. 18. 19. *supr. de
donat. l.* 7. *C. de condict. ob causam*, ideo ob
2 poenitentiam donatoris non retractatur dona-
tio, quia illa nimis sera est, *l.* 3. *h. t.* licet il-
lam poenitentiam, non verbis tantum, sed et
factis contestetur, ut si avia donatrix donatio-
nis instrumenta igne concremaverit, *l.* 2. *h. t.*

L. Cum profitearis. 4.

SUMMARIA

Facti species. num. 1.
Propriam turpitudinem allegans non est audiendus. 2.
Limitatur haec regula. 3.
Factum proprium nemo impugnare potest. 4.
Limitatur. 5.
De foro conscientiae verius est, donatarium, si sciat aut dubitet probabiliter donari rem in fraudem creditorum, teneri eum restituere, quantum illi ex tali donatione laesi fuerint. 6.

Est aliquis, qui donavit alteri praedium, hanc 1
donationem vult retractare hoc obtentu, quod
in fraudem creditoris donaverit; Sed non est
audiendus, quia allegans propriam turpitudi- 2
nem non est audiendus, *hic et l.* 4. *supr. de
revocandis iis etc. l.* 30. *supr. de transact. l.*
50. §. 1. *ff. de legat.* 1. Quam regulam limitant, 3
quod quis possit propriam turpitudinem alle-
gare, allegando simulationem, vel nullitatem,
vel favorem animae etc. *Riminaldus cons.* 92.
num. 22. *et seqq.* Et haec esset exceptio juris
tertii, scilicet ipsius creditoris, hic enim re-
vocare posset, non donator, etc. Et sic nemo 4
factum proprium potest impugnare, *hic et l.
post mortem* 25. *ff. de adopt. Tiraq. in rep.
leg. si unquam*, verbo *donatione largitus*
num. 96. *DD. hic, et axiom. Barb. lib.* 6. *c.* 3.
axiom. 24. Quod limitant, nisi prohibitio facta 5
sit ob publicam utilitatem, quo casu quis pro-
prium factum potest impugnare, *Tiraq. in d.
l.* 8. *hujus tit.* verbo *revertatur num.* 106.
Sane, si de foro coscientiae loquamur, verius 6
est, donatarium, si sciat aut dubitet probabi-
liter rem donari in fraudem creditorum, te-
neri eum restituere, quantum illi laesi fuerint
ex tali donatione, qui accipiendo cooperatur
actioni injustae damnificativae creditorum; Qui
autem culpabiliter cooperatur actioni injunctae,
cum damno alterius, tenetur ad restituendum.
Ita *Andreas a Matre Dei Carmelita in cursu
theol. moral. tract.* 14. *cap.* 4. *puncto* 5. §. 1.
in fine num. 91.

L. Si donationem. 5.

SUMMARIA

Donatio rite perfecta per rescriptum Principis retractari nequit. num. 1.
Jus parti quaesitum nec Princeps tollere potest. 2.

1 Nec per rescriptum Principis donatio rite
2 perfecta retractari potest, quia jus parti quaesitum per donationem, quod nec Princeps tollere potest, *l.* 4. *supra de emancipat. l. quoties* 2. *supr. de precib. etc.*

L. Velles. 6.

SUMMARIA

Casus legis. num. 1.
Foemina marito juncta de rebus suis paraphernalibus et receptitiis valide contrahit, etiam sine mariti consensu. 2.

1 Mater donavit filio praedium, quam donationem postea vult retractare, et utitur hac ratione: quia donaverat absente marito et reliquis liberis. Sed negatur, revocari posse, quia quod ad essentiam rei non pertinet, illius omissio non vitiat contractum, *hic et l. velamento*
2 4. *supr. de postulando.* Collige: Foeminam marito junctam de rebus suis, scilicet paraphernalibus et multo magis receptitiis valide contrahere etiam sine consensu mariti, *Tiraq. de jure mariti gl.* 8. *num.* 5. *Petr. Barb. in l.* 1. *p.* 1. *num.* 28. *ff. sol. matrim.*

L. His solis. 7.

SUMMARIA

Donatio liberis a matre facta, an et quibusnam conditionibus concurrentibus ob ingratitudinem liberorum revocatur? num. 1. 2. 4.
Donellus *notatur.* 3. 5.

1 Agit de donatione facta liberis a matre, et
haec etiam revocatur ob ingratitudinem liberorum, sed his conditionibus concurrentibus:
I. Si mater ad nuptias secundas non convolaverit, (Nota bene: poenam secundarum nuptiarum, *Mol. d.* 281. *num.* 2.) nec luxuriosam
vitam egerit, quia ita injuria afficit maritum
2 demortuum. II. Ut non possit revocari, nisi
quoad ea, quae filius adhuc tempore litis possidet, quae vero desiit possidere, ut quae vendidit, etc. non possunt revocari, quod *An etiam in aliis revocationibus obtineat?* Quaeritur: Quod *hic DD.* communiter placuit, di-
3 splicet vero *Donello lib.* 14. *cap.* 31. cujus tamen argumenta tanti non sunt, ut a senten-
4 tia communi nos abstrahant. III. Ut mater actionem quidem realem habeat, sed a solo illo, cui donationem fecit, possit revocare, non ab ejus haeredibus, ut nec haeres matris, quod etiam hic generaliter accipimus, in omnibus etiam aliis donationem revocantibus, licet
Donellus dissentiat *lib.* 14. *cap.* 30. Quoniam 5
haec in poenam ingratitudinis statuta, et expirat igitur haec actio poenalis cum vita donatarii et donatoris, si res sit integra, i. e. si non agere vel revocare coepit defunctus, vel se praeparavit, *Molina JCtus de primog. l.* 1. *c.* 9. *num.* 36. *et seq. Gomez. d. t.* 14. *Molina theol. d.* 281. *num.* 3.

Auth. Quod mater.

SUMMARIA

Mater ad secundas nuptias provolans, donationem in filium factam revocare nequit. num. 1.
Limitatur. 2.

Matrem ad secundas nuptias provolantem, 1
non posse revocare donationem in filium factam, dictum *l.* 7. Sed id *Nov.* 22. *c.* 35. sub- 2
limitatur, nisi 1. vitae matris filius insidietur, 2. aut manus impias ipsi attulerit, 3. aut totius substantiae sive omnium bonorum jacturam moliatur. Hae enim injuriae tanti aestimatae sunt, ut etiam mater, ad secunda vota quae provolavit, ob earum unam donationem revocare possit, *Molina d. d.* 281. *num.* 2.

L. Si unquam. 8.

SUMMARIA

Facti species. num. 1.
An patronus propter supervenientiam liberorum, donationem liberto factam retractare possit? 2.
Ratio dubitandi. 3.
Decidendi. 4.
Limitatur. 5.
Quid si donator liberos habeat et postea alios susceperit? 6.
An ad patronum tantum haec lex pertineat? 7.
Quae gratia frequentioris usus dicuntur, non restringunt regulam. 8.
Communis sententia. 9.
Donellus et alii *notantur.* 10.
Quid si liberi postea nati obierint, an reconvalescat donatio? 11.
An donator pater beneficio huic possit renunciare? 12.
Quid si juramentum accedat? 13.
Quantae quantitatis donationem esse oporteat, ut haec lex locum habeat? 14.
An obtineat in donatione ob causam? 15.
An in remuneratoria donatione? 16.
Donatum ob dotem ab extraneo omnino ob supervenientiam liberorum tollitur, non vero a patre donatum. 17.

Patronus liberto donaverat omnia bona sua, 1
vel partem tertiam bonorum, sed postea Patronus ex sua uxore suscepit liberos. Quaeritur: *An propter supervenientiam liberorum re-* 2
tractetur illa donatio? Videtur, quod non, 3
ob regulam *leg. id quod nostrum etc.* 11. *ff. de*

4 *R. J. l.* 20. *supr. de pactis.* Sed Affirm. quia
ex conjectura pietatis paternae praesumitur,
patronum non fuisse donaturum, si nascitu-
ros liberos cogitasset, itaque videtur ea lege
donasse, si non liberi nascentur. Ergo duplex
causa decidendi, 1. favor liberorum superve-
nientium: 2. Conjectura pietatis paternae, *Fin-
ckelth. obs.* 36. *num.* 31. Et ita quidem revo-
catur donatio, ut ipso jure dominium transeat
ad donatorem, et tota quidem donatio irrita
5 existet. Sed hoc declarandum si velit donator,
nam si nolit donator revocatione uti, non ha-
bet haec lex locum per tradita *Riminaldi vo-
6 lum.* 3. *cons.* 254. *num.* 33. Quaeritur autem:
1. *Quid si liberos habeat, et postea alios su-
sceperit?* Resp. Negandum tum revocari do-
nationem, propter verba hic: *Filios non ha-
bens.* Sed talis donatio, si sit inofficiosa, id est,
si legitimam ceaterorum liberorum minuat,
post mortem donatoris revocatur, usque ad
debitum bonorum subsidium, non ex *hac le-
ge;* sed ex *Titulo Codicis de inofficiosis dona-
tionibus, Covarr. lib.* 1. *res. c.* 19. *num.* 1. *et*
12. *Julius Clarus* §. *donatio q.* 22. *num.* 3.
Gutticrez de juram. confirm. p. 1. *c.* 9. *num.*
11. *Molina d.* 283. *num.* 1. *Steph. Fagundez*
7 *lib.* 4. *cap.* 16. *num.* 3. - 2. Sed, *An tantum ad
Patronum* haec lex *pertinet?* Resp. ita videtur
ex ipsa lege colligendum, sed obtinuit senten-
tia negans, quae etiam aequitate utitur, *l.* 30.
supr. de fideicomm. l. 102. *ff. de condit. et
demonstr. l.* 6. *supr. de instit. et substit. l.* 40.
§. 3. *ff. de pact.* quia etiam ratio in donatione
facta extraneo procedit, quae in donatione
facta liberto. Cujus hic procul dubio propte-
rea fit mentio, quia donationes saepe in liber-
8 tos bene meritos fiebant; quae autem gratia
frequentioris usus dicuntur, non restringunt
regulam, *Tiraq. de retr. consang.* §. 20. *gl. un.
9 num.* 6. Et ita sentiunt *DD.* quos allegat Gal-
liarum illud Sydus *Tiraq. in celebri tractat. ad
hanc legem in voce*, libertis, *num.* 41. *et seq.
Molina d.* 282. *num.* 2. *Covarr. lib.* 1. *resol. cap.*
19. *Guttierez d. l. Fagundez d. tr. lib.* 4. *c.* 15.
num. 2. *Finckelth. d. obs.* 36. *num.* 11. *et
10 num.* 19. *et seq.* Quamvis refragetur *Donell. lib.*
14. *cap.* 32 et alii. 3. Sed, *Quid si liberi postea
11 nati obierint, anne reconvalescit donatio?* Ne-
gat recte cum *Bart. Donell. d. l.* per verbum,
revertatur, quod limitandum videtur, nisi do-
nator patiatur frui re donata donatarium etiam
post mortem filiorum, *Molina d. d.* 382. *n.* 8.
ubi ita declarat *Gomezium tom.* 2. *res. cap.* 4.
num. 12. *et Clarum q.* 23. *num.* 9. *et Fagun-
12 dez d. c.* 15. *n.* 9. - 4. Quaeritur, *An huic be-
neficio pater possit renunciare?* Resp. affirm.
quod ex ratione legis rectissime contra *Godofr.*
probat *Hillig. d. cap.* 32. *lit. B.* Sed interim
certum est illud, utut renunciaverit pater huic
juri, non tamen juri liberorum posse eum re-
nunciare, quo minus post mortem patris liberi
inofficiosam donationem arguere, et ita dona-
tionem hanc non totam, sed quantum ad legi-
timam revocare possint. Nam distincta haec sunt
remedia, ut recte *Molina d. d.* 282. *num.* 6. li-
cet permulti *DD.* haec confundant. Vid. *Gomez
d. l. num.* 11. *Guttierez d. c.* 9. *num.* 3. *Fagun-
dez d. l. num.* 7. *Cuno de pactis cap.* 16. *num.*
116. *et seq.* Sed, *Quid si juramentum accedat?*
13 Resp. aut simpliciter juramentum accedit ad
donationem, aut ad renunciationem. Illo casu,
juramentum recepit easdem qualitates seu con-
ditiones, quae in principali sunt contractu, per
l. fin. C. de non num. pecunia, quia ergo haec
conditio, *nisi liberi nascantur*, in hac donatio-
ne subintelligitur, eadem in juramento subin-
telligetur. Sed si renunciatum huic beneficio,
secus est, ubi expresse cogitatum de liberis, et
sic praesumi et subintelligi nequit ea conditio;
salvum tamen est beneficium liberis ex Querela
donationis inofficiosae. Ita perbelle *Molina d. d.*
282. *num.* 7. Sed, *Quantae quantitatis oportet* 14
esse donationem, ut habeat locum haec lex?
Resp. hoc arbitrio boni viri dijudicandum puto.
Donatio enim tantae debet esse quantitatis, quam
si de liberis cogitasset verosimiliter donaturus
non fuerit pater, *Covarr. d. cap.* 19. *num.* 12.
Clarus qu. 22. *num.* 5. *Fagundez d. cap.* 15.
num. 12. Sane in donatione ob causam lex haec 15
locum non habet. *Cephal. cons.* 94. *num.* 3. *et
cons.* 445. *num.* 6. ubi plures refert; nec in re- 16
muneratoria donatione, *Cephal. d. cons.* 445.
num. 7. *Menoch. cons.* 196. *num.* 51. Nec ex
hoc textu argumentum duci posse ad ultimas
voluntates vult *Cephal. cons.* 545. *num.* 70. *et
seq.* Ex dictis apparet, donatum ob dotem ab 17
extraneo omnino ob supervenientiam liberorum
tolli, non vero donatum a patre, quia haec est
donatio ob causam, *Petr. Barb. ad l.* 2. *pr. num.*
166. *et seq. ff. sol. matrim.* si autem mater liberis
donat, licet alii superveniant forte ex secundo
matrimonio, non habet haec lex locum, neque
revocatur haec donatio, nisi usque ad legiti-
mam, *Finckelth. obs.* 60. *per totam, prae-
cipue num.* 26. Plura *de hac lege* dicto peculia-
ri tractatu scripsit *Tiraquellus, Rittershus. in
different. juris civ. et can. l.* 3. *cap.* 21. *et seq.
Schraderus in miscell. cap.* 1. *Donell. l.* 14.
cap. 32. et alii.

L. Donationes. 9.

SUMMARIUM

An parens vel avus liberis aut nepotibus factas donationes revocare possit?

Ne parens quidem aut avus, liberis vel nepotibus etc. factas donationes revocare potest, *hic et l.* 18. *supr. de donat. l.* 2. *h. t.* nisi ingratos se praebuerint liberi, et contra pietatem et officium parenti debitum egerint, ita ut certam causam ingratitudinis in *l. seq.* expressam commiserint.

L. Generaliter sancimus. ult.

SUMMARIA

Causae ingratitudinis quaenam sint, propter quas donatio revocari possit? 1. 2. 3. 4. 5.
An etiam ob alias vel similes causas donatori donationem revocare liceat? 6.
An etiam privilegia ob dictas causas revocari possint? 7.
An revocatio haec etiam competat haeredibus? 8.
An contra donatarii haeredes detur? 9.
Donatio ob non praestita alimenta donatarii revocari potest. 10.

Donatio ob causam et ob merita facta propter ingratitudinem revocari nequit, si merita donationi respondeant. 11.
Revocationi ob ingratitudinem renunciari non potest. 12.
Limitatur. 13.

1 Ob ingratitudinem licet donationem revocare,
sed illae causae ingratitudinis non sunt infinitae,
sed certae sunt, numero quinque I. Si donata-
rius injurias atroces in donatorem effuderit, vel
semel ac nudis verbis, etiam absente donatore,
Molina d. 281. *num.* 2. *Riminaldus vol.* 2. *cons.*
2 134. *num.* 61. II. Vel si manus impias ei attu-
lerit, idest injuriam realem, et quidem sine cau-
sa legitima, secus si ob Reip. aut proximi suive
defensionem, *Mol. d. l. Fagundez lib.* 4. *c.* 14.
3 *num.* 4. III. Vel jacturam bonis ejus vel magnae
4 parti bonorum inferre tentet. IV. Si vitae peri-
culum creet, sive per se sive per alium citra
5 justam causam. V. Si conditionibus donationi
additis non satisfecerit. Atque hoc aequitate e-
tiam nititur; absurdum enim esset, licere res
alienas accipere, et irridere frugalitatem dona-
tionis et damno rerum suarum, et injuria si-
mul afficere donatarium, ut *hic et* §. 2. *in*
6 *fin. Inst. de donat.* Sed, *Anne etiam ob alias si-
miles causas licet revocare donationem?* Ne-
gandum ex textu *hujus legis ult. Molina d. d.*
281. *num.* 8. *Fagundez d. l. num.* 4. Quamvis
DD. vulgo contra, *Clarus q.* 21. *Gomez d. c.*
4. *num.* 14. *Bacch. th.* 7. *lit. C. Molina de jure
primogen. c.* 9. *num.* 32. *Mozzius de contr. tit.
quomodo annulletur donatio. num.* 58. Vid. *Do-
nell. lib.* 14. *c.* 17. et ibi *Hillig. lit. G.* ubi ex
7 aliis monet, etiam privilegia ob dictas causas
revocari posse. De quo *Georg. Acac. Enenckel.*
Baro de priv. lib. 3. *c.* 17. *per totum.* Impera- 8
tor in fine denegat revocationem haeredibus,
quia tendit ad vindictam, sicut etiam actio inju-
riarum, ideoque nec contra ingrati donatarii hae- 9
redes etc. *Riminaldus cons.* 22. *num.* 28. *seqq.*
scilicet, si ob ingratitudinem revocetur dona-
tio, secus si ob non servatam conventionem,
Petr. Barb. ad l. 2. *pr. num.* 134. *ff. sol. matr.*
quia haec in poenam ingratitudinis sunt statuta,
et ideo, ut in caeteris ex delicto actionibus fit,
expirat actio morte delinquentis vel agentis, ni-
si sit praeparata, *arg. l. scimus C. de inoff. te-
stam. Molina d. d.* 281. *num.* 3. Sane ultima in
causa non videtur hoc locum habere, nam hae-
res donatoris omnino agere potest contra dona-
tarium vel ejus haeredem, ut modum impleat,
vel re donata cedat, quia quoad hoc non est
poena, nec delictum hoc in committendo ver-
satur. *Mol. d. d.* 281. *n.* 4. Donationem etiam re- 10
vocari posse, si donatarius alimenta non praestet
donatori pro modo facultatum utriusque et pro
modo rei donatae, praesertim si ex ipsa dona-
tione sit factus inops, *Mozzius d. l.* Donatio sa- 11
ne ob causam, et ob merita non potest ob in-
gratitudinem revocari, *Clarus q.* 21. *num.* 4.
Mol. d. l. num. 12. *Tiraq. ad d. l. si unquam
verb.* Donatione, *num.* 14. *Klock. de contrib.
c.* 16. *sect.* 1. *num.* 185. si merita donationi
respondeant. Vid. *Surdus de aliment. tit.* 1. *q.*
48. *n.* 24. *Perez hic num.* 11. Sed revocationi, 12
quae fit ob ingratitudinem, renunciari non po-
test, quia ad delinquendum invitaret, nisi re- 13
nunciationi additum juramentum, *Mol. d. l.
num.* 10. licet juramentum donationi simpliciter
additum non tollat hanc revocationem, ut in si-
mili in *l.* 8. *h. t.* supra diximus. Vid. *Mol. d.
l. num.* 11.

TITULUS LVII.

De donationibus mortis causa.

L. Si de donatione. 1.

SUMMARIA

Donatio mortis causa quid sit? num. 1.
Haec donatio esse potest, licet nulla mortis mentio facta sit. 2.
Dupliciter fieri solet mortis causa donatio. 3.
Facti species. 4.
Fundo duobus donato, hac conditione, ut mortuo uno ejus pars accrescat alteri, quanam actione alteram fundi partem a mortui haeredibus petere possit? 5.

1 Donatio mortis causa est, quae fit facta men-
tione mortis expressa, *l.* 42. *ff. h. t. Masc. concl.*
626. *Menoch. lib.* 3. *praesumpt.* 25. *Carpz. p.* 3.
c. 1. *d.* 11. *P. Barb. in l. quae dotis* 31. *num.*
2 110. *et seq. ff. sol. matr.* licet donatio mortis
causa esse possit, etsi nulla mentio mortis facta,
ut si inter vivos valere non possit, *Men. l.* 3.
praes. 36. *num.* 7. Conf. *Bacchov. in Treutl. th.*
9. *lit. A. Hillig. in Donell. lib.* 11. *c.* 33. *lit. D.
Tuschus concl.* 651. *et seq. et concl.* 661. Fit
3 autem donatio mortis causa dupliciter, vel ut
statim transeat dominium non insecuta morte
revocabile, vel demum, post mortem adquira-
tur, *l.* 2. *ff. h. t.* Donavit quis mortis causa 4
duobus fundum; hac conditione, ut mortuo uno
v. g. Cajo, ejus pars accresceret alteri, v. g.
Titio. Moritur Cajus, Quaeritur, *Qua actione* 5
*Titius alteram partem fundi a Caji haeredibus
petere possit?* Resp. utili actione ex testamento:
Nam sicut actio datur utilis ex stipulatu, *l.* 3.
supr. de donat. quae sub modo etc. ita utilis fidei-
commissi hic persecutio est, quasi ex testamen-
to vel ultima voluntate, et datur haec actio,
licet Cajus liberos reliquerit, nam *l. generali-
ter* §. *fin. supr. de Inst. et substit.* de filio loqui-
tur, non extraneo.

L. Intestata. 2.

SUMMARIA

Facti species. num. 1.
Quaestio inde resultans: An filia ex priori matrimonio matris suae donationem mortis causa fratri (matris) factam impugnare et Falcidiam exinde possit detrahere? 2.

Limitatur, si ex aliis bonis Falcidiam habere possit. 3.
Donatio mortis causa in quibusnam aequiparetur legatis? 4.
In quibus differant inter se haec duo? 5.

1 Anna, nurus Zoili, marito suo mortuo ad secunda transit vota, et dotem dum dat secundo marito, simul mortis causa eamdem donat dotem fratri, qui etiam in eventum mortis sororis suae reddi dotem sibi stipulatus est, Quae-
2 ritur: *An filia Anna ex primo matrimonio, hanc donationem mortis causa impugnare, et Falcidiam exinde detrahere possit?* Quod Affirm. si legitimam et Falcidiam, ex aliis bonis habere nequeat; nam ex donationibus mortis causa etiam detrahitur Falcidia, *l. si mortis* 5.
3 *et l.* 12. *supr. ad l. Falcid.* Si autem ex aliis bonis Falcidiam habere possit, ex hac dotem non detrahet, qua de re vid. *Carpzov. part.* 3. *jurispr. c.* 1. *def.* 1. *Bacchov. in Treutl. vol.* 2. *disp.* 19. *th. ult. lit. B. Donell. l.* 4. *c.* 33. *Grassus* §. *Falcidia q.* 8. *Gomez d. c.* 4. *num.* 17. *Molina d.* 132. *num.* 2. *Berlich. p.* 3. *concl.* 1. *num.* 39. *Fr. Barry de success. lib.* 15. *tit.* 2. *num.* 9. Ad *l.* 93. *ff. ad Falcid.* resp. *Berlich.*
4 *d. l. num.* 40. Notetur igitur: Donationem mortis causa aequiparari legatis, 1. Quod ambo morte confirmentur: 2. Sola poenitentia revocentur: 3. Insinuatione non indigeant: 4. Requirant quinque testes per *l. fin. h. t* - 5. Ab utroque relinqui possit: 6. Lex Falcidia locum habeat per hanc *l.* 2. - 7. Et jus adcrescendi per *l. un.* §. 14. *C. de caduc. toll.* 8. Dominium ipso jure adquiratur: 9. Utrique substitui possit: 10. Cau-
5 tio Mutiana locum habeat. Differunt vero. 1. Quod donatio mortis causa requirat praesentiam donatarii, et in hoc contractus naturam habeat: 2. A filiofamilias, consentiente patre fieri possit, *l.* 25. §. 1. *ff. h. t.* - 3. Valet haereditate non adita: 4. Accusans testamentum hanc non perdit: 5. Haec extinguitur per reconvalescentiam, ipso jure: 6. Annua donatio una tantum est, *l.* 25. §. *ult. ff. de donat.* Vid. *Schneidew. in* §. 1. *t. de donat. num.* 24. *et seq. Gomez d. t.* 4. *num.* 16. *et seqq. Tiraq. de LL. connub. gl.* 5. *num.* 68. 85. *et seqq. Simon de Praetis l.* 2. *interpr.* 1. *dubit.* 1. *solut.* 12. *Hill. in Donell. lib.* 14. *c.* 33. *lit. E.*

L. Nec fratris. 3.

SUMMARIA

Casus legis. num. 1.
An donatio mortis alienae causa facta subsistat? 2.
Si filius patre permittente mortis suae causa donat, an solius filii morte confirmetur? 3.

1 Habens quis sororem in extremis laborantem donat res suas causa mortis ejus Titio, Quaeri-
2 tur, *An haec donatio mortis alienae causa facta subsistat?* Quod affirmatur *hic et l.* 8. *l.* 11. *et l.* 18. *ff. eod.* quia est hac conditione donatum, si decesserit soror; si vero reconvalesceret, restitueretur, *d. l.* 18. quae conditio nullo jure improbatur, et habet naturam donationis causa mortis. Et ideo pro sua vel aliena morte donatio mortis causa fieri solet. Sed si fi- 3
lius patre permittente, mortis suae causa donet; Quaeritur: An solius filii morte confirmetur? Aff. *hic Glossa.*

L. Cum de mortis causa. ult.

SUMMARIA

Donatio mortis causa nec insinuationem, nec acta, nec praesentiam personarum publicarum, sed tantum quinque testes requirit. num. 1.
An in omni donatione mortis causa quinque testes adhibeantur? 2.
Duos nonnulli sufficere putant. 3.
Communis sententia optima. 4.
Sententia Auctoris. 5.
Tempore pestis duo testes in ejusmodi donatione sufficiunt. 6.
An possit fieri per procuratorem? 7.

Donatio mortis causa aequiparatur legatis, et 1
non requirit insinuationem, nec acta, nec praesentiam personarum publicarum, sed tantum quinque testes, ut ultimae voluntates, *Wesenb. in π. h. t. num.* 6. *Schneid. ad tit. de donat. mortis causa num.* 20. *Carpz. p.* 3. *c.* 1. *d.* 29. Quamvis autem nonnulli negent, in omni do- 2
natione mortis causa requiri quinque testes, sed quinque testes desiderari tantum eo casu, quando donatio est excessiva et superat 500. solidos, quia hic insinuationis judicialis fit mentio, et quod ea donatio excessiva subsistat, si facta coram quinque testibus, sed in genere putant, suffi- 3
cere duos testes secundum naturam contractuum, si praesenti donatario facta sit, ut pluribus hanc sententiam confirmat *Barbosa in l. quae dotis* 31. *num.* 105. *ff. solut. matrim. et Molina de primogen. lib.* 1. *c.* 12. *num.* 16. periculosum 4
tamen est a communi receptaque sententia, quae in genere ad omnem donationem mortis causa factam requirit quinque testes, recedere, sicut ad hanc sententiam probandam semper allegatur *haec lex.* Et licet principaliter sit quaestio in *h. l.* de donatione excessiva; attamen insinuationem et auctoritatem judicialem non requirit, modo quinque testibus sit munita. Ex eo 5
tamen non valide probatur, quod ea sola testes quinque requirat, puto tamen utiliter a Principibus hoc statui in provinciis posse, quod duos testes requirat, et non plures. Tempore pestis 6
etiam coram duobus testibus fieri potest, *Carpz. d. l. d.* 33. Sicut etiam ultimarum voluntatum effectum habet, ut quod substitutionem patiatur in *l.* 1. *h. t.* et Falcidiam, ut *l.* 2. ita nec pos- 7
se hanc fieri per procuratorem, *arg. h. l.* probat *Carpz. d. c.* 1. *def.* 39. et haeredi competere interdictum, quod legatorum utile, *Carpz. d. l. d.* 37. Differt tamen a legatis in multis, ut supra dixi.

TITULUS LVIII.

De infirmandis poenis coelibatus, et orbitatis, et de decimariis sublatis.

SUMMARIA

Poena coelibum de jure veteri. num. 1.
Liberis destitutorum seu orborum poena. 2.
Utraque poena hodie sublata. 3.
Ratio. 4.
Virginitas potius favore, quam poena digna est. 5.

1 Poena coelibum erat olim, quod capere non possent ex donationis mortis causa. Poena or- 2
borum id est, liberis destitutorum, erat haec, quod si maritus uxori orbae, vel haec illi aliquid legaverit, non solidum capiebat legatarius vel legataria, sed decima pars decerpebatur, quae debebatur Fisco. Sed utraque poena est 3
sublata, illa in *l.* 1. haec in *l.* 2. nam ubi nul- 4
lum delictum, ibi etiam nulla debet esse poena, et virginitas potius favore, quam poena digna 5
est. Vid. *Cujac. tom.* 3. *ad hunc tit.*

TITULUS LIX.

De jure liberorum.

L. Nemo posthac. 1.

SUMMARIA

Sensus hujus legis. *num.* 1.
Parentes orbi olim habebant jus liberorum. 2.
Quidnam hoc jure consecuti fuerint? 3.
Hodie illud jus conjugibus omnibus datur. 4.
Donellus *et* Hilliger. *notantur.* 5.

1 Est pars *legis finalis praecedentis tituli*, et est
2 hic sensus: Olim parentes orbi poterant per rescriptum petere, ut haberent jura liberorum,
3 atque ita solidum capere possent, ac si haberent liberos, sed hodie jus liberorum omnibus
4 datum est, id est, omnes conjuges ex testamento conjugum solidum capere possunt, ac si haberent liberos, nec liberi hoc casu desideran-
5 tur. Aliter *Donellus et ibi Hillig. lib.* 2. *c.* 5. *lit. E.* et ab eo citati. Sed hic sensus videtur ex *l. fin. tit praeced.* colligi posse et ei aptius convenire. Vid. *Cujac. ad hunc tit.*

L. Illam injuriam. ult.

SUMMARIA

Quando mater liberis suis olim ex SCto Tertulliano successerit? num. 1.
Hoc correctum, et cur? 2.

Ex SCto Tertulliano mater tum demum ce- 1
debat liberis suis, si esset ingenua et trium liberorum mater, vel libertina quatuor liberorum mater, *pr. Inst. de SCto Tertull.* Sed hoc 2
hic corrigitur et in §. 2. *Inst. d. t.* ubi rationes, quod casum fortuitum praestare non debeat, et quod non peccaverit mater, si tantum unum pepererit etc. Res est clara.

FINIS LIBRI OCTAVI

LIBER IX.

CODICIS

TITULUS I.

De his, qui accusare non possunt.

L. Prius est. 1.

SUMMARIA

Facti species. num. 1.
Quaestio inde resultans. 2.
Concurrentibus duobus delictis de graviori prius est pronunciandum. 3.
Quaestio alia. 4.
Objectio resolvitur. 5.
Qualitas causae ordinariae ordini temporis praeponderat, et ratione dubii eventus litis et criminis majoris supersedendum interim in crimine minori. 6.
Quando duae sunt criminales actiones, et una altera est gravior, haec, si lis in ea nondum contestata sit, prius cognoscenda erit. 7.
Ampliatur. 8.

1 Accusasti Titium de vi privata servo illata,
Titius postea te accusat de homicidio ejusdem
2 servi, quod ipsum occideris, Quaeritur: *Quae
accusatio prius ventilari debeat?* Et videtur dicendum, accusationem primam prius cognoscendam; sed contrarium placet, prius de homicidio a Titio tibi objecto cognoscendum esse. Hoc
3 enim gravius delictum est, de graviori autem
delicto prius pronunciandum, *l. qui cum major* 14. §. 6. *ff. de bon. lib. et l. fin. supr. de ord.*
4 *judic.* Sed *numquid lata sententia, de vi privata
etiam poterit cognosci?* Resp. id ex sententia appariturum, nam si absolveris de homicidio, debes admitti ad probationem violentiae, si vero condemnaris, non modo in capitis deminu-
5 tionem condemnatus sis; sed obstat *l.* 5. *pr. ff.
de publ. judic.* Resp. vel cum *Azone;* quod hic tale crimen erat objectum accusanti, quo probato, prius intendi nequit, vel potius, quod hic lis nondum fuerit contestata, sed illic in *l.* 5. lis
6 contestata. Vid. *hic Cujac.* Nota bene: Qualitatem causae ordinariae ordini temporis praeponderare, et quod ratione dubii eventus litis, et
7 criminis majoris, interim supersedendum sit in
crimine minori. Collige etiam, quando duae sunt criminales actiones, et una est gravior altera, quod haec, si lis in illa nondum contestata sit, prius sit cognoscenda, *Farinac. qu.* 100. *num.* 64.
8 *Cujac. hic*, et hoc maxime procedit, quando
criminalis est praejudicialis alteri, et ex decisione gravioris causae dependet decisio levioris, *Farinac. d. q.* 100. *num.* 60. *et seqq.* Conf. *not. ad l. fin. C. de ord. judic. et ad l. neganda* 19. *h. t.*

L. Si cautiones. 2.

SUMMARIA

Facti species. num. 1.
Duplex quaestio inde deducta. 2.
Objectio removetur. 3.
Abolita hodie inscriptione non opus est cautione. 4.
Nemo alieno nomine accusare potest. 5.
Tutor non praesumitur calumniari, licet falsum crimen intentet, cum necessitas officii ipsum excuset, nisi manifeste appareat calumnia. 6.

Secundinus debebat Eugenio 100. fl. hoc mor- 1
tuo relicto ingenuo filio impubere, hujus tutor Secundinum convenit. Secundinus opponit solutionem, quam probat instrumento aliquo, vel cautione, id est, apoca, qua solutum dicitur esse debitum, quod instrumentum de falso vult accusare tutor, Quaeritur: 1. *An possit, et cu-* 2
jus nomine? 2. *An etiam notetur infamia, si succumbat in probatione?* Resp. ad primum posse, ita tamen, ut proprio nomine se inscribat non alieno, cui obstare videtur *lex Polla* 2. *supr. de his quib. ut indign. et l. tutorem* 22. *ff. de his quae ut indign.* Sed respondeo, ac- 3
cusare quidem tutorem eo casu alieno, scilicet pupilli nomine, id est, in utilitatem pupilli, et ita civiliter; sed criminaliter si velit accusare, ad poenam agere et accusare ipsum debere suo nomine, et inscribere debere se suo nomine ad poenam, quia alium poenae subjicere nemo potest. Sed cum hodie inscriptio illa abolita, non 4
opus est hac cautione, sed quilibet alieno nomine accusare potest, *Farinac. lib.* 1. *de accus. tit.* 1. *quaest.* 12. *num.* 53. Ad secundum resp. Non notari ipsum infamia, nisi manifesta calumnia appareat, quia necessitas officii ipsum excusat. Vid. *Farinac. lib.* 1. *tit.* 2. *quaest.* 16. *num.* 52. Duo ergo ex *hac lege* colliguntur: I. Neminem 5
alieno nomine accusare posse, *l. pen.* §. 1. *ff. de publ. judic. Menoch. de A. J. Q. lib.* 1. *qu.* 79. *Gail. de P. P. lib.* 1. *c.* 10. *n.* 12. *Carpzov. p.* 3. *pract. crim. qu.* 105. *num.* 3. *Farinac. d. qu.* 12. *num.* 51. II. Collige: Tutorem non prae- 6
sumi calumniari, licet falsum crimen intentet, cum necessitas officii ipsum excuset, nisi manifeste appareat calumnia, *Menoch. lib.* 2. *A. Q. casu* 321. *num.* 21 *Petr. Gregor. lib.* 32. *c.* 20. *num.* 3. *Clarus* §. *fin. qu.* 62. *num.* 6. *Farinac. d. qu.* 16. *num.* 53.

L. Qui crimen. 3.

SUMMARIA

De cautione ab accusatore praestanda hic agitur. num. 1.
Jure civili duae cautiones erant praestandae, et quaenam? 2.
Consuetudine quid obtineat? 3. 4. 5.
Poena. 6.
Nostro tempore raro et nisi per Procuratorem Fisci accusatio institui solet. 7.
Deficiente accusatore, inquisitorie per Magistratum proceditur. 8.

1 In *hac lege* agitur de cautione praestanda ab
2 accusatore, et jure civili duae cautiones erant praestandae: 1. Debebat se libello inscribere ad similitudinem supplicii, si succumberet, non tantum in criminibus publicis, sed etiam privatis, quando de iis criminaliter agitur, *l. ult. ff. de furtis, l. ult. ff. de privat. delict. l.* 13. *C. de accusat. l.* 3. §. 1. *et* 2. *ff. eod. Auctor in l.* 7.
3 *ff. de accus. et inscr. num.* 1. Sed ex consuetudine illa inscriptionis necessitas sublata, ne metu propriae salutis quis ab accusando desisteret, et sic crimina manerent impunita, *Auctor in d. l.* 7. *ff. de accus. et inscr. n.* 2. *Clarus* §. *fin. qu.* 12. *n.* 17. *Wesenb. in* ϖ. *de accus. n.* 12. *Dn. Benedict. Carpzov. par.* 3. *pr. crim. quaest.* 106.
4 *num.* 41. Remansit autem altera cautio, scilicet fidejussoria, qua dato fidejussore satisdare debet, de lite prosequenda, et in casum succumbentiae de injuria, nec non de sumptibus resarciendis, *art.* 12. *in pr. der P. H. O. et art.* 15. *Carpzov. d. qu.* 106. *num.* 46. *p.* 1. *jurispr. c.* 5. *defin.* 23. Et nisi hoc statim reperire possit, custodiae tamdiu tradatur, *Auctor in d. l.* 7. *ff. de accus. et inscr. num.* 3. quod tamen ad denunciatorem
5 non est trahendum, *Auctor ibid.* Deinde agitur in *hac lege* de eo casu, quando accusator litem non persequitur; Et resp. hic eamdem fere hoc casu esse procedendi rationem, ut in civilibus, nam per edictum peremptorium citandus est, *l. properandum* 13. §. 2. *supr. de judic.* et si
6 non appareat, extra ordinem puniendus est, *l.* 5. §. 2. *ff. de poenis;* et debet restituere expensas, ut in civilibus, *l.* 4. *supr. de fruct. et litium expensis.* Licet absolutoria sententia restitutionis expensarum nullam faciat mentionem, quia haec condictio ex lege est, ex *constit. crimin. art.* 12. *et seqq. Mevius p.* 3. *dec.* 263. modo necessitas accusandi, nec non justa accusandi ratio a condemnatione expensarum accusatorem non liberet, *Mevius p.* 4. *dec.* 231. ubi id in pluri-
7 bus casibus declarat. Nostro tempore accusatio raro instituitur, nisi per procuratorem Fisci, cui solet per decretum accusatio injungi. Alias
8 nemo regulariter tenetur accusare, sed deficiente accusatore, inquisitorie proceditur plerumque per Magistratum, *Carpzov. pr. crim. qu.* 104. *num.* 50. *et seq.*

LL. 4. 5. 9. et 12.

SUMMARIA

Foemina accusare non potest. num. 1.
Ratio. 2.
Limitatur. 3. 7. 8.
Ut mulier ad accusationem admittatur, quidnam probet? 4.
Limitatio sublimitatur. 5.
Casus. 6.

Regula est: foeminam accusare non posse, *l.* 1
12. *h. t. l.* 1. *et* 8. *ff. de accusat.* quia publico- 2
rum munerum non est particeps, *l.* 2. *ff. de reg. jur.* Accusare autem quasi publicum munus est; Et quia pudor sexus eas non patitur coetui virorum misceri, et quia alias ad querelas et accusationes nimis sunt proclives, *Ant. Matth. ad l.* 48. *ff. tit.* 13. *c.* 1. *num.* 2. *Auctor in l.* 1. *ff. de accusat. et inscript. num.* 1. Sed habet haec 3
regula limitationes suas quarum prima et potissima haec est, si mulier suam vel suorum, id est, consanguineorum vel cognatorum injuriam persequatur, *d. l.* 12. *h. t.* Vid. *Farinac. dicta quaest.* 12. *num.* 16. *Auctor in l.* 1. *ff. de accusat. et inscript. num.* 2. per suos autem intelligimus, in quos invita testimonium non dicit, *l.* 2. *ff. de accusat.* exemplum est in *l.* 4. *h. t.* si consobrini necem velit vindicare. Ideoque, quoties 4
mulier accusare alium vult, primo debet probare, *Auctor in l.* 1. *ff. de accusat. et inscript. num.* 2. nisi sit notorium se eam esse personam, pro qua se gerit, v. g. se esse matrem interfecti, *l.* 9. *h. t.* alias, nisi hoc tamquam praejudiciale punctum probaverit, admittenda non est, *l.* 9. Unde probant regulam: Quod non debeat quis admitti ut talis, nisi prius probet, se esse talem, quam multis exemplis exornant *Auctor in d. l.* 1. *de accusat. et inscript. num.* 3. *Riccius dec. collect.* 306. *Klock. vol.* 2. *cons.* 39. *n.* 241. Sed haec limitatio sublimitatur in *l.* 5. *h. t.* si 5
modo res ad foeminam pertineat, id est, si nullus alius sit, qui illam injuriam velit vindicare. Pone enim: Filium Marcellinae habere tutores, 6
huic filio instrumentum falsum et confictum objectum est a debitore, vel alio in judicio, juxta *l.* 2. *h. t.* hic non opus est, ut Marcellina agat de crimine falsi contra falsarium nomine filii, habet enim hic suos tutores. Si autem tutores 7
nolint, tum demum mater admittitur. Si tamen mulier concurrat cum masculis, et mulier proximiore vinculo juncta occiso, haec praeferenda est in accusatione, *Carpzov. pract. crimin. quaest.* 104. *num.* 49. et mulier hoc casu etiam *Wehrgeldium* petere potest, *Carpzov. d. l. num.* 49. Secunda limitatio, nisi ipsum delictum ita com- 8
paratum, ut specialiter etiam mulieres admittantur, *d. l.* 12. ubi mulier non tenetur subscribere: Sic accusare potest I. In causa annonae, *l.* 3. §. *ult. ff. ad l. Jul. de annona, l.* 13. *ff. de accusat. Auctor in l.* 1. *ff. de accusat. et inscript. num.* 5. II. In causa simoniae, *arg. l.* 31. *supr. de episc. et cleric.* III. Sacrilegii, *l.* 10. *supr. de episc. et cleric.* IV. Si ex l. Cornelia ex testamento falso accuset, *l.* 2. *ff. de accusat.* V. Crimine laesae Majestatis, *l.* 8. *ff. ad l. Jul. Majest. Auctor in d. l.* 1. *ff. de accusat. et inscript. num.* 5. VI. In adulterio mariti sui, *P. H. O. art.* 120. VII. Suspecti tutoris, §. *consequens Instit. de suspect. tut.* VIII. Haereseos, *arg. l. Manichaeos* 4. *supr. de haeret.* De quibus potest videri *Farinac. d. l.* et ab ipso allegati et *Bened. Carpzov. part.* 3. *pract. crim. qu.* 104. *num.* 23. *et seq. Decianus l.* 3. *c.* 7. *num.* 9. *et seqq. Tholos. lib.* 32. *n.* 13. et alii. Ideoque priusquam mulier admittatur, examinandum est,

an tale crimen sit, cujus accusationem mulier subire non prohibetur, *d. l. 12. in fine.*

L. Accusationem. 6. et L. Si ea. 7.

SUMMARIA

Actor accusationi, diffidens probationibus, dupliciter renunciare potest, vel tacite vel expresse. num. 1.
Expresse quomodo? 2.
Quomodo tacite? 3.

1 Contingit interdum, ut actor accusationi inchoatae renunciet, forte diffidens probationibus
2 suis. Renunciat autem vel expresse, si in judicio profiteatur, se discedere ab accusatione, *l.* 6.
3 *h. tit.* vel tacite, si terminum sibi ad processum datum negligat, nec prosequatur accusationem, non tantum, si terminus certus assignetur a judice, quod hic, ut in civilibus, *l.* 6. *supr. de remiss. pignor.* facere potest, *l.* 7. *h. t. Blarer. ad l. diffamari c.* 8. *num.* 5. *et seq.* Sed etiam si intra biennium, tanquam terminum legalem, *l. fin. infr. ut intra certum tempus criminalis etc.* accusationem non prosequatur; utroque enim casu renunciasse videtur accusationi a se institutae, et postea audiendus non est: de poena autem SCti Turpiliani infra dicetur.

L. Non prohibentur. 8. et L. Si crimen. 10.

SUMMARIA

An et quatenus milites ad accusationem admittantur? num. 1.
Jus hodiernum. 2.

1 Milites non admittuntur ad accusationem, quia obstat fides sacramenti, quo jurant, se mortem non evitaturos pro republ. non vero litibus se immissuros, *l.* 8. *ff. de accusat. ibique Auctor num.* 1. *l.* 18. §. 5. *et seqq. ff. de jure Fisci*, nisi suam et suorum injuriam prosequantur, *l.* 8. *et* 10. *h. t.* v. g. consobrini sui, *d. l.* 8. ubi in publicis judiciis, quae tamen non habent formam veterum publicorum judiciorum, sed extraordinaria sunt, *l.* 8. *h. t. et l.* 8. *ff. de publ. jud.* solemnibus tamen inscriptionibus se obligare hoc casu debent secus ac foeminae, *d. l.* 10. Veterani etiam admittuntur, licet deferre non possint, *l. deferre* 18. §. *veterani ff. de jure Fisci*, *Ant. Matth.*
2 *tit.* 13. *c.* 1. *num.* 6. Sed hodie milites de consuetudine admittuntur, ut testatur *Clarus lib.* 5. *sent.* §. *ult. q.* 14. *et Farinac. d. q.* 12. *num.* 14. *Decianus lib.* 3. *c.* 16. *num.* 7.

L. Data opera. 11.

SUMMARIA

Incendii dolosi poena lege Cornelia *statuta. num.* 1.
Quaenam ex Constitutione Carolina? 2.
Extenditur poena, licet tantum rebus damnum sit illatum. 3.

Incendii dolosi poena *lege Cornelia* statuta fuit 1
varia, ut videre est ex *l. capitalium* 28. §. 12. *ff. de poen. l.* 9. *et l. fin.* §. 1. *ff. de incendio etc.* Sed juxta *Constitutionem Carolinam* illi, qui da- 2
ta opera incendium procuraverint, vivi comburuntur, *P. H. O. art.* 125. Idque locum 3
habet, licet tantum rebus damnum sit illatum, ut probat *Carpzov. pract. crim. part.* 1. *q.* 38. *num.* 38.

L. Si magnum. 13. et L. Si sororem. 18.

SUMMARIA

Frater fratrem vel sororem in crimine capitali accusare nequit. num. 1.
Poena accusantis. 2.
Frater egenum fratrem alere tenetur. 3.
Secus in crimine leviori. 4.
Objectio removetur. 5.
Minores, pauperes, et inimici certo modo accusare non possunt. 6.

Frater fratrem vel sororem accusare non po- 1
test, scilicet in graviori crimine, cujus poena est ultimum supplicium vel exilium, *l.* 2. *ff. de publ. jud.* Imo ipse, qui fratrem vult accusare, 2
exilio plectendus est, *l.* 13. *h. t.* quia germano amori nihil est aequandum, et frater fratrem 3
alere tenetur egenum, *Tib. Decian. in pr. crim. lib.* 3. *cap.* 13. *num.* 15. *et seq. Ant. Matth. d. t.* 3. *cap.* 1. *in fin.* sed si crimen sit levius, ac- 4
cusare potest, *l.* 18. *h. t.* Ex his *duabus legibus* probatur; alios, praeter fratres, utcumque sanguine sibi invicem juncti sint, non arceri, *Farinac. q.* 12. *num.* 53. Nec obstat, *l.* 9. *ff. de* 5
susp. tut. quia non vetat cognatos et adfines accusare, si quid gravius admiserint, sed vetat cum infamia vel nota removeri, si quid levius admiserint, ita ut suspiciones magis et mores, quam crimina suspectos fecerint, *Ant. Matth. d. l.* Sic minores item pauperes, et inimici cer- 6
to modo accusare non possunt. Vid. *Auctor in l.* 8. *ff. h. t. per tot.*

L. Propter insidias. 14.

SUMMARIUM

An et quatenus mater filium accusare possit?

Multo minus igitur mater filium accusabit, nisi crimen in ipsam accusatricem sit commissum, per *l.* 14. ubi filius contra matrem insidias struxerat, quem mater nisi materna pietate revocetur, ob id accusare non prohibetur. Excipiunt etiam crimen laesae Majestatis. Vide *Farinac. d. l. num.* 53. *et Decianum dict. cap.* 13. per totum.

L. Criminis. 15.

SUMMARIA

Infames accusare nequeunt. num. 1.
Malus etiam in accusando malus praesumitur, et non potest sustinere poenam calumniatorum, scilicet privationem famae, quam jam antea non habet. 2.
Jure Canon. *quid obtineat?* 3.
Limitatur. 4.
Accusator in probatione criminis succumbens fit infamis. 5.
Poena calumniatoris. 6.

1 Infames accusare non possunt, *hic et l.* 4. *et* 8. *ff. de accusat.* malus enim, etiam in accu-
2 sando malus praesumitur, et non potest hic sustinere poenam calumniatorum, scilicet privationem famae, quam jam antea non habet. Vide *Carpzov. pract. crim. part.* 3. *quaest.* 101.
3 *num.* 36. Et hoc, *Jure* praesertim *Canonico*, extendunt ad infamiam facti, *Farinac. d. l. n.* 17. et *P. Gregor. lib.* 32. *synt. c.* 12. *num.* 5. id limitat cum *Farinacio d. quaest.* 12. *num.* 20.
4 nisi sit crimen exceptum, quod infamis vult deferre, v. g. haereseos, laesae Majestatis, simoniae, fraudatae annonae et simil. nisi etiam infamis suam aut suorum injuriam velit vindica-
5 re, *Farinac. dict. l. num.* 19. Utut autem quis integrae famae sit, infamis tamen fit, si in probatione criminis accusator succumbat, tunc enim
6 calumniari videtur. Calumniatoris autem poena praeter infamiam est etiam arbitraria, *Farinac. lib.* 1. *tit.* 2 *quaest.* 16. *num.* 5. nisi accusator justam habuerit causam litigandi, *l.* 3. *infra de calumniat.* ubi vide.

L. Cum rationibus. 16.

SUMMARIA

An quis duobus reis a se accusatis, adhuc tertium accusare possit? num. 1.
Objectio removetur. 2.

1 Qui duos, pluresque reos accusavit, durante processu accusatorio cum duobus instituto, tertium accusare nequit, *hic et l.* 8. *ff. de accusat. l.* 6. §. *fin. ff. de adult.* idque propterea, ne ex accusationibus quaestum facere videatur, d. *l.* 8. et quod poenae singulis calumniis debi-
2 tae satisfieri non posset. Sed obstat *l.* 12. §. 2. *ff. de accusat.* ubi non nisi unum accusare permittitur, sed ille §. 2. si modo non subest vitium scripturae, quod nobis asserere cum aliis nulla est religio, (Vid. *Cujac. lib.* 6. *obs.* 12. quem laudat *Ant. Matt. d. c.* 1. *num.* 10.) intelligi potest de duobus accusandis in eodem libello: sane si suam injuriam quis persequatur, etiam tertium accusare potest, ut maritus, d. *l.* 6. §. *fin.* vel si maleficium sit connexum, *Decianus lib.* 3. c. 28.

L. Iniquum. 17.

SUMMARIA

Expositus in infantia, eum, a quo educatus fuit, recte non accusat. num. 1.
Educatores habentur loco parentum. 2.
An idem in nutrice et praeceptoribus? 3.
Limitatur regula. 4.

Qui ab alio ab infantia forte quod expositus 1
esset, educatus, illum a quo educatus est, accusare nequit, ratio in accepto beneficio, quia educatores habentur loco parentum, *arg. l.* 1. 2
§. *ult. ff. de obseq. parent. praestan. etc. Decianus lib.* 3. *cap.* 14. *num.* 5. Ubi id ad nu- 3
tricem, et *num.* 6. ad praeceptores extendit. Sed civili actione convenire eum potest, *arg. l.* 11. §. 1. *ff. de accusat. Decianus d. l. et Ant. Matt. d. c.* 1. *num.* 14. *Jo. Petr. Surdus de aliment. t.* 8. *privileg.* 87. *num.* 3. *et seqq.* Ubi 4
id limitat in criminibus exceptis *Martinus Colerus tract. de aliment. lib.* 2. *c.* 5. *num.* 15.

L. Neganda est. 19.

SUMMARIA

Accusatus pendente accusatione accusatorem vicissim de pari vel minori crimine accusare nequit. num. 1.
Limitatur. 2.
Ampliatur. 3.
Sensus prioris regulae. 4.
An uxor homicidii accusata a marito eidem lenocinii crimen referre possit? 5.

Pendente accusatione non potest accusatus ac- 1
cusatorem vicissim accusare de pari vel minori crimine (nam de majori crimine ante litem contestatam potest, ut in *l.* 1. *h. t.*) nisi suam et 2
suorum injuriam prosequatur, alias enim non est audiendus, sed debet prius a crimine sibi objecto se purgare, *hic et c. neganda caus.* 3. *quaest.* 11. Non enim relatione criminis, sed innocentia reus se purgare debet; et ampliatur 3
haec regula in *l.* 5. *ff. de publ. judic.* quod etiam finita accusatione non possit alium reaccusare, si fuerit condemnatus ad amissionem libertatis vel civilitatis, quamvis inchoatas ante delationes implere possit, *d. l.* 5. §. *ult. Ant. Matth. d. c. num.* 8. Sed regulam superiorem *Clarus in* 4
§. *fin. quaest.* 14. *num.* 12. *Decianus lib.* 3. *c.* 24. *et Farinac. d. quaest.* 12. *num.* 23. intelligunt de tali accusato, cujus nomen inter reos est receptum, id est, cum quo lis contestata, nam ante litem contestatam posse accusatorem reconveniri receptum est. Sed et alia hic continetur declaratio, posse scilicet accusatum inscriptiones pendente accusatione deponere, *Decianus d. l. num.* 7. *et* 19. ut tamen suspendatur prosecutio accusationis, donec finita fuit prima causa. Sed quaeritur: An uxor homicidii accu- 5
sata a marito, eidem lenocinii crimen referre possit? Tractans hanc materiam *Petr. Barbos. ad l. viro et uxore ff. solut. matrim. num.* 7. *et seqq.* distinguit, Utrum sit recepta inter reas,

an non: Collata *hac lege cum l.* 2. §. 5. *ff. de adult. et l.* 47. *ff. de sol. matr.* ut illo casu non liceat, hoc vero casu liceat referre quaestionem lenocinii. Nam haec quaestio est de connexo crimine et lenocinium mariti excusat quadantenus uxoris scelus. Nam uxor lenociniis viri videtur seducta, *arg. l. un. C. de raptu virg.*

L. Si quis 20. et L. ult.

SUMMARIA

Qui musaeum apud te conduxit, licite te accusare potest. num. 1.
Familiares quinam h. l. *intelligendi?* 2.
Servi vel liberti dominum et patronum de crimine capitali accusantes non sunt audiendi. 3.
Quomodo puniantur? 4.
Exceptiones a regula. 5.
Hodie severitas ista in servos non observatur. 6.

Servi qui interdum familiares dicuntur, vid. 1
l. 6. §. 5. *supr. de his qui ad eccles. confug. Ant. Matth. d. c.* 1. *num.* 14. (nam absurdum fuerit, si quis musaeum apud te conduxerit, eum non posse te accusare, ideoque per familiares 2
intelligendi, qui reverentiam debent patrifamilias, *Ant. Matt. d. l.*) si dominum, sic etiam 3
liberti si patronum, de capitali crimine accusaverint, non sunt audiendi, sed utrique gladio 4
ultore feriantur, *Auctor in l.* 11. *ff. h. t. num.* 4. Excipitur *in l. pen.* crimen laesae Majestatis. 5
Excipiuntur etiam illi liberti, qui suam suorumque injuriam persequuntur, *l.* 11. *ff. de accusat.* Sed de his videatur *Farinac. d. q. num.* 60. *et Decianus lib.* 3. *c.* 8. *et d. c.* 14. *num.* 10. *et* 17. Sed severitas haec una cum servorum ma- 6
teria in desuetudinem abiit.

TITULUS II.

De accusationibus et inscriptionibus.

L. Eos qui terminos. 1.

SUMMARIUM

Evulsor terminorum finalium quomodo puniatur?

Evulsor terminorum finalium, licet pecuniaria poena plectatur, *l. fin. princ ff. de termino moto;* extra ordinem tamen etiam criminaliter punitur verberibus vel aliis poenis, ratione habita personae vel rei, *hic et l.* 2. *ac l. fin.* §. *fin. ff. de term. mot.* Est ergo poena arbitraria, *Menoch. lib.* 2. *de A. Q. cas.* 393. *num.* 15. *et seq. Coler. dec.* 145. *Ant. Matth. ad lib.* 47. *tit.* 14. *c.* 1. *num.* 1. *Farin. q.* 168. *num.* 91. *Carpz. q.* 83. *num.* 67. nam criminaliter etiam de privatis delictis agi potest, *l. fin. ff. de priv. delict.*

L. Si cuidam. 2.

SUMMARIUM

Quatenus Dominus servum de crimine accusatum defendere possit?

Dominus servum de crimine accusatum defendere potest, etiam per procuratorem, *l.* 11. *ff. de publ. judic.* si satisdationem ejus nomine praestet, *l.* 17. *ff. h. t.* Sed si condemnatus sit servus; non dominus, sed servus poenae subjicitur, nisi poena sit pecuniaria, nam in servum non cadit, *l.* 12. §. 4. *ff. h. t.*

L. Reos. 3.

SUMMARIA

An in criminalibus ex parte accusati procurator admittatur? num. 1.
Intellectus l. 33. §. 2. ff. de procur. 2.

Haec lex pertinet ad illam quaestionem; *An* 1
in criminalibus ex parte accusati procurator admitti debeat? Quod hic affirmari videtur, sed sciendum est, regulariter non admitti, *l. pen. ff.* de *publ. judic.* nisi 1. ut causas absentiae, et sic exceptiones dilatorias opponat, *d. l. pen.* §. 1. nisi 2. esset causa non capitalis, per *l.* 1. *ff. an per alium caus. appellat.* et reus absens esset condemnandus, *leg.* 33. §. 2. *ff. de procurat.* Quam *legem* non de excusatione ab- 2
sentiae, cum *Carpzov. quaest.* 105. *num.* 29. *et Anton. Matth. tit.* 13. *cap.* 4. *num.* 6. sed casu speciali *leg.* 5. *ff. de poenis*, *leg.* 1. §. *ult. ad L. Corn. de sicar. l.* 21. *C. de poenis,* ut in casu statuti, cum *Pacio cent.* 2. *quaest.* 40. *et Hillig. in Donell. l.* 18. *dict. lit. E.* intelligo. Sic si procurator velit innocentiam rei probare, et ad judicem super innocentia rei instruendum admittendus esset defensor, *Jacob. Novell. de defensa in tit. homicida quibus ex causis a poena mortis excusetur num.* 10. *mihi pag.* 351. Et de his exceptionibus *lex haec* intelligenda. Sed vide hac de re prolixe disserentem *Hillig. in Donell. l.* 18. *cap.* 10. *lit. S. et Carpzov. parte* 2. *pr. crimin. quaest.* 105. *per tot. Menoch. l.* 1. A. Q. *quaest.* 80. *Fachin. l.* 1. *cap.* 24.

L. Si accusatoribus. 4.

SUMMARIA

An valeat sententia, qua reus absentibus accusatoribus absolvitur? num. 1.
Sententia lata absente altera parte, est ipso jure nulla. 2
An unus a pluribus accusari possit? 3.
Sententia lata nulla, ipse judex ordinarius adiri potest, ut denuo cognoscat. 4.
Ampliatur. 5.

1 Plures unum accusaverant, sed illis absentibus, sine tamen contumacia, absolvitur reus, Quae-
2 ritur, *An sententia valeat?* Resp. neg. Quia sententia lata absente altera parte, est ipso jure nulla, *l.* 47. *ff. de re judic. et l.* 7. *C. quomodo et quando judex etc. l.* 1. §. 3. *ff. quae sentent. sine appellat.* Ergo non obstante absolutoria, causa denuo apud eundem judicem vel ejus successo-
3 rem ventilanda est. Illud vero solet hic disquiri, quomodo hic unus a pluribus accusari in hac facti specie potuerit, contra *l.* 16. *ff. h. t.* ubi dicitur, unum ex pluribus eligi debere idoneum: quod tum propter processus rationem, inscriptionem, tum, quia in publicis judiciis publicam vindictam prosequimur, receptum, sed Resp. ex aliis *Bacchov in Treutl. vol.* 2. *disp.* 31 *th.* 3. *lit. F.* de eo casu *hanc nostram legem* intelligendam esse, quo plurium interest, ratione communis officii, vel communis injuriae pluribus illatae. Vel accusarunt plures non adversus
4 id opponente reo. Colligitur etiam ex *hac lege;* quando sententia est nulla, ipsum ordinarium judicem adiri posse, ut denuo cognoscat, *Vant. de nullit. tit. coram quo nullitas num.* 9. *item ex defectu jurisdict. num.* 114. *Menoch. lib.* 1. *A. Q.*
5 67. *num.* 2. *et seqq.* imo quando principaliter iterum pronunciari petitur in causa, in qua nulliter pronunciatum, judicem ordinarium necessario redeundum esse *Bart. et* alii quos refert, volunt; sed Vide *Menoch. d. l. num.* 12. ubi ad *hanc legem* respondit.

L. Non ideo. 5.

SUMMARIA

Facti species. num. 1.
An mandato alterius aliquem injurians, solus vel cum mandante simul puniatur?
Turpis rei nulla est obligatio. 3.

1 Titius mandato Caji, mihi injuriam atrocem intulit, convenio Titium, et quidem criminaliter, licet delictum sit per se privatum, juxta *l. pen. ff. de privat. delict.* Titius allegat se man-
2 dato Caji fecisse. Resp. Imperator et Titium et Cajum fecisse injuriam, illum per se, hunc per alium, ideoque utrumque teneri ad poenam eamdem, *l.* 3. §. 4. *et l.* 15. *ff. ad L. Corn. de sicar. l.* 11. §. 3. *ff. de injur. l.* 6. *C. de his quibus ut indignis etc.* ratio in regula *in leg. is damnum* 129. *ff. de R. J.*
3 Turpis enim rei nulla est obligatio, *l.* 6. §. 3. *et l.* 12. §. 11. *ff. Mandati. Clarus* §. *fin. q.* 89. *Carpzov. part.* 1. *pract. crim. quaest.* 4. *Menoch. l.* 2. *A. Q. casu* 352. *Anton. Matth. in prolegom. ad criminalia c.* 1. *num.* 12.

L. Absentem. 6.

SUMMARIA

Casus legis. num. 1.
An de crimine conventus absens condemnari queat? 2.
Absentis poena quaenam? 3.
An absens sententiam ut nullam possit impugnare? 4.
Judex superior, vel qui alias appellatur, super nullitate adiri potest, maxime ubi ex malitia et sordibus inferioris judicis nullitas proveniet. 5.
Nullitatis querela ad superiorem delata, tota causa, et ipsa causae merita ad eum devolvuntur, ut judex super meritis cognoscere, et sententiam confirmare, vel reformare valeat, etiam ex novis actis. 6.

Avidianus absens conventus erat de crimine, 1
et cum se non offerret, in metallum damnatus est: Quaeritur, *An haec condemnatio valeat?* 2
Resp. Quod non; Nam ex veteri jure, *et t. t. ff. et Cod. de requirendis reis, et l.* 4. §. 5. *ff. de re militari,* qui copiam sui non faciebat reus, 3
absens annotabatur, sed inter reos requirendos referebatur: bona ejus obsignabantur, postea edictis adesse jubebatur, si intra annum non aderat, nec absentiae justas causas allegabat, bona in Fiscum cogebantur, et sequebatur infamia, poena vero alia non inferebatur, nisi poena irroganda levior relegatione esset, *l. absentem* 5. *princ. ff. de poenis.* Ideoque quoniam hic processus in hoc casu neglectus, non obstante hac sententia, Avidianus hanc ut nullam 4
impugnare potest coram Praefecto Praetorio, qui non tantum de nullitate, sed etiam de meritis causae pronunciare potest. Quod de annotatione supra dictum, et quod annus expectari debeat, non ita videtur hodie observari, Vide *Farinac. lib.* 1. *qu.* 11. *num.* 3. vers. *praemitto quarto, et num.* 84. *et seq.* Collige ex *hac lege:* I. Judicem superiorem, vel qui alias appellatur, 5
adiri posse super nullitate, maxime ubi ex malitia et sordibus inferioris judicis nullitas proveniet, *Vantius de nullitatibus tit. coram quo nullit. num.* 10. II. Collige: Nullitatis querelam ad 6
Superiorem delatam, totam causam, et ipsa causae merita devolvi ad Superiorem, ut judex super meritis cognoscere et sententiam confirmare, vel reformare valeat, non tantum ex prioribus actis, sed etiam novis. Et sic potest etiam confirmare, *Alex. cons.* 73. *num.* 11. *lib.* 3. *Vant. de nullit. d. t. num.* 12. *Gail. lib.* 1. *obser.* 127. *num.* 1. *Wurms. lib.* 1. *tit.* 24. *obs.* 33. *num.* 2. *Menoch. lib.* 1. *A. Q.* 67. *num.* 8. *et seq. Scaccia de appellat. q.* 19. *remed.* 1. *concl.* 6. *n.* 109.

L. Ea quidem. 7.

SUMMARIA

Sensus hujus legis *juxta nonnullos. num.* 1.
Vera legis *sententia.* 2.
An soli denunciatori credendum? 3.

Nonnulli hunc sensum esse ajunt *legis hujus:* 1
Quando notorium crimen est denunciatum ab irenarchis, tunc sine inscriptione proceditur, sed si non sit notorium, tunc ordinario processu accusationis procedendum. Sed secundum 2
Salyc. et alios, haec est vera sententia *legis:* Quando irenarcha vel stationarius ex officio, vel alius etiam denunciat judici delictum, tunc non opus est inscriptione, nam denunciator non est accusator, sed tantum viam muuit processui in-

quisitionis, Vide *Carpzov. part.* 3. *quaest.* 108. *num.* 54. *et seq.* Judex vero, cui denunciatum est crimen, non statim debet credere denuncianti, sed ante omnia debet inquirere, anne notorium sit illud crimen; si notorium est, id est, si fama publica de eo crimine increbuerit, tunc absolvendus est denunciator, et judex ex officio de ipsius criminis veritate inquirit; sed si non sit notorium, tunc denunciator si probationes suggerere non possit, ob calumniam punietur, *hic et l. divus* 6. *in fin. ff. de custod. reor.* Conf. *Clarus* §. *fin. q.* 7. *Farinac. quaest.* 52. *num.* 171. *et seq.* Frustra ergo hic quaeritur:
3 *An soli denunciatori credendum?* Non omnino ei credendum, ad hunc effectum, ut super notorietate inquiratur, *Socinus in regula* 89. *fallent.* 2.

L. Si quis. 8.

SUMMARIA

Stationarii quinam fuerint? num. 1
An jurisdictionem habuerint? 2.
In processu accusatorio dupliciter proceditur. 3.
Libellus criminalis sine conclusione est libellus. 4.

1 Stationarii erant apparitores in varia loca dispersi, ut Magistratibus, si quid commissum es-
2 set, renunciarent. Hi non habebant jurisdictionem, ergo nec in civilibus, nec criminalibus sunt judices competentes, ergo si quis injuriam sit passus, non apud hos, sed apud Praesidem, vel Magistratum debet querelam suam exponenere, vel libellum accusatorium porrigere. Ex
3 *hac lege* apparet in processu accusatorio posse dupliciter procedi, primo per libellum, deinde per querelam judici oretenus insinuatam, et ad acta a notario relatam, licet alii per querelam intelligant libellum sine conclusione. Sed prius
4 magis placet, nam libellus criminalis sine conclusione est libellus, nam in criminalibus non opus est conclusione, *Gail. lib.* 1. *obs.* 61. *num.* 18. *Obrecht. de libello c.* 11. *num.* 79. et quos allegant *Hillig. lib.* 23. *c.* 3. *lit. D. et Wesenb. in π. h. t. num.* 12.

L. Qui. 9. et L. Si quis. 11.

SUMMARIA

In l. 9. *thesis et regula, in* l. 11. *hypothesis habetur. num.* 1.
Semel de crimine accusatus de eodem iterum accusari nequit. 2.
Secus in aliis criminibus. 3. 6.
Ratio regulae. 4.
Limitatur. 5.
Numerus criminum non tam factorum numero, quam ratione et qualitate aestimatur. 7.
Ex eodem facto saepe plura nascuntur crimina. 8.
Exemplo declaratur. 9.
Quid si de uno delicto reus fuerit quidem accusatus, sed nondum sententia lata, an prioris controversiae finis sit expectandus? 10.
Aliae limitationes regulae num. 2. *traditae.* 11.

In *l.* 9. continetur thesis et regula, *in l.* 11. 1
hypothesis. Regula est *in l.* 9. haec; Qui ob cri- 2
men semel accusatus est, de eodem crimine adhuc accusari non potest, *hic et l. Senatus* 14. *ff. h. t.* de aliis criminibus potest, nam super 3
eodem crimine aut est condemnatus, et tunc 4
non potest semel adhuc condemnari, aut est absolutus, et non potest denuo accusari, *l.* 7. §. 1. *ff. de accusat.* obstat enim agenti exceptio rei judicatae, *l.* 2. *supr. de except. rei judic.* nisi absolutus sit tantum ab instantia seu ab ob- 5
servatione judicii, nam tunc, si novae deducantur probationes, denuo accusari potest, vel si tantum sit exemptus ex reorum numero, ut leges loquuntur, *l.* 3. §. 1. *ff. h. t.* Vide. *Farin. q.* 4. *num.* 23. *Carpzov. part.* 3. *quaest.* 104. *num.* 60. sed declaratur superior regula *in l.* 9. ut de eodem quidem crimine denuo non possit 6
accusari, sed de alio crimine possit, licet ex eodem facto oriatur; pone enim aliquem latrocinium commisisse, et homicidium, de homicidio fuit accusatus et absolutus, hic nihil impedit, quo minus de latrocinio possit conveniri ex *leg.* 9. *et* 11. vers. *vel si id non putaverit etc.* nam hic sententia in uno lata non parit exceptionem in altero, nam numerus criminum non 7
tam numero factorum, quam ratione et qualitate aestimatur; Et sic ex eodem facto plura 8
nascuntur crimina, *Ant. Matth. tit.* 13. *lib.* 49. *c.* 3. *num.* 3. ubi exemplum dat aliud, si quis 9
servum meum contumeliae causa occiderit, vel si quis sororem suam alteri nuptam vitiarit, quia incestus est, et adulterium. Et si quidem accusator coepit accusare, tum de homicidio, tum de latrocinio, de homicidio quidem agi non potest, cum antea de eo actum, sed cogendus est actor probare latrocinium, nisi velit incurrere poenam *SCti Turpiliani*, ne scilicet tanta delicta maneant impunita, quae publice vindicari reipubl. interest, verum si duo illa delicta habeant se ut genus et species, v. g. commisit quis in una persona homicidium et in specie parricidium, et ita quis accusatus sit de homicidio, ex *lege Cornelia*, non potest ex *lege Pompeja* de parricidiis accusari, *Decianus lib.* 3. *c.* 30. *n.* 16. *et* 26. Sed *quid si de uno delicto quidem reus* 10
fuit accusatus, sed nondum sententia lata, anne tunc prioris controversiae finis expectandus est? Resp. *in l.* 9. vers. *judex autem super utroque etc.* Nequaquam, nam de utroque crimine, cum ex eodem facto oriatur, simul cognoscere judex debet, idque favore innocentiae, quia ex defensionibus a reo allatis in uno crimine posset innocentia rei in altero judicio apparere, nam defensio rei est admodum privilegiata, *leg. si non defendatur* 19. *ff. de poenis.* Sed superior 11
regula limitatur I. in *leg.* 11. *princip. h. tit.* ut possit alius eum in priori accusatione absolutum, de eodem crimine accusare, si doceat accusatorem priorem esse praevaricatum, id est, collusisse cum reo, ut is absolveretur, *l.* 1. §. 1. *ff. de praevaricatione, Covarr. lib.* 2. *resolut. cap.* 10. *n.* 1. vers. *tunc demum etc. Maranta part.* 6. *spec.* vers. *et pervenitur aliquando per viam inquisitionis, num.* 50. *Farinac. quaest.* 4. *num.* 13. II. Si alius, qui vult de eodem crimine reum accusare, suam injuriam persequeretur, et probaret, se ignorasse, reum prius ab alio fuisse accusatum, tunc enim ex magna causa admittendus est, *leg. si cui* 7. §. *iisdem* 2.

ff. h. t. Farinac. quaest. 4. *num.* 20. *et seq. Covarr. d. l.* vers. *tertio*, *Maranta d. l. num.* 54. III. Si per abolitionem vel transactionem prior accusatio sopita, *leg.* 11. §. *ult. ff. h. t. Maranta dict. l. num.* 55. *Farinac. dict. loc. num.* 20. IV. Si decessisset prior accusator, et ita absolutus reus, *l.* 3. §. *ult. ff. h. t.* quo tamen casu tantum ab instantia absolvi videtur, ubi alius admittitur intra 30. dies utiles.

L. Qui explicandi. 10.

SUMMARIA

Assessor judicis se facturum promittens, ut judex pronunciet secundum illius voluntatem, poena corrumpentis judicem punitur. num. 1.
Quaenam hujus poena? 2.
Quomodo ulterius assessor talis puniatur? 3.
Quid si assessor in causa sanguinis hoc promiserit accusato? 4.
Quocunque modo sanguinem suum redimere licet. 5.
A fundendo sanguine abhorrere, humanitatis est. 6.

1 Quicunque ex assessoribus judicis accusatori vel accusato promittit, se facturum, ut judex pronunciet secundum illius voluntatem, ille una cum ea parte, quae voluit judicem corrumpere,
2 eadem poena plectitur: quae autem sit poena judicem corrumpentis, Vid. *supr. l.* 1. *et Auth. novo jure supr. de poen. judic. etc.* et praeterea
3 etiam talis assessor ob injuriam judici factam, dum eum corrumpere conatus est, ob solam hanc promissionem fustibus caedendus est, *leg.* 15.
4 §. 30. *ff. de injuriis.* Sed *quid si assessor in causa sanguinis accusato hoc promiserit?* Hic qui-
5 dem accusatus excusatur ob id: Quia licet quocunque modo redimere sanguinem suum, *l.* 1. *ff. de bonis eorum etc.* sed non assessor, nam in accusato est specialis ratio, quae non militat in assessore, sed non absurde dicitur, pro ratione criminis mitigari hic posse poenam etiam
6 assessori, nam humanitatis est a fundendo sanguine abhorrere, ut adeo poena assessori imponenda arbitraria dici queat. Confer. *Menoch. de arbitr. quaest. lib.* 2. *cas.* 344. ubi in genere de promittente victoriam causae et fumi venditoribus agit.

L. Factum. 12.

SUMMARIUM

An bona praecipitantis se ex aedibus, vel taedio vitae, vel ob aes alienum, vel ex impotentia animi a Fisco vindicari possint?

Aliquis se praecipitavit ex aedibus, vel taedio vitae, vel ob aes alienum, vel ex impotentia animi: Quaeritur: *An ejus bona a Fisco vindicari possint?* Resp. Quod non, qua de re *infra tit.* 50. *de bonis eorum, qui mortem sibi consciverunt.*

L. Si quis servos. 13.

SUMMARIUM

An si quis servum accusaverit, non minus se inscribere necesse habeat, ac si liberum accusaverit?

Quaeritur, *An si quis servum accusaverit, non minus se inscribere habeat necesse, ac si liberum accusasset?* Et affirm. *hic et l.* 12. §. 13. *ff. h. t.* ex SCto quodam ibi allegato. Sed hodie, ut supra dictum, inscriptionis necessitas sublata.

L. Singuli. 14.

SUMMARIA

Judex in causis criminalibus neque aliorum judicum relationibus, nec instrumento a notario confecto, aut aliis literariis documentis, nec denunciationibus honoratissimorum virorum credere, sed ipse in veritatem facti inquirere debet. num. 1.
Ratio. 2.
Notariorum hac ex parte officium. 3.
An crimina documentis probentur? 4.

In criminalibus causis judex non debet crede- 1
re aliorum judicum relationibus, ut nec instrumentis a notario confectis, aut aliis literariis documentis, nec debet fidem habere denunciationibus etiam virorum honoratissimorum: sed ipse
debet in veritatem facti inquirere. Ratio, *in l.* 2
fin. C. de probat. Nam catenus tantum denuncianti, de fama testanti, creditur, ut porro inquiratur. Vide *l. ea quidem* 7. *h. t.* quia non omnes fide bona elogia compertum est scribere, et ideo qui cum elogio mittuntur, ex integro audiendi et examinandi sunt, *l. Divus* 6. *ff. de custod.*
reor. Hic notarii monentur, ut fideliter dicta 3
accusatorum et testium consignent, nec quicquam omittant, quod etiam ad defensionem reorum quomodocunque facere possit. Huc
pertinet Quaestio: An crimina documentis pro- 4
bentur? de quo alibi. Vid. *Mascardus de probat. concl.* 461. *per totam, et notata ad l. ult. C. de probat.*

L. Tunc convenit. 15.

SUMMARIA

In causis civilibus licite intervenit procurator ex parte actoris. num. 1.
Secus in criminalibus ex parte accusatoris. 2.
Ratio: Licet accusator sit persona potentior. 3.
Jus hodiernum. 4.

In causis civilibus licite intervenit procurator 1
ex parte actoris (nam quid ex parte accusati
obtineat, ad *l.* 3. *supr.* dictum est); sed non in 2
criminalibus ex parte accusatoris, licet accusator esset persona potentior. (Vide tamen *leg. penult. et Auth. seq. supr. de procurat.*) Ratio

3 hic in textu: Quia accusator, licet potentior,
debet tamen se inscribere ad poenam talionis,
et debet in custodia detineri, *l. ult. h. t.* Sed
4 quia inscriptionis necessitas est sublata, ideoque
hodie ex parte accusatoris indistincte admittitur
procurator, *arg. art.* 12. *P. H. O.* Vid. *Carpzov.*
p. 3. *q.* 105. *et seq. Menoch. de A. Q. q.* 79.

L. In causis criminalibus. 16.

SUMMARIA

Forma libelli accusatorii sive criminalis num. 1.
Ant. Matth. *notatur.* 2.
An judex recipiens, an vero accusator offerens ineptum libellum puniatur? 3.

1 Hic et in *l.* 3. *ff. h. t.* explicatur forma libel-
li accusatorii seu criminalis. Nam libellus sive
querela criminalis (*mündliche oder schrifftliche
Anklage*), debet continere 1. Nomen accusan-
tis, 2. Nomen accusati, 3. Nomen Judicis, 4. Cri-
men cum omnibus circumstantiis, temporis sci-
licet et locorum, quamvis diem et horam ad-
dere non sit necesse, *d. l.* 3. *pr.* nisi scilicet Ju-
dex ob certam causam diem scire desideret,
utpote si dies et circumstantia augeat delictum
vel minuat, nam hoc ad defensionem accusati
exprimere accusator tenetur, *Clarus §. fin. qu.*
12. *num.* 13. *Gail. lib.* 1. *obs.* 64. *num.* 12. *Ant.
Padilla ad l.* 4. *C. de div. rescript. num.* 17.
Dn. Carpzovius l. 2. *resp.* 65. *num.* 17. licet re-
2 fragetur *Ant. Matth. lib.* 49. *tit.* 13. *c.* 56. *n.* 6.
Deinde etiam exprimendae omnes qualitates deli-
cti, cum qua persona, etc. Ratio autem est, quia
in criminalibus, ut probationes debent esse luce
meridiana clariores, ita etiam libellus debet esse
3 maxime perspicuus. Additur hic poena; Sed id
ambiguum est, utrum judex recipiens ineptum
libellum quinque Libris sit mulctandus, an vero
accusator offerens; Resp. illud videri, quia loqui-
tur lex de iis, qui ex officio secretarium judicii
ingrediuntur. Hi autem sunt judices vel adses-
sores.

L. Accusationis ordinem. ult.

SUMMARIA

Ille qui accusatur, pro nocente statim habendus non est. num. 1.
Quomodo accusator procedat, et ad quid se obliget? 2.
Consuetudine quaenam poena obtineat? 3.
Quomodo puniatur accusator falso calumnians? 4.
Quid si reus crimen fateatur, sed nominet socios, forte quod ob ejus socii dignitatem impunitatem speret, aut quod ejus sit hostis, vel alia ex causa legibus prohibita? 5.
Deciditur per varias distinctiones. 6.
Nominationis hodiernae de Constitutione Caroli-na *requisita.* 7.

Primo *haec lex* dicit, non statim aliquem pro 1
nocente habendum esse, qui accusatur. Si enim
accusare sufficit, quis innocens erit? Accusator 2
ergo primo ipse debet in judicium venire, Vid.
l. 15. *h. t.* nomen deinde accusati indicare, et
alia secundum legem praecedentem agere, po-
stea in casum succumbentiae ad similitudinem
poenae ordinariae se inscribere et obligare, *l.*
3. *ff. ad Turpilian. l. fin. ff. de privat. delict.*
et eodem modo carceri mancipetur, nisi obstet
dignitas ejus, *hic et l.* 1. *ff. de custod. reor.*
Quod tamen de consuetudine non observatur, 3
et si calumniatus fuerit, similitudine poenae ple- 4
ctitur, qualem meritus fuisset reus, si con-
demnatus fuisset, *hic et l. fin. infr. de calumniat.*
Sed quid si reus confiteatur crimen, sed nomi- 5
net socios, forte quod ob ejus socii nominati di-
gnitatem speret impunitatem, aut quod ejus esset
hostis, vel alia ex causa legibus prohibita? Re-
sp. ipsum non esse audiendum; Cum de se
confessus de aliis interrogari non debeat, mul-
to minus, si sponte alios nominet, ipsi creden-
dum est, cum etiam testis sponte deponens sit
suspectus. Sed cum hic contrariae leges aliae 6
esse videantur, ideoque cum *Salyceto hic* di-
stinguere possumus, utrum persona accusata sit
servilis conditionis, et tunc de socio vel man-
dante, *l. fin. ff. ad exhibend.* interrogandus, quia
tales personae non solent sine mandato gran-
de aliquid moliri. Si vero sit liber, tunc subdistin-
guendum est, primo inter regulam, et exce-
ptiones; regula est: Quod de sociis non sit in-
terrogandus; sed exceptio est in criminalibus
nonnullis exorbitantibus, *arg. c.* 1. *X. de conf.
Clarus §. ult. qu.* 21. *num.* 3. *Farinac. qu.* 43.
num. 56. et quos citat *Carpzov. in pr. crim. qu.*
121. *num.* 24. *et seq.* Deinde distinguendum,
utrum delictum possit sine sociis committi, an
non. Nam hoc casu, v. g. si sit latro, interro-
gandus est de sociis, *l.* 10. *supr. de furtis, l.* 6.
ff. de custod. reor. illo casu non, nisi in venefi-
cio, *l. fin. infr. ad l. Corn. de sicar. Farin.
d. qu.* 43. *num.* 107. *Carpz. d. l. num.* 27. *Ant.
Matth. tit.* 13. *c.* 3. *num.* 15 distinguit inter
sponte confessum, cui de sociis fatenti, non
facile credendum, cum tamen temere de aliis,
quam de se confessurus praesumatur, et inter
convictum. Sane fatenti de socio non facile si-
ne juramento, vel tortura crederem, quia dum
de alio deponit, fungitur vice testis, cui sine
juramento vel tortura vix creditur, *Clarus d.
qu.* 21. *num.* 10. *et seqq.* Hodie ex *Constitutione* 7
Carolina P. H. O. art. 31. nominatio, quan-
do scilicet ad interrogationem judicis licite facta
est, ut indicium faciat, contra nominatum, de-
bet habere haec requisita: 1. Ut reus non in-
dividuo, sed in genere de socio fuerit interro-
gatus: 2. Ut interrogetur de loco et tempore.
3. Ut judex inquirat, aut reus habuerit inimi-
citias cum nominato: 4. Ut in nominatum ca-
dat talis suspicio: 5. Ut reus in nominatione ea
constans persistat. Vide haec requisita ulterius
explicantem *Carpz. part.* 3. *practic. crim. quaest.*
121. *num.* 20. *et seqq.*

TITULUS III.

De exhibendis et transmittendis reis.

L. Si miles. 1.

SUMMARIA

Quinam sit Judex competens militum in causis criminalibus? num. 1.
Deciditur distinguendo. 2.
Quinam sit clerici Judex in ejusmodi causis? 3.

1 Quaestio hic est de Judice militum competenti in causis criminalibus. Et quidem communis distinctio *Doctorum*, ut *Saliceti hic*, et *Vincentii de Franchis decis.* 88. *et Deciani in tr. crim. l.* 4. *c.* 17. *num.* 5. *et* 7. *c.* 15. *num.* 2. *Ant. Matth. in l.* 48. *tit.* 13. *c.* 5. *num.* 12.
2 *Carpzov. p.* 4. *const.* 9. *def. ult.* haec est: Aut est delictum militare, et tunc tantum conveniendus est coram Magistro militum, aut est delictum commune, et aut est enorme et gravius crimen, et tunc ipse Magistratus, ubi miles deliquit, eum potest punire, *l. fin. ff. de accusat. l.* 1. *C. ubi Senatores etc.* aut est delictum levius, et tunc causae cognitio est Praesidis, sub quo deliquit; sed puniendus remitti debet ad Magistrum militum, *hic et l.* 9. *l.* 11.
3 §. 1. *ff. de re militari.* Hoc etiam *DD.* extendunt ad clericum, quod scilic. laicus ob delictum commune ipsum capere, sed Episcopo repraesentare debeat etc. de quo agit *Decianus lib.* 4. *c.* 9. *per tot.*

L. Nullus. 2.

SUMMARIA

Sensus legis. *num.* 1.
Reo extra provinciam, in qua deliquit, degente, Praeses ad Praesidem ejus provinciae, ubi commoratur, scribere, missoque officiali petere potest, ut ad se remitteretur suppliciis legitimis subjiciendus. 2.
Carceratus in casu innocentiae et absolutionis, etiam non expectata sententia, licet de poena agatur corporali, relaxari debet sub fidejussoribus. 3.
Secus hodie. 4.

1 Reus accusatus carceri mancipandus quidem est, sicut et accusator; sed in vincula compingendus non est, nisi prius convincatur. Et si reus ex longinquo accersendus, accusator se debet inscribere, et obligari ad similem poenam, et postea, antequam reus reducatur, permittendi ipsi sunt 30. dies, ut disponat familiam suam, et officialis, qui debet accusatum exhibere, non debet nundinari, id est, tempus aliis
2 negotiis in itinere terere; Si enim reus extra provinciam, in qua deliquerat, degebat, poterat Praeses scribere ad Praesidem ejus Provinciae, ubi commorabatur, missoque officiali petere, ut ad se remitteretur supliciis legitimis subjiciendus, *l.* 7. *ff. de accusat. et inscript.* Alias ex *hac lege* et ejus verbis finalibus solent pro- 3
bare; Quando carceratus esset in casu innocentiae et absolutionis, quod tunc etiam non expectata sententia, licet de poena agatur corporali, relaxari debeat sub fidejussoribus, *Auctor in l.* 1. *ff. de custod. et exhib. reor. num.* 11. *Clarus* §. *fin. qu.* 46. *num.* 10. *Farin.* plures citans *q.* 33. *num.* 65. *Gomez tit.* 3. *c.* 9. *num.* 7. Sed remissio illa, de qua agit *haec lex*, hodie 4
non est necessitatis, sed arbitrii. De quo alibi.

L. Neminem. ult.

SUMMARIA

Nemo ut reus exhiberi debet, nisi judex hoc jusserit. num. 1.
Duo casus excepti. 2.
Captus in flagranti crimine intra 20. *horas judici est exhibendus.* 3.
Exhibens reum et incarcerationem petens, judici quomodo caveat? 4.
Executio citationis per nuncium judicii ad solam instantiam partis absque commissione judicis facta nullius est momenti, et citatum non constringit. 5.

Nemo ut reus exhiberi debet, nisi judex hoc 1
jusserit: excipiuntur duo casus: I. Ubi mea in- 2
terest, v. g. si furem exhibeam, *l.* 56. §. 1. *ff. de furtis*, vel debitorem fugitivum, *l.* 10. §. 16. *quae in fraudem credit.* vel adulterum, *l.* 25. *pr. ff. de adult.* quod ideo placuit, quia in mora periculum, et facit hoc ad convincendum reum. II. Ubi lex ipsa id permittit, ut latrones et grassatores nocturnos, item desertores militiae, quilibet capere et exhibere possit, *l.* 1. *et* 2. *supr. quando liceat unicuique sine judice etc.* Idem in crimine falsae monetae, *l.* 1. *infr. de fals. monet.* idque suasit horum criminum contra rempubl. directo commissorum atrocitas. Et id in omni, 3
qui in flagranti crimine deprehenditur, locum habere videtur, *Gail. l.* 1. *obs.* 51. *num.* 3. Sed ita captus intra 20. horas judici est exibendus, *d. l.* 25. de quibus casibus videatur *Farinac. lib.* 1. *tit.* 4. *quaest.* 27. *num.* 23. Qui autem exhi- 4
bet reum, et incarcerationem petit, debet cavere judici de indemnitate praestanda, et de prosequenda accusatione et de sumptibus processui et alimentis carcerato porrigendis, *art.* 13. *Const. Carol. Mevius part.* 3. *dec.* 109. *Auctor in l.* 1. *ff. de custod. et exhib. reor. num.* 13. Generalius ex *hac lege* probant, executionem 5
citationis per nuntium judicii ad solam instantiam partis absque commissione judicis factam, nullius esse momenti et citatum non constringere, *Gail. lib.* 1. *obs.* 48. *num.* 12. *et obs.* 54. *num.* 1. *Ummius ad proc. d.* 5. *num.* 59.

TITULUS IV.

De custodia reorum.

L. In quacunque causa. 1.

SUMMARIA

Reus de quaestione criminali accusatus, vel in quem judex ex officio inquirit sub fida custodia quidem est detinendus, neque tamen carceri obscuro et tetro, sed claro includendus. num. 1.
Si reus nocturno tempore carceri obscuriori ad tutiorem custodiam includatur, vigilum numerus duplicari debet, orto tamen die ad clariorem carcerem reducatur. 2.
Qui reos subterraneis carceribus de die includunt, habentur pro homicidis. 3.
Carceratus in compedibus aut manicis ferreis detineri non debet, nisi ubi necessitas postulaverit. 4.
Mala hac in parte Magistratuum consuetudo est in pagis, qui indistincte compedibus includunt reos. 5.
Eorum poena. 6.
Qualitas carceris vel mitior vel durior pro causae gravitate et personae aequalitate aequi judicis arbitrio assignanda committitur. 7.
A subterraneis et horribilibus carceribus judex abstinere debet. 8.
Constitutio Carolina. 9.

1 Sive judex contra reum procedat per accusationem, sive ex officio per inquisitionem, quaestio criminalis, si potest, mox terminetur, si non potest, reus interim sub fida custodia detinendus est, non vero debet includi carceri
2 obscuro et tetro, sed claro; et si forsan tempore nocturno carcerati ad tutiorem custodiam in obscuriore carcere includendi siut, vigilum numerus duplicari debet, orto tamen die ad clariorem carcerem reducantur, ut a lumine
3 solari vegetentur; ideoque qui subterraneis carceribus miseros de die includunt, pro homicidis habendi. Carcer enim non debet esse poe-
4 na, hoc scilicet casu, sed custodia, neque carceratus debet detineri in compedibus aut manicis ferreis, nisi ubi necessitas postulaverit. Videatur *Farinac. d. quaest.* 27. *num.* 86. *et seqq. Carpzov.*
5 *part.* 3. *quaest.* 111. *num.* 44. *et seq.* quamvis hodie in pagis Magistratus quidam indistincte compedibus includant reos, si forte custodes adhibere nolint, ut sumptibus parcant. Sed id
6 severe prohibendum est judicibus inferioribus sub poena amittendi meri imperii. Punitur etiam hic Stratorum et Commentariensium crudelitas
7 in miseros captivos. Colligitur ex *hac lege:* Qualitatem carceris, vel mitiorem vel duriorem pro causae gravitate et personae qualitate, arbitrio aequi judicis adsignandam committi, *Farinac. d. quaest.* 27. *num.* 99. *et seqq. Menoch. lib.* 2. *A. Q. casu* 305. *num.* 1. et hos laudans *Finckelthaus obs.* 4. *num.* 6. *Carpzov. pr. crim.*
8 *quaest.* 111. *num.* 50. A subterraneis tamen et horribilibus carceribus judex debet abstinere, per *hanc legem, et art.* 11. *Constitutionis Caro-* 9
linae, qua in parte saepe graviter delinquunt avari, barbari ac omnis humanitatis obliti judices, de quo *Carpzov. d. quaest. num.* 45. *et seq.* forte digni poena talionis.

L. Si quis. 2.

SUMMARIA

Multae hujus legis *propter obscuritatem interpretationes. num.* 1.
Communior interpretatio. 2.
Confessioni rei tormentis vel carcere extortae non est standum. 3.
Quid praeter hanc requiratur? 4.
Circa reum tortum quomodo procedatur? 5.

Obscurior lex est, ideoque multas habet lectu- 1
ras, sive interpretationes, ut notat *Salyc.* Com- 2
munior est interpretatio; quod reus confessus vel convictus possit in carcere bene custodiri, sed non standum esse ejus confessioni, tor- 3
mentis vel carceratione extortae; Ratio in *l.* 1. §. 17. *ff. de quaestionibus.* Verum opus est, ut reus apud acta audiatur a 4
judice, et interrogetur, an in ea confessione, quam ante paucos dies ediderat, perseveret: Debet enim post unum alterumve diem reus tor- 5
tus in locum liberiorem educi, et in judicio sisti, ut confessionem in tortura factam ratificet: convenit etiam *P. H. O. art.* 56. Et antequam ita denuo interrogetur, reus in judicio non potest condemnari; Vide plura hac de re apud *Carpzov. part.* 3. *quaest.* 126. *num.* 17. *et seqq. et Zanger. de quaest. c.* 5. *num.* 71.

L. Quoniam. 3. et Auth. Hodie.

SUMMARIA

Mulieres in eodem carcere cum viris includi non debent. num. 1.
Mulieres propter civile debitum incarcerari plane nequeunt, sed per viros defendantur, aut executio in earum bona decernatur. 2.
Quid si de mulieris crimine agatur? 3.
Limitatur regula num. 2. *posita in criminibus gravissimis.* 4.

Mulieres secundum *leg.* 3. non debent cum 1
viris in eodem carcere includi, sed debent habere separatum carcerem. Quod *Justinianus in* 2
Nov. 134. corrigit ita, ut mulier propter civile debitum plane non posssit incarcerari, sed debet per viros defendi, aut executio in ejus bo-

3 na decerni; Sed si de crimine agatur, debet fidejussoribus committi, si vero crimen sit atrox et grave, in monasteriis debet custodiri, *Ant.*
4 *Matth. lib.* 48. *tit.* 14. *c.* 2. *num.* 3. Quod tamen in gravissimis criminibus non attendi, sed mulieres etiam separatis conclavibus incarcerari notat *Farinac. lib.* 1. *tit.* 4. *quaest.* 27. *num.* 52. Conf. *Carpzov. part.* 3. *pract. crim. quaest.* 111. *num.* 40. *seqq. Clarus* §. *fin. qu.* 28. *num.* 3.

L. Ad Commentariensem. 4.

SUMMARIA

Sensus legis. *num.* 1.
Commentariensis eadem poena, qua condemnatus, dolo vel ejus culpa lata aufugiens tenetur. 2.
Durum hoc videtur Wesenbecio. 3.
Obstans l. 8. ff. h. t. *resolvitur.* 4.
Aequior Carpzovii *hac in parte sententia et in praxi observanda.* 5.

1 Quando ille, qui jam ad certam poenam condemnatus est, (nam de hoc loqui legem patet ex verbis: *cui obnoxius docebitur fuisse*) et
2 dolo Commentariensis, id est, ejus, qui carceri praefectus est, vel lata, et nimia ejus culpa carceratus aufugerit, tunc Commentariensis eadem poena afficiendus est, qua affici debuit, qui car-
3 ceratus est. Quamvis autem hoc durum videatur *Wesenbecio in* π. *ff. h. t. num.* 4. rationi juris tamen est conveniens: Nam hanc securitatem po-
4 scit vigor publicae disciplinae. Sed obstare videtur *lex* 8. *ff. h. t.* ubi officio judicis plectendus. Resp. ibi non praecise de dolo sermonem esse, nec de condemnato, sed tantum incarcerato, ideoque poena in specie statui nequit. In *l.* 12. *et ult. ff. h. tit.* non tantum de dolo, sed etiam lata culpa sermo est, ideoque si non supina negligentia Commentariensis damnatus effugerit, poena erit arbitraria. Vide hanc regulam cum suis ampliationibus et limitationibus apud *Farinac. lib.* 1. *tit.* 4. *quaest.* 31. *per tot.*, et *Gilhaus. in arbore criminali cap.* 3. *part.* 1. *num.* 33. *Menoch. lib.* 2. *arb. quaest. casu* 302. *Boss. in tit. de carcer. num.* 10. *Clar.* §. *fin.*
qu. 68. *num.* 8. Sed aequior mihi visa est sen- 5
tentia *Carpzovii* et in praxi ideo observanda, scilicet si negligentia etiam supina custodis elabatur reus, quod tunc Commentariensis arbitrarie sit puniendus, si vero dolo et pecunia corruptus id faciat, quod non eadem poena capitali, quam ipse reus meruit, sed fustigatione plecti debeat, *Carpzov. in pract. crim. qu.* 111. *num.* 105. *et seqq.* Et sic a nimio rigore *hujus legis* juste in judiciis recessum esse puto.

L. De his. ult.

SUMMARIA

Carceratorum causae velociter terminentur, et cur? num. 1.
Praefectus carceri de quonam moneat judicem criminalem? 2.
Poena ejusmodi Commentariensis negligentis. 3.
Judicis poena. 4.
Observatur hoc adhuc in Hispania et Mediolani. 5.

Causae carceratorum debent velociter termi- 1
nari, ut cito vel absolvantur, vel condemnentur, ne diuturno carcere macerentur, et carceri
praefectus debet singulis mensibus potestati seu 2
judici criminali suggerere carceratorum nomina et crimina et aetatem et ordines, et quae alias judicem scire oportet, nec carcerati ali-
cujus causa oblivioni tradatur. Commentariensis 3
hoc negligens 20. libris auri mulctetur, aerario
Principis inferendis, judex vero carceri praefe- 4
ctum non monens 10. auri libris mulctatur, et
praeterea dignitate exuitur. Et hoc in Hispania 5
adhuc observari testatur *Gomez t.* 3. *res. c.* 9. *num.* 7. et Mediolani, ut testatur *Clarus* §. *fin. qu.* 46. *num.* 4.

TITULUS V.

De privatis carceribus inhibendis.

L. Jubemus. un.

SUMMARIA

Poena privati criminosum aliquem in carceribus privatis, vel compedibus, vel vinculis tenentis, et quale crimen committat? num. 1.
Magistratuum et officialium officium quodnam? 2.
In quibus casibus jure civili propria auctoritate aliquem capere licet, in iisdem etiam casibus in suis aedibus usque ad 20. *horas detinere licet.* 3.
Limitatur regula num. 1. *data.* 4.
Observantia fori hodierni. 5.

1 Si privatus, nullam habens jurisdictionem, criminosum aliquem in privatis detineat carceribus, vel etiam compedibus tantum, vel vinculis, ut recte hanc regulam ampliat *Farinac. lib.* 1. *tit.* 4. *quaest.* 27. *num.* 11. tenetur crimine laesae Majestatis, et ultimo supplicio est afficiendus, quia merum imperium sibi usurpat; usurpatae autem jurisdictionis crimen, laesae Maestatis est, *l.* 3. *ff. ad l. Jul. majest.* Tenetur praeterea ad damna restituenda carcerato, *Farinac. d. l. num.* 10. Et Magistratus omnium 2
locorum, ut et officiales, diligenter debent providere, ne talia atrocia scelera maneant impunita, sed tales homines velociter opprimantur, scituri si hoc neglexerint, nec officiales re comperta Magistratum monuerint, crimini laesae
Majestatis etiam se fore obnoxios. Limitant ta- 3
men *Doctores* hanc regulam: I. In quibus casibus jure civili propria auctoritate aliquem licet capere, ut iisdem etiam casibus liceat detinere in suis aedibus, usque ad 20. horas; Vide

supr. l. 3. *de exhibendis reis*, et *Farinac. d. l. num.* 21. *et* 23. II. Limitatur: In carcere monastico, et domestico, quo monachi, scholastici, et liberi correctionis gratia detinentur, *Farinac. d. l. num.* 25. III. Nisi consentiente id carcerato, ob certas causas fiat, *Farinac. d. l. num.* 30. IV. In bannito, quem etiam occidere licet. Verum superiorem severitatem ultimi sup- 5
plicii observantia temperavit, ut hodie privatum carcerem usurpans, poena teneatur arbitraria, ut ex *Claro* §. *fin. qu.* 68. et aliis notat *Farinac. num.* 35. ubi in fine monet, ab hac observantia recedendum non esse, et *Carpzov. part.* 1. *qu.* 41. *num.* 129.

TITULUS VI.

Si reus vel accusator mortuus fuerit.

L. Etsi Marcellus. 1.

SUMMARIA

Mors accusati, vel inquisiti non solum accusationem et inquisitionem, sed etiam ipsum crimen extinguit. num. 1.
Exemplo declaratur. 2.
Objectio removetur. 3.
Limitatur varie regula num. 1. *proposita.* 4.
In corpus haeredis mortuo delinquente saevire regulariter non licet. 5.
An lite contestata etiam poena pecuniaria regulariter ad haeredes transeat? 6.
Quid si facinorosus ipso jure poenam confiscationis incurrerit, vel pecuniariam? 7.
Nec in cadavera saevire licet. 8.
Limitatur. 9.

1 Quae secundum *Godofredum* est *l.* 2. regula est: quod mors accusati vel inquisiti non solum accusationem et inquisitionem, sed etiam crimen ipsum extinguat, *l.* 6. *ff. de publ. jud. l.* 10. *ff. ad SCtum Turpil.* haeredes enim non tenentur: Ratio in *l.* 22. *sancimus C. de poenis.* Quae
2 regula hic declaratur. Pone enim, Marcellum cum uxore et cum Antonio de crimine falsi ac-
3 cusatum esse; Nec enim obstat *l.* 16. *supr. de his, qui accusare non poss.* cum hic sit idem delictum a pluribus sociis commissum: Marcellus moritur, Quaeritur: *An tota causa sit extincta?* Resp. Marcelli quidem crimen esse extinctum, sed non reliquorum superstitum, contra quos omnino accusatio prosequenda est. Sed
4 limitatur superior regula: I. In crimine haereseos, *l.* 4. §. 4. *C. de haeret.* idem in apostatis, *l.* 4. *C. de apost.* II. In crimine Majestatis, *l.* 20. *ff. de accusat.* in quibus duobus criminibus memoria defuncti damnatur. III. In crimine repetundarum et peculatus, *l. fin. ff. ad l. Jul. pecul.* quia hic praesumitur lucrum ad haeredem pervenisse: turpia enim lucra ubique haeredi auferenda, *l.* 5. *ff. de calum. l.* 1. *ff. de priv. delict. Ant. Matth. t.* 19. *c.* 3. *num.* 3. *et seqq.* IV. In crimine veneficii ad captandam haereditatem commisso, *l.* 9. *ff. de jure Fisci.* V. In desertore militiae, *l.* 4. *infr. de re milit.* VI. Demum in omni causa, in qua sententia lata, et ea per appellationem non suspensa est; post sententiam enim poena confiscationis bonorum et quaelibet
5 pecuniaria (nam in corpus haeredis nullo casu regulariter saevire licet, *Farinac. lib.* 1. *tit.* 4. *quaest.* 10. *num.* 77.) transit ad haeredes, *Farinac. d. l. num.* 45. *d. l.* 20. *ff. de accusat.* idem est, si reus sit confessus et convictus, *Fari-*
nac. d. l. num. 56. Sed Quaeritur: *An lite conte-* 6
stata etiam poena pecuniaria regulariter transeat ad haeredes? Resp. *Farinac. d. l.* Affir. Si sit delictum privatum, et ex eo civiliter agatur, per *l. poenales* 26. *ff. de O. et A. l.* 1. *ff. de priv. delict.* non vero si publicum sit et ex eo criminaliter agatur, *arg. l. fin. h. t.* Sed quid 7
si facinorosus ipso jure poenam confiscationis incurrerit, vel pecuniariam? Resp. tunc poena etiam post mortem delinquentis ab haerede persolvenda, licet sententia saltem declaratoria super delicto, vivente delinquente non lata. Sed ratione personae delinquentis poena omnis inhibenda, adeo ut ne quidem in cadavera saevire 8
liceat, *Fachin. l.* 13. *c.* 17. quod tamen inter- 9
dum ad deterrendos alios jussu superioris fieri solet, *Carpzov. pr. crim. qu.* 141. *num.* 5. de quo alibi *Farinac. d. l. num.* 68.

L. Si is quem. 2.

SUMMARIUM

Sensus legis.

Cum crimen homicidii, v. g. morte extinguatur, ideo accusator satis excusatus est a necessitate prosequendae accusationis, nec incidit in *SCtum Turpillian.* nisi tale delictum sit, ex quo etiam contra haeredes agi potest, *l.* 15. §. 3. *ff. ad SCtum Turpil.*

L. Si ut proponis. 3.

SUMMARIA

Facti species. num. 1.
Quaestio inde deducta. 2.
Ratio dubitandi. 3.
Decidendi. 4.
Non fabricando tantum, sed utendo falsum committitur; et poena falsi locum habet. 5.
Restringitur. 6.

Avianus falsum componit instrumentum, ex 1
quo contra te egit, sed tu deprehenso falso, ipsum de crimine falsi accusas; iste interim moritur, et sic extinguitur crimen Aviani. Haeredes contra te eodem utuntur instrumento falso, Quaeritur: *An hos de crimine falsi accusare* 2
possis? Videtur quod non, cum accusatio falsi 3

fuerit per mortem Aviani extincta; sed Affirm.
4 Nam hic duo falsa commissa, unum ab Aviano,
qui composuit, *hic et l.* 8. *infr. ad l. Corn. de*
fals. alterum ab haeredibus ejus, dum eo u-
tuntur falso instrumento, *hic et l.* 2. *supr. de*
fide instrum. Non hoc, sed illud tantum morte
5 Aviani est extinctum. Collige ergo: Non fabri-
cando tantum falsum, sed et utendo, commit-
ti falsum, et poenam falsi habere locum, *Gomez*
ad l. Tauri ult. num. 5. *Farinac. qu.* 150. *num.* 6.
6 *et qu.* 151. *num.* 71. si modo sciens falsitatem
eo instrumento falso utatur haeres.

L. Defunctis reis. 4.

SUMMARIUM

Ratio legis.

Consequens hoc est regulae propositae in *l.* 1. quia enim crimen morte facinorosi, sive ipse quid deliquerit, sive aliis mandaverit, extinguitur, ideoque nec poena pecuniaria, nec confiscatio bonorum decernenda, sed bona debentur haeredibus, nisi ex conscientia delicti sibi mortem consciverit. Qua de re *infra in peculiari titulo: De bonis eorum etc.*

L. Si quis. ult.

SUMMARIA

Declaratio regulae in l. 1. *explicatae. num.* 1.
Relegatio bona tacite non adimit. 2.
Quid si una cum relegatione judex etiam partem bonorum confiscari expresse jusserit, an transeat haec confiscatio in haeredes? 3.
Ratio eorum, quae num. 1. *dicta sunt.* 4.
Ratio eorum, quae num. 3. *sunt tradita.* 5.
Mors accusatoris reum ab instantia liberat. 6.
Accusatoris haeres processum accusationis prosequi non tenetur, licet hoc vel Magistratus vel accusatus urgeat. 7.
Pronunciatum ita a Facultate nostra juridica. 8.
In quantum huic legi per Nov. 134. c. ult. *sit derogatum?* 9.

Continet etiam *haec lex* declarationem regu- 1
lae in *l.* 1. explicatae, quando poena confisca-
tionis omnium bonorum seu partis bonorum,
seu pecuniaria, venit in consequentiam tantum,
tunc si a sententia condemnatoria reus appella-
verit, vel appellanti tempus duret, mortuo de-
linquente, delictum et poena principalis scilicet
deportatio et confiscatio, quae per consequen-
tiam tacite tantum imponitur, tollitur; *Sed quid*
si una cum relegatione, quae alias bona tacite non 2
adimit, *l. relegatorum* 7. §. 4. *ff. de interdict.*
Judex etiam partem bonorum confiscari, expres- 3
se jusserit? Haec confiscatio omnino transit ad
haeredem, *hic et l.* 3. *supr. si pend. appella-*
tion. mors etc. illius ratio est, quia sublato 4
principali, quod hic est deportatio, vel suppli-
cium, tollitur accessorium: hujus ratio est, quia 5
utraque poena aeque principalis, et ita sublata
una per mortem, non statim tollitur altera,
Vid. *Farinac. d. quaest.* 10. *num.* 47. Unde expli-
canda ea, quae generaliter et indistincte pro-
ponit *Carpz. in pract. crim. q.* 141. *num.* 3. Ac- 6
cusatoris quidem mors etiam liberat reum, sed
tantum ab instantia hac, nam reus ab alio po-
terit denuo accusari, *l.* 3. *ff. de accusat.* Unde
colligitur; Accusatoris haeredem non teneri pro- 7
sequi processum accusatoris, licet hoc vel Ma-
gistratus, vel accusatus urgeat, ut a Facultate 8
nostra juridica ante paucos annos pronunciatum
memini. Notandum tamen, *huic legi* quodam- 9
modo esse derogatum per *Novellam* 134. *cap.*
ult. quia constitutum, licet sit contestata lis, vel
condemnatoria lata, non tamen publicari bona,
si adsint descendentes vel adscendentes usque ad
tertium gradum. His autem deficientibus, supe-
rior distinctio locum etiam jure novissimo ha-
bet, *Anton. Matth. tit.* 19. *cap.* 3. *num.* 38. Sed
quid sit de consuetudine, dicetur infra.

TITULUS VII.

Si quis Imperatori maledixerit.

L. Si quis modestiae nescius. un.

SUMMARIA

Jus vetus. num. 1.
Convitia Principi dicta ad crimen laesae Majestatis olim non pertinebant. 2.
Maledictum quale puniatur? 3.
Communis interpretatio vocis, remittendum, *rejicitur?* 4.
Regii ac alti animi semper fuit, maledicta negligere. 5.
Culpa maledictionis, quam pessimi quique homines in Principem exspuunt, ad supplicium facile trahenda non est, nec talia verba, pessimorum licet hominum, pro crimine Majestatis sunt habenda. 6.
Secus in verbis calumniosis et turbulentis acclamationibus, ubi Principi tota causa referenda cognituro, an poena aliqua infligenda calumniatori? 7.
Auctores famosorum libellorum contra Principem directorum proprie criminis laesae Majestatis rei non sunt. 8.
Ipse Magistratus de ejusmodi delictis cognoscere et poenam arbitrariam imponere potest. 9.

Sub primis Imperatoribus innocentes multi ad 1
supplicium rapiebantur qualibet occasione con-
temptae Majestatis. Ideo Imperatores hic consti- 2
tuerunt, ut convitia Principi dicta ad crimen
laesae Majestatis non pertinerent. Prohibent
enim Imperatores, ne Judices eos qui male-

dictis Principem petunt, poenae subjugent: nam
3 si ex levitate profectum sit maledictum, contemnendum est: si ex insania, auctor ejus miseratione dignissimus: si ab injuria, remittendum seu condonandum est, nec lubricum linguae ad poenam facile trahendum, *l.* 7. §. 3. *ff. de crim.*
4 *laesae Majestat.* Nam quamvis *DD.* communiter, quos etiam sequitur *Cothmann. vol.* 4. *cons.* 11. *num.* 199. *et Ant. Matth. lib.* 48. *tit.* 2. *cap.* 2. *in fine* hanc vocem, *remittendum*, ita interpretentur, ac si tota causa remittenda esset ad Principem, verba tamen hunc sensum respuunt, nam nullibi puto in jure, vocabulum *remittendi* absolute positum, et sine persona alicujus, ad quem remittendum quid sit, ita ut *DD.* volunt, sumitur: ut proinde recte eos refutet *Carpz. part.* 1. *practic. crim. quaest.* 41. *num.* 115. *Menoch. lib.* 2. *A. Q. cas.* 377. *num.* 9.
5 Quia regii semper fuit, ac alti animi maledicta negligere, tyrannicum autem severe castigare, *Decian. pr. crim. lib.* 7. *c.* 50. *num.* 3. *et seqq. Caspar. Klock. consil.* 192. *n.* 24. *et seqq. vol.* 3. ubi exempla recenset, et plures refert auctores; et maledici saepe utiles, *Decian. d. l. n.* 8.
Et ideo culpa maledictionis, quam pessimi quique homines, qui capistrum suis linguis injicere nondum didicere, in Principem exspuunt, ad supplicium non facile trahenda, nec talia verba pessimorum licet hominum, pro crimine Majestatis sunt habenda, *Mascard. concl.* 463. *num.* 35. *Menoch. d. l. num.* 14. *Cravetta cons.* 6. *num.* 1. *et* 71. *Farin. qu.* 105. *num.* 417. *Klock. d. consil.* 192. *num.* 23. Sed quando verba calumniosa interdum ad seditionem spectare possunt, *l.* 1. *in fin. ff. ad leg. Jul. Majest.* vel possunt esse turbulentae acclamationes, quibus salus Principis periclitatur, *l.* 28. §. 3. *ff. de poenis*, tunc causam totam referendam esse Principi cognituro, an poena aliqua infligenda calumniatori, et qualis, tradit *Carpzov. d. l. num.* 18. Ideo etiam famosorum libellorum contra Principem directorum auctores proprie criminis laesae Majestatis reos esse negat *Heig. part.* 2. *quaest.* 31. *num.* 47. *et seqq.* Imo dixerim potius ipsum Magistratum de maledictis cognoscere, et poenam arbitrariam imponere posse, cum etiam in causa Majestatis vere laesae Judex esse possit, *l.* 7. §. 3. *ff. h. t.*

(6, 7, 8, 9 in right margin at the lines beginning "Et ideo", "lumniosa"/"Sed quando verba ca-", "tra Principem"/"famosorum libellorum con-", "Imo di-")

TITULUS VIII.

Ad Legem Juliam Majestatis.

L. Etiam ex aliis. 1.

SUMMARIA

An Judex contra Constitutionem Principis judicans committat crimen laesae Majestatis? num. 1.
Poena talis Judicis pro gravitate delicti varia. 2.

1 Si Judex contra Constitutionem Principis judicat, Quaeritur: *An committat crimen laesae Majestatis?* Quod negatur: nam cum sub primis Imperatoribus facile contraheretur hoc delictum, multae tamen causae precisae. Non ergo aequum putavit Imperator, ut novus modus
2 hoc crimen contrahendi constitueretur; nec tamen impune feret Judex hanc licentiam, nam, si dolo fecit, tenetur *l.* 1. §. 3. *ff. de falso*, et *lege repetundarum*, si pecuniam accepit, *l.* 6. §. 1. *ff. et l. fin. C. ad l. Jul. repetund.* Si vero per imprudentiam neglexit Constitutionem Imperatoris, tenetur parti laesae, *pr. Inst. de oblig. ex quasi delicto.*

L. Alienam sectae. 2.

SUMMARIUM

An ille hujus criminis reus sit, qui inconsulte per nomen Imperatoris juravit vel pejeravit?

Sic nec ille hujus criminis reus est, qui inconsulte per nomen Imperatoris juraverit, vel pejeraverit, *hic et l.* 2. *supr. de reb. cred.* facit regula juris in *l. quicquid calore* 49. *ff. de R. J.*

L. Si quis alicui. 3.

SUMMARIA

Facti species. num. 1.
Quid juris, si accusator criminis laesae Majestatis plene hoc crimen probare non possit, et accusatus in tortura innocentiam suam probaverit? 2.
An speciale sit in hoc crimine, quod accusatore non probante et in probatione deficiente, accusatus non absolvatur, sed adhuc teneatur suam innocentiam probare, et accusationem purgare per torturam vel aliter? Sententia quorundam. 3.
Sententia Farinacei. 4.
Nemo hic a tormentis ob dignitatem eximitur. 5.

Accusator accusavit Titium de crimine laesae 1
Majestatis, et semiplene probavit, vel indiciis oneravit accusatum, et accusatus torquendus est, nullo obstante privilegio per *l. seq.* sed
Quid si accusator plene non possit hoc crimen 2
probare, et accusatus in tortura innocentiam suam probaverit? Tunc accusator etiam nullo obstante privilegio personae torqueri debet, nam postquam accusatus suam innocentiam defendit, praesumptio jam contra accusatorem militat, et ideo ipse non tantum, sed ille cujus instigatu accusationem instituit, torquendus est. Quamvis
autem ex *hac lege tertia* colligant; Speciale esse in 3
hoc crimine, quod accusatore non probante, et in probatione deficiente, accusatus non absolvatur, sed adhuc teneatur suam innocentiam probare, et accusationem purgare per torturam vel aliter, ut post alios *Gigas in tr. de crim. laesae Majestatis lib.* 2. *rubr. Quomodo et per quos*

crimen laesae Majestatis probetur, qu. 36. ta-
4 men recte *Farin. q.* 118. *num.* 36. hanc sententiam rejicit, quia *lex haec* non de accusato, sed accusatore loquitur: Quod is scilicet, si non probaverit plene, debeat torqueri, et respectu hujus accusatoris potest aliquid esse speciale. Si-
5 cut et hoc speciale est, quod hic nemo a tormentis ob dignitatem eximatur, de quo in *l. seq.* Alia in hoc crimine communiter designant singularia, quae scite refutat *Ant. Matth. tit.* 2. *c.* 4.

L. Nullus omnino. 4.

SUMMARIA

Nobiles et *Doctores inconsulto Principe hodie non torqueri possunt, ut et olim milites. num.* 1.
Quoad milites id mutatum. 2.
Hoc non obtinet in crimine laesae Majestatis, sed omnium horum aequa tunc conditio. 3.
Restringitur. 4.

1 Inter alia Militum, Nobilium et Doctorum privilegia etiam hoc censetur, Quod non possint torqueri inconsulto Principe, quod etiam hodie in posterioribus duobus observari solet, ut sententiae inseratur haec formula: *Mit Vorwissen und* Consens *seiner Churfl. Durchl.* quamvis
2 ratione militum id videatur mutatum, ut dicemus *infra ad l.* 8. *C. de quaestion.* Sed in cri-
3 mine Majestatis omnibus aequa est conditio, nec quicquam vel militiae, vel generis, vel dignitatis praetextu, veniam mereri debet, *hic et l.* 10. *§.* 1. *ff. de quaest. et l.* 16. *C. de quaest.* Vid. *Zang. de quaestionibus cap.* 1. *num.* 60. *Decianus lib.* 7. *cap.* 37. *num.* 30. *Ant. Gomez lib.* 3.
4 *tit.* 13. *num.* 3. *circa finem.* Ubi hoc restringitur ad dignitatem, nam si alia ex causa a tormentis liberetur, ob periculum vitae suae, vel alienae, exceptio haec locum non habet.

L. Quisquis. 5.

SUMMARIA

Poena criminis laesae Majestatis non omnis, sed hostilis conspirationis seu rebellionis. num. 1.
Crimen Majestatis est duplex. 2.
Primum crimen in quos committatur? 3.
Hodie contra Electores et omnes Imperii Principes committitur. 4.
In hoc crimine an etiam voluntas puniatur? 5.
Actus voluntatis interiores legi humanae non subjiciuntur. 6.
An et quatenus adhuc hodie conatus in hoc crimine puniatur poena ordinaria? 7.
Poena quaenam olim, et quae hodie? 8. 9.
An reus non nisi per sententiam bonis privetur? 10.
An foemina etiam hoc crimen committere possit? 11.
Filius ob delicta paterna neque de jure divino tenetur. 12.
Speciale hoc in crimine. 13.
Ratio specialitatis et severitatis. 14.
An etiam nepotes h. l. *teneantur?*. 15.
Limitantur num. 13. *dicta.* 16.
An naturales filii hoc casu excipiantur? 17.
Quibusnam successiones filiis, ut incapacibus ademptae deferantur? 18.
Is, qui pro tali criminoso intercedit, fit infamis et punitur. 19.
Secus qui pro criminosis filiis. 20.
Poena filiarum hoc crimen committentium. 21.
Verba legis, *quae obstare videntur, adducuntur.* 22.
Observantia fori. 23.
Emancipationes liberorum et dotes ac donationes scelere jam admisso factae non valent, et cur? 24.
Valent tamen antea factae. 25.
Emancipati liberi ob hoc crimen a parentibus commissum non puniuntur. 26.
An is, qui crimen laesae Majestatis commisit, ipso facto amittat dominium et administrationem bonorum suorum? 27.
Sententia Carpzovii *cum* Deciano *notatur.* 28.
Uxores facinorosorum salvam dotem habent, et donatio a marito in uxorem collata secuto crimine et condemnatione non infirmatur. 29.
Quid si uxor ad secundas nuptias transierit? 30.
Uxor etiam suam portionem statutariam habet salvam, si maritus hoc crimen commiserit, et uxor hanc etiam portionem elegerit. 31.
Ministri et conscii conjurationis quatenus eadem plectantur poena? 32.
An etiam alii conscii, qui non detexerunt, poena aliqua plectendi, et qua? 33. 34.
Exemplum. 35.
Quid de illo fiat, qui conspirationem revelat? 36.

Princ. Agitur de poena criminis laesae Ma- 1
jestatis non omnis, sed hostilis conspirationis, seu rebellionis: Nam duplex est crimen Maje- 2
statis: 1. Perduellio, id est, hostilitas contra Principem, vel Rempubl. tentata: 2. Majestatis crimen in specie, quod adversus splendorem et dignitatem Principis aut Reipubl. sine hostilitate committitur. Notandum autem. I. Illud crimen 3
rebellionis vel perduellionis proprie in ipsum summum Principem, deinde suo modo etiam in consiliarios Principis admitti, et senatores ejus ac duces militum. Ratio in textu additur; *Quia pars quasi corporis Principis sunt.* Vide *Carpz. part.* 1. *pr. crim. quaest.* 41. *num.* 57. et notata *infr. ad l.* 8. *de dignit.* et hodie etiam 4
contra Electores hoc crimen committitur ex *Aureae Bullae* dispositione *tit.* 24. Imo et contra omnes Principes Imperii, *Carpz. d. l. num.* 72. II. Notandum: hic non tantum puniri eventum, sed etiam, si conjuraverint tantum, licet ad effectum non perduxerint, imo si tantum vo- 5
luerunt, id est, concluserint per factionem et quid contra Principem moliri velint; si tamen illa voluntas ad actum aliquem pervenerit, v. g. Sacramentum, *Farinac. p.* 5. *quaest.* 116. *§.* 4. *num.* 152. *Bacchovius in Treutl. vol.* 2. *disp.* 32. *th.* 1. *lit. H.* Nam 6
actus voluntatis interiores, legi humanae non subjiciuntur, *Covarr. in Clement. si furiosus de homicid. part.* 2. *princ. num.* 5. *Anton. Matth. t.* 2. *cap.* 3. *num.* 4. et quamvis alias in 7
atrocissimis delictis de consuetudine conatus non puniatur poena ordinaria, *Clarus in pr. crim. §. fin. quaest.* 92. *Farinac. part.* 5. *quaest.* 124. *num.* 78. in hoc crimine tamen conatus adhuc hodie punitur ordinaria poena, *Farinac. part.* 5. *quaest.* 116. *§.* 4. *per tot.* nisi rebus integris quis poenitentiam agat spontaneam, Vide *Fari-*

nac. d. quaest. 116. *membr.* 4. *num.* 156. nam
si nulla spes veniae, desperatis consiliis via sterneretur, et raro talia crimina detegerentur.
Unde etiam poenitentibus et conjurationem detegentibus parci, Reipubl. consultum est, et
8 experientia docet, Vide §. *ult. hujus leg.* Poena est
gladius, per quem tamen supplicium ultimum
in genere notatur. Hodie plerumque dissecari
9 solent in quatuor partes, vide tamen *Carpzov.*
quaest. 41. *num.* 90. *et seqq.* et praeter poenam
corporalem etiam omnia bona damnati in Fiscum
rediguntur, *hic et l.* 31. §. *fin. ff. de donat. leg.* 76.
§. *fin. ff. de leg.* 2. *etc.* Quod et hodie obtinet:
Videatur *Aurea Bulla tit.* 24. *P. H. O. art.* 218.
10 *Carpzov. d. l. num.* 98. *et seqq.* Sed, *Annon nisi*
per sententiam reus privatur bonis? Resp. aequiorem sententiam esse, ut ab eo tempore bona
amittat, quo de delicto constat, et condemnatus est, in quam etiam inclinat *Farinac. q.* 116.
num. 67. *et Carpzov. d. quaest.* 41. *num.* 101. *et*
DD. ab illis allegati, et *Bacchov. in Treutl. vol.* 2.
11 *disp.* 32. *th.* 1. *lit. G.* Collige etiam ex partic.
quis, etiam foeminam posse hoc crimen committere, *Farin. q.* 112. *num.* 227. *Ant. Matth.*
d. c. 3. *num.* 3.
12 §§. 1. *et* 2. Quamvis alias ob delicta paterna
filius non teneatur, *toto tit. C. ne filius pro patre etc. l.* 26. *ff. de poenis* quod etiam a DEO severe prohibitum, adeo ut nulla potestas humana aliquem ob alienum delictum morte mulctare possit, et Imperatores ex misericordia vitam
filiis relinquentes aliquid humani passi esse videantur, per tradita *Covarr. l.* 2. *resolut.*
cap. 8. *num.* 1. *vers. tertia, Guttier. l.* 2.
13 *canon. quaest. c.* 30. *num.* 23. specialiter tamen
hic receptum, ut etiam filii ex parentum crimine reddantur infames, et neque ab intestato, neque ex testamento quicquam capere possint, et quidem in perpetuum, ut multis deducit *Menoch. cons.* 275. *num.* 33. *et seqq.* adeo
ut et illi, qui pro illis intercesserint, reddan-
14 tur infames; Ratio severitatis 1. est, quod in
filiis haereditarii vel paterni criminis exempla
metuantur, per §. 1. *hujus legis, Farin. dict.*
quaest. 116. *num.* 72. - 2. Ut parentes liberorum amore ab hoc atrocissimo et nocentissimo
delicto arceantur, *Menoch. cons.* 99. *num.* 218.
15 Sed *quid in nepotibus, anne idem in his obtinet?* Negat recte *Harp. in* §. *publica autem*
num. 40. *et* 41. *Instit. de publ. jud.* quem allegat et sequi videtur *Farin. d. quaest.* 116. *num.*
19. *Decianus lib.* 7. *cap.* 41. *num.* 7. *Anton.*
Matth. dict. c. 3. *num.* 16. *et Farin. d. loco*
num. 110. *et seq. Clud. in dissert. de crimine*
16 *Majest. th.* 162. Limitat hanc poenam filiis inflictam, ut non habeat locum in donationibus,
nec in successionibus ante crimen delatis, nec
in filiis clericis; nec in peculio castrensi, aut
adventitio, nec habeat locum in conspiratione
contra Principem immediate non facta, nec filii privantur alimentis. Filios etiam ante crimen
natos quidam excipiunt, sed rectius negant exceptionem *Farin. dict. quaest.* 116. *num.* 91. *Decianus d. l. num.* 8. *Anton. Matth. d. l. num.* 15.
17 Naturales etiam excipit *Anton. Matth. d. l. num.*
14. quia vox filii ipsis non competit, §. *si adversus ea Instit. de nupt.* et ipsis non debentur
proximorum haereditates, nec ipsi dignitate aut
opibus pollere solent, ut aliquid audere facile
possint, licet dissentiat *Farin. dict. quaest. num.*
18 86. *et Decianus d. l. num.* 5. Successiones vero, quae filiis adimuntur, ut incapacibus, non
deferuntur Fisco, sed proximis Cognatis, *Gomez*
lib. 3. *tit.* 2. *num.* 4. *Peregrin. de jure Fisci*
lib. 3. *cap.* 9. *num.* 1. *Anton. Matth. d. l. num.* 18.
Deinde collige ex §. 2. eum, qui intercedit pro 19
tali criminoso, fieri infamem, et ita non tantum
punitur culpa levitatis, sed et contagium sceleris metuitur. Et locum tantum habet in eo, 20
qui pro ipso criminoso intercedit, non qui pro
filiis, *Anton. Matth. d. l. num.* 19. sicut et multi *DD.* testantur poenas perduellionis, quae ex
legibus liberis infliguntur, hodie cessare, quos
allegat *Farin. d. q.* 116. *num.* 144.

§. 3. Cum filiabus, quia in iis non facile 21
metuitur exemplum hujus criminis, mitius agitur, quam cum filiis, nam filiae ex bonis matris falcidiam tantum seu legitimam lucrari possunt. Extraneis vero et aliis cognatis tam ex testamento quam ab intestato filiae succedere possunt, juxta *Farin. quaest.* 116. *num.* 96. *Decian. d. l. num.* 12. Sed videtur repugnare *hic* 22
§. qui dicit, *filiabus debere alimoniam mediocrem potius, quam integrum emolumentum et*
nomen haeredis, quae ratio non haberet locum,
si extraneis possent succedere, et ideo rectius
hoc negat *Anton. Matth. dict. c.* 3. *num.* 12.
quamvis in foro vix auderem a receptiori et le- 23
niori sententia recedere.

§. 4. Emancipationes liberorum, et dotes, 24
ac donationes scelere jam admisso factae, non
valent, quia in fraudem Fisci factae videntur ab
eo, qui jam tunc scelus illud admisit, ex quo
sequitur, emancipationes antea factas valere. 25
Unde probant: Emancipatos liberos non puniri 26
ob hoc crimen a parentibus commissum, *Anton.*
Matth. d. l. num. 12. Sed non adeo firmam video consequentiam, nisi ante crimen commissum emancipati sint. Colligunt etiam ex *hoc* §.
Eum, qui crimen laesae majestatis commisit, 27
ipso facto amittere dominium et administrationem bonorum suorum, *Decianus l.* 7. *cap.* 40.
num. 6. Sed cum contrarium videatur receptum
per *legem.* 15. *ff. qui et a quibus manumissi liberi*
non fiant, et nulla sit consequentia: Non potest
hic alienare, ergo non habet dominium; nec
hanc sequelam admitto cum *Anton. Matth. d. l.*
Fachin. lib. 9. *c.* 35. *Peregr. de jure Fisci lib.* 5.
tit. 1. *num.* 171. quamvis *Dn. Carpz. in pr. crim.* 28
quaest. 41. *num.* 103. *et seq.* declaratoriam tantum sententiam requirat, et sic in effectu cum
Deciano, et aliis consentiat.

§. 5. Uxores vero facinorosorum, dotem 29
suam habent salvam, *Gail.* 2. *observ.* 86. *num.* 1.
Carpz. p. 3. *c.* 20. *d.* 23. *num.* 3. et donatio a marito in uxorem collata, secuto crimine et condemnatione non infirmatur, sed confirmatur per
l. 24. *supr. de donat. inter. vir. et uxor.* Sed
quid si uxor ad secundas nuptias transierit? 30
Resp. usumfructum ejus donationis habere, reservata liberis ex priori matrimonio natis proprietate, *l.* 3. *supr. de secund. nupt.* Sed hoc
in casu perduellionis commissae, non liberorum
sed Fisci est proprietas, viduae vero ususfructus, et ex his etiam bonis filiabus debetur falcidia, Vide *Farin. d. quaest.* 116. *num.* 121.
Anton. Matth. d. l. num. 22. Unde colligunt ex
hoc §. Uxorem etiam suam portionem statuta- 31
riam habere salvam, si maritus hoc crimen commiserit, et uxor portionem hanc elegerit, *Gail.*
d. l. num. 17. et quos allegat *Carpzov. d. c.* 20.
d. 23. *num.* 4.

32 §. 6. Hic ministri conjurationis et conscii
eadem plectendi poena, qua principales, quod
de consciis iis, qui quodammodo adjuvant con-
siliis suis conjurationem, intelligi aequitas po-
33 stulat; Sed *quid de aliis consciis, qui non dete-
xerunt, anne etiam ii poena aliqua plectendi,
et qua?* Aequior est sententia contra *Bartolum*,
non teneri quemquam revelare conspirationem
per modum accusationis, nisi possit probare,
nam tunc se in praesentissimum periculum tor-
turae conjiceret juxta *leg.* 3. sed tenetur tan-
tum per modum admonitionis et suggestionis
privatae revelare, Vide *Menoch. lib.* 2. *arbitr.
quaest. casu* 355. *num.* 10. *et seqq. Anton. Ga-
briel. lib.* 7. *concl. commun. ult. potissimum
num.* 5. *Baccov. in Treutl. vol.* 2. *disput.* 32.
34 *th.* 1. *lit. F. Anton. Matth. d. l. num.* 23. Quod
si hoc non faciat, poena erit arbitraria, *Menoch.
d. l. num.* 23. quae tamen etiam ad mortem
35 extendi solet. (Exemplum in Garnetto Jesuita,
conscio conspirationis pulverariae in Anglia an-
no 1606.)
36 §. *ult.* Qui revelat conspirationes contra Prin-
cipem factas ab initio, ille praemio honorabi-
tur, qui vero post aliquod tempus, dum tamen
adhuc conspiratio secreta est, ille non praemio
honorabitur, sed tantum veniam delicti repor-
tabit, *Farin. d. l. num.* 156.

L. Meminisse. 7.

SUMMARIA

Singularia duo in crimine laesae Majestatis, et quaenam? num. 1. 5.
Morte crimina extinguuntur. 2.
Secus in hoc crimine. 3.
Quod iterum limitatur. 4.
Casus quo servi etiam in dominum torquentur, et cur? 6.

1 Duo haec singularia in crimine laesae Majesta-
2 tis: I. Quamvis alias morte extinguantur crimi-
na, et contra mortuum non possit procedi in
3 judicio, excipitur tamen crimen laesae Majesta-
tis, in quo etiam mortui memoria damnatur,
4 quod tamen non de omni crimine laesae Maje-
statis verum est, quia multis modis hoc contin-
git, *l.* 3. *et* 4. *ff. h. t.* sed de crimine perduel-
lionis in specie, quando quis hostili animo Prin-
cipem vel Rempubl. persequitur, per *l. fin. ff.
h. t. Gigas d. tr. quaest.* 20. *num.* 4. nec habet
locum, si contra inferiorem Principem commit-
tatur, *Gigas d. tr. tit. qualiter procedatur etc.
quaest.* 240. *Farin. quaest.* 10. *n.* 43. Et verum hoc
est, si mortuus legitimis modis sit convictus post
mortem, modo haeredes non purgent imputa-
tum hoc crimen, et ideo in hunc finem vo-
candi propinqui, ut innocentiam rei, si possint,
defendant, *Gomez lib.* 3. *resol. c.* 1. *num.* 81.
Alias si indiciis tantum gravatus, contra mor-
tuum nihil statui debet, quia forte si viveret,
indicia purgare posset, Vid. *Carpz. d. quaest.*
41. *num.* 107. ubi praejudicium allegat. II. Sin- 5
gulare est: Quamvis alias servi adversus domi-
num sceleris participem torqueri non possint,
l. 7. *infra de quaest. l.* 1. §. 5. *ff. eod.* hic ta- 6
men speciale, quod etiam servi in dominum
torqueantur, *hic et l.* 1. *infra de quaestionibus.*
Ratio in salute Reip. et in ratione Status.

L. Post divi Marci. ult.

SUMMARIA

A tempore, quo quis hoc crimen commisit, nec alienare, nec manumittere delinquens, nec ipsi solvi potest. num. 1.
Ratio. 2.
Quomodo contra mortuum sententia fieri possit? 3.

Repetitur quod dictum est in *l. praecedenti*, 1
quod etiam mortuus de crimine hoc accusari
possit, et additur hic, ab eo tempore, quo
quis crimen laesae Majestatis commisit, non
posse eum alienare vel manumittere, et ei non
posse solvi, atque adeo ipso jure ipsi vetita alie-
natio. Ratio hic additur; quia videtur in poenam 2
huic crimini statutam consensisse, quae ratio
quamvis generalis videatur, proprie tamen huic
crimini, scilicet perduellionis tantum convenit,
ut ostendit *Hillig. ad Donell. lib.* 19. *litt. EE.*
Sed quaeritur, quomodo contra mortuum sen- 3
tentia ferri possit? Resp. non condemnari mor-
tuum, sed declarari, eum hoc crimen commi-
sisse, et ita bona facta esse caduca, *Fachin.
lib.* 9. *cap.* 34.

TITULUS IX.

Ad Legem Juliam de adulteriis et stupro.

L. Publico judicio. 1.

SUMMARIA

An uxor maritum de adulterio convenire possit? num. 1.
Uxor jure civili etiam ob mariti stuprum injuriarum contra eum agere potest. 2.
Potest etiam ob adulterium ab eo divertere, et ad privationem dotis vel donationis propter nuptias agere. 3.
Jure Canon. *quid obtineat?* 4.
Constitutio Carolina. 5.

Quaeritur hic: *An uxor possit maritum de* 1
adulterio convenire? Et Resp. quod non; quia
lex Julia maritis tantum dedit querelam hanc,
et reverentiam marito debet. Sed hoc cum gra-
no salis intelligendum est. Nam jure civili etiam 2
uxor ob mariti stuprum potest injuriarum age-
re contra maritum ob violationem fidei conju-
galis, ut ex *hac l.* 1. probat *Baldus hic.* Deinde 3

jure civili etiam uxor ob adulterium mariti potest ab eodem divertere, *l.* 8. §. 2. *supr. de repud. Novell.* 117. *cap.* 9. et ad privationem
4 dotis vel donationis propter nuptias agere. *Jure Canonico* uxor maritum convenire potest, et ad poenam canonicam agere, vel separationem
5 thori, *c. fin. caus.* 32. *quaest.* 5. per *Constitutionem Carolinam* demum *artic.* 120. potest etiam uxor accusare maritum. Conf. *Wesenb. in n. h. t. num.* 12. *Treutl. et ibi Bacchov. v.* 2. *th.* 2. *lit. H. Hahnius ad Wes. d. num.* 12.

L. Crimen lenocinii. 2.

SUMMARIA

Quatenus maritus lenocinii crimen contrahere possit? num. 1.
Quid si maritus suspectam tantum uxorem habeat, sed probare illud certo non possit, an pro lenone sit habendus? 2.
An marito injuriam, respectu mulieris sibi per adulterium illatam, remittere liceat? 3.

1 Maritus, qui deprehensam in adulterio uxorem retinet, vel uxori luxuriose viventi connivet, vel eam mercalem habet, crimen contrahit lenocinii, *l.* 2. §. 2. *et seq. ff. h. t. l. mercalem* 5.
2 *supr. de condict. ob turp. causam.* Sed *quid si suspectam tantum habet, sed probare illud certo non potest?* Resp. non habendum esse pro lenone, si eam retinet; quamvis eam ex suspicione ream facere possit, *l.* 30. *princ. h. t.*
3 Quamvis autem ex *hac lege* videatur sequi, non licere marito remittere injuriam sibi per adulterium illatam, respectu mulieris, tamen id hodie correctum esse volunt per *Novell.* 117. *cap.* 8. *Auth. Sed novo jure h. t. Clarus §. ult. quaest.* 58. *num.* 11. *Petr. Heig. p.* 2. *quaest.* 29. *num.* 79. quos sequitur *Carpz. p.* 4. *constit.* 29. *defin.* 2. *in fine.*

L. Non solum. 3.

SUMMARIA

Tria continentur. num. 1. 4. 5.
Servi contra dominum torqueri nequeunt. 2.
Fallit in adulterio, et cur? 3.
Quatenus servi ejus foeminae, de cujus adulterio agitur torqueri possint? 6.

1 Tria dicit, I. Quamvis servi alias contra do-
2 minum vel dominam, *l.* 1. §. 5. *et l.* 16. *ff. de*
3 *quaest.* torqueri non possint, fallit tamen id in adulterio, ubi mulieris non tantum, de cujus adulterio quaeritur, sed etiam parentis ejus legitimi servi torqueri possunt, quia secreto hoc vitium committi solet, et non coram testibus,
4 multo minus in publico. II. Repetit prohibitionem legis Juliae, quae servos intr. 60. dies a die dissoluti matrimonii numerandos manumitti prohibet, *leg.* 12. *seqq. ff. qui et a quibus manumissi liberi non fiant:* ut torturae subjici
5 possint. III. Moderatur lex id, quod in princi-
6 pio dictum. Nam servi ejus foeminae, de cujus adulterio agitur, vel patris ejus, non aliter torquentur, quam si maritus uxorem accusans caverit, vel satisdationem praestiterit, se restituturum damnum servi in tortura mortui vel deteriorati, si uxor innocentiam suam ostenderit.

L. Gracchus. 4.

SUMMARIA

Facti species. num. 1.
An maritus deprehensum in adulterio cum uxore impune interficere possit? 2.
Deciditur per distinctionem. 3.
Difficile est justum dolorem temperare. 4.
An ejusmodi homicida in foro conscientiae sit tutus? 5.
Dolor justus excusat a poena ordinaria. 6.
Legitime factum nullam poenam meretur. 7.
Poena ejus qui ad committendum adulterium domum suam accommodat. 8.

Numerius Gracchum in adulterio cum uxore 1
deprehensum interfecit, jussit etiam filios suos 2
una manus inferre violentas adultero, Quaeritur:
An impune hoc fecerit? Resp. Imperator distin- 3
guendo, utrum adulter fuerit turpis et infimae conditionis homo, et tunc licuit Numerio et ejus liberis, ob *l.* 24. *ff. de adult. ibique Auctor num.* 1. *Farinac. q.* 121. *num.* 66. *et seq.* licet uxorem non possit occidere, per *d. l.* 24. quia mariti calor et impetus refrenari debuit, *l.* 22. §. *fin. ff. h. t.* Si vero talis persona non fuit infimae conditionis, tunc mitius puniendus est, *l.* 38. §. 2. *ff. de adult.* et quidem exilio. Additur hic
ratio, quia dolor justus et nox factum ejus re- 4
levant, et difficile est justum dolorem temperare, *d.* §. 8. Vide *Farinac. d. q.* 121. *part.* 2. *per tot. Decianus lib.* 9. *c.* 15. *n.* 38. *Menoch.*
lib. 2. *A. Q. cas.* 356. Sed si pater filiam, ma- 5
ritus adulterum infimae notae hominem, occiderit, in conscientiae foro non erit tutus, licet ipsum leges tueantur, et absolvant, cum leges non porrigant ei ferrum ut militi, ut spiculatori, sed ferro utenti tantum conniveant, *Auctor in l.* 24. *ff. h. t. num.* 3. *c. inter haec et c. admonere c.* 31. *q.* 2. *Covarr. de matrim. p.* 2. *c.* 7. §. 7. *num.* 15. *et seqq. Ant. Matth. d. c.* 3.
in fine. Collige etiam ex *hac l. Gracchus* 4. do- 6
lorem justum excusare a poena ordinaria, cum res difficilis sit hunc temperare, *Besoldus cons.* 28. *num.* 47. *Tiraq. de poen. temp. caus.* 1. *per tot.*, quod de gravi dolore intelligendum est, qualis est in hoc textu: nam si quis verbo aliquo contumelioso laesus interficiat statim alium,
poenam ordinariam non evitabit. Observa etiam 7
ex *hac lege:* Legitime factum nullam poenam
mereri, *Cravetta vol.* 1. *cons. ult. num.* 6. Poe- 8
na ejus, qui ad committendum adulterium domum suam accomodat, *Auctor in l.* 8. *ff. h. t.*

L. Adulter. 5.

SUMMARIA

Accusationis adulterii tres dantur praescriptiones, et quaenam? num. 1.
A quonam tempore computentur? 2. 3.

Praescriptio quinquennii in quibusnam locum habeat? 4.
Excipitur stuprum violentum et exceptionis ratio. 5.
De jure Saxon. *adulterium duplicatum inter ambos conjuges excipitur.* 6.
An Princeps reo hanc praescriptionem adimere queat? 7.
Diluitur objectio. 8.

1 Tres sunt praescriptiones accusationis adulterii. 1. est duorum mensium, quae opponitur marito et patri: 2. quatuor mensium, quae oppo-
2 nitur extraneis, accusare volentibus, et hae praescriptiones a die divortii numerantur, de quibus *Wesenb.* ϖ. *ff. h. t. num.* 17. *et* 18. - 3.
3 praescriptio est quinquennii, quod a die admissi criminis ultimi scilicet, *Farinac. lib.* 1. *qu.* 10. *num.* 16. *Clarus* §. *adulterium in fin. Boer. decis.* 26. *num.* 12. computatur, et in omnibus deli-
4 ctis carnis, quae *l. Julia* prohibentur, locum habet, *l.* 29. §. 6. *et seq. ff. h. t.* v. g. stupro, lenocinio, domo ad stuprum praebita, *Wesenb. in* ϖ. *h. t. num.* 8. *Carpzov. q.* 59. *num.* 8. et locum etiam habet in inquisitione, *Carpzov. d.*
5 *l. num.* 29. Excipitur stuprum violentum, *d. l.* 29. §. *fin. ff. h. t.* quia ibi vis publica concurrit, et adulterium cum incestu conjunctum,
6 *l.* 39. §. 5. *ff. h. t.* In *Electoratu Saxonico* etiam adulterium duplicatum inter ambos conjugatos commissum excipitur, per *Constit. D. Aug.* 19. *part.* 4. ubi id *Carpzov. defin.* 13. ad duplicatum restringit, sed his tamen 20. annis praescribi-
7 tur, *arg. l.* 20. *infr. de fals.* Et hanc praescriptionis exceptionem neque Princeps reo adimere potest, ob regulam notissimam *in l.* 4.
8 *supr. de emancipat.* Sed dubium facit sententia alia *Doctorum*, quod Princeps ea, quae juris civilis sunt positivi adimere possit. Sed praescriptio mere civilis juris est, quam nec Deus curet, qui flagitia jamdiu commissa severis suppliciis plectit, nec Ecclesia in foro poenitentiali.

L. Jure mariti. 6.

SUMMARIA

Quocunque marito aut patri adulteram accusare liceat? num. 1.
Objectio removetur. 2.
Quando extraneus adulteram accusare possit. 3.
Verba haec, jure extranei, *quid significent?* 4.

1 Intra illos 60. dies, seu duos menses a die divortii computandos, nulli extraneo, sed tantum marito aut patri adulteram accusare licet, speciali praelationis jure, *l.* 14. §. 2. *ff. h. t.* et quidem sine periculo calumniae et inscriptione, quod de marito testatur *l. auxilium* 37. *ff. de*
2 *minor.* Cui non obstat *l.* 4. §. *fin. ff. h. t.* ut quae de calumnia evidentiori intelligenda post *Gl. hic Cujac. in d. l. auxilium*, *Ant. Matth. tit.* 3. *c.* 1. *num.* 8. *Bacchov. in Treutl. d.* 32. *th.* 2. *lit. G.* et de patre idem esse dicendum patet, *arg. d. l.* 14. §. 2. Vid. *Bacchov. in Treutl. d.*
3 *th.* 2. *lit. G.* Elapsis autem illis 60. diebus, intra quatuor menses, poterit extraneus accusare adulteram, *l.* 1. §. 10. *ff. ad Turpil. l.* 4. §. 2. *ff. h. t.* et ipse quoque maritus potest, sed tunc 4
jure extranei, id est, non habet privilegium aliquod, sed debet se inscribere, et tenetur de calumnia, si non probaverit, quamvis, si modo confidat, se probare posse, calumniae poenam timere non opus habeat, cum servi etiam torqueri possint contra dominam, *hic et l.* 3. *ff. h. t.* atque adeo facile hic veritas erui possit.

L. Propter violatam. 7.

SUMMARIA

An nubens virgini stupratae contra stupratorem ex l. Julia *agere possit? num.* 1.
In sponsa quoque adulterium committitur. 2.
Extenditur. 3.
Confirmatur ex Jure Divino. 4.
Poena sponsae adulterae de Jure Divino *et moribus.* 5.
De quonam stupro hic sermo? 6.
An in foemina stupri poena cesset? 7.

Titius intulit stuprum violentum virgini, quae 1
postea nupsit Cajo, quaeritur: *An hic contra Titium ex l. Julia agere possit?* Resp. Quod non nisi tunc, cum defloraretur, fuerit sponsa ejus, scilicet Caji, placuit enim et in sponsa 2
committi adulterium, *l.* 13. §. 3. *ff. h. t.* quod neque spem matrimonii violare licet, *d.* §. 3. *Auctor in l.* 13. *ff. h. t. num.* 7. quod tam de 3
sponsa de futuro, quam praesenti verum esse defendit *Farinac. quaest.* 141. *num.* 50. *et* 51. *Ant. Matth. h. l. t.* 3. *c.* 1. *num.* 9. *Carpzov. quaest.* 57. *num.* 6. *Berlich. part.* 4. *concl.* 27. *num.* 140. licet hoc neget *Covarr. de matrim. p.* 1. *c.* 1. *num.* 8. *et Sanch. de matrim. lib.* 1. *d.* 2. et in sponsa adulterium committi patet ex 4
Jure Divino, *Deut. c.* 22. *vers.* 24. *Os.* 4. *vers.* 1. Quamvis autem *Jure Divino*, sponsa adultera ul- 5
timo supplicio sit punita, moribus tamen invaluit, ut sponsa non ultimo supplicio, sed adulter et adultera sponsa fustigentur et relegentur, ut testatur *Carpzov. quaest.* 56. *pract. crim. num.* 36. et jure civili fuisse discrimen inter accusationem uxoris adulterae et sponsae, apparet ex *l.* 13. §. 8. *ff. h. t.* In nostro autem casu ipsa virgo stuprata contra Titium agere potest per curatores suos, Vid. *l.* 15. §. 6. *ff. h. t.* Ex quo ap- 6
paret de stupro violento hic sermonem esse, nam si stuprum volens passa esset, non haberet actionem contra stupratorem, nisi ad interesse, et deinde violentum stuprum hic fuisse, ni fallor, inferunt ea verba, *pro debita tanto delicto severitate*, quae stupro simplici vix conveniunt. Et exinde apparet, eos falli et fallere, 7
qui ex *hac lege* 7. volunt probare, in foemina stupri poenam cessare, *Clarus* §. *stuprum num.* 14. *Farinac. quaest.* 147. *num.* 13. quos recte reprehendit *Ant. Matth. tit.* 3. *cap.* 5. *num.* 6.

L. Reos adulterii. 8.

SUMMARIA

Adulter et adultera eodem libello accusari nequit. num. 1.
Ratio. 2.

Remissio a conjuge innocente facta conjugi adulterio contaminato, etiam alteri criminis socio prodest. 3.
Sententia haec Auctori *non probatur.* 4.
Quid si adulterium cum incestu conjunctum? 5.

1 Juris est, ut quis adulterum et adulteram eodem libello et simul accusare non possit, *hic et l.* 15. §. *fin. et l.* 39. §. 6. *ff. h. t.* Voluit enim *lex Julia* hac prohibitione sua coercere accusatoris
2 fervorem, nec voluit temere ambos traduci, quia adulter forte absolvi potest, quod prodesset reae, vel licet condemnatus sit adulter, hoc tamen non nocebit reae, quae adulterii accusatur, *l.* 17. §. 6. *ff. h. t.* quia potuit inimicitiis oppressus condemnari, vel falsis argumentis aut subornatis testi-
3 bus, *Farinac. quaest.* 141. *num.* 108. Unde colligunt etiam *DD.* remissionem a conjuge innocente factam conjugi adulterio contaminato, prodesse etiam alteri criminis socio, *Virg. Pingizer. quaest.* 57. *num.* 25. *Berlich. p.* 4. *concl.* 27. *num.* 1. Sed hoc ex allegato textu non probatur, ubi non de remissione, sed absolutione sermo est, *Carpzov. p.* 2. *quaest.* 55. *num.* 114.
4 nec puto hanc sententiam communem Doctorum esse. Nam *Farinac.* impertinenter, ut pu-
5 to, allegatur. Sed *quid si adulterium cum incestu conjunctum?* Et ambos simul accusari posse verius est, quia quoties est duplex crimen, sumere oportet, quod in altero ex duobus jura durius constituerunt, *Cujac. in d. l. vim passam* 39. §. *incesti* 7. *ff. h. t.*

L. Castitati. 9. et L. Sine metu. 17.

SUMMARIA

Alexander *primus in adulteros et adulteras capitalem poenam constituit. num.* 1.
Principes postmodum gratiam poenae fecerunt. 2.
Adulteram adulterii condemnatam et poenam evadentem, nec maritus iterum assumere et revocare, nec alius eam citra lenocinii crimen ducere poterat. 3.
Hodie quoad prius est mutatum. 4.
Quod si extraneus talem de facto in uxorem ducat, quomodo puniatur? 5.
An etiam poenam lenocinii incurrat, qui accusatam uxorem postea revocat in matrimonium forte poenitentia ductus, et errore suo comperto? 6.

1 *Alexander* Imperator constituisse videtur primus poenam in adulteros et adulteras capitalem, quod probatur ex verbis *leg.* 9. *si quocunque modo poenam capitalem evaserit etc.* quamvis nonnulli ea verba compilatoribus adscribant, *Menoch. lib.* 2. *A. Q. casu* 419. *num.* 50.
2 Sed interdum a Principe gratia poenae fie-
3 bat. Quod si autem adultera adulterii condemnata poenam capitalem evaserit, non poterat maritus, citra crimen lenocinii, eam in uxorem reducere, id est, iterum assumere et revocare, nec alius eam ducere, citra crimen lenocinii,
4 quorum prius de marito, quod dicitur, est mutatum, hoc non, per *Auth. sed hodie h. t.* *Petr. Barbos. ad leg.* 2. *princip. ff. solut. matrim. num.* 103. *hic et leg.* 19. §. 1. *ff. h. t.* idque castitati temporum suorum Imperator, caeteroquin gentilis, convenire ait. Sed si de facto ta- 5
lem extraneus quis ducat in uxorem, punitur ut leno, matrimonium vero dirimi nequit, *leg.* 13. §. *fin. ff. h. tit.* quia sero quis mores accusat, quos ducendo probavit, *l.* 13. §. *ult. ff. h. t. Carpzov. in jurisp. eccles. lib.* 2. *def.* 197. Sed 6
quaeritur *in leg.* 17. *An etiam poenam lenocinii incurrat, qui accusatam uxorem postea revocat in matrimonium, forte poenitentia ductus, et errore suo comperto?* Neg. *d. l.* 17. quia illi tantum poenam incurrunt, qui damnatam revocant, vel deprehensam, *leg.* 2. *ff. h. t.* non ex errore accusatam, quia talis maritus destitit, nec potest amplius accusare, *l.* 40. *ff. h. t.*

L. De crimine. 10.

SUMMARIA

Data pecunia de adulterio pacisci et transigere non licet. num. 1.
Poena. 2.
Tacita objectio removetur. 3.
Ratio cur non admittatur transactio in hoc casu? 4.
Olim injuriam gratis remittere licebat. 5.
Hodie super commisso adulterio transigi potest. 6.
Intellectus Novell. 117. cap. 8. et Auth. sed novo jure infr. h. t. *num.* 7.

De adulterio pacisci, data pecunia, vel transi- 1
gere non licet, quia accusator praevaricans, id est, colludens, par est ei, qui refugit veritatis inquisitionem, data vel accepta pecunia, ideoque uterque poena lenocinii plectitur, ideo 2
qui de comperto stupro vel adulterio transigit et pecuniam accipit, ex *lege Julia* ob lenocinium plectitur. Licet enim adulterium sit capi- 3
tale crimen factum, turpitudo tamen insignis, publica honestas, et decus civitatis in causa fuit, quominus in hoc, licet capitali scelere admitteretur transactio, quod enim majus dedecus ci- 4
vitatis, quam esse matrimonia civium quasi venalia, aspergi plerosque et collutulari lenocinii infamia, supponi spurios, et incertos reddi multorum natales. Ita rectissime *Ant. Matth. tit.* 19. *cap.* 7. *num.* 8. ubi *num.* 9. per pactum intelligit conventionem non gratuitam, cum scilicet pretio quandocunque dato vel promisso redimitur accusatio. Nam gratis remittere injuriam olim 5
etiam licebat, *l.* 29. §. 2. *ff. h. t.* Sed super 6
adulterio commisso hodie transigi possi tradit *Clarus qu.* 58. *num.* 11. *et Carpzov. q.* 71. *num.* 34. *Novell.* 117. *c.* 8. *et Auth. sed novo jure infr. h. t.* Verum id tantum sequitur ex 7
illa *Novella*, quod maritus condonare uxoris adulterium, et eam recipere possit, non vero quod possit accepta pecunia pacisci, vel transigere, ideoque licet concedam, maritum transigentem cum adultero non implicari poenis, quae in eos statutae, qui uxores suas prostituunt, non tamen secundum leges agunt. Sed si paciscatur super adulterio committendo, maritus accepta pecunia et ita pretio prostituat uxorem, talis per *Novell.* 14. plectitur poena capitali. Vid. *Carpzov. d. quaest. per tot. et Farin. quaest.* 141. *num.* 70. *et seq.*

L. Crimen. 11. et Auth. Sed novo jure.

SUMMARIA

Maritus nec uxorem, nisi divortio facto, nec adulterum jure Codicis accusare potest. num. 1.
Secus in extraneo. 2.
Jure Novell. *maritus retentam uxorem accusare potest, et debet.* 3.
Poena mariti adulterium non probantis. 4.
Jus hodiernum ratione hujus poenae. 5.
Maritus post compertum adulterium cognoscendo uxorem, injuriam et accusationem uxori remittere videtur. 6.

1 Maritus non potest jure Codicis accusare uxorem adulterii, nisi facto divortio, nec adulte-
2 rum, *l.* 11. §. 10. *ff. h. t.* Sed extraneus potest adulterum, non tantum ob *l.* 39. §. 11. *ff. h. t.* sed et adulteram, constante matrimonio accusare, si prius maritum lenocinii accusaverit,
3 *l.* 26. *ff. h. t.* Sed per *Novell.* 117. *c.* 8. maritus retentam uxorem accusare potest, et per textum originalem debet. Probato autem adulterio, repudium mittendum, ne scilicet crimine non probato, matrimonium sine causa justa dirimatur, *Bacch. in Treutl. v.* 3. *d.* 32. *th.* 2. *lit. G.* verb. *Quinquennio autem etc. Rittershus. ad Nov.*
4 *p.* 12. *c.* 5. *num.* 9. et si maritus non probet adulterium, quod tamen intelligendum, si de manifesta calumnia constet, vel si post 60. dies jure extranei accuset (nam antea non videtur calumniatus, licet non probet. Vide *l.* 6. *supr. h. t.* quod per *Novell.* non est abrogatum), eas poenas luet, quibus afficienda fuisset uxor, si adulterium fuisset probatum. Sed quoniam de jure civili poenam fustigationis sustinuisset mulier, eadem etiam sustinenda poena foret marito calumnianti, ut hic
5 concludit *Salycet.* sed hodie poena Talionis abolita, et calumniantes arbitrarie puniuntur.
6 Colligunt etiam ex *h. l.* 11. et subjecta *Authentica* maritum, post compertum adulterium, cognoscendo uxorem, videri uxori remittere injuriam et accusationem, de quo *Carpz. q.* 55. *num.* 40. *Berlich. p.* 1. *c.* 27. *num.* 101.

L. Etsi crimine. 12.

SUMMARIA

Casus legis. *num.* 1.
Quaestio inde deducta. 2.
Mulier tum demum fit infamis, si deprehensa fuit in adulterio. 3.

1 Titius a Cajo accusatur adulterii cum Bertha commissi, et condemnatur: Verum postea ex beneficio Principis a poena absolvitur et restituitur. Postea accusator etiam vult Bertham ac-
2 cusare, sed morte praepeditur; Quaeritur: *An ex sententia contra Titium lata Bertha fiat in-*
3 *famis?* Resp. quod non, quia tunc demum fieret infamis, si deprehensa fuisset in adulterio mulier, *l.* 13. §. 12. *ff. de ritu nupt.* aut de adulterio condemnata. Sed Bertha hic condemnata non est, sed Titius: Igitur sententia haec non praejudicat Berthae per *l.* 17. §. 6. *ff. h. t.* Quia forte ex injustis causis et falsis probationibus fuit victus, *d.* §. 6. et illa sententia ne quidem praejudicat Berthae ad infamiam ipsi irrogandam. Etiamsi ergo Titius restitutus a Principe non esset, integrae tamen famae esset Bertha; praesertim cum Cajus, qui Titium accusaverat, in fata concesserit. Vide notata ad *l.* 8. *h. t.*

L. Adulteram. 13.

SUMMARIUM

An adultera, quae per accusationem delata est ad Judicem, et postea coepta lite absens esse incipit, in album reorum seu facinorosorum referri atque annotari possit?

Quaeritur: *An adultera, quae per accusationem delata est ad Judicem, et postea coepta lite absens esse incipit, in album reorum seu facinorosorum referri atque annotari possit?* Resp. Affirm. Sufficit enim litem semel acceptam, ad hoc ut adnotetur. Sed quomodo ulterius procedendum sit, Vide *l.* 6. *supr. de accusat.* Sane qui reipubl. causa absens est, inter reos referri nequit, *l.* 15. §. 1. *ff. h. t.*

L. Si dum in tuo. 14.

SUMMARIA

Facti species. num. 1.
Quaestio inde deducta: An Titius uxorem adulteram in alia provincia nubentem accusare possit? 2.
Jus hodiernum. 3.

Uxor Titii adulterium committit cum Cajo. 1
Titius eam repudiat, sed ei non denunciat, ne iterum nubat. Interim illa alia in provincia nubit Sejo. Quaeritur: *An Titius accusare possit* 2
uxorem de adulterio? Resp. hic Imperator, non posse Titium accusare uxorem suam, 1. Quia in alia provincia adulterium commisisset, ergo ibi debere eam accusari, *Auth. qua in provincia supr. ubi de crim. etc.* - 2. Non denunciatum fuisse uxori, ne nuberet, nam si maritus repudiasset uxorem, licebat huic secundo nubere, nisi primus maritus denunciasset, ne nuberet, per *l.* 16. *ff. h. t.* Sed haec paulo secus se 3
habent nostris moribus, nam nec repudium privata auctoritate fieri potest, et utut fiat, nullo modo uxor denuo nubere potest.

L. Si quondam. 15. et Auth. Si vero

SUMMARIA

Casus legis. *num.* 1.
An uxor absens in hac provincia, in qua maritus degit, accusari possit? 2.
An maritus petere possit, ut uxor ex illa pro-

vincia, in quam se contulit, in illam provinciam, ubi deliquit, transmittatur? 3.
Quomodo jure Novellarum *procedatur?* 4.
An praescriptio 60. *dierum quaerenti militi opponi possit?* 5.

1 Hilarini uxor adulterium commisit in ipsis castris, postea relicta illa provincia in aliam pro-
2 vinciam se confert, Quaeritur: 1. *An absens in hac provincia, in qua Hilarinus degit, accusari possit?* Et negatur, ut in *l.* 6. *supr. de ac-*
3 *cusat.* - 2. Quaeritur: *An Hilarinus petere possit, ut uxor ex illa provincia, in quam se contulit, in illam provinciam, ubi deliquit, transmittatur?* Et hoc negatur: Sed per *Auth. subjectam*
4 *et Nov.* 134. *c.* 3. absens seu accusatus, est legitime citandus, et eo non comparente bona in Fiscum rediguntur, ut ad *l.* 6. *supr. de accusat.* dictum. Sed si sciatur, in qua provincia degat adultera accusata, illius Judicis, sub quo degit, officium est requirendum, ut ream transmittat; ratio est, ut exemplum poenae ibi statuatur, ubi deliquit. Quod si Judex negligat, 3. libris auri, et Assessores ejus totidem libris mulctantur; si omittat ob lucrum, dignitate exuendus, et exilio puniendus Judex, qua de re *Rittershus. ad Novell. part.* 9. *cap. num.*36. *et seq. Covarr. pr. qq. cap.* 11. *num.* 3. *et* 6. *Rauchb. part.* 1. *quaest.* 50. *Carpzov. quaest.* 110. et alii.
5 3. Quaeritur in *l.* 15. *An praescriptio* 60. *dierum quaerenti militi opponi possit?* Quod negatur in *dict. leg.* quia tempus illud est tempus utile, *leg.* 11. §. 5. *ff. h. t.* ergo militi (qui hic dum in castris versatur, agere non potest) non currit.

L. Abolitionem. 16.

SUMMARIA

Accusatores, nisi aboleatur accusatio, ab ea desistere nequeunt. num. 1.
An maritus, licet non impetraverit abolitionem, ab accusatione uxoris adulterae desistere possit? 2.
Ratio affirmandi. 3.
Negative decidendi ratio. 4.
Maritus, si semel egit, de novo accusationem instituere nequit. 5.
Instantia lapsa in criminalibus omne jus accusatoris perit. 6.
Ampliatur. 7.

1 Qui accusant aliquem, non possunt desistere, nisi aboleatur accusatio, *t. t. infra de SCto*
2 *Turpil.* Sed *Anne maritus, licet non impetraverit abolitionem ab accusatione uxoris adul-*
3 *terae desistere potest?* Videtur quod sic, ob regulam *l.* 15. §. 2. *ff. ad Turpil.* ubi dicitur, de quorum calumnia agi non permittitur, si destiterint, non incidere in poenam hujus SCti, sed maritus non tenetur de calumnia ob *l.* 6.
4 *h. t.* sed Negatur quaestio; nam illa regula de iis loquitur, qui absolute non possunt conveniri de calumnia, ut patronus et tutor; sed maritus non potest conveniri intra 60. dies, postea autem potest. Vide *d. l.* 6. Sed si maritus semel 5
egerit, et tempus ad agendum a lege praestitum fuerit elapsum, de novo instituere accusationem non potest, secus quam in civilibus, ubi instantia lapsa, de novo convenire licet, *l. properandum* 13. §. 2. *C. de judic.* Nam instantia 6
lapsa in criminalibus, perit omne jus accusatoris, *Capyc. dec.* 206. *num.* 4. *Clarus* §. *fin. q.* 51. *num.* 8. *Vinc. de Franch. dec.* 250. *num.* 2. *Roland. a Valle vol.* 4. *cons.* 82. *num.* 4. *et* 5. *Mynsing. cent.* 3. *obs.* 50. praesertim si culpa actoris lapsa instantia, *Capyc. d. l.* Licet autem 7
hic non instantia, tempus tamen ad agendum ipsi datum, culpa ipsius periit.

L. Eum qui duas. 18.

SUMMARIA

Bigamia efficit infames. num. 1.
Objectio removetur. 2.
An jure civili bigamiae poena sit capitalis? 3.
Jus hodiernum. 4.
Maritus licet aliam superinducens uxorem stuprum committat, ipsa tamen uxor secunda doli expers stuprum non committit, et ideo res ipsi, cum pro sponso sive marito se gereret, datas repetere potest. 5.

Lex haec tota de bigamia loquitur, et quidem 1
qui duas uxores habet, vel etiam bina sponsalia contraxit, redditur infamis, *hic et l.* 1. *ff. de infam.* Cui objicitur; quod legibus nostris 2
non habeat effectum bigamia, dum posterius matrimonium priori durante ipso jure sit nullum. Sed respondet Imperator, non effectum, sed animi propositum hic considerari. Valde hic controvertitur: *An jure civili bigamiae sit poena* 3
capitalis? Quod de jure novo ita esse vult *Carpz. q.* 66. *num.* 24. sed textus *Authent. hodie C. de repud. et Novell.* 117. *c.* 11. de bigama uxore tantum loquitur; bigamus autem tantum stuprum committit, per *hanc legem*, et ipse *art.* 121. *Constit crim. Caroli IV.* expresse fatetur, *Das nach Kâyser-Recht keine Straffe am Leben etc.* Ergo poena bigami est arbitraria, ut rectius sentit *Farinac. q.* 104. Hodie in locis, ubi con- 4
stitutio criminalis recepta, est poena gladii, per *d. art.* 121. licet mulier falso rumore decepta alii nupserit, *l.* 7. *C. de repud. c.* 4. *caus.* 34. *quaest.* 1. *c. quoniam* §. *si autem de carnali X. Ut lite non contest. Menoch. lib.* 2. *A. Q. casu* 420. *num.* 118. *Farinac. q.* 120. *num.* 42. *Carpz. p.* 2. *q.* 66. *num.* 65. *et seq.* Sed licet maritus, 5
aliam superinducens uxorem, stuprum committat, ipsa tamen uxor secunda doli expers, stuprum non committit, et ideo res ipsi, cum pro sponso sive marito se gereret, datas, potest repetere, promissa vero ab eodem petere non potest, quia causa non secuta est, et deficit hic causa finalis, licet ab eodem data retinere possit, cum turpitudo non sit in accipiente, sed dante, ergo etc. per *l.* 4. §. 3. *ff. de condict. ob turp. causam, Covarr. de matrim. p.* 2. *c* 7. §. 1. *num.* 7. *Molin. tr.* 2. *d.* 200. *num.* 8. *Thomas Sanchez de matr. lib.* 6. *def.* 2. *num.* 4. *et seq.*

L. Quamvis. 19.

SUMMARIA

Facti species. num. 1.
Praesentia accusatoris usque ad finem causae non est necessaria. 2.
Exceptio, litem per procuratorem esse coeptam, tempore ferendae sententiae inique opponitur. 3.

1 Propositus viator, uxorem Mariam accusat de adulterio, et cum jam crimen legitime esset probatum, et ferenda esset sententia, excipit uxor de absentia mariti accusatoris, petiitque eum a statione sua revocari, sed hoc denega-
2 tur ipsi ab Imperatore: Nam licet praesentia accusatoris necessaria sit, *l. fin. supr. de accus.* sufficit tamen hic ab initio fuisse praesentem maritum, postea autem reipubl. causa abesse
3 coepit, et licet per procuratorem initio lis coepta, eo tamen tempore, quo sententia ferenda, inique opponitur praescriptio, *l.* 15. §. 7. *ff. h. t.* quae erat ab initio proponenda ut dilatoria, *l. pen. et ult. supr. de except.*

L. Foedissimam. 20.

SUMMARIA

Vim passa nihil deliquit, ergo nec ullam poenam meretur, nec ullam infamiam incurrit. num. 1.
Serti virginalis portatio an isti concedatur? 2.

1 Vim passa nihil deliquit, ergo nec ullam poenam meretur, *l.* 13. §. 7. *ff. h. t. l. vim passam* 39. *pr. ff. eodem*, nec ullam infamiam juris aut facti incurrit, *d. l.* 13. §. 7. *l.* 1. §. 6. *ff.*
2 *de postul.* Sed his tamen serti virginalis portatio non conceditur a *Carpz. in pr. crim. quaest.* 75. *num.* 8. per *c.* 14. *c.* 32. *quaest.* 5. De quo tamen omnino dubitandum ex *h. leg.* Sane hanc quaestionem in thesi decidere periculosum fuit visum Consistorio Dresd. referente *Carpz. in jurispr. eccles. lib.* 2. *defens.* 237. Certe si omnibus modis resistere conata virgo invita compressa fuit, et dissensum conatu, clamore et ejulatu ab initio usque ad consumationem contestata fuit, putarem portationem serti virginalis ipsi concedendam esse, corpus namque pollutum, sed animus impollutus, nullam quippe complacentiam demonstravit.

L. Ob commissa. 21.

SUMMARIA

Quodnam tempus marito ad accusandum datum? num. 1.
Casus. 2.
Quaestio inde deducta. 3.

1 Marito ad accusandum, primo praescripti sunt
2 dies 60. postea quatuor menses, sed pone, maritum Reipub. causa fuisse absentem in publico
3 munere detentum, Quaeritur: *An ipsi currat hoc tempus?* Negatur, quia hoc tempus utile est, non continuum, *l.* 11. §. 5. *ff. h. t. et l.* 15. *h. t.* ergo reverso demum marito currit hoc tempus et eo tempore debet ipsi statui a Judice terminus juxta *l.* 7. *supr. qui accusare etc.* ne perpetuo litis metu uxorem terreat et detineat.

L. Si ea. 22.

SUMMARIA

An is, qui alterius uxorem meretricio more viventem cognoscit poena adulterii ordinaria plectendus sit? num. 1.
Ratio dubitandi. 2.
Decidendi 3.
Confirmatur ex sensu legis. 4.
Et rationibus. 5.
Conciliatio hujus legis cum l. 13. §. 2. ff. h. t. *communior.* 6.
Ant. Matth. *probatur.* 7.

Quaeritur, *An his, qui alterius uxorem meretricio more viventem cognoscit, poena adulterii ordinaria sit plectendus?* Videtur quod sic, 1 2
ob *l.* 13. §. 2. *ff. h. t.* Sed contrarium hic re- 3
spondetur. Quae lex non de soluta, sed con- 4
jugata omnino accipienda est ex verbis ultimis, nam licet uxor alterius pluribus se prostituendo, non possit se a poena liberare, et non possit esse melior conditio ejus, quae pluries peccavit, quam quae semel, atque adeo poenam illam ordinariam non effugiat; alia tamen ratio 5
viri, non quidem quasi adulterium non committat, sed quia minor mariti injuria, dum maritus connivens fere pro lenone habendus, et mulier, quae multis se prostituit, adulterum pellexisse praesumitur. Semel enim malus etc. illa paulo frigidior et inepta ratio; quia vinculum matrimonii semel ruptum. Nam ita nec adultera puniri posset. Nec ipso facto rumpitur vinculum, sed per sententiam judicis, qua lata, non committitur in ipsam adulterium, sed ante sententiam omnino. Communiter autem *haec* 6
lex conciliatur cum *d. l.* 13. §. 2. *ff. h. t.* quod ipsa mulier quidem ordinarie puniatur. Ut et ille, qui primus eam corrupit, ceteri vero minus, *Clarus* §. *adulterium num.* 27. *Farinac. quaest.* 141. *num.* 85. *et seq. Carpzov. dec.* 44. quorum sententiam examinat *Ant. Matth. d. tit.* 3. *c.* 1. *num.* 6. Malo autem sequi distin- 7
ctionem *Ant. Matth.* utrum mulier deserto marito suo passim se prostituat, et sine delectu, et eam quae maritum non deserit, sed passim se prostituit. Conferatur etiam *Bacchov. d. th.* 2. *lit. B. Carpzov. quaest.* 77. *per tot. Finckelthaus. obs.* 5. qui de stupro intelligit *num.* 12. *et* 14.

L. Servi. 23.

SUMMARIA

Ancillam, quae in contubernio servi est, stuprans, quanam actione conveniri possit? n. 1.
Quomodo nostro jure puniatur tale factum? 2.
Apud nos in vidua quoque stuprum committitur. 3.

De quonam in l. 13. §. 2. ff. h. t. *agatur?* 4.
Facti species. 5.
Quaestio inde deducta. 6.
Deciditur per distinctionem. 7.

1 Si quis ancillam, quae in contubernio servi alicujus est (nam inter mancipia nullum matrimonium) stupraverit, non potest de violato thoro accusari, sed potest talis a domino actione injuriarum, vel legis Aquiliae, vel servi corrupti, conveniri, vel extra ordinem puniri, *l.* 6.
2 *pr. ff. h. t.* Sed nostro jure, qua inter servos est conjugium, ex lege Julia vindicaremus tale adulterium, *Ant. Matth. d. t.* 3. *c.* 1. *num.* 1. *et* 5.
3 sicut et apud nos in vidua stuprum omnino committitur, *Auctor in l.* 13. *ff. h. t. num.* 5.
4 secus quam in *leg.* 13. §. 2. *ff. h. t.* dicitur, quem tamen textum non male de vidua meretricio more vivente intelligit *Carpzov. p.* 4. *c.* 27. *defin.* 4.
5 §. 1. Titius divortium fecit ab uxore sua, ideoque postea eam in matrimonium duxit Cajus postea Titius Cajo litem movet, quasi adulterium cum uxore commisisset, cum adhuc Titio nupta esset, Cajus forte quod timeret Titii potentiam,
6 pecuniam dedit, ut Titius a lite desisteret, Quaeritur; *An hoc jure factum?* Resp. Imperator
7 per distinctionem, aut judex reperit in inquisitione Cajum innocentem in crimine adulterii, et dedit forte Cajus metu accusationis calumniosae, et hoc potest recuperare, non quidem Actione quod metus causa, *leg. accusationis* 10. *supr. quod metus causa*, sed per Condictionem indebiti, si accusatio calumniosa, *l. in summa* 65. §. 1. *ff. de condict. indeb.* vel per condictionem ob turpem causam, vel actione de calumnia. Sed si Cajus ex conscientia criminis dedit, Titius quidem retinet, quod accepit, sed quia contra leges pepigit, *l.* 10. *supr. h. t.* incidit in poenam SCti Turpiliani, et Cajus, qui dedit, nisi probet innocentiam suam, habetur pro confesso.

L. Si ejus. 24.

SUMMARIA

Casus legis. *num.* 1.
An servus junctam sibi contubernio uxorem de adulterio accusare possit? 2.
Jus hodiernum. 3.

1 Fuit quaedam contubernio juncta servo, sed nulliter, forte ob servilem cognationem, §. 10. *Instit. de nupt.* servus uxorem de adulterio vult
2 accusare, Quaeritur: *An possit?* Resp. Quod non. I. Quia non est inter servos matrimonium, sed contubernium, cujus fidem lex Julia non tuetur. II. Non fuit verum contubernium, *argum.* §. 12.
3 *Instit. de nupt.* Sed cum Jure Canonico inter servos etiam sit matrimonium, *c.* 1. *X. de conjugio servorum*, ideo hodie etiam inter servos adulterii accusatio locum habet. Vide *Ant. Matth. d. t.* 3. *c.* 3. *num.* 5.

L. Etsi libidine. 25.

SUMMARIA

Facti species. num. 1.
An ancillam stuprans infamia notetur? 2.
Distinctio infamiae in infamiam juris et facti unde probetur? 3.
In ancilla nec adulterium nec stuprum committitur. 4.
Secus Jure Divino et Canonico. 5.
An stuprum in libera muliere commissum reddat infamem? 6.
Carpzovii *sententia improbatur.* 7.
Quicunque ex delicto publico damnatur, est infamis. 8.
Quae sententia confirmatur. 9.

Stupravit quis ancillam Titii, a quo ex l. Aqui- 1
lia convenitur, vel servi corrupti, ut supra ad *l.* 13. *pr.* dictum, ex *l.* 6. *ff. h. t. et leg.* 25. *ff. de injuriis*, condemnatur; etiam quaeritur: *An* 2
notetur infamia? Resp. facti infamia ipsum quidem laborare, sed non infamia juris, quae di- 3
stinctio ex *hac l. et l.* 13. *supr. de infam. etc. l.* 27. *supr. de inoff. testam.* probatur. Nam ut 4
adulterium in ancilla non committitur, ita nec stuprum: sed de *Jure Divino et Canonico* secus 5
est. Sed quaeritur hic: *An stuprum in libera* 6
muliere commissum reddat infamem? Et quamvis hoc neget *Carpzov. part.* 1. *dec.* 17. *num.* 9. 7
melius tamen videtur affirmandum, nam qui- 8
cunque ex delicto publico damnatur, est infamis, *l.* 7. *ff. de publ. jud.* At qui de stupro condemnatur, ille condemnatur de delicto publico, §. 4. *Instit. de publ. jud.* ergo etc. Dein- 9
de hic infamia facti ideo locum non habet, quia in ancillam, non liberam commissum erat stuprum. Ergo si in liberam commissum erat, infamat a contrario sensu, quod argumentum etiam in Codice valet, quando a rationibus legum expressis argumentamur.

L. Quoniam. 26.

SUMMARIA

Facti species. num. 1.
Quaestio inde deducta. 2.
In publicis judiciis servi etiam puniuntur. 3.

Titius accusat Alexandrum adulterii, Alexan- 1
der excipit, Titium non posse agere de adulterio uxoris, cum eam, postquam deprehendit in adulterio, secum in matrimonio retinuerit. Ideoque opponit exceptionem et praescriptionem lenocinii. Titius replicat, Alexandrum non posse opponere de lenocinio, quippe haec non est mera defensio. Nam haec exceptio aggravat dominum, jam vero Alexandrum esse servum. Quaeritur: *Quodnam primum dijudicandum?* 2
Resp. primo ante omnia cognoscendum, anne Alexander sit servus, licet enim haec quaestio sit civilis, atque adeo criminali alias postponenda, *l. fin. supr. de ord. judic.* quia tamen praejudicialis haec quaestio est, ideo prius tractanda, *hic et l.* 8. *infr. de plagiariis.* Si igitur ap-

pareat, ipsum esse servum, non admittenda est ejus exceptio lenocinii, quia haec gravat dominum, *l.* 2. §. 5. *ff. h. t.* sed statim de adulterio inquirendum, et pro re nata animadvertendum,
3 quia in publicis judiciis etiam servi puniuntur, *l.* 12. §. 4. *de accus.* si autem non sit servus, admittendus est cum exceptione lenocinii. Aliter distinguit *Petr. Barbosa ad l. viro atque uxore ff. solut. matrim. num.* 9. *et seq.* quod servus opponat exceptionem lenocinii animo reaccusandi, an vero tantum repellendi maritum, id denegandum, sed hoc concedendum esse putat.

L. Commissum. 27.

SUMMARIA

Adultera repudiata, si nubit adultero velamento matrimonii, crimen non extinguitur, sed maritus adhuc eam accusare potest. num. 1.
Quomodo? 2.
Reus condemnatus an puellae petentis in gratiam sit donandus? 3.

1 Si adultera repudiata nubat adultero, velamento matrimonii, crimen, id est accusatio adulterii non extinguitur, sed adhuc maritus eam de adulterio accusare potest, sed observare de-
2 bet hunc ordinem, ut prius adulterum, postea adulteram accuset, *l.* 11. §. 11. *ff. h. t.* ubi ratio: ne posterius bene concordans matrimonium facile di-
3 rimatur. Et *hoc textu* aliqui probare solent: Reum condemnatum puellae petentis in gratiam donandum. Sed ex *hoc textu* contrarium potius probatur a *Christinaeo dec.* 48. *num.* 4. *vol.* 2. Ideoque melius ex consuetudine deducit hoc *Tiraq. de poenis temp. causa* 56. *Clarus* §. *fin. q.* 498. *num.* 6. sed necessaria ad id est auctoritas Principis, *Virg. Pingizer. q. Sax.* 8. *Carpzov. p.* 4. *q.* 114. *num.* 49. *et seqq.* Homicidium, nisi aliae causae mitigantes delictum accedant, semper excipiendum puto.

L. Ita nobis. 28.

SUMMARIUM

An et quatenus maritus adulteram repudiatam extraneo nubentem de adulterio accusare possit?

Quando adultera repudiata, antequam denunciaretur ipsi accusatio, nubebat extraneo, non poterat maritus eam accusare de adulterio, nisi prius accusasset et convicisset illum, cum quo adulterium commisit, ideoque opponere poterat adultera exceptionem vel praescriptionem ordinis, *leg.* 2. *pr. et leg.* 5. *ff. h. t.* sed hoc displicet Imperatori, quia hac ratione adulterae saepe subtrahebantur poenae: salva tamen est exceptio quinquennii, et exceptio lenocinii, de quibus antea, *Bacchov. in Treutl. d. decis.* 32. *th.* 2. *lit. H. pag.* 1253. Nec tamen omnes alias praescriptiones per *hanc legem* abolitas quis dicit, sed tantum elusorias frustratorias et moratorias, *Ant. Matth. d. t.* 3. *cap.* 4. *num.* 15.

L. Quae adulterium. 29.

SUMMARIA

Adulterium cum tabernae domina commissum est punibile, et cur? num. 1.
Secus cum ancilla seu ministra tabernae. 2.
Ministra tabernae meretrix praesumitur, quando vel unum admittit. 3.
Lex haec contraria est Juri Divino, et proinde merito consuetudine abolita. 4.
Domina tabernae inter infames personas non est referenda. 5.
Stuprum etiam vili personae illatum est punibile. 6.

Adulterium cum domina tabernae commissum 1
est punibile, quia haec proprie materfamilias, id est, sui juris appellatur, sed cum ministra 2
tabernae commissum non est punibile, quia vilitas vitae ipsam excusat, et ipsa intemperantia vinum suppeditat, et vitae vilitas dignas legum observationes non credidit. Unde concludunt 3
DD. ministram tabernae praesumi meretricem, quando vel unum admittit, *Farinac. quaest.* 141. *num.* 88. sed si *lex haec* vult ipsam propterea plane esse immunem a poena (Vide *l.* 22. *supr. h. t.*) *haec lex* Juri Divino est contraria et me- 4
rito consuetudine abolita. Nam si meretricio more vivens adultera punitur, ut ad *l.* 22. dictum, cur non etiam tabernae ministra alteri conjugata? Lex divina inter honestiores et viliores non distinguit, nihilque vetat esse tabernariam et alterius uxorem, *Ant. Matth. d. t.* 3. *c.* 1. *num.* 5. *Farinac. lib.* 1. *cons.* 90. *num.* 14. *Hartm. Pist. obs.* 32. *num.* 7. *et seqq. Finckelthaus. obs.* 5. *num.* 17. *et seq.* Colligitur tamen: dominam 5
tabernae non esse inter infames personas referendam, *Ant. Matth. ad lib.* 47. *tit.* 4. *c.* 4. *num.* 6. Colligitur etiam falsitas illius doctrinae, quod stuprum illatum vili personae sit impuni- 6
bile, nam licet domina cauponae etiam sit vilis persona, in ea tamen vindicatur adulterium, et ansa alias daretur vitiandi pauperiores puellas, ut graviter eam sententiam insectatur *Farinac. lib.* 1. *cons. num.* 10. ubi plures citat, nec permittitur illud Jure Divino, Can. et Imperiali, Vid. *Auct. in l.* 13 *ff. h. t. num.* 6.

L. Quamvis. 30.

SUMMARIA

An extranei ad accusationem adulterii sint admittendi? num. 1.
Ratio dubitandi. 2.
Decidendi. 3.
Glossa et DD. *notantur.* 4.
Consuetudo hodierna. 5.
Poena adulteriorum ex hac lege *est capitalis et gladii, sed olim ex* lege Julia *erat poena relegationis.* 6.
Constantinus *poenam capitalem repetiit, ob adulterium scilicet in nuptam commissum.* 7.
Si maritus cum soluta illicite conversatur, semper poena fuit arbitraria. 8.
Quaenam sit poena juvenis nuptam stuprantis? 9.
Confirmatur poena haec. 10.

1 Quaeritur: *An extranei ad accusationem adul-
2 terii sint admittendi?* Videtur quod sic, quia
3 est crimen publicum, sed negat Imperator, et
permittit marito, ut accuset, etiam ex suspi-
cione sola, ex qua tamen condemnari uxor non
potest, sed suspicio prodest marito, ut evitet
poenam calumniae, quum etiam suspectam re-
tinere possit. Et accusat maritus sine vinculo
inscriptionis, *leg.* 6. *supr. h. tit.* Post maritum
accusandi jus habent personae necessariae ut
pater, frater, patruus et avunculus. Hos enim
verus dolor ad accusationem impellit, ita tamen
hi accusare possunt, ut possint etiam impetra-
ta abolitione desistere, *l. abolitionem* 16. *supr.
h. t.* Sed *An alii, qui extranei dicuntur, ad-
4 mittendi sunt?* Et quidem *Gloss. et DD.* com-
muniter putant non simpliciter hic arceri ex-
traneos, sed quamdiu extant pater et cognati.
Sed hos recte refutat *Salicet. hic num.* 5. cujus
argumenta contraxit *Bacchov. in Treutl. d.
th.* 2. *lit. G. Hahnius ad Wesenb. in ϖ. h. t.
num.* 9. *Ant. Matth. d. t.* 3. *cap.* 1. *num.* 11. Sed
nec cognati accusabunt retenta a marito uxore,
sed separata adultera, *Petr. Barbos. ad l.* 2.
5 *pr. ff. solut. matrim. num.* 117. Verum si con-
suetudinem consulamus, videmus hodie Magi-
stratum etiam ex officio inquirere, *Farinac. q.*
141. *num.* 41. *ampl.* 14. *Petr. Caballus in resol.
6 cas. crim.* 114. Demum Imperator in *hac lege*
constituit poenam adulteriis capitalem, scilicet
poenam gladii. Nam ex *lege Julia* poena erat
relegationis, *arg. l.* 5. *de quaest. et l.* 11. *pr.
ff. h. t. Cujac. lib.* 6. *obs.* 11. *et lib.* 19. *obs.* 39.
Petr. Heig. p. 2. *quaest.* 29. *num.* 47. *et* 61.
Ant. Matth. d. t. 3. *cap.* 2. *num.* 1. *Bacchov. d.
th.* 2. *lit. D. Harpr. in Instit.* de *publ. jud.*
7 *num.* 79. Sed *Constantinus* poenam voluit esse ca-
pitalem, scilicet, ob adulterium in nuptam com-
8 missum. Nam si maritus cum soluta illicite con-
versatur, semper ea poena fuit arbitraria, *Wesenb.
in ϖ. h. t. n.* 19. *Berlich. p.* 4. *concl.* 27. *n.* 46.
9 *Carpzov. q.* 53. *num.* 36. Sed *quae erit poena
juvenis stuprantis nuptam?* Resp. omnino eam
esse capitalem, ob generalitatem *hujus textus*,
et quia hoc proprie dictum adulterium, *M.
Steph. ad art. crimin.* 120. *num.* 5. *P. Heig.
p.* 2. *c.* 29. *num.* 19. *Carpzov. p.* 4. *c.* 19. *def.*
3. *et d. q.* 53. *num.* 41. *et seq. Berlich. p.* 4.
concl 27. *num.* 35. *Ant. Matth. d. t.* 3. *c.* 7.
10 *num.* 4. quae sententia manifeste probatur, per
Novell. 131. *c.* 10. ubi primo Imperator jubet,
ut maribus adulterium committentibus inferatur
poena, quam *Constantinus* disposuit, et hos ma-
res postea distribuit in eos, qui uxorem habent,
et qui non habent. Et hanc etiam sententiam
amplecti videtur *Cothm. vol.* 3. *cons.* 48. *num.*
45. dum dicit, hanc legem locum habere quan-
do ligatus vel solutus cum alterius uxore rem
habet.

Auth. Sed hodie.

SUMMARIA

Interpretes Theodorae *Imperatrici* hanc Authent. *transcribunt. num.* 1.

Poena capitalis in commisso adulterio ad adulteros h. l. *restringitur.* 2.

Mitius puniuntur adulterae mulieres, et quomodo? 3.

Pugnat haec Constitutio cum Jure Divino, estque irrationabilis. 4.

Foemina committens adulterium plus peccat per insitionem stirpis et sobolis alienae quam adulter. 5.

Ampliatur regula num. 4. *tradita.* 6.

An haec Constitutio adhuc vigeat? 7.

An adhuc omnia adulterae bona monasterio sint applicanda? 8. 10. 11.

Duplex hujus Authenticae *absurditas.* 9.

Imperator noster (quod interpretes *Theodorae* 1
Imperatrici communiter transcribunt) poenam
capitalem in *l.* 30. *in fine* sancitam, ad adulte- 2
ros restrinxit. Adulteras autem vult fustigandas, 3
et in monasterium trudendas esse, ex quo re-
cipere eam maritus, si vult potest intra bien-
nium; post biennium vero debet monasticum
habitum suscipere: et extantibus liberis omnium
bonorum suorum partem tertiam relinquere mo-
nasterio, duas liberis, sed his non existentibus,
duas applicabit monasterio, tertiam parentibus,
et nec his existentibus omnia bona relinquit mona-
sterio. Sed cum haec constitutio et *Novel.* 134. 4
cap. 10. pugnet cum Jure Divino *Levit. cap.* 20.
vers. 10. *Deut.* 22. *vers.* 21. et sit irrationabilis,
cum foemina plus peccet, scilicet per insitio- 5
nem stirpis et sobolis alienae, quam adulter,
ideoque recte consuetudine locorum contraria
hoc abolitum, ut testatur *Berlich. part.* 4. *concl.*
27. *num.* 20. et alii citati *a Dn. Carpzov. part.* 2.
qu. 53. *num.* 27. quod quamvis neget ibidem 6
Carpzov. verum tamen apud nos esse, in du-
plicato praesertim adulterio, ipsa experientia
quotidiana docet, nam in facultate nostra jam
a plurimis annis adulterae quoque in duplicato
adulterio gladius adjudicatur. Sed ubi Constitu- 7
tio illa *Justiniani* in favorem foeminarum lata
viget, solet fustigatio cum perpetua relegatione
imponi. Vid. *Carpzov. d. l.* Sed hic scrupulus 8
restat excutiendus, quia hic dicitur, omnia bo-
na adulterae esse applicanda monasterio, an non
abrogata sit, *l. consensu* 8. *C. de repud. et
Nov.* 117. *c.* 8. ubi dos applicatur marito inno-
centi. Et quidem si hoc dicamus, duplex est 9
absurditas *hujus Authent.* 1. Quod gladii poenae
adulterum reliquerit, adulteram subduxerit.
2. Quod ob adulterium mariti donationem pro-
pter nuptias addixerit uxori, ob adulterium
uxoris dotem addixerit monasterio, non marito.
Anth. Matth. d. t. 3. *num.* 2. Hoc videntes *Do-* 10
ctores distinguunt, utrum civiliter agatur, an
vero criminaliter, *Farin. q.* 142. *num.* 103.
Quamvis autem non negem, moribus nostris agi
posse civiliter ad separationem thori, malo ta-
men sequi sententiam *Ant. Matthaei*, qui *No-
vellam* 134. *c.* 10. de aliis bonis praeter dotem
intelligit, ne *haec Novella* abroget *d. Novell.* 117.
c. 10. et duplici vitio laboret. Alii distinguunt, 11
utrum maritus uxori repudii libellum miserit,
etiam post detrusionem in monasterium intra
biennium, annon illo casu lucrari maritum do-
tem, hoc non, *P. Barb. ad d. l.* 2. *pr. ff. sol.
matr. num.* 59.

Auth. Si quis ei.

SUMMARIA

Tenor hujus Authenticae. *num.* 1.
Ex praesumptionibus urgentissimis, sed lege expressis aliquis condemnatur. 2.
Consuetudine quid obtineat? 3.
Maritus adulterum interficiens in foro conscientiae non absolvitur. 4.

1 Quando maritus ter in scriptis ei, quem de adulterio uxoris suspectum habet, denunciavit, ut a conversatione cum uxore sua abstineret, et eum nihilominus cum uxore sua in loco suspecto et ad adulterium idoneo inveniat, non punitur, si eum occidat; sed si in alio loco offendat, debet eum Judici offerre, ex hac praesumptione condemnandum: si in Ecclesia offendat colloquentem cum uxore, debet eum offerre defensori Ecclesiae, ut ab eo transmittatur Judici seculari in adulterium inquirenti; et Col-
2 lige etiam: ex praesumptionibus urgentissimis aliquem condemnari, sed lege expressis. Alias multas recenset *Farinac. quaest.* 136. *c.* 4. *Rittershus. in Novell. p.* 16. *cap.* 5. *num.* 2. *et seq.*
3 Sed utut urgentissimae sint, consultius tamen hic facit judex, nisi confessum habeat reum, ut extraordinariam imponat poenam, *Wesenb. in* ϖ. *num.* 17. quod etiam in animadversionibus approbat *Bacchov. Menoch. lib.* 1. *A. Q.* 94. Vide tamen et confer notata *Carpzov. part.* 3. *quaest.* 115. *num.* 51. *et seqq.* et praesertim, *num* 57. licet haec sententia *Doctorum* displiceat *Ant. Matth. tit.* 15. *c.* 6. *num.* 4. sed in
4 foro conscientiae non absolvitur maritus, adulterum in casu hoc interficiens, *c. si quod verius caus.* 33. *q.* 2. Vid. *Tholos. in syntag. jur. lib.* 36. *c.* 6. *num.* 7. *Covarr. de matrim. p.* 2. *c.* 7. *num.* 15. *et seqq. Ant. Matth. d. t.* 3. *c.* 3. *in fine.*

L. Cum vir nubit. 31.

SUMMARIA

Sodomiae vitium ejusque poena. num. 1.
Si cum bruto commissa et hoc comburitur. 2.
Mastupratores, tribades et similes quomodo puniendi? 3.

1 Detestabile hoc vitium sodomiae, de quo *Apostolus Paulus ad Rom.* 1. punitur poena gladii, quae tamen poena exasperatur *art.* 116. *P. H. O.* et dictatur vivicomburium, *Menoch. lib.* 2. *A. Q. c.* 286. *Damhud. in praxi crim.* 96. Vid. *Carpz. quaest.* 76. *Struv. synt. jur. civ. exerc.* 49. *th.*
2 42. et quando cum bruto commissa et hoc
3 comburitur, *Struv. d. l.* Mastupratores, tribades et similes quomodo puniendi? *Struv. d. l. th.* 43.

L. In adulterii. 32.

SUMMARIA

An mariti tantum mancipia, an vero etiam uxoris torturae subjicienda? num. 1.
Objectio removetur. 2.

Lege 3. dictum, servos etiam torquendos esse, sed hic Quaeritur: *An tantum mancipia mariti, an etiam uxoris torturae subjicienda?* 1
Resp. Affirmari utrumque, ut ita veritas eruatur: sed illi tantum servi sunt torquendi, qui tempore adulterii domi commorati sunt. Nec 2
obstat *l. prospexit* 12. §. 1. *ff. qui et a quibus manumissi*, quia illa lex de alio effectu loquitur, scilicet de non manumittendis servis, hic de torquendis, quorum hoc gravius est.

L. Adulterii. 33.

SUMMARIA

Casus legis. *num.* 1.
Quaestio inde deducta. 2.
Causae civiles non tantum criminibus, sed etiam minora crimina majoribus postponenda? 3.

Titius accusat uxorem suam de adulterio, 1
uxor excipit, dotem sibi esse reddendam. Quaeritur: *An prius de restitutione dotis dijudicandum?* Resp. negando. Nam postquam accusatio 2
fundata, id est, postquam constitit, quo jure accuset, an mariti, an extranei, et an justo tempore accuset, quae quasi praeliminaria sunt hujus accusationis, prius de criminis veritate indagandum, nam regulariter causae civiles non 3
tantum criminibus, sed etiam minora crimina majoribus criminibus postponenda, *l.* 1. *supr. qui accusare*, *l. fin. supr. de ord. judic.* finita autem accusatione, si forte mulier vicerit salva est illi exceptio, vel potius actio de dote restituenda.

L. Si quis adulterii. 34.

SUMMARIA

Facti species. num. 1.
Objectio resolvitur. 2.
Ex praesenti praeteritum colligitur, et praesumptio violenta, quam lex pro plena probatione habet, confessioni partis aequiparatur. 3.

Titius accusavit uxorem suam vel alienam de 1
adulterio cum Cajo commisso, uxor autem multis praesumptionibus gravata excusat se, quod proxima cognatione Cajo esset conjuncta, atque adeo non praesumi tantum scelus, juxta *l.* 19. *supr. de Episc. et Cleric.* et ita absolvitur, sed mortuo marito nubit Cajo. Hic illa praesumitur adulterium antea commisisse cum Cajo, atque haec praesumptio est juris de jure. Nam licet absoluta, alias ab eodem non possit accusari, *l.* 7. §. 2. *ff. de accusat.* aliud tamen est, quando is, qui de novo accusat, praesumptione legis uti vult. Sed quid Judici hic faciendum, con- 2
sule *Auth. si quis ejus h. t.* explicationem. Sed videtur hic scrupulus hanc decisionem urgere, quomodo haec adultera absoluta, de novo accusari potuerit contra *l.* 7. §. 2. *ff. de accusat.* Resp. *Glossa* hic, non per probationem

hominis, sed per praesumptionem legis denuo accusatam, vel rectius absolutam eam non fuisse, sed abolitum crimen. Collige: ex praesenti
3 colligi praeteritum, et praesumptionem violentam, quam lex pro plena probatione habet, aequiparari confessioni partis.

L. Si mulier. 35.

SUMMARIA

An maritus uxorem, quae ipsum sine causa repudiaverat, de stupro secuto accusare possit? num. 1.
Ratio dubitandi. 2.
Decidendi. 3.
Quid de persona, quae eam cognovit? 4.
Usus horum hodie est exiguus. 5.

1 Uxor aliqua sine causa repudiat maritum, eo fine, ut licentius peccaret in corpus suum. Postea stuprari se patitur; Quaeritur, *An maritus de stupro secuto ipsam accusare possit?* nam de haeredibus mariti hic non agitur, *Menoch. lib.* 2.
2 *A. Q. cas.* 288. *num.* 31. Videtur quod non, quia non peccavit uxor, nam soluta peccavit,
3 sed resp. Affirm. ne fraus legi fiat, *l. non dubium*
4 *C. de legib.* sed quid *de persona, quae eam cognovit?* Distinguendum, an sciverit non a lege missum repudium, an vero ignoraverit. Tunc vero non a lege fuit missum repudium, quando foemina jus illud non habuit, ut si liberta, vel non ex ea forma, quae a lege requiritur,
5 *Ant. Matth. d. t. c.* 1. *num.* 10. Nobis haec non adeo necessaria, ubi repudium non admittitur. Si tamen separatio conjugii facta sit ob falso insimulatum adulterium, et indigne condemnatum maritum, locum haec habere possent; quid de deserta? Vid. *Carpzov. q.* 58.

L. Libertatem. ult.

SUMMARIA

Super uxoris adulterio servi ejus vel mariti torqueri possunt. num. 1.
Quid si mulier pendente accusatione moriatur? 2.
Haeredibus uxoris dotem repetentibus maritus exceptionem adulterii ab uxore commissi opponere, et ita dotem servare potest. 3.
Quomodo poenalis persecutio contra haeredes locum habeat? 4.

Super adulterio uxoris servi ejus, vel mariti 1
torqueri possunt, *l.* 32. *h. t.* Sed *quid si mulier* 2
pendente accusatione moriatur? Propter dotem, quam adultera amittit, *l.* 8. §. 5. *supr. de repud.* etiam post mortem continuatur accusatio, et intra 2. menses a morte adulterae computandos, non debent servi ab haerede manumitti, ut ad inquirendam veritatem torqueri possint; post 2. illos menses licite manumittuntur, quia sibi imputet accusator, quod non vigilaverit.
Ex *hac lege Baldus, Salyc. et alii Doctores* pro- 3
bant, haeredibus uxoris repetentibus dotem, posse maritum opponere exceptionem adulterii ab uxore commissi, et ita servare dotem, quia servi propterea inter duos menses manumitti prohibentur, ne incertum sit, utrum ad maritum, an ad haeredes uxoris dos pertineat, et *DD.* sequitur *Ant. Matth. d. t.* 3. *cap.* 3. *num.* 8.
Sed quomodo poenalis persecutio contra haere- 4
des locum habet? Varie hic respondent *DD.* Sed rejectis aliorum responsionibus eleganter respondetur a *Petr. Barbos. ad l.* 2. *pr. num.* 131 *et seq.* quod poenae persecutio contra haeredem non per actionem, sed per modum exceptionis locum habeat, atque adeo potest retinere dotem, quam habet in manibus suis maritus. Vide quae notavi ad *l.* 3. *ff. quod quisque juris etc. num.* 2.

TITULUS X.

Si quis eam, cujus tutor fuerit, corruperit.

L. Si tutor. un.

SUMMARIA

Stupri poena. num. 1.
Quid juris hodierni? 2.
Jus Divinum. 3.
Jus Saxonicum. 4.
Quid si quis puellam, cujus tutor fuit, stupraverit? 5.
Poena custodis carceris carceratam cognoscentis. 6.
Quid si quis stuprum Judaeae intulerit, vel puellae nondum viri potenti vel moniali? 7.

1 Stupri poena est publicatio dimidiae partis bo-
2 norum, §. 4. *Inst. de pub. judic.* Sed hodie poena est arbitraria, carceris vel pecuniaria: Ratione partis laesae est donatio, et ut eam ducere teneatur stuprator. Stuprum enim est, quod virgini vel viduae honestae infertur: et jure Divi- 3
no ad utrumque obligatur, sc. ut dotet et ducat, *Exod. c.* 22. *vers.* 16. jure nostro consistoriali *tit.* 62. tantum ducere tenetur, sed jure 4
Sax. aut ducere aut dotare, quod fere ubique receptum, de quo *Carpz. in practic. crim. q.* 68.
Sed si quis eam puellam, cujus tutor fuit, stu- 5
praverit, ille deportandus, et bona ejus omnia confiscantur, quia officium ejus erat defendere ab injuria pupillam, *Farin. q.* 147. *num.* 16.
Clarus §. *fornicatio n.* 23. Ex qua ratione exa- 6
speranda etiam poena, si custos carceris carceratam cognoscat, *Clarus d. l. num.* 25. *Carpzov. quaest.* 69. *num.* 23. sic exasperatur poena, si 7
stuprum Judaeae illatum, *l.* 6. *C. de Judaeis,* vel puellae nondum viri potenti, *l.* 38. §. 3. *ff. de poenis, Carpzov. d. q.* 69. *num.* 38. vel moniali *l.* 5. *C. de SS. Eccles.*

TITULUS XI.

De mulieribus, quae se propriis servis junxerunt.

L. Si qua. un.

SUMMARIA

Poena dominae solutae cum servis se miscentis. num. 1.
Servi poena. 2.
Ratio. 3.
An idem in vasallo? 4.
An idem in rustico nobilem puellam etiam consentientem stuprante? 5.

1 Si domina soluta cum servo suo se miscuerit,
stuprum quidem tantum est, sed hoc casu domina capite plectitur, servus vero comburitur, 2
et liberi ex ea copula nati sunt infames, atque
dignitatum incapaces, nec matri succedunt, sed
omnia dominae bona, licet servus possideat, liberis legitimis vel aliis illius mulierculae haeredibus tradi debent. Causa severitatis est, ut ser- 3
vorum ferocia et libido coerceatur, et praeterea vilitas personae ac major delinquendi occasio, cujus exemplo famulus corrumpens domini
filiam gravius puniendus, *Farinac. q.* 141. *num.*
57. *Petr. Greg. Tholos. lib.* 36. *c.* 6. *num.* 20.
Perez hic in fine. Idem in vasallo, *Farinac.* 4
quaest. 147. *num.* 10. Idem in rustico dicerem 5
nobilem puellam etiam consentientem stuprante.

TITULUS XII.

Ad Legem Juliam de vi publica, vel privata.

L. Ob debitum viri. 1.

SUMMARIA

Nullus creditor res uxoris propter debitum mariti occupare potest. num. 1.
Ampliatur. 2.
Qui de facto res uxoris occupant, vim committunt. 3.
Ampliatur. 4.

1 Nullus creditor, nec privatus, nec Fiscus propter debitum mariti potest occupare res uxoris,
2 *l. l. supr. ne uxor pro marito etc.* ne quidem si
ob publicum munus quid debet maritus, nisi
ex causa primipili, *l.* 4. *supr. in quibus causis*
3 *pign. tac. contrahitur*, et qui de facto occupant res uxoris, vim committunt, quod etiam
in aliis creditoribus locum habet, qui de facto
res debitoris sui (ubi non est in mora pericu-
4 lum) ne dum alterius occupant, per *l. in possessionem* 5. *h. t.* et praeterea civiliter puniuntur per *l. si quis in tantam C. unde vi.* Conf. *Ant. Matth. tit.* 4. *c.* 3. *num.* 4.

L. Tutoris. 2.

SUMMARIA

Poena vis privatae, quae fit sine armis. num. 1.
Quid si ille, qui vim privatam commisit, creditoribus aliquid debuerit? 2.
Jus hodiernum circa vim privatam. 3.
Fiscus succedens alicui vel in totum vel pro parte, loco haeredis est, et tenetur ad aes alienum. 4.
Filius bannitus a patre praeteritus, an ejus testamentum nullum reddere possit? 5.
Casus aliquot, quibus Fiscus succedens non est loco haeredis. 6.

Vis privatae, quae sine armis fit, poena est 1
publicatio tertiae partis bonorum, §. 9. *Instit.*
de publ. jud. Auctor in l. 1. *ff. ad l. Jul.*
de vi priv. num. 2. sed *quid si ille, qui vim* 2
privatam commisit, creditoribus aliquid debuit?
Resp. Fiscus pro tertia parte tenetur creditoribus, *l.* 31. *pr. ff. solut. matr. l.* 5. *infr. de bonis proscript. Auctor in d. l. ff. de vi priv. n.* 2.
si igitur v. g. ille fuit tutor pupillo suo obligatus, pupillus pro tertia parte debiti, quo illi
tutor fuit obstrictus, Fiscum convenire potest,
hac l. 2. *et l.* 31. *princ. ff. solut. matrim.*
l. 5. *de bonis proscript.* Collige: I. Poenam vis 3
privatae, esse publicationem trientis bonorum,
quae tamen hodie non frequentatur, quin potius poena est arbitraria, pro ratione circumstantiarum, *Damhud. prax. crim. c.* 102. *num.*
9. *Carpz. q.* 40. *num.* 7. Infamiam cum sequi
omnibus criminibus publicis commune est, per
l. 7. *ff. de publ. jud.* II. Collige ex *hac lege:* 4
Fiscum succedentem alicui in totum, vel pro
parte, esse loco haeredis et teneri ad aes alienum, siquidem quod hic de pupillo dicitur, de
omni aere alieno intelligendum; Unde quis colligere potest: Si filius bannitus sit a patre prae- 5
teritus, posse eum patris testamentum dicere
nullum, quod tamen negat et refutat *Cremensis*
sing. 90. Casus autem, quibus Fiscus non est 6
loco haeredis, videantur apud *Peregrinum de*
jure Fisci lib. 5. *tit.* 1. *num.* 6. *et seqq.*

L. Si confidis. 3.

SUMMARIUM

An de raptu filii sponsae vel inclusione filii pater agere possit?

De raptu sponsae filii sui, vel filii inclusione, pater potest agere de vi publica vel privata, prout cum vel sine armis vis admissa est, *l.* 6. *ff. de vi publ.* licet de raptu etiam vel de privatis carceribus agere possit. Sed de raptu postea.

L. Si criminis. 4.

SUMMARIA

Idem quoad accusationem servi in delictis publicis est, quod in liberis. num. 1.
Ampliatur. 2.

1 Quando servus ob delictum publicum accusatur, eadem observanda sunt, quae in liberis, *l.* 12. §. 3. *ff. de accusat.* Ideo si servus vim com-
2 misit, non dominus, sed servus ipse accusandus est, non quidem ad hoc, ut patiatur poenam ordinariam, publicationem scilicet tertiae partis bonorum, *l.* 12. §. 4. *ff. de accusat.* sed poenam corporalem, vel supplicium ultimum; Sane si ipse dominus vel servus jussu domini vim fecisse probari posset, de proprio delicto conveniendus dominus.

L. In possessionem. 5.

SUMMARIUM

An creditor fundum sibi oppignoratum vi occupans, teneatur de vi?

Si creditor fundum sibi oppignoratum vi occupet, tenetur de vi privata, sed si hoc per contractum ipsi liceat, vim quidem facere non videtur, sed vitiose tamen possidet. Vid. notata ad *l.* 3. *supr. de pignor.*

L. Quoniam. 6.

SUMMARIA

Facti species. num. 1.
Quomodo auctor violentae de fundo possesso dejectionis, si quis ex una parte interimitur, puniri debeat? 2.
An auctor ejusmodi habeat beneficium appellationis? 3.
Auctor rixae de eo tenetur, quod ex rixa sequitur. 4.
Restringitur haec regula. 5.

1 Tu me vis violenter de fundi possessione deji-
2 cere, ego resisto: Interim aliquis interimitur sive a parte mea, sive a parte tua, et hoc casu tu tanquam auctor turbae, et tumultus, non ordinaria poena vis publicae vel privatae, sed ultimo supplicio, vel ut homicida es puniendus. Quia 1. hic plura delicta concurrunt, et quamvis 2. propositum occidendi non habeas, tamen ille, qui dat operam rei illicitae, tenetur de omni eo, quod sequitur, praeter intentionem, si nimirum causa sit ordinata ad subsecutum delictum, ita ut delicti auctor scire potuerit et debuerit, illum effectum facile exinde secuturum. Vid. *Carpzov. pr. crim. part.* 1. *quaest.* 1. *num.* 19. Et sicut maleficis notoriis 3
beneficium appellandi non competit, *l.* 2. *supr. quorum appell.* ita nec tumultus et inde secuti homicidii auctor provocare potest. Collige igitur: 4
auctorem rixae teneri de eo, quod ex rixa sequitur, *Hipolytus de Marsil. sing.* 40. *Gail. lib.* 1. *obs.* 109. *num.* 3. Sed hoc non videtur ita 5
generaliter intelligendum, quia *haec lex* loquitur de eo, qui armatus et hominibus coactis venit ad eripiendam alteri possessionem, *Ant. Matth. tit.* 5. *c.* 3. *in fin.* Ideoque in poenis statutariis non videtur habere locum. Vid. *Fachin. l.* 11. *cap.* 57.

L. Si quis ad se. 7.

SUMMARIA

Facti species. num. 1.
Quid si aliquis de possessione fundi vi dejectus, fundum suum judicio recuperare nolit, sed per vim fundum occupet? 2.
Quivis jus suum per viam juris exequi debet, non autem per vim armorum nec superbia voluntatis. 3.
Adhibitis duabus ex intervallo a diversis violentiis, de prima in judicio non disputatur, sed solum de secunda. 4.
Ultimus spoliator adversarium super spolio in eadem re antea commisso reconvenire nequit. 5.
Secus in spolio de alia re commisso. 6.
Poena vis publicae de jure veteri. 7.
De jure hodierno. 8.

Titius Cajum de possessione fundi dejecit. Hic 1
Cajus vel civiliter agere potest, et quidem aut *rei vindicatione*, aut interdicto *Unde vi*, de quibus supra; vel criminaliter, de *Vi publica, aut privata*, ita tamen, ut se inscribat ad similitudinem supplicii, si non probaverit, *l. fin. supr. de accusat.* Sed *quid si Cajus nolit judicio* 2
fundum suum recuperare, sed per vim fundum occupet? Tum fundus invasus ante omnia restituendus Titio, per interdictum *Unde vi*, quia violentia postrema absorbet priorem, quoad interesse partis, non quoad poenam Judici debitam, ut *hic Bl.* et dum de possessione disputatur, quiescit quaestio criminis. Postea de crimine cognoscitur, et si Cajus violentiam intulisse probetur, deportationis et confiscationis bonorum omnium poenam reportabit. Collige I. Debere omnes jus suum exequi per 3
viam juris in judicio, non autem per vim armorum, nec superbia voluntatis. II. Quando 4
duae violentiae sunt adhibitae a diversis, ex intervallo, de prima non disputari in judicio, sed solum de secunda, ut *hic Bl. num.* 7. Et sic duae sequuntur exinde conclusiones: 1. Quod 5

ultimus spoliator non possit reconvenire adversarium super spolio in eadem re antea commisso, quia alias secunda spoliatio maneret im-
6 punita; 2. Si spoliator conventus vellet reconvenire spoliatum ob spolium in alia re commissum, tunc reconventio locum haberet, quia sic utrumque spolium puniretur, ita cum *Menoch. rem* 1. *recup. poss. num.* 388. *et aliis Petr. Barb. ad tit. Pandect. de judic. ad l.* 37. *num.*
7 175. *et multis seqq.* III. Nota poenam vis publicae, scilicet deportationem in Insulam et confiscationem bonorum, *Auctor in l. pen. ff. h. t.*
8 *num.* 1. Hodie vis publica, quae non incidit in crimen fractae pacis publicae (ubi poena gladii, *Auctor in d. l. pen. ff. h. t. num.* 3. *Struv. synt. jur. civil. exerc.* 49. *th.* 47.), vel in homicidium, latrocinium, raptum, puniri solet poena arbitraria, fustigationis, relegationis, multa, carcere etiam vel amputatione manus, *Clarus* §. *fin. quaest.* 83. *Decianus lib.* 8. *cap.* 18. *num.* 19. *Carpzov. quaest.* 4. *num.* 7.

L. Servos. 8.

SUMMARIA

Servus vel cum vel sine jussu domini sui vim publicam vel privatam committens quomodo puniendus? num. 1.
Si jussu domini, quomodo dominus puniatur? 2.
Metus Principis vel Tyranni excusat in injustis. 3.
Poena ordinaria vis privatae et publicae. 4.
Quatenus haec sit exasperanda. 5.
Regulariter, qui saepius peccat, graviter punitur. 6.
Saepe delinquendo delictum fit capitale, quod alias sua natura capitale non est. 7.
Ter peccans pro insanabili habendus. 8.
Restringitur. 9.
Poena judicis vim ejusmodi non secundum leges punientis. 10.
Judex sine causa aggravans vel remittens poenam, infamia notatur. 11.
Causae justae, ob quas etiam inferior judex poenam mitigare possit, remissive. 12.
Poenam ordinariam mitigare solius est Principis. 13.

1 In *principio* agitur de servo committente vim publicam, vel privatam, qui, si id faciat ignorante et non jubente domino, ultimo supplicio
2 afficiendus est, Vide *l.* 4. *h. t.* si vero jubente domino, hic fit infamis, et dignitate omni exuitur, servus autem in metalla condemnatur, ut ita jussus domini in atrocibus etiam quodammodo excuset servum, Vide *l.* 4. *supr. de nox. act.* licet alias jussus domini vel superioris non excuset, *l.* 33. *C. de decur. l.* 5. *C. de jure Fisci.*
3 Unde colligunt: metum Principis vel Tyranni, excusare in injustis, Vid. *Menoch. lib.* 2. *A. Q. casu* 354. *num.* 150. *et seqq.* Et sic etiam metus ab hoste illatus aliquem excusat a crimine Majestatis vel rebellionis, si cessante metu ad obedientiam superiori praestandam statim redeat, *Farinac. q.* 117. §. 1. *num.* 7. *et Phil. Sigism. Cludius in dissert. de crim. Majest.* §. 169.
4 §. 1. Ordinaria poena vis privatae est confiscatio tertiae partis bonorum, publicae vero,
5 deportatio. Sed si persona, quae vim commisit, vilis conditionis, vel infamis sit, vel si bis aut ter commiserit delictum, poena exasperanda est, adeo ut non injuria *Clarus* §. *fin. quaest.* 83. *num.* 4. *Menoch. de A. Q. casu* 394. poenam dicant esse arbitrariam. Vid. etiam *Wesenb. in* ϖ. *h. t.* Nota bene: Regulariter eum, qui sae- 6
pius peccavit, gravius puniri, ut *hic et l.* 3. *in fin. supr. de Episc. audient.* quod potissimum verum est in poenis arbitrariis. Unde etiam *Doctores* inferunt: Saepius delinquendo delictum 7
fieri capitale, quod capitale sua natura non est, et eum, qui ter peccavit, pro insanabili haben- 8
dum, *Farinac. quaest.* 23. *num.* 1. *et* 16. *Covarr. lib.* 2. *resol. c.* 10. *num.* 8. sed hoc in genere 9
intelligendum non videtur, ut recte *Ant. Matth. tit.* 18. *c.* 4. *num.* 28. monet.

§. 2. Judex, si vim publicam aut privatam 10
non puniverit, vel poenam distulerit, aut justo molliorem inflixerit, notatur infamia, quia mitior lege esse non debet. Collige: Judicem sine 11
causa adgravantem vel remittentem poenam infamia notari, quod commendat *Ludwig. Romanus singul.* 78. et quae ibi habent Additionatores. Sed sunt causae justae, ob quas inferior 12
Judex etiam poenam mitigare potest, quales causas recenset *Carpzov. in pract. crim. q.* 149. *etc.* Alias mitigare poenam ordinariam so- 13
lius est Principis, de quo *Carpz. q. seq. scil.* 150.

L. Crimen. 9.

SUMMARIA

An et quatenus paria sint rapere, et res raptas raptori scienter servare? num. 1.
Exemplum subjicitur. 2.
Poena utriusque tam raptoris quam recipientis. 3.

Paria sunt rapere, et res raptas raptori servare 1
scienter, quod intelligendum est, si quis statim addicat suam operam ante factum, vel in ipso facto, vide notata ad §. 11. *Inst. de obl. ex delicto.* Sane in raptu virginis constitutum specialiter 2
durius raptorem puniri, quam receptatorem, ut in *tit. seq.* dicetur. Sed ei, quod hic dicitur, *crimen non dissimile contrahi*, consequens esse 3
videtur, eadem poena ambos teneri, *hic et l.* 1. *C. de his qui latrones etc. l. un. C. de crimin. pecul.* de quo *Farinac. q.* 133. *pr.* Sed id de societate criminis et lucri participatione intelligendum esse putat *Ant. Matth. ad lib.* 47. *tit.* 10. *cap.* 2. *num.* 2. et conferantur dicenda ad *d. l.* 1.

L. Omnibus. ult.

SUMMARIA

Buccellarii quinam? num. 1.
Populos seditione infames vel servos armatos in comitatu suo vel in praedio habens quomodo puniatur? 2.
Poena Judicis hac in parte negligentis. 3.

Qui buccellarios i. e. Gallo-Graecos, vel Isau- 1
ros, populos scil. seditione infames, qui pro 2
buccellana panis quotidiani in discrimina lethalia

pro patronis se conjicere nulli dubitant, *Dn. Tabor in armamentario sub tit. de exarmat. cap.* 4. *num.* 16. vel servos etiam armatos, contra legis prohibitionem in comitatu suo habet, vel in praedio, 100. libris mulctatur, et praeterea poena gravissima, deportatione scilicet vel
aliis affligitur. Judex etiam id negligens, digni- 3
tate privandus, et 100. auri libris mulctandus, primario vero executores et apparitores, quorum est inquirere vitia, et semina turbarum etiam referre Judici, si id negligant, bonis exuendi, et ultimo afficiendi supplicio.

TITULUS XIII.

De raptu virginum, seu viduarum, nec non sanctimonialium.

L. Raptores virginum. un.

SUMMARIA

Raptus quid sit? num. 1.
Quomodo committatur? 2.
Ampliatio legis. 3.
Menochius *notatur.* 4.
An in meretrice committatur raptus? 5.
Quatenus quis in sponsa propria raptum committat. 6.
Rei hujus criminis sunt duplices, et quomodo utrique puniendi. 7.
Rationes poenae. 8.
An raptus sine stupro ad poenam hanc infligendam sufficiat? 9.
Ant. Matth. *notatur.* 10.
Quid si rapta sit ingenua vel sanctimonialis? 11. 12.
Quid si raptor vel ejus adjutor sit servus? 13.
Quid Judicum hac in parte officium? 14.
Conatus an et quatenus in hoc crimine puniatur? 15.
Matrimonium inter raptorem et raptam prohibetur. 16.
Quid si rapta de facto raptori nubat? 17.
Hodie Jure Can. *nuptiae inter has personas licite contrahuntur.* 18.
Quomodo parentes, dolorem et injuriam remittentes, puniendi? 19.
An poena raptus etiam obtineat, si quis volentem abduxerit? 20.
Sponte consentientem et quae sui juris est, abducens non est raptor. 21.
Princeps hujus Constitutionis rigorem, cum nimis dura sit, salva conscientia temperare potest. 22.

1 Raptus est, cum quis libidinis causa, non alterius, licet improbae rei, *Molin. de J. et J. tr.* 3. *d.* 105. *num.* 13. *Farinac. q.* 145. *num.* 75. *Sanchez de matrim. l.* 7. *d.* 12. *num.* 17. *Mascard. concl.* 1260. *num.* 20. *Auctor in l. pen. ff. ad l. Jul. de vi publ. num.* 5. hominem, in specie vero virginem vel nuptam, vel viduam, de loco in locum abducit, saltem ex domo una in aliam, *Clarus* §. *raptus num.* 1. *Farinac. q.* 145. *num.* 74. *et cons.* 33. *Carpzov. q.* 40. *num.* 26. etiam volentem, contra voluntatem tamen parentum vel cognatorum, Vid. *Carpzov. part.*
2 1. *quaest.* 40. *num.* 26. Et committitur circa mulierculas vel servas, seu ancillas alienas, et
3 multo magis circa nuptas, ubi etiam adulterium conjunctum est, *Auctor in l.* 5. *ff. ad l. Jul. de vi publ.* et magis circa virgines DEO consecratas, ubi cum sacrilegio conjungitur, prout supra *ad l.* 54. *C. de Episc. et Cler.* fusius ostensum ab *Auctore*, et circa sponsam propriam, per *hanc legem.* Licet autem sexus foeminei hic fiat mentio, producenda tamen lex est ad foeminam rapientem virum, cum etiam foemina, opem ferens raptori, capite puniatur, per *hanc legem unic.* §. *poenas* 2. *Ant. Matth. lib.* 48. *c.*
4. num. 2. ubi *Menoch.* dissentientis *l.* 2. *A.* 4
Q. cas. 261. argumentis respondet. In meretri- 5
ce raptum non committi existimant, quia honestae virginis mentionem *h. l.* facit, et sunt hae infra curam legis Juliae, *l.* 39. *ff. de furt. Ant. Matth. c.* 2. *num.* 4. *Damhud. d. c.* 97. *num.* 1. *Clarus* §. *raptus num.* 5. *Bacchov. in Treutl. d. d.* 32. *th.* 3. *lit. C. Farinac. q.* 145. *num.* 135. Vid. *Cephal. cons.* 149. *num.* 122. et multis seqq. Sed si vitam inhonestam deposuerit, et mores correxerit, omnino in ea etiam raptus committitur, quia sufficit, quod tempore raptus honeste vixerit, *Damhud. d. l. num.* 12. *Molina tract.* 3. *dec.* 105. *num.* 15. *Berlich. p.* 5. *concl.*
41. *num.* 57. Quod in sponsa propria raptus hic 6
committi dicatur, hanc habet rationem, quia jure civili sponsa renunciare potuit sponsalibus, donec domum deducta fuerit, *l.* 1. *C. de sponsal.* Et ideo hoc, si ad nostros mores accommodandum, ad sponsalia de futuro restringunt, et in sponsa de praesenti raptum non committi volunt *Hippol. de Marsil. in hac l. num.* 90. *Forst. de success. l.* 9. *c.* 3. *num.* 14. *Farinac. q.* 154. *num.* 91. *Ant. Matth. d. c.* 2. *num.* 12. nec ejus poena ordinaria hodie locum habet. Vid. *Auctor*
ad l. pen. ff. ad l. Jul. de vi publ. num. 10. Rei 7
hujus criminis sunt duplices, alii enim sunt principales, qui rapuerunt, et alii, qui in ipso raptu auxilium praebuerunt. Hi omnes supplicio
ultimo afficiendi: rationes sunt. 1. Quia castitas 8
laesa non potest restitui. 2. Vim faciunt. 3. Ab homicidio non videntur vacui, ratione propositi, si impedirentur. 4. Saepe etiam concurrit adulterium. Sed haec non ita accipienda, quasi
haec delicta omnia concurrere debeant, cum 9
etiam raptus sine stupro sufficiat, quod *Doctores* limitant, nisi sponte a stupro abstinuerit, vel quod poenitentia ductus, vel quod de matrimonio cogitaverit, *Decianus lib.* 8. *c.* 7. *n.* 34. *Menoch. d. casu* 261. *n.* 34. *et casu* 360. *n.* 32. *Farinac. q.* 145. *num.* 209. *Covarr. in Clement.*
Furiosus p. 2. *princ. num.* 8. licet dissentiat *Ant.* 10
Matth. d. c. 2. *num.* 6. Et, si rapta sit ingenua, 11
etiam omnes facultates raptoris ipsi adimuntur,

et restituuntur raptae in solatium violentiae,
salva tamen liberorum legitima, si raptor libe-
ros habeat, *l. cum ratio ff. de bon. damnat.*
12 *Ant. Matth. d. l. num.* 15. Si vero virgo sancti-
monialis rapta, bona addicuntur raptae quoad
usumfructum, monasterio quoad proprietatem,
Farinac. d. q. num. 10. *Auctor in l.* 51. *ff. de*
13 *Episc. et Cler. num.* 2. Et si raptor vel ejus ad-
jutor sit servus, concremadus est, si autem
tantum sunt conscii, et qui ministerium non
in ipso facinore, sed antea praebuerunt et adju-
varunt, vel raptores susceperunt etc. hi tantum
ultimo supplicio, sine alia diminutione bonorum
14 plectendi. Jubentur etiam omnes judices tales
raptores persequi, et eos probato crimine, sine
ulla praescriptione fori (etiamsi alias judicis il-
lius jurisdictionem facinorosus agnoscere non te-
neretur, ut miles) etiam sine ulla appellatione
condemnare. Si etiam raptor a parentibus vel
cognatis in ipso facinore deprehenderetur, po-
15 test ab ipsis interfici. Et conatus etiam in hoc
crimine punitur, si scilicet raptor pervenerit ad
actum proximum, non remotum, *Clarus* §. *fin.*
q. 82. *num.* 3. *Farinac. d. q.* 145. *num.* 212. li-
cet juxta *Menoch. casu* 360. *num.* 33. etiam
actus remotus puniendus sit, quia lex sollicita-
16 tionis meminit. Prohibetur etiam inter raptorem
et raptam matrimonium, si maxime id rapta
expetat, quia non hostili modo debemus nuptias
conciliare, sed sponsas a parentibus petere. Et,
17 si rapta de facto illi nubat, bona raptoris non
ad ipsam, sed ad parentes dissentientes, et his
deficientibus ad Fiscum deferuntur, per *Novell.*
143. *et* 150. Vid. *Rittershus. in Novell. part.* 12.
18 *cap.* 11. Sed hodie *Jure Canonico*, rapta cum
raptore nuptias contrahere potest, *c. pen. et ult.*
X. de rapt. Molina d. d. 105. *num.* 9. *Farinac.*
d. quaest. num. 26. *et num.* 97. *Decianus lib.* 8.
cap. 13. *num.* 48. *Sanchez d. num.* 28. *Carpzov.*
part. 2. *quaest.* 75. *num.* 68. ubi id in terris
Imperii etiam sequendum esse dicit. Et paren- 19
tes, qui dolorem remittunt, et injuriam non
vindicant, deportandi sunt, quod etiam hodie
non obtinet, ubi rapta licite nubere potest. Con-
sultum tamen esse putarem consensum Princi-
pis requirere. Demum abolentur aliae leges de
raptu antiquiores. Sed quod superius dictum, 20
poenam raptus obtinere, licet quis volentem
abduxerit, cum *Claro* §. *raptus num.* 3. *Farin.*
d. quaest. 145. *num.* 105. hoc tamen intelligunt,
si ad consensum puella fuit perducta blanditiis
et promissionibus; secus si ab initio libere con-
sensit, imo etiam suasit, *Farinac. d. q. num.* 100.
et num. 131. quod tamen praesumendum non
est, *Mascard. d. concl.* 1260. *num.* 28. quamvis
alii forte aequius hoc negent, quia ut ait *Aegid.*
Bossius tit. de rapt. mul. num. 15. et ex eo,
Thesaur. dec. 216. *num.* 4. totus mundus (vel
potius magna pars hominum) capite plectere-
tur. Conf. *Besoldus cons.* 40. auctoritatibus hoc
confirmans. Si tamen posteriori casu in potesta-
te patris fuit, extraordinariam poenam meretur
raptor; sed si sui juris puella, nullam: quia 21
abducens sponte consentientem, et quae sui ju-
ris est, plane non est raptor, *Mascard. d. concl.*
1260. *num.* 29. *Sanchez de matrim. lib.* 7. *d.* 12.
num. 6. *Farinac. d. q. num.* 124. *Molin. d. d.*
105. *num.* 2. *Thes. d. l.* Sane negandum non 22
est, admodum duram esse hanc Constitutionem
in nonnullis partibus, ideoque non dubito, Prin-
cipem in casibus multis salva conscientia rigo-
rem istum temperare posse.

TITULUS XIV.

De emendatione servorum.

L. Si virgis. un.

SUMMARIA

Dominus servum castigare carcerique mancipare potest, nec tenetur de homicidio, licet servus, citra tamen ejus propositum, doloribus aut taedio carceris confectus moriatur. num. 1.

Secus si ex proposito occiderit. 2.

Is, qui baculo graviori aliquem in capite et quidem iteratis vicibus percutit, animum occidendi habuisse praesumitur, et punitur poena ordinaria. 3.

Ex instrumentorum qualitate de dolo homicidii est judicandum. 4.

Si caedes per se sit lethalis, distingui non debet, an vulneratus statim animam efflaverit, an vero aliquot dies supervixerit, quia nulla lex distinguit. 5.

Si de caede non constet, multum conducet reo, si vulneratus tertio die se melius habeat. 6.

In servorum caede Jure Divino distinguitur. 7.

1 Dominus potest servum castigare, carceri man-
cipare, et si citra propositum doloribus aut
taedio carceris confectus moriatur servus, do-
minus non tenetur de homicidio, puto tamen
de excessu ipsum teneri; sed si ex proposito quis 2
servum occiderit, quod variis modis hic enu-
meratis fieri potest, tunc tenetur de homici-
dio. Collige ex *hoc textu:* Eum, qui baculo 3
graviore aliquem in capite, et quidem iteratis
vicibus percutit, praesumi habere animum oc-
cidendi, et puniri poena ordinaria; ut *ex hac*
lege colligit *Dn. Carpzov. pr. crim. quaest.* 3.
num. 20. *et Farinac. q.* 105. *num.* 146. *et q.* 125.
num. 104. Sic quando pugno colaphum impin-
git praesertim circa capitis tempora, *Philipp.*
us. pract. Instit. l. 4. *ecl.* 85. *num.* 12. Collige
etiam cum *Bl. hic:* Ex instrumentorum quali- 4
tate de dolo homicidii judicandum esse, *hic et*
l. 3. *ff. de sicar. l. omne delictum* 6. §. 6. *ff.*
de re militari, textus in *cap.* 35. *Numer. vers.*
18. *Carpzov. d. l. Farinac. q.* 126. *num.* 117.
Menoch. l. 5. *praes.* 40. Sed et colligitur ex *hac*
leg. Non esse distinguendum, an vulneratus 5
statim animam efflaverit, an vero aliquot dies
supervixerit, nulla enim lex distinguit, et *haec*
lex dierum ac temporis distinctionem rejicit,
ut ex *l.* 15. §. 1. *l. ita vulneratus ff. ad l. Aquil.*
Gail. l. 2. *obs.* 111. *num.* 9. *Ant. Matth. tit.* 5.

c. 3. *num.* 17. si caedes sit per se lethalis. Sed
6 si de eo non constet, multum conduceret reo, si pulsus vel vulneratus tertio die se melius habeat, Vid. *Riminald. vol.* 2. *cons.* 121. *v.* 14. Sed in servorum caede Moses distinxit *Exod.* 7
21. *v.* 18. a qua procul dubio hic Imperator recedere voluit. Solum ergo id quaeritur: *An vulnus lethale?*

TITULUS XV.

De emendatione propinquorum.

L. In corrigendis. un.

SUMMARIA

Patrui, avunculi, et cognati proximi an et quatenus juniores et minores corrigere et verberibus coercere possint? num. 1.
Quid si immodice in hos saeviant? 2.
Nec in parente, nec praeceptore, nec magistratu, nec marito, si velint emendare filium, discipulum, subditum, uxorem, impunita est crudelitas. 3.
Animus emendandi non praesumitur, si quid fit publice coram multitudine hominum. 4.

1 Patrui, avunculi et cognati proximi seniores, possunt juniores et minores, quos aetate ea praecedunt, ut possint eorum parentes esse, possunt, inquam, eos, si peccent, corrigere, vel coercere verberibus; fieri tamen debet correctio, jure patrio, ne acerbior sit correctio, quam parentis, et tendat non ad vindictam, sed ad emendationem. Et sic etiam correctio domestica. Vid. *Donell. lib.* 3. *cap. ult.* ubi hanc potestatem vocat moderatoriam. Si autem immodice saeviat 2
senior, a Judice est puniendus pro delicti gravitate, adeo ut si interfecerit minorem, etiam homicidii poena possit plecti, sicut etiam parentes parricidium committentes. Collige: nec 3
in parente, nec praeceptore, nec magistratu, nec marito, si emendare velint filium, discipulum, subditum, uxorem, impunitam esse crudelitatem. Vid. *Menoch. lib.* 2. *A. Q. cas.* 138. *Ascan. Clement. de patria potest. cap.* 6. *effectu* 1. *num.* 13. *Boer. decis.* 304. *Carpzov. p. crim. q.* 12. *Gail. lib.* 1. *obs.* 17. *et lib.* 1. *de P. P. cap.* 2. *num.* 22. *Mynsing. cent.* 5. *obs.* 8. *Volzius ad l. Corn. de sicar. cap.* 7. *num.* 49. *et seq.* Et animus emendandi non praesumitur, si quid 4
fiat publice coram multitudine hominum, *Klock. vol.* 3. *cons.* 168. *num.* 16. *et Farin. q.* 105. *num.* 189.

TITULUS XVI.

Ad Legem Corneliam de sicariis.

L. Frater. 1.

SUMMARIA

Facti species. num. 1.
An homicidae alleganti se non occidendi animo fecisse, poena remitti debeat? 2.
An is, qui aliquem instrumento lethifero percussit, sed sine animo occidendi, tantum vulnerandi, poena ordinaria plectatur? 3.
In homicidio animum dolosum semper is habet, qui vel animo occidendi vel nocendi percutit alium, aut vulnerat, unde mors necessario, licet praeter intentionem percutientis, sequitur. 4.
Observantia fori. 5.
Nonnulli *notantur.* 6.
Quomodo quis probare possit, se non habuisse animum occidendi vel nocendi? 7.
In delictis voluntas attenditur, et delinquendi voluntas ex facto prohibito praesumitur. 8.
Limitatur. 9.

1 Quidam occiderat commilitonem suum, et allegat, se non occidendi animo fecisse: Quaeri-
2 tur: *An remitti poena possit?* Resp. affirm. si probaverit, se non habuisse animum occidendi, vel nocendi: Requiritur enim hic dolus, *l.* 7. *ff. h. t.* ibique *Auctor*, et voluntas spectatur, non exitus, *l. Divus Adrianus* 14. *ff. h. t.* Unde multi *DD.* collegerunt: Si quis alium instrumen- 3
to lethifero, ut gladio percusserit, sed sine animo occidendi, et tantum vulnerandi, quod is non possit poena ordinaria plecti. Sed eos refutat rectissime *Carpzov. quaest.* 1. et quidem per *hanc legem*, ubi animus occidendi, per animum nocendi explicatur. Ideo in homicidio, animum 4
dolosum semper is habet, qui vel animo occidendi, vel nocendi percutit alium, aut vulnerat, unde mors necessario, licet praeter intentionem percutientis, sequitur, *Carpzov. d. l. num.* 53. et ita in casibus istis semper pronun- 5
ciatur apud nos, licet aliud placeat *Covarr. in* 6
Clem. Si furiosus de homicid. p. 2. *num.* 1. *et* 2. *Volz. ad l. Cornel. cap.* 4. *num.* 29. *Ant. Fabr. lib.* 9. *tit.* 10. *d.* 6. Sed *quomodo quis probare* 7
potest, se non habuisse animum occidendi vel nocendi? Resp. ex qualitate instrumenti, vel persona occisi, ut quod fuerit uxor, filius, consanguineus, amicus, interdum etiam, si praesumptiones pro ipso quaedam militent, juramento, interdum etiam tortura se purgabit, *Auctor in l.* 1. *ff. h. t. num.* 5. *et in l.* 4. *eod. num.* 3. Collige: In delictis voluntatem delinquendi ex 8

facto prohibito praesumi, *hic. et l. si non con-*
9 *vitii, infr. de injur.* nisi aliae circumstantiae pro eo militent, *Cephal. cons.* 75. *num.* 24. *et cons. seq.* 76. *num.* 19.

L. Is qui aggressorem. 2. et L. Si quis. 3.

SUMMARIA

Ab alio invasus et in vitae periculo constitutus licet aggressorem interfecerit, ab omni poena tamen est immunis. num. 1.
Restringitur. 2. 3. 4. 5. 6.
In quonam consistat moderamen inculpatae tutelae. 3. 9. 11.
Auctor rixae necessariam defensionem nunquam praetendere potest. 4.
An invasus fugere teneatur? 7.
An fugiens h. l. *fiat infamis?* 8.
An paritas armorum requiratur ad moderamen inculp. tut. 10.

1 Quando quis ab alio invaditur, et in periculo vitae constitutus aggressorem interfecerit, ab omni poena immunis est, quia scilicet se defendere omnia jura permittunt, *l. ut vim* 3. *ff. de justit. et jur. l. scientiam* 45. §. 4. *ff. ad*
2 *l. Aquil.* si modo aliter periculum evitare non possit, quam si adversarium occidat, vel debilitet, per *l.* 2. *h. tit.* ibi: *in vitae discrimine.*
3 Vid. *Carpz. part.* 1. *quaest.* 23. *num.* 18. Si modo observet moderamen inculpatae tutelae, quod consistit 1. In justitia causae, ut ipse ab alio invadatur, non alios invaserit, *Auctor in l.* 3.
4 *ff. de just. et jur. num.* 2. (Sic auctor rixae nunquam potest praetendere necessariam defensionem, *Gail. lib.* 1. *de P. P. c.* 16. *num.* 17. *Farinac. q.* 125. *num.* 118. *Carpz. p.* 4. *const.* 9. *def.* 4. *Berlich. p.* 4. *concl.* 13. *num.* 5.
5 *Auctor in l.* 4. *ff. ad l. Aquil. num.* 4.) et constitutus sit in periculo vitae, per *l.* 2. praesenti, ubi tamen non est necesse expectare primum ictum, *arg. l.* 3. *h. t. et l.* 3. §. 3. *ff. de vi*
6 *et vi arm. Molin. d.* 11. *num.* 5. et necesse est ut nulla alia sit via expediendae salutis, *l.* 45. §. 4. *ff. ad l. Aquil. Const. crim. art.* 140. et ideo
7 fugere etiam tenetur, si fuga non periculosa, et dignitati ejus dedecorosa, de quo *Farin. q.* 125. *num.* 131. *Bacch. in Tr. v.* 1. *d.* 18. *th.* 7. *lit. F. Auctor in d. l.* 3. *ff. d. J. et J. num.* 3. *et* 4. Ubi tamen omnino tutiorem sequor sententiam, quod invasus teneatur fugere, si sine periculo omni fuga suscipi possit, ut si proximus aedibus in aedes se recipiat, sive ille sit
8 nobilis sive civici ordinis. Nam subducere se periculo, ne sanguis humanus effundatur, est verbo Dei et rectae rationi conveniens, nec ullum reddit infamem, nisi dicere vellemus, rabidum canem fugere, vel furiosum hominem, vel ignem aut eluviones aquarum fugere, esse ignominiosum. Et verba Caroli in *Const. art.* 142. copulative
9 loquuntur, *Auctor in d. l.* - 2. In modo ubi considerandae circumstantiae armorum, virium et
10 locorum. Paritatem armorum non requiri, patet ex *l.* 3. *h. tit.* ibi, *gladio repulerit*, de quo *Berlich. d. concl.* 13. *n.* 56. *Bacchov. d. d.* 18. *th.* 7. *lit. E. Masc. concl.* 1126. *num.* 36. *Auctor d. l. num.* 9. - 3. In tempore, ut fiat in conti- 11
nenti, per *l.* 2. ibi, *constitutus occiderit, et l.* 3. verbo, *repulerit*, *l.* 45. *l.* 52. §. 1. *ff. ad l. Aquil. Farin. d. q.* 125. *p.* 6. *num.* 338. *Carpzov. q.* 128. *num.* 28. *Auctor in l.* 4. *ff. ad l. Aquil. num.* 2. scil. si quis durante aggressione eum repulerit, nam si ex intervallo, poenam omnem, saltem extraordinariam non evitabit, *Farin. num.* 334. *Carpz. q.* 31. *num.* 27. *et seqq.* Neque debet alius interfici quam ipse aggressor; nam verba legis, *vel quemcunque alium*, de sociis aggressoris vel de aliis intelligenda, qui quoquo modo aderant, ut aggressor audacior esset, si opus esset, qui ei auxilium ferret, *Barth. Romul. de homicid. ad sui corpor. tutel. p.* 1. *num.* 45. Vide plura de hac re in *constit. crim. art.* 140. *Berlich. part.* 4. *concl.* 13. *Carpzov. d. quaest.* 28. *et seqq.* et multi alii.

L. Si ut allegas. 4.

SUMMARIA

Casus legis. *num.* 1.
An quis, latronem aggredientem, etiamsi violentiam non expectaverit, impune occidat? 2. 3.
Secus in foro conscientiae. 4.
An furem occidere liceat? 5.

Latro aliquem aggreditur in itinere, ubi ille, 1
qui invaditur nescit, an aurum tantum eripere velit, vel etiam an animum occidendi, vel corpori nocendi habeat, tum potest impune la- 2
tronem occidere, nec debet expectare violentiam, si ad se properare ipsum videat, quia praesumitur in latrone voluntas caedis, per *hanc l.* Unde etiam probatur; pro defensione rerum, 3
aggressorem licere interficere, quando incertum est, an res, an vero etiam vitam mihi eripere velit, *l.* 4. *ff. ad l. Aquil. Clarus* §. *homicid. num.* 25. *et* 47. *et Farin. q.* 125. *num.* 168. *Carpz. q.* 32. Licet aliud in conscien- 4
tiae foro sit, scilicet si sciam aggressorem tantum res petere, *Ant. Matth. tit.* 5. *c.* 2. *num.* 8. Conf. *Molina. tr.* 3. *q.* 16. *num.* 7. *Cacvall. q.* 149. *Kirchov. t.* 2. *cons.* 46. *Bacchov. d. d.* 32. *th.* 6. *lit. H.* Circa furem distinguitur in 5
l. 4. §. 1. *ad l. Aquil. et l.* 9. *ff. h. t.* ut furem occidere liceat nocturnum, si cum clamore id fiat, et dominus ipse parcere citra jacturam rerum, et periculum suum non potuit, *Farinac. q.* 125. *num.* 199. *Carpzov. q.* 32. *num.* 37. Diurnum vero tum demum, quando scil. telo se defendit: Et sic jus 12. Tabularum quodammodo rescrictum: *Cur autem in fure nocturno aliud?* Ratio est; quia tenebrae terrorem augent, et incertus atque anxius est paterfamilias, ad auferendum, an ad occidendum fur venerit, *Anton. Matth. d. t.* 5. *c.* 2. *num.* 7.

L. Eum. 5.

SUMMARIA

Casus legis. *num.* 1.
Casuale homicidium si modo nulla culpa praecessit, poenam plane non meretur. 2.

Quid si culpa praecesserit? 3.
Si per lasciviam causa mortis data, poena est relegationis in quinquennium. 4.
In criminalibus nec lata culpa dolo aequiparatur. 5.
Culpa lata regulariter poena corporali coercenda non est, quamvis interdum ad fustigationem perveniri juste possit. 6.
De poena culposi et casualis homicidii, remissive. 7.

1 Titius calce sua percusserat ex improviso ci-
tra culpam puerulum, ex quo ictu iste mor-
tuus: Citatur Titius per edictum, sed cum se
non sisteret, bona ejus annotantur, postea ve-
ro se sistit et allegavit casum fortuitum: Resp.
ipsum audiendum et absolvendum esse, si ca-
sum probaverit, et culpam vel dolum purga-
2 verit: Nam casuale homicidium, si modo nulla
culpa praecessit, *l.* 7. *ff. h. t. Wesenb. in* ϖ. *ff.*
h. t. num. 23. plane non meretur poenam, *l.* 1.
§. 3. *ff. h. t. l.* 9. *in fin. l.* 11. *pr. l.* 31. *ff. ad*
3 *l. Aquil.* quando autem culpa praecessit, tum
4 poena est arbitraria, adeo, ut si per lasciviam
tantum causa mortis data, poena sit relegatio-
nis in quinquennium, *l.* 5. §. 1. *ff. h. t.* ut sae-
5 pe memini pronunciatum. Nam in criminalibus
nec lata quidem culpa aequiparatur dolo, *P. Bar-*
bosa in l. si mora 10. *in praelud. num.* 21. *ff.*
6 *solut. matrim.* Regulariter autem culpam latam
poena corporali coercendam esse nolunt *Me-*
noch. lib. 2. *A. Q. casu* 324. *num.* 12. *Hippol.*
de Mars. ad l. 1. *h. t. num.* 61. Quamvis inter-
dum ad fustigationem perveniri juste posse exi-
7 stimemus cum *Carpz. q.* 27. *num.* 33. Sed de
poena culposi et casualis homicidii, plura apud
Carpz. qu. 27. et ibi allegatos *DD. Farin. q.* 126.
et Wesenb. etc. Ordin. crim. art. 139.

L. Si quis. 6.

SUMMARIA

An poena in delictis atrocioribus minori sit mitiganda? num. 1.
In majori 14. *annis ordinaria poena etiam de foro hodierno obtinet.* 2.

1 Quamvis *DD.* communiter aetate minori mi-
tigandam esse poenam statuant, *Farin. q.* 92.
num. 41. *Tiraq. de poenis temp.* et alii, quos
allegat *Carpz. q.* 143. *num.* 61. *ex hac* tamen
lege, ubi adulta aetate homicidam se defendere
non posse dicitur, *et l.* 7. *infr. de poenis l.* 37.
ff. de minoribus l. 1. *supr. si adversus deli-*
ctum, *P. H. O. art.* 164. illi confutantur. Vid.
2 *Carpz. d. l. num.* 64. Et sicut in homicidio,
ita etiam in aliis delictis atrocioribus, non at-
tenta aetate minorenni, modo sit major 14. an-
nis, poenam ordinariam dictandam esse statui-
mus, et dictatam aliquoties esse meminimus, nisi
aliae circumstantiae concurrant, minuentes de-
lictum, *Menoch. lib.* 2. *A. Q. cas.* 329. *num.* 9.
Molina d. tr. d. 36. *num.* 6. *Carpz. d. q.* 143.
num. 66. *Struv. synt. jur. civ. exerc.* 48. *th.* 11. (3).

L. Is qui cum telo. 7.

SUMMARIA

Lege Cornelia *quinam puniantur? num.* 1.
Hodie conatus sine effectu poena ordinaria non punitur, sed extraordinaria. 2. 4.
Communi consuetudine huic legi *est abrogatum.* 3.

Lege Cornelia non tantum punitur ille, qui 1
homicidium commisit, sed etiam qui cum telo
hominis occidendi, vel furti faciendi causa am-
bulat, §. 5. *Inst. de publ. jud. l.* 1. *princ. ff. h.*
tit. vel familiam suam armat, *l.* 3. §. 4. *ff. h.*
tit. Sed hodie conatus sine effectu non punitur, 2
praesertim poena ordinaria, *P. H. O. art.* 178.
Carpz. q. 2. *num.* 51. *Treutl. vol.* 2. *disp.* 32.
th. 5. *lit. H. Myns. cent.* 3. *obs.* 9. *Clarus* §. *fin.*
qu. 92. *Farin. qu.* 124. *num.* 37. *Auctor in l.* 1.
ff. de extraord. crim. num. 2. *Finckelthaus. obs.*
86. *num.* 11. ubi tradit *huic legi*, ut et *l.* 1. *ff.*
de lege Pompeja derogatum esse communi to- 3
tius orbis consuetudine. Sed extraordinariam ta- 4
men poenam locum habere puto cum *Baccho-*
vio in Treutl. d. l.

L. Si quis. 8.

SUMMARIA

Infantem vel viventem foetum interficiens vel interficere aggrediens ultimo supplicio punitur. num. 1.
Ultimum de conatu hodie non observatur. 2.
Restringitur regula per distinctionem. 3.

Qui infantem vel etiam foetum viventem in 1
utero, de quo communiter *hanc legem* intelli-
gunt, *Hillig. in Donell. lib.* 7. *c.* 9. *lit. D. p.* 485.
interfecit, vel interficere aggressus sit, punitur
ultimo supplicio; quamvis ultimum, quod de 2
conatu dicitur, hodie non observetur, ut ad
l. praeced. dictum. Sed circa foetum eneca- 3
tum communiter distinguitur, an foetus sit ani-
matus et formatus, quod post quadragesimum
diem fieri volunt, an vero sit informis, ut illo
casu poena capitalis, hoc casu relegationis, vel
fustigationis locum habeat, *Farin. q.* 122. *num.*
124. *et seq. Berlich. p.* 4. *concl.* 8. *num.* 8. *Har-*
precht ad §. 5. *Inst. de publ. jud. num.* 33. Sed
dimidium temporis constituit sereniss. Sax. Ele-
ctor Augustus, *Struv. syntagm. juris civ. exerc.*
48. *th.* 78. *Dn. Ludwel.* vero *h. l.* sententiae huic
contrarius, *exerc. ult. th.* 5. *lit. C.*

L. Si forte mulier. ult.

SUMMARIA

Marito de structis uxori insidiis, vel vice versa suspecto, omnes servi, qui tum temporis domi fuere, torturae subjiciuntur. num. 1.

L. 1. C. de quaest. *ex hac lege est supplenda*. 2.

1 Quando maritus dicitur struxisse insidias uxori, uxor viro, in hoc delicto, quod omni adulterio gravius et parricidii species est, omnes servi, tam mariti quam uxoris, qui tunc temporis domi fuerunt, sunt torturae subjiciendi, quamvis alias servi contra dominum vel dominam non sint torquendi, *l. 1. et 7. infra de*
quaest. Nota bene: dictam *legem* 1. *C. de quaest.* 2
ex hac lege esse supplendam.

TITULUS XVIII.

De his, qui parentes vel liberos occiderunt.

L. Si quis parentis. un.

SUMMARIA

Parricidium quid sit? num. 1.
In quos committatur. 2.
Poena hujus. 3.
An in omni parricidio gravissima ista poena obtineat? 4. 6.
Varia lectio. 5.
An adhuc in ordinaria poena apud nos gallus, simia, canis, vipera soleant addi? 7.
Quid si aquae copia haberi non possit? 8.
In hoc crimine etiam conatus punitur. 9.
Idem in eo, qui venenum emit hac intentione, ut propinaret. 10.
Qualitas veneni delictum facit proditorium. 11.
In proditoriis homicidiis tentatis an poena ordinaria locum habeat? 12.

1 Parricidium est homicidium patratum in pa-
2 rentibus cujuscunque gradus, et sic etiam avo
et proavo, *Farin. q.* 120. *num.* 108. utriusque
sexus, *Carpz. q.* 8. *num.* 27. vel liberis cujuscunque gradus, licet liberi sint naturales vel spurii, *arg. l.* 6. *ff. de in jus voc. Berlich. p.* 4. *concl.* 6. *num.* 32. *et seq. Menoch. lib.* 2. *A. Q. casu* 356. *num.* 15. *Carpz. d. q.* 8. *num.* 28. *Farinac. d. q. num.* 110. et in linea collaterali usque ad quartum gradum, *Clarus* §. *parricidium num.* 4. *Farin. q.* 120. *num.* 126. *Carpzov. q.* 113. *num.* 31. fratre, sorore, patruele, matruele, avunculo, patruo, amita, consobrino, et consobrina, conjuge (nam conjux affinitatem facit) socero, genero, socru, nuru, vitrico, noverca, privigno, privigna, patrono,
3 et patrona: et hujus poena est, ut insuatur culeo cum gallo, vipera, cane et simia, et in mare vel amnem projiciatur, et, in defectu aquae, rotae supplicium patiatur, *Auctor in l.* 1. *ff. h. t. et Eckold. Comment. ad Pand. h. t.* §. 6.
4 Sed: *An in omni parricidio gravissima ista poe-*
na culei locum habet? Ita quidem videtur per 5
verba *h. l. aut omnino affectionis ejus, quae nuncupatione parricidii continetur*, et §. 6. *Instit de publ. judic.* ibi: *affinitatis ejus*, ut in hoc textu legitur, *Wesenb. in* §. 6. *de publ. jud. num.* 3. *Harpr. num.* 29. *Bacchov. d. d.* 32. *th.* 7. *lit. E. Farin. d. q.* 120. *num.* 11. *Carpzov. d. qu.* 8. *num.* 36. *Berlichius p.* 4. *concl.* 7. *num.*
65. *et seq.* Sed communis obtinuit, ut ii tantum, 6
qui parentes, vel liberos, atque adeo nepotes, de quibus verbum *affectionis* intelligit *Menoch. lib.* 2. *A. Q. casu* 356. *num.* 52. vel conjuges suos suasve interfecerint, hac gravissima poena culei, vel deficiente aqua, rotae supplicio afficiantur, *Carpzov. d. qu.* 8. *num.* 33. *et quaest.*
9. *num.* 6. et quos antea citavi. Non solet etiam 7
in ordinaria poena apud nos addi gallus, simia, canis, vipera, licet in foro Saxonico adhuc haec animalia, excepta simia, cujus loco felis substituitur, adhibeantur, sed in caeteris personis
locum habet poena gladii. Sed si in speciali illo 8
parricidio aquae copia haberi non possit, substituitur supplicium rotae, sed apud nos obtinuit hoc casu supplicium gladii. Quod tamen pro re nata interdum exasperatur, ut forcipum ignitorum tractu, vel ut trahae impositus per viam trahatur, *das er zur Foemstadt geschleiffet werde.*
Et in hoc delicto conatus etiam punitur per 9
verba legis: *id enisus fuerit*, et per *l.* 1. *ff. h.*
t. in fin. ubi *hac lege* tenetur, qui venenum 10
emit hac intentione, ut propinaret, quod in emptione et praeparatione veneni videtur speciale esse. Nam alias actus remotus non solet pro conatu puniri: sed tamen additur, si non potuit exhibere, i. e. si quando in eo fuit, ad actum proximum pervenisset. Vid. *Anton. Matth. l.*
6. *cap.* 1. *num.* 7. Et qualitas veneni facit de- 11
lictum proditorium, *Farin. quaest.* 120. *n.* 150.
et in proditoriis homicidiis tentatis poena ordi- 12
naria locum habere potest, si credimus *Covar. in d. clem. si furiosus p.* 2. *princ. num.* 10. Conferatur tamen *Menoch. cons.* 480. *num.* 11. Vid. plura apud *Farinac. qu.* 120. *Carpzov. passim. in qu. pract. crim. Auctor in l.* 1. *ff. h. t. num.* 2.

TITULUS XVIII.

De maleficis et mathematicis et caeteris similibus.

L. Plus est. 1.

SUMMARIA

Atrocius delictum est veneno aliquem, quam gladio interficere. num. 1.
Judex veneno hominem facinorosum interficere prohibetur. 2.
Criminis veneni propinati poena de jure veteri et novo. 3.

1 Atrocius est delictum, veneno aliquem inter-
2 ficere quam gladio, ideo Judex prohibetur veneno hominem facinorosum interficere, *l.* 1. §.
3 8. *ff. de poen.* Ideoque licet jure civili veneficium, id est, crimen propinati veneni gladio tantum fuerit punitum, *l.* 1. §. 1. *ff. ad l. Cornel. de sicar.* tamen per *Constit. crim. Carol. V. art.* 130. mares supplicio rotae, foeminae vero culei poena plectuntur, qua de re vid. *Carpz. quaest.* 20.

L. Artem geometriae. 2.

SUMMARIA

Per Mathematicos quinam intelligantur? num. 1.
In Republ. non sunt tolerandi. 2.

1 Per Matematicos, propter abusum, intelliguntur ii, qui astronomiae et astrologiae scientia abutuntur ad praedicenda futura, quae tamen quoad nos sunt pura contingentia, et tantum ab arbitrio hominis vel pervigili DEI providentia pendent, qui teste *Tacito lib.* 1. *annal.* semper a civitate prohibiti, expulsi nunquam. Et
2 hos in Republica non esse ferendos *haec lex* comprobat, et *l.* 5. *h. t.* Scientia igitur astrorum non est prohibita, et multo minus geometria.

L. Nullus. 3. et L. Nemo. 5.

SUMMARIA

Aruspices, augures et his similes superstitiosam suam artem exercere prohibentur. num. 1.
Poena. 2.
Ii, qui advocarunt aruspices, bonis ademptis deportantur. 3.
Quicunque artem divinatoriam professus fuerit, contra leges Imperat. gladio puniatur. 4.
Hodie qui foedus expressum cum Satana non pepigere, nec alicui nocuere, sed solummodo arte diabolica divinare conantur, in crystallino speculo daemonem interrogantes et responsa accipientes, supplicio capitali afficiuntur. 5.
Superstitiosi, qui certis verbis utuntur vel sigillis ac characteribus, amuletis superstitiosis etc. quomodo puniantur. 6.
An poena confiscationis, quae in 1. 3. *habetur per* Auth. bona damnatorum C. de bonis proscriptorum, *sit sublata?* 7.
Quinam fuerint aruspices, magi, augures, remissive? 8.

Aruspices, qui ex monumentorum, vel exto- 1
rum inspectione, item ex avium garritu pronunciabant futura, item qui dicebant, quo puncto aliquid sit inchoandum etc. tales omnes prohibentur hanc superstitiosam artem suam exercere, et, si divinandi causa alterius aedes 2
accesserint, concremandi sunt. Is vero, qui 3
aruspicem advocaverit, bonis omnibus ademptis, deportandus est. Imo quicunque hanc artem 4
divinatoriam professus fuerit contra leges Imperatorias, gladio puniatur; qua severitate tunc in tanta aruspicum copia opus fuit. Et hodie 5
etiam qui foedus expressum cum Satana non pepigerunt, nec alicui nocuerunt, sed solummodo arte diabolica divinare conantur, in crystallino speculo daemonem interrogantes et responsa accipientes, debent propter *hanc legem, et Exod.* 22. *vers.* 18. *et Lev.* 20. *vers.* 6. supplicio capitali affici, tradente hoc *Dn. Carpz. part.* 1. *qu.* 50. *num.* 37. *et seq. Struv. synt. jur. civ. exerc.* 49. *th.* 60. *seq.* Caeteri 6
superstitiosi, qui ceteris verbis utuntur, vel sigillis ac characteribus, amuletis superstitiosis etc. illi poena extraordinaria, carceris vel relegationis puniuntur, et Clericis melius informandi causa traduntur, tradente *Carpz. d. qu. num.* 49. *et seqq.* Sed quaeritur: *An poena* 7
confiscationis, quae in l. 3. *habetur per Authent. bona damnatorum C. de bonis proscriptorum, sit sublata?* Et omnino illud puto. Atque adeo maleficorum, sagarum et similium bona non sunt Fisco addicenda, *Fach. lib.* 9. *c.* 87. *Klock. vol.* 1. *cons.* 24. *num.* 34. Quinam autem aru- 8
spices, magi, augures, etc. fuerint, Vid. *Ant. Matth. tit.* 5. *c.* 5. *et Martinus Delrio in disquisit. magicis p.* 4. *cap.* 2. *q.* 7.

L. Eorum est scientia. 4.

SUMMARIA

Ii, qui magicis artibus aliis nocent vel amorem aliorum sibi et aliis conciliant, quomodo puniendi? num. 1.
Si quis boni alicujus v. g. ob sanitatem vel propter ubertatem fructuum suffragiis utitur, non est puniendus. 2.

Postrema haec Constitutio improbatur et Jure Can. refutatur. 3.
Imperator h. l. *quomodo sit excusandus?* 4.

1 In principio Imperator *Constantinus* severissimam poenam minatur iis, qui magicis artibus aliis nocent, vel amorem aliorum conciliant si-
2 bi et aliis, postea subjicit: Si quis boni alicujus, v. g. ob sanitatem vel propter ubertatem fructuum suffragiis utatur, quod ille puniendus
3 non sit. Sed haec Constitutio postrema piis merito improbatur, teste *Cujac. lib.* 27. *obs.* 17. *et Carpzov. part.* 4. *constit.* 2. *defin.* 7. ideoque a *Leone Nov.* 65. refutata, et Jure Canonico *caus.* 16. *qu.* 2. aliquot canonibus reprobata. Confer. etiam *Bald. lib.* 3. *casuum conscient. cap.* 5. *cas.* 11. quamvis non improbabili-
4 ter dicatur, Imperatorem christianissimum hic non de incantamentis, sed de lustrationibus agrorum, quae cum publice decantatis litaniis fiebant, *Novell.* 123. *cap.* 32. esse intelligendum, et de processionibus solemnibus.

L. Multi. 6.

SUMMARIA

Magicis artibus vitae alterius qui nocuerunt vel clementa turbarunt, quomodo puniantur? num. 1.
Restringitur ad certas personas poena a Carpzovio. 2.
Si quis quidem non nocuit, pactum tamen cum diabolo habuit, gladii poena obtinet. 3.
Jus commune. 4.
Quid si citra expressum pactum, diaboli tamen ope et per magicas artes, aliis noceant? 5.

1 Qui magicis artibus vitae alterius nocuerint, vel clementa turbarint, puniuntur ultimo supplicio; quod hodie *Constitut. crim. Caroli V.*
2 *art.* 109. est vivicomburium. Quod tamen *Carpz. qu.* 49. recte ad eos restringit, qui pactionem
3 habent cum diabolo expressam. Si vero minime nocuerint, et tamen cum diabolo in foedere expresso fuerint, gladii poena locum habere vi-
4 detur, *arg. d. art.* 109. quamvis hoc casu etiam comburendas Sagas esse communius obtinuerit, per tradita *Berlich. part.* 4. *concl.* 5. *num.* 38.
5 Sed *quid si citra expressum pactum, diaboli tamen ope, et per magicas artes aliis noceant?* Resp. tum poenam gladii locum habere concludimus per *hanc legem*, et per tradita supra ad *l.* 3. *et* 5.

L. Etsi excepta. 7.

SUMMARIA

Etiam in dignitate constitutus non liber est a tormentis, si magicis artibus utatur. num. 1.
Ratio. 2.

Licet in dignitate constituti alias a tormentis 1
liberi sint, *arg. l.* 8. *et l.* 16. *infra de quaest.* tamen si etiam ille, qui in comitatu Principis est, magicis artibus utatur, vel aruspex vel ariolus sit, aut ex somniis superstitiose quid praedixerit, poterit, si indicia sortilegii sint evidentia, nullo obstante privilegio personae vel dignitatis, tormentis subjici, et postea pro re nata puniri: Quia talis, qui in comitatu Princi- 2
pis vetitas artes profitetur, quasi ipsam Majestatem divinam et humanam calcare videtur.

L. Culpa similis est. 8.

SUMMARIA

Non magistri tantum artis mathematicae, sed discentes etiam puniuntur. num. 1.
Limitatur. 2.
An etiam ii, quorum jussu et instinctu aliis per artes magicas est nocitum? 3.
Qui de morbis magos consulunt, arbitrarie puniuntur. 4.

Non tantum magistri artis mathematicae su- 1
perstitiosae puniuntur, *l.* 10. *supr. de Episc. aud.* sed etiam discentes, nisi scilicet errorem ejura- 2
verint, et libros superstitiosos cremandos tradiderint, juxta *d. l.* 10. Sic etiam illi puniantur, 3
quorum jussu et instinctu aliis per artes magicas nocitum est, *Carpzov. p.* 1. *qu.* 50. *num.* 32. Eos autem, qui de morbis magos consulunt, 4
arbitrarie puniendos statuit *Carpzov. d.* 50. *num.* 63. *et Dn. Struv. ad lib.* 48. *tit.* 8. *th.* 66.

L. Quicunque. ult.

SUMMARIA

Magum quilibet ad Judicem trahat. num. 1.
Poena ejus, qui magum occultat. 2.
Magum interficiens ex l. Cornelia de sicariis *tenetur.* 3.
Socii inculpatio aliis concurrentibus indicium aliquod ad torturam facit. 4.

Magum quilibet ad Judicem pertrahere debet, 1
quia est hostis communis salutis; occultans vero, 2
et poenae publicae ipsum subtrahens, ultimo supplicio plectitur; quod tamen forte non observatur; sed qui magum propriis manibus inter- 3
fecerit, tenetur ex *l. Cornelia de sicariis.* Nam aut voluit ipsum quaestioni sive tormentis subducere, et ita veritatem occultare, aut vindictam privatam contra leges exercuit. Ex *hac* 4
lege colligunt: Socii inculpationem facere indicium aliquod ad torturam, aliis concurrentibus, *Besold. cons.* 23. *num.* 1.

TITULUS XIX.

De sepulchro violato.

L. Res. 1. et L. Si quis. 3.

SUMMARIA

Locus religiosus non est in commercio. num. 1.
Quomodo et quando ii, qui talia loca alienant et distrahunt, tam criminaliter quam civiliter conveniri possint. 2.
Ampliatur. 3.
Quid si extraneus tales accuset? 4.
Quomodo criminaliter contra eos agatur? 5.
Qualis poena? 6.
Qui aliis modis sepulchra violant, puniuntur aliter et quomodo? 7.
Judicis hac in parte negligentis poena. 8.
Cadavera sine superioris permissu per vicos aut oppida transvehi non debent. 9.
Subterrationes cadaverum ab alio ignoto occisorum et repertorum de consuetudine ad actus meri imperii referuntur. 10.

1 Locus religiosus, id est, locus, quo mortuorum reliquiae conditae, exemptus est humano commercio, §. 9. *Instit. de rer. divis.* Ideoque vendi vel emi nequit, et ejus alienatio nulla
2 est; sed etiam, qui distrahunt talia loca, rei sunt laesae religionis, ita ut possint civiliter conveniri et criminaliter; civiliter vel ab eo, cujus interest, v. g. liberis et consanguineis, uno vel pluribus, sive haeredes sint, sive non, *l. penult. ff. h. t. Menoch. lib.* 2. *A. Q. casu* 387. *num.* 7.
3 *et seq.* ad interesse, ita tamen, ut interesse non minus 100. aureis aestimetur; vel ab extraneo, ubi etiam convenitur in 100. aureos, *l.* 3. *pr.*
4 §. 1. *et* §. 8. *ff. h. t.* Sin extraneus accuset, est popularis actio; in populari autem actione, poena applicatur actori, nisi reperiatur casus exceptus, ut in *l.* 25. *ff. de SC. Silan. l. fin. pr. ff. de term. moto.* Sed talis exceptio hic non reperitur, *Goed. ad l.* 12. *ff. de V. S. in pr. num.* 18. *Bacchov. in Treutl. v.* 1. *d.* 4. *th.* 9. *lit. B. Ant. Matth. ad l.* 47. *tit.* 6. *c.* 2. *num.* 6. ita ut poena actori applicetur, non vero inter Fiscum et actorem dividatur, ut vult *Wesenb.*
5 *in* ϖ. *h. t. num.* 2. Criminaliter autem conveniuntur, si corpora ipsa extraxerint, vel ossa,
6 et quidem humilis fortunae homines supplicio,
7 honestiores deportatione puniuntur; Qui aliis modis violant sepulchra, relegatione puniuntur, vel damnatione in metallum, *l. fin. ff. h. t.* vel 20. libris auri quod ultimum, scilicet quod de poena pecuniaria dicitur, non videtur esse intelligendum de iis, qui ipsa cadavera extrahunt, vel spoliant, sed si marmora et cementa amoveant, *Menoch. remed.* 9. *recuper. possess. num.*
8 375. Et hac poena mulctandus etiam Judex reum non puniens. Vid. *Menoch. lib.* 2. *A. Q. cent.* 4. *cas.* 387. *et Berlich. p.* 5. *concl.* 47. *Decianus*
9 *lib.* 6. *cap.* 42. Sed nec cadavera sine permissu superioris per vicos aut oppida transvehi debent, *Fr. Marci dec.* 1084. *num.* 2. *et seqq. p.* 2. *P. Gregor. lib.* 2. *syntag. tit.* 14. *num.* 1. *Auctor in l.* 3. *ff. h. t. num.* 3. nec sine causa, *Christineus vol.* 2. *decis.* 169. Unde natam putant 10
esse consuetudinem, quod cadaverum ab alio ignoto occisorum et repertorum subterrationes ad actus meri Imperii referantur, *Klock. cons.* 10. *num.* 475. *vol.* 1. *Auctor in d. l.* 3. *ff. h. t. num.* 3. Sicut etiam a facultate pronunciatum memini.

L. Si servus. 2.

SUMMARIA

Servus spolians vel demoliens sepulchrum quomodo puniatur? num. 1.
Objectio diluitur. 2.
Quid si detractum quid sepulchro sit, et privatorum aedibus adjectum? 3.
Regula, Accessorium sequitur principale, *hoc loco fallit.* 4.

Servus sepulchrum demoliens vel spolians, si- 1
ne domini sui voluntate metallo addicendus; si domini jussu faciat, relegandus, quia jussus domini culpam servi minuit, sed dominum gravat. Nec obstat, *l.* 12. §. 4. *ff. de accusat.* hic enim 2
servus non tam ratione sui, sed odio domini relegatur, et relegatio hic deportationem significat. *Quid vero si detractum quid sit sepulchro* 3
et adjectum domibus privatorum? Resp. illas domus Fiscus vindicat, *Farinac. q.* 20. *num.* 120. *Decianus d. lib.* 6. *c.* 42. *num.* 10. ita ut hic odio furti rei religiosae fallat illa regula: *Quod* 4
accessorium sequatur principale.

L. Qui sepulchra. 4.

SUMMARIA

Poena ejus, qui sepulchra violare tantum aggressus. num. 1.
Quid si de sepulchris quid abstulerit, vel cadavera ipsa attrectaverit? 2.
Ratio decidendi. 3.
Ob poenam novam vel statutariam a poena priori ordinaria non receditur, nisi id expresse constitutum. 4.
An crimen hoc publicum sit vel privatum? 5.
Qui armata manu sepulchra spoliat, capite plectitur. 6.

Qui violare sepulchrum tantum aggressus est, 1
debet Fisco 20 libras, *praeced. l.* 3. Sed si de se- 2
pulchris quid abstulerit, aut cadavera ipsa attrectaverit, hic in 10. pond. auri condemnatur, et ita pronunciatum refert *Carpzov. qu.* 83. *num.* 16. *Hahn. ad Wesenb. in not. ad h. t. in fin. num.* 2. Nam etiam mortuo facit injuriam, 3
et vivos seu artifices, quorum opera utitur, polluit, id est, facit, ut ipsi contrectando res religiosas se polluant. Et additur in *hac leg.* cae-

teras poenas non tolli. Unde colligitur: manere adhuc poenas, quae dictatae in *Digestis*. Un-
4 de colligitur: Ob poenam novam vel statutariam, non recedi a poena priori ordinaria, quando hoc
5 expresse non est constitutum. Quamvis autem per *hanc legem* dici possit, publicum crimen esse factum, dum hujus criminis in *hac lege* descripti poena est Fisco inferenda, et cuilibet ex populo datur accusatio: tamen dicendum, hoc crimen esse privatum, et ex circumstantiis fieri publicum, quatenus vel sacrilegium proxime accedat, ut *hic*, vel ad vim publicam, ut *l.* 3. §. 7. *ff. h. t. Ant. Matth. t.* 6. *cap.* 2. *num.* 3.
6 Nam qui armata manu sepulchra spoliat, etiam capite plectitur, *Berlich. concl.* 47. *part.* 5. *num.* 18. *Decianus lib.* 6. *cap.* 43. *num.* 5. *et seqq. Farinac. q.* 20. *num.* 111. *Auctor in l.* 3. *ff. h. t. num.* 1.

L. Pergit audacia. 5.

SUMMARIUM

Poena sepulchri violati ad poenam sacrilegii extenditur.

Poena sepulchri violati etiam extendi potest ad poenam sacrilegii, quae definitur *l.* 6. *ff. ad l. Juliam peculat.* licet proprie sacrilegium non sit, sed improprie. Ideoque ex *hac lege* collata *d. l.* 6. apparet, hanc poenam hujus criminis fere esse arbitrariam.

L. Cum sit. ult. Auth. Item. et Auth. Sed neque.

SUMMARIA

Creditorum nonnullorum nimia avaritia et impietas in debitores describitur. num. 1.
Poena ejusmodi creditorum, qui nec lethaliter decumbentium aedes ingredi parcunt, sed signacula bonis sine auctoritate Judicis imponunt, imo et defunctos sepeliri prohibent. 2.
Aliam poenam Justinianus *constituit.* 3.
Ampliatur. 4.
Per novem dies a morte debitoris numerandos adversus haeredes debitoris omnis exactio sustineatur, nec ulla fiat molestia, et quicquid contra factum fuerit, hoc ipso jure sit nullum. 5.
Jus Saxonicum *et consuetudo recepta.* 6.
An quis intra trigesimum diem de jure Saxon. *arestum contra haeredes impetrare possit?* 7.
Suspensorum cadavera spoliantes vel auferentes quomodo puniantur? 8.

Solebant olim creditores avari et impii, ne 1
moribundis quidem debitoribus parcere, nec a defunctis vim cohibere. Nam aedes lethaliter decumbentium solebant ingredi, et signacula bonis sine auctoritate Judicis imponere, imo defunctos sepeliri prohibebant, dum suum fuerint consecuti, aut haeres pignora vel fidejussores dederit. Sed cum hoc cum impietate conjunctum esset, et contemptu religionis, ideo id prohibitum, *l.* 3. §. 4. *ff. h. t. et hic in l. ult.* poena statuitur 50. librarum auri, quas qui sol- 2
vere non potest, debet poenam in corpore suo luere, juxta regulam: *Qui non habet in aere etc.* Sed *Justinianus Novell.* 60. constituit, ut credi- 3
tores isti jus crediti amitterent, et tertia parte bonorum mulctarentur (et sic cessat et absorbetur poena 50. librarum auri) et infamia notarentur imo et haeredibus defuncti tali injuria affectis aliud tantundem praestare cogerentur, qua de re *Covarr. lib.* 2. *resol. c.* 1. *n.* 10. *Farinac. q.* 20. *num.* 139. *Gail. de arest. Imper. cap.* 11. *num.* 28. *Menoch. d. cas. num.* 16. *et seq. Rittershus. in Novell. part.* 13. *cap.* 6. *num.* 5. *Berlich. d. l. num. fin. Auctor in l. fin. ff. h. t. num.* 5. *Eckold. Comment. ad Pand. ad tit.* 8. *lib.* 1. §. 8. Et hae poenae 4
locum habent, licet in instrumento debiti hoc placuerit partibus, ut liceret funus debitoris impedire, *Suarez. in repet. leg. post rem judicatam* 56. *ff. de re judic. extens.* 5. *num.* 2. In *No-* 5
vella vero 115. *cap.* 5. *et Auth. ult. h. tit.* constituit, ut per novem dies a morte debitoris numerandos sustineatur omnis exactio adversus haeredes, nec ulla iis fiat molestia, et quicquid contra factum fuerit, hoc ipso jure sit nullum. Vid. *Rittershus. in Novell. d. part.* 13. *cap.* 6. *Menoch. d. l. num.* 22. *Ripa de peste cap.* 4. *num.* 14. Sed hodie *jure Saxon.* non tantum, teste *Cole-* 6
ro de process. execut. p. 2. *c.* 3. *num.* 397. *et Carpzov. p.* 3. *constit.* 14. *definit.* 15. sed etiam consuetudine passim receptum, quod haeres intra trigesimum diem molestia affici non debeat. Sed *an intra trigesimum diem arestum impe-* 7
trari potest in foro Saxonico? Affir. *Finckelth. obs.* 15. ubi id rationibus et auctoritatibus fulcit. Quid juris circa eorum poenam, qui su- 8
spensorum cadavera spoliant vel auferunt? Vid. *Eckold. in Comment. ad Pand. h. t.* §. 6.

TITULUS XX.

Ad legem Fabiam de plagiariis.

L. Pater tuus. 1.

SUMMARIA

Plagium quid sit? num. 1.
Casus. 2.

1 Plagium est fraudulenta suppressio liberi hominis, vel servi alieni lucri faciendi causa facta, *Ant. Matth. ad l.* 48. *tit.* 12. *c.* 1. *num.* 2.
et 5. *Auctor in l.* 1. *ff. h. t.* Pone igitur: Te 2
sollicitasse ancillam meam ut fugeret, et postea eam aliis vendidisti: quae actiones mihi contra te competunt? Resp. 1. Rei vindicatio, quia licet non amplius possideas, potes tam conveniri, quia dolo desiisti possidere, *l.* 27. §. 3. *ff. de rei vind.* et si obtineam in civili judicio, possum etiam te 2. accusare de plagio, *l. pen. pr. ff. h. t.* et si violentia accessit, qua forte ancillam eripuisti, potes etiam de vi publica vel privata conveniri.

L. Si ab Aeliano. 2.

SUMMARIA

Si quis servum alicujus sollicitaverit, ut fugeret, quaenam inde contra istum competat actio? num. 1.
Per se intendere crimen quid sit? 2.

1 Quando servum meum sollicitasti, ut fugeret, competit mihi actio criminalis et civilis; criminalis de *plagio*, et hanc per Procuratorem non possum exercere, *l. pen. ff. de publ. judic.* civilis de *servo corrupto*, quae per Procuratorem
2 expediri potest. Notetur, quid sit hic per se intendere crimen, id est, in sua persona, ut loquimur, vel sine interventu Procuratoris, *Gloss. hic*, *et Bl.*

L. Ut legis. 3. et L. Non valet. 4.

SUMMARIA

An in crimine plagii subscriptio ad similitudinem poenae requiratur? num. 1.
Coram quo fiat accusatio, et quinam sit Judex competens? 2.

1 Saepe supra dictum, in criminalibus subscriptionem ad similitudinem poenae requiri, id etiam in crimine plagii necesse est, ut accusa-
2 tor subscribat, *l.* 3. *h. t.* et accuset coram Judice competenti, v. g. procurator Fisci non est Judex competens, nisi a Praeside sit delegatus, *l.* 4. *h. tit.* et demum ferenda est sententia, causa plene cognita, *l.* 3. *h. t.* quae omnia sua luce patent.

L. Si fratrem. 5. et L. Eum. 9.

SUMMARIA

Ob liberum hominem surreptum, detentum et celatum non accusatio sola plagii, sed et interdictum de libero exhibendo *competit. num.* 1.
Ampliatur. 2.

1 Ob liberum hominem, non tantum surreptum, sed et detentum, suppressum, celatum, competit haec accusatio plagii, *hic et l.* 6. *§. ult. ff. h. t.* et praeterea interdictum *de libero ho-*
2 *mine exhibendo* sicut ob mancipium alienum celatum, accusatio plagii competit, *l.* 9. *h. t.*

L. In fuga. 6.

SUMMARIA

Fugitivum servum sciens vendens vel donans ad quam mulctam teneatur? num. 1.
Ratio hujus poenae. 2.
Duo casus excepti, quibus servus fugitivus licite vendi potest. 3.

Si quis fugitivum servum sciens vendiderit, 1
donaveritque, ex lege dicta de plagiariis tenetur ad mulctam Fisco inferendam, *hic et l.* 2.
§. 2. *ff. h. tit.* Ratio. 1. ut a fuga servi deter- 2
reantur, si nec recipi se posse a quoquam vel celari impune intellexerint, nec adquiri alteri titulo vel auctoritate justa, *l.* 12. *C. de agric. et cens.* et 2. ne fugitivi, qui aliquando etiam bellum intulere Reip. eludant poenam fugae; quippe quam nec venditor, qui dominus esse desiit, exacturus est, nec emptor, contra quem fugiendo non deliquit. Vid. *Ant. Matth. in lib.*
48. *digest. tit.* 12. *cap.* 1. *circa finem.* Sed exci- 3
piuntur duo casus, quibus servus fugitivus licite vendi potest: I. Si id fiat a cohaeredibus; nam cohaeredes etiam de servo fugitivo transigere possunt; est etiam alienatio non voluntaria. II. Si quis vendat sub conditione, quando servus in potestatem emptoris venerit, et ab eo fuerit comprehensus. Nihil enim interest, utrum alienatio tempore licito fiat, an in tempus licitum conferatur, ut ex *hac lege* colligunt *DD.* Nam paria sunt, fieri tempore habili, et fieri tempore inhabili, modo effectus conferatur in tempus habile, *Sanchez in sept. praecepto Decalogi cap.* 2. *num.* 54. quem allegat *A. Barbosa lib.* 14. *cap.* 3. *axiom. ult.* sicut e contrario paria sunt, fieri tempore prohibito, vel conferri in tempus prohibitum, *l.* 16. *ff. de sponsal. l.* 4. *supr. de donat. ante nupt.* et ibi not.

L. Quoniam. 7. et L. Plagiarii. ult.

SUMMARIA

Poena plagii de jure veteri et novo. num. 1.
Alciati *opinio de hac Constitutione.* 2.
Varia lectio. 3.
Crescentibus delictis crescunt poenae. 4.
Juris divini convenientia ex parte cum hac Constitutione. 5.
Quid si aliud delictum concurrat? 6.

Plagii poenam olim fuisse pecuniariam colligi- 1
tur ex *l.* 6. sed cum hoc crimen frequentius committeretur, constitutum, ut qui servos fugitivos vel liberos alienat, capite plectatur, *l.* 7. *h. t. Auctor ad l. ult. ff. h. t.* vel ad metallum damnetur; qui vero saepius illud crimen commiserit, si servus aut libertinus, bestiis subjiciatur, caeteri gladio semper conficiantur, *l. ult.*
h. tit. Quamvis *Alciatus* priorem Constitutionis 2
partem de illis plagiariis accipiat, qui jus civitatis Romanae habent, posteriorem de iis, qui
cives non erant. Sed si dicendum quod res est, 3
forte pro voce, *teneantur*, in prima parte *legis ultimae* legendum, *tenebatur*, ut ex *l. un. Cod. Theod. ad legem Fabiam de plagiariis* animadvertit *Duaren.* 2. *disp. anniv.* 20. laudatus ab

Ant. Matth. in l. 48. *digest. tit.* 12. *cap.* 2. *num.* 2. licet aliter *Clarus* §. *fin. q.* 68. *num.* 31. *Menoch. lib.* 2. *A. Q. cas.* 536. *num.* 7. Sed et, *tenebantur*, legit ex *Cod. Theod. Cujac. tom.* 3. *ad hunc*
4 *tit.* Ex *l.* 7. colligitur: Crescentibus delictis cre-
5 scere poenam. Convenit in poena capitali jus divinum, *Deut.* 24. *vers.* 7. *Carpz. q.* 83. *num.* 88. *et seq. Tholos. lib.* 36. *t.* 31. *Auctor ad l.*
6 *ult. ff. h. t.* Sed quid si aliud delictum concurrat, v. gr. diffidatio? Resp. gladii tamen tantum poenam dictam memorat *Heig. p.* 2. *q.* 32. *num.* 33. Sane sociis crimen detegentibus poenam mitigandam ibidem censet *Heig. num.* 15. *et seq.*

L. Praeses provinciae. 8.

SUMMARIA

Facti species. num. 1.
Quaestio inde deducta. 2.
Ratio dubitandi. 3.
Decidendi. 4.
Is, qui de proprietate servi obtinuit, etiam crimen exequi potest, sed si de proprietate convictus, frustra ad criminis executionem descendit. 5.

1 Titius servum meum abduxit, et vendidit, accuso ipsum de plagio: Ille excipit, servum
2 esse suum. Quaeritur: *An prius de dominio ser-*
3 *vi quaerendum sit?* Videtur quod non, ob *l.* 1.
4 *supr. de his qui accusare etc.* Sed affirm. quia haec quaestio civilis quidem est, sed praejudicialis; nam si servus Titii est, non commisit ille plagium, si meus, commisit, ergo etc. Quaestio haec civilis prius cognoscenda, *arg. l.* 26. *supr.*
5 *de adulter.* Collige ergo ex *hac lege:* Eum, qui de proprietate obtinuit, etiam crimen exequi posse, sed si de proprietate sit victus, frustra ad criminis executionem descenditur, *Ant. Matt. d. t.* 12. *c.* 2. *num.* 3.

L. Comparantem. 10.

SUMMARIA

Facti species. num. 1.
Quaestio inde oriens. 2.
Non est eadem poena, si quis latronem receptavit, et si societatem lucri contraxit. 3.

1 Titius suffuratus est homines liberos et plagium commisit. Ego emo ab ipso eosdem: Quae-
2 ritur: *An sim condemnandus hoc judicio?* Resp. quod non, nisi socius sim, id est, nisi sciens plagium, atque ita mala fide emerim, vel socius in ipsa suppressione fuerim, *Ant. Matth. d. t.* 12. *cap.* 1. *num.* 1. non si bona fide, *l. pen. et ult. ff. h. t.* Ex *hac lege* colligi solet;
3 Non esse eamdem poenam, si quis receptaverit latronem et si societatem lucri contraxerit, *Ant. Matth. ad lib.* 47. *tit.* 10. *cap.* 1. *num.* 3.

L. Abducti. 11.

SUMMARIA

Casus legis. num. 1.
An liber homo blandis verbis abductus et venditus fiat servus? 2.

Abduxit quis liberum hominem blandis verbis 1
persuasum, et eum vendidit, Quaeritur: *An ob* 2
id ille homo liber venditus fiat servus? Videtur quod sic, quia sollicitatus ille est, et sic sponte se abduci passus est, ac vendi. Sed neg. nam per talem sollicitationem et abductionem crimen plagii committitur, non autem praejudicatur statui illius, qui abductus est. Non enim hic est modus, quo quis ex libero servus fiat, et quod contra leges fit, non debet habere juris effectum, *l.* 5. *supr. de LL.*

L. Si quis servum. 12.

SUMMARIUM

Receptator servi mei fugitivi una cum meis rebus surreptis quomodo conveniri, et an utraque actio tam civilis quam criminalis cumulari possit?

Qui servum meum fugitivum, cum rebus meis per servum mihi surreptis suscipit et celat sciens, illum civiliter et criminaliter convenire possum: civiliter ratione rerum actione furti ad duplum, criminaliter vero accusatione plagii propter ipsum servum celatum, *l.* 5. *et l.* 9. *h. t.* et quidem utramque actionem cumulari posse in eodem libello ex *hac lege* probat *hic Baldus*, quod *DD.* intelligunt, si principaliter agatur criminaliter, incidenter ad restitutionem rei, *Clar.* §. *fin. quaest.* 2. *num.* 2. *Mind. lib.* 3. *de contincnt. caus. cap.* 11. *num.* 5. *Conf. Carpz. quaest.* 80. *num.* 103.

L. Plagii. 13.

SUMMARIUM

Plagium est crimen publicum, adeoque ab omnibus deferri et accusari potest, et infamat.

Plagium est publicum crimen, et ideo ab omnibus deferri et accusari potest, *hic et* §. *pen. Inst. de publ. judic.* et infamat *l.* 7. *ff. de publ. judic.*

L. Plagii. 14.

SUMMARIA

Plagium dolum requirit. num. 1.
Non tenetur poena hujus delicti, qui servos alienos suos putans vendidit. 2. 4.
Multo minus ille, qui servum vel filium suum surripit. 3.

1 Plagium requirit dolum, *l.* 3. *ff. h. t.* ergo
2 qui putans suos servos esse, alienos vendiderit,
idque ut putaret, justa et probabili causa ductus fuit, excusatur a poena hujus delicti, v. g.
si servum in haereditate reperit, et probata il-
3 la causa, probatus est error. Sic ergo non tenetur, qui servum suum, vel filium suum sur-
4 ripit, *Farin. q.* 167. *num.* 101. vel servum alienum surripit, quem habet pro suo, aut quem putat non reluctaturo domino se surripere, *Farin. d. l. num.* 104. *Menoch. lib.* 2. *A. Q. cas.* 536. *num.* 17. *et seq. Auctor in l.* 3. *ff. h. t.*

L. Liberum. 15.

SUMMARIUM

Sensus legis.

Est exceptio hic, quod ille demum teneatur de plagio, qui liberum invitum vendit. Pro invito tamen et ille habendus, qui sollicitatus et seductus est, *arg. l.* 11. *h. t.*

TITULUS XXI.

Ad legem Viselliam.

L. Lex Visellia. un.

SUMMARIA

Libertus ad honores quatenus adspirare possit? num. 1.
Quid si absque aureorum annulorum jure ad honores adspiraverit, quomodo conveniri possit a patrono? 2.
Hodie poena hujus legis *est sublata.* 3.

1 Libertus ad honores adspirare non potest, nisi impetrato jure aureorum annulorum, quod jus si impetraverit, imaginem ingenuitatis habet, et publica munera agere potest. Si autem 2
non impetrato jure annulorum aureorum ad honores adspiraverit, poterit civiliter conveniri a patrono de operis praestandis, et criminaliter etiam convenietur, ubi pro arbitrio Judicis punietur, et fiet infamis, sed tutelam, curatelam atque alia onera in patria patroni subibit. Sed 3
hodie ob *Nov.* 78. qua omnes libertini facti fere ingenui, salvo jure Patronatus, poena *hujus legis* sublata videtur. Vide *Cujac. et Lucam de Penna ad l.* 1. *C. si servus aut libertus ad decur. Menoch. l.* 2. *A. Q. cas.* 402.

TITULUS XXII.

Ad legem Corneliam de falsis.

L. Si partus. 1.

SUMMARIA

Casus legis. *num.* 1.
An quaestio de subjectione falsi partus ex Carboniano edicto differenda sit? 2.
Sententia contra matrem lata partui non praejudicat. 3.
An huic crimini praescribatur? 4.

1 Cognatus aliquis movet Titiae quaestionem, quasi partum falsum subjecerit, hujus criminis poena est capitalis, id est, deportatio, *Farin. q.* 150. *num.* 240. *et seqq. Menoch. A. Q. cas.* 306. *num.* 5. Mater excipit, differendam esse hanc quaestionem ex Carboniano edicto; Quaeri-
2 tur: *An differenda?* Resp. Quod non: nam quando impuberi movetur quaestio status, tum differenda est cognitio in puberem aetatem pupilli; Sed hic movetur lis matri, et quoniam de capitali poena lis est, non est dubitandum, quin satis sit se defensura, *Farinac. d. q.* 150. *num.* 243. *et Molina d.* 701. *num.* 3. *et d.* 637. *Aegid.*
3 *Bossius de partu suppos. num.* 4. Accedit etiam haec ratio, quod sententia contra matrem lata non praejudicet partui, *l.* 3. §. 3. *ff. de jurejur. l.* 3. §. 6. *ff. de edict. Carbon.* Est enim res inter alios acta, nisi ex probationibus contra matrem productis evidenter constaret, partum esse suppositum, nam tunc ne quidem alimenta debe-
rentur, *Molin. tract.* 2. *disp.* 701. *num.* 3. Sa- 4
ne huic crimini nunquam praescribitur, quin semper de partu supposito agi possit, *l. qui falsam.* 19. §. *ult. ff. h. t. Molin. d. d.* 701. *num.* 4. licet is, qui supposuit, mortuus sit, *Auctor in l.* 19. *ff. h. t.* sed tunc agendum civiliter, *l. qui falsam.* 19. §. 1. *ff. h. t.* vel contra complices criminaliter, *Aegid. Bossius in tit. de partu suppos. num.* 2. *P. Gregor. lib.* 36. *syntagm. cap.* 3. *num.* 5. *Farinac. d. l. num.* 144. et liberi ipsi contra matrem civiliter tantum agere possunt, *l. si tamen* 11. *ff. de accusat.*

L. Satis aperte. 2.

SUMMARIA

Facti species. num. 1.
Quaestio inde deducta. 2.
Is qui morandae solutionis gratia crimen falsi objicit, salva criminis exceptione nihilominus ad solutionem si illa est altioris indaginis, compellatur. 3.

Petita restitutione in integrum, executio, si altioris indaginis, inhibenda non est. 4.

1 Ago contra te ex instrumento crediti, tu de-
bitum non negas, sed excipis aliquid in istru-
mento additum falso et doloso animo contra vo-
2 luntatem tuam; Quaeritur, *An prius de falso
quaerendum, quam ad solutionem compellaris?*
Resp. neg. quia cum debitum confitearis, et
tantum accessorium quoddam ut constitutionem
pignoris, stipulationem poenae, vel quid aliud
falso additum dicis, ideoque quaestio falsi dif-
ferenda, et interim ad solutionem per sen-
tentiam et executionem compelli potes. Sed hoc
accipiendum, nisi falsum in continenti probari
possit, *Paul. Cristin. v.* 4. *Dec.* 199. *num.* 26.
3 Collige: eum qui morandae solutionis gratia cri-
men falsi objicit, salva exceptione criminis, ni-
hilominus ad solutionem compellendum esse, si
illa sit altioris indaginis, *Matth. t.* 7. *cap.* 3.
num. 2. *Coler. de process. p.* 4. *c.* 1. *num.* 120.
4 *et seq.* Ex *hac lege* 2. nonnulli colligunt: Petita
restitutione in integrum non esse inhibendam
executionem, si res altioris indaginis sit, quos
reprehendit *Fachin. l.* 12. *cap.* 17.

L. Licet. 3. et L. Qui falsas. 6.

SUMMARIA

Facti species. num. 1.
Quaestio inde resultans: An filius comperto dolo novercae de falso subducto testamento agere possit? 2.
Limitatur. 3.
Sejus qui per errorem falsum testamentum approbat, illud postea reprobare potest. 4.
Quod quis approbavit, reprobare non potest, et contra. 5.

1 Pater fecerat testamentum, in quo instituit
filium; mortuo patre filii, noverca celato vero
testamento, falsum substituit testamentum, qua-
si mortuus uxorem haeredem instituisset, et
tantum legatum filio reliquisset. Filius ignorans
dolum novercae, legato contentus est et petit
2 legatum, nec non accipit, Quaeritur: *An postea
comperto dolo de falso agere possit?* Respond.
quod sic, quia ignorans accepit legatum, *hic et
l.* 3. *ff. h. t.* Secus autem si sciens, quia tunc
transigendi animo accepisset, ergo non posset
3 de falso agere, *l.* 7. *h. t.* Sed qui prius falsum
esse dixit testamentum, et de falso alium ac-
cusat, si succumbat, non potest ex testamento
illo antea a se impugnato quicquam petere, per
l. 6. nisi 1. alieno nomine impugnaverit, *arg.*
§. 4. *et* 5. *Instit. de inoffic. testamento*: 2. aut is
sententia non expectata, et impetrata abolitione
a lite desistat, *l.* 18. *supr. de his quibus ut indign.*
4 Colligitur ergo: Sejum, qui testamentum falsum
per errorem approbat, posse postea illud re-
probare, *Baldus hic:* et sic generalis limitatio
5 hic reperitur ejus regulae: Quod quis approba-
vit, illud reprobare non potest, per *l. Pompo-
nius ff. de negot. gest. Barb. locupl. l.* 1. *cap.*
74. *axiom.* 5. Nam approbatio requirit plenam
et certam scientiam, *l. cum testamentum* 8. *et
l. seq. C. de juris et facti ignor.* et approbans
debet de negotio plene esse instructus, *Cravetta
cons.* 197. et quos allegat *Menoch. cons.* 439.
num. 56. *et cons.* 707. *num.* 12. *et seqq.* et im-
pugnatum semel non potest postea approbari,
Barb. d. l. axiom. 3. Sed si eadem persona di-
versos habeat respectus, cessant hae regulae,
Tiraq. de nobilit. cap. 28. *num.* 15. *et Barb. d.
axiom.* 5.

L. Majorem. 4.

SUMMARIA

Gravius est delictum falso rescripto quam aliis falsis instrumentis privatis uti. num. 1.
Poena utentis falsis Constitutionibus. 2.
Varia legis *interpretatio.* 3.
Qualis falsitas in rescriptis Regiis commentitiis sufficiat? 4.
Quid, si quis utatur falso instrumento, excipiat vero se esse innocentem, nec falsi auctorem sed alium, et se per ignorantiam eo usum? 5.
Jus Canonicum. 6.
Is qui ab alio accepit libellum famosum et communicat, non est puniendus. 7.

Gravius delictum est, falso rescripto uti, quam 1
aliis falsis instrumentis privatis, ideoque is, qui
falsis Constitutionibus utitur, aqua et igni in- 2
terdicitur, id est, deportatur, *l. fin. ff. h. t.*
Quamvis autem nonnulli *hanc legem* de majori 3
severitate in inquirendo intelligant, verosimi-
lius tamen videtur, etiam in puniendo majorem
severitatem requiri, praesertim in rescripto gra-
tioso, *Afflict. dec.* 401. *num.* 15. *et num.* 18.
Boer. dec. 82. *num.* 9. *Menoch. lib.* 2. *A. Q.
cas.* 306. *num.* 6. *Farinac. q.* 150. *num.* 62. qui
tamen omnes inclinant eo, non posse illam poe-
nam ad ultimum supplicium extendi. Et quam-
vis alias ad poenam falsi infligendam requiratur,
ut sit alteri nocivum, in rescriptis tamen re- 4
giis commentitiis sufficere putant nonnulli, quod
nocere falsitas commissa potuerit, etsi actu non-
dum nocuerit, ut ex *Franc. Marco et Ludov. a
Peguera* refert *Dn. Zieglerus ordinarius fac. jur.
Witt. ad Lancell. lib.* 4. *tit.* 9. §. 1. Et hoc
casu fustigationem dictam scio, licet rescriptum
Electorale nihil profuerit falsario. Sed *quid si* 5
*Titius utatur falso instrumento, excipiat vero
se esse innocentem, nec se, sed alium falsi
auctorem esse, et se per ignorantiam eo usum?*
Resp. ipsum audiendum esse, si innocentiam
suam velit probare, quod eo ipso facit dum
nominat et exhibet auctorem falsi. Pontifex au- 6
tem in *c.* 7. *X. h. t.* etiam ignorantiam punit,
quod de ignorantia crassa et supina videtur in-
telligendum. Nam ignorantia utentis falso instru-
mento excusat a poena falsi, *Natta cons.* 635.
num. 12. *et seq.* Ex hac lege probat *Cephalus* 7
cons. 341. *num.* 29. eum, qui ab alio accepit
libellum famosum et alteri communicat, non
esse plectendum eadem poena.

L. Falsi. 5.

SUMMARIA

An mater ex falso testamento fideicommissum petens de falso accusari possit? num. 1.

Mater contra filium agere potest, sed non vice versa. 2.
An Fiscus hac in parte in crimen falsi inquirere possit? 3.

1 Mater Petronii ex testamento quodam falso fideicommissum petit: Petronius vult de falso accusare matrem, Quaeritur: *An possit?* Resp.
2 quod non: nam licet mater contra filium possit agere, *l.* 14. *supr. qui accusare etc.* non tamen filius matrem potest accusare ob reverentiam ei debitam; sed civiliter se de falso queri potest, per *l.* 11. §. 1. *in fin. ff. de accusat.* vel excipiendo, *ut hic;* nam tunc super crimine nulla fertur sententia, *Decianus lib.* 3. *c.* 13. *et seq.*
3 *Ant. Matth. tit.* 13. *c.* 1. *num.* 14. Fiscum tamen ex officio in crimen falsi inquirere posse, non dubito. Vid. *Ant. Faber in C. h. t. def.* 5.

L. Ipse significas. 7.

SUMMARIA

Casus legis. *num.* 1.
Quaestio inde deducta. 2.
De falso transigere licet. 3.
Transactio tam ad ea extenditur, de quibus quis erat dubius, quam de quibus erat certus. 4.
Dubitans et ignorans in transigendo aequiparantur. 5.

1 Litigavi tecum in causa civili; produxi instrumenta, excepi, me fidem eorum habere suspectam, sed postea tamen transegimus. Postea comperio falsa illa esse instrumenta, Quaeritur:
2 *An de falso te accusare possim?* Videtur quod sic, quia de falso non transegi, sed debito civili; transactio autem est stricti juris; Sed resp. Imperator, difficile esse, ut audiar, quia jam tum fidem instrumenti in dubium vocavi, atque sic simul de falso transactum videretur. Collige:
3 De falso licere transigere; Vid. *Coll. Arg. tit. de transact. th.* 15. *et seq.* Dicit autem Imperator difficile esse, nam si dolum in ipsa transactione adhibuisses, possem agere, *l.* 13. §. *pen. sup. de*
4 *transact.* Colligit *hic Bl.* ex *hac lege:* Transactionem tam ad ea extendi, de quibus quis erat dubius, quam de quibus, erat certus. Quod etiam ea ratione probat, quod transactionis natura sit, ut super re dubia, non vero certa interponatur. Et sic dubia illa *dec. Nattae cons.*
5 635. *num.* 11. quod dubitans et ignorans in transigendo aequiparentur.

L. Si falsos codicillos. 8.

SUMMARIA

Facti species. num. 1.
Quaestio inde oriens. 2.
In delicto consummato sola poenitentia poenam non tollit. 3.
Qui producit falsum instrumentum ab alio depravatum mitius punitur. 4.
Ampliatur. 5.
Ad crimen falsi sufficit, quod falsum nocere possit. 6.
Objectio removetur. 7.
Sententia Auctoris. 8.

Titius fecit codicillos falsos, quo comperto 1
contra Titium de falso ago. Excipit ille, se non usurum illis codicillis, Quaeritur: *An excusatus* 2
sit? Videtur quod sic, quia nullum damnum dedit hoc falsum, nec dabit. Sed negatur, quia delictum est consummatum, ergo sola poeni- 3
tentia poenam non tollit, *l.* 65. *ff. de furt.* Nam illi demum sunt excusati, qui falsis instrumentis non utuntur, nec ea fabricaverunt; fabricatio enim sola punitur. Sed si quis producat fal- 4
sum instrumentum ab alio depravatum, ille mitius punitur, *l.* 13. §. 1. *ff h. t.* Imo si ante 5
sententiam poeniteat (nam hoc casu poenitere licet) poenam non meretur. Et ita probatur sententia *Doctorum*: quod ad crimen falsi suffi- 6
ciat, quod falsum nocere possit, *Farin. quaest.* 150. *num.* 355. *Molina tract.* 2. *de J. et J. decis.* 700. *num.* 3. *Menoch. cas.* 3. 6. *num.* 17. si scilicet quis instrumentum falsum fecerit cum omnibus solemnitatibus, ita ut nocere possit. Nec movet me, quod conatus non soleat cum 7
effectu pari poena plecti, qua ratione utitur *Carpzov.* in contrarium *quaest.* 39. *num.* 13. Nam respondeo, fabricationem instrumenti quoad externam perfectionem per se crimen perfectum esse, si aptum sit nocere. Sed puto lenius hunc 8
puniendum, praesertim si habuit occasionem utendi hoc instrumento falso et non usus sit.

L. Si docueris. 9.

SUMMARIA

Facti species. num. 1.
An civiliter de falso agere possim? 2.

Titius fecit codicillos, ego successi Titio et 1
solvi fideicommissa in codicillis relicta. Postea codicillos ut falsos argui et de falso egi, sed cum nondum haberem firmas probationes, petii abolitionem a Principe, destiti ab accusatione; Quaeritur: *Anne civiliter agere possim de* 2
falso? Resp. Aff. actione in factum, *hic et l. pen. h. t. et l. qui nomine* 25. *ff. h. t.*

L. Cum suppositi. 10.

SUMMARIA

Crimen suppositi partus nulla temporis praescriptione extinguitur. num. 1.
Objectio removetur. 2.
An detur haec actio contra uxorem patrui tui? 3.
Magistratus ex officio super partu supposito inquirere potest. 4.

Crimen suppositi partus nulla temporis prae- 1
scriptione extinguitur, *l.* 19. §. 1. *ff. h. t. ibique Auctor, Molina d. tr. disp.* 701. *num.* 4. Sed hoc tantum dubium, an non haec actio 2
20. annis praescribatur? nam quod praescribi non possit, putat *Ant. Matth. tit.* 19. *cap.* 4. *num.* 3. ita esse intelligendum, quod cursu

quinquennii, ut adulterium, non praescribatur, sed rectius id generaliter intelligit *Hippol. Marsil. in hoc §. num.* 1. *Farinac. qu.* 10. *num.* 29. *Bossius d. t. num.* 2. Durat autem tantum ei, cujus interest, id est, qui ab intestato erat
3 successurus, *l.* 30. §. 1. *ff. h. t.* et ideo tibi datur etiam contra uxorem patrui tui; nam non minus patruo, quam tibi videtur injuriam intulisse uxor ejus, ut adeo nihil agas contra reverentiam patruo debitam, sed tibi incumbit
4 probatio ut actori. Putant tamen *Doctores* Magistratum ex officio super partu supposito inquirere posse, *Farinac. d. q.* 150. *num.* 163. *Aegid. Boss. de partu suppos. num.* 38.

L. Si lis. 11.

SUMMARIA

Facti species. num. 1.
De crimine aliquo incidenter coram quocunque Judice agi potest. 2.

1 Convenit Titius Cajum ob debitum aliquod coram Judice pedaneo vel delegato, idque probat instrumento, quod Cajus falsum esse excipit. Titius replicat non posse pedaneum vel delegatum Judicem super falso cognoscere, ergo neque coram eo debere falsum per modum exceptionis opponi. Sed resp. Imperator, omnino etiam Judicem pedaneum vel delegatum, licet alias de crimine falsi principaliter judicare non possit, tamen incidenter etiam de falso cogno-
2 scere posse, *arg. l.* 3. *supr. de judic.* Ergo de crimine aliquo incidenter coram quocunque Judice agi potest. Et Judex causae principalis est etiam Judex causae exceptae, si ea incidat, *Menoch. lib.* 1. *A. Q.* 91. *num.* 7.

L. Querela falsi. 12.

SUMMARIA

Nullum fere crimen regulariter post 20. *annos deferri potest et accusare. num.* 1.
Idem in homicidio. 2.
Idem in falso. 3.
Quaedam delicta breviori tempore praescribuntur. 4.
Quaedam delicta sunt perpetua. 5.

1 Regulariter nullum crimen post. 20. annorum lapsum debet deferri vel accusari: Nam 20. annis non tantum criminis poena, sed ipsa etiam accusatio expirat, Vid. *Carpz. part.* 3. *quaest.* 141. *num.* 6. *et seq.* et inquisitio, *Boer. dec.* 108.
2 idem quoque in homicidio, *Thes. dec.* 208. de quo Theologi non sine causa dubitant. Et id
3 etiam in falso obtinet, *Farin. d. qu.* 10. *num.* 4.
4 Sed dicitur in textu, *fere*, nam quaedam delicta breviori tempore praescribuntur: injuriae anno, *l.* 5. *infr. de injur.* et actio vi bonorum raptorum in quadruplum, *princ. Instit. de vi bon. rapt.* quaedam biennio, ut actio doli, *l. fin. supr. de dolo.* quaedam quinquennio, ut adulterium, stuprum, et similia carnis delicta, *l.* 5. *l.* 28. *supr. de adult.* quaedam vero nec 20. 5
annis quidem praescribuntur, sed sunt perpetua, ut apostasia, crimen suppositi partus, *l.* 19. §. 1. *ff. h. t.* et parricidium, *l. fin. ff. de parricidio.* De quibus omnibus plura apud *Farinac. d. quaest.* 10.

L. Qui veluti. 13.

SUMMARIUM

Sensus legis.

Deposui apud te res meas, et peregre sum profectus, me autem absente curas scribi apocham, qua scriptum, me fateri res meas me percepisse. Haec apocha meo nomine falso scripta, nec mihi praejudicat, nec tibi prodest, sed potius propterea falsi reus es.

L. Eum qui celavit. 14.

SUMMARIA

Testamentum amovens, celans vel comburens, de crimine falsi tenetur. num. 1.
An idem in aliis instrumentis occultatis? 2.
An circa resignationem instrumentorum distinguatur? 3.

Si quis testamentum amovit, celavit, vel com- 1
bussit, ille tenetur de crimine falsi per *hanc l.* 14. *et l.* 2. *ff. h. t. Auctor in l.* 16. *ff. h. t. num.* 12. Sed *An idem in aliis instrumentis oc-* 2
cultatis verum, ut propterea sit accusatio publica? Quod communiter aff. per *l.* 1. §. 4. *ff. h. t.* quod pluribus explicat *Farin. qu.* 150. *num.* 154. *et num.* 173. sed de ea sententia merito dubitandum per *l.* 16. *ff. h. t.* quae differentiam constituit inter testamenta et alia instrumenta, sicut etiam distinguunt *Doctores* allegati a *Farinac. d. quaest.* 150. *num.* 171. *Ant. Matth. tit.* 7. *cap.* 1. *n.* 6. Circa resignationem instrumento- 3
rum non distinguo, modo fiat ea in damnum alterius, non ex curiositate, cum *Colero dec.* 179. *in fine etc. Ant. Matth. d. cap.* 1. *num.* 7. licet *Farin. d. qu.* 150. *num.* 127. et hoc casu poenam falsi locum habere putet.

L. Si creditor. 5.

SUMMARIA

Casus legis. *num.* 1.
Quicquid debitor et creditor in praepositione diei vel aliter in alterius praejudicium machinantur et scribunt, in hoc crimen falsi committunt. 2.
Exemplo declaratur. 3.

Creditor Titius sibi pignoratum fundum mihi 1
vendit jure pignoris, sed cum scirem illum fundum Sejo prius esse obligatum, dubito an vendere creditor Titius possit? Sed Titius communicato consilio cum debitore, falsum cudit in-

strumentum, quasi prius Titio, quam Sejo fuisset obligatus; postea autem apparet id falsum esse. Hic igitur habeo accusationem falsi contra creditorem Titium. Ergo conscientia debitoris non obstat, quo minus creditor teneatur poena falsi in praejudicium tertii commissi, *l.* 3. *ff. de fide instr. l. fin. infr. de crim. Stellion.*
2 *Salyc. hic* ex quo notabis; Quicquid debitor et creditor in praepositione diei vel aliter in alterius praejudicium machinantur et scribunt, in
3 hoc crimen falsi committi; v. g. Si quis fateatur, magnam summam pecuniae dotalis vel alterius se accepisse, cum tamen nihil acceperit, ut per hanc collusionem aliis creditoribus praejudicetur. DEUS scit, quoties haec in mundo fallaci agantur; falsis procul dubio omnia judicia sunt plena, sed raro deteguntur, rarius puniuntur pro merito.

L. De fide. 16.

SUMMARIA

In publicis judiciis frustra procurator intervenit. num. 1.
Ita nec in crimine falsi. 2.
Sed civiliter per procuratorem in hoc crimine agi potest. 3.
Quid si quis civiliter egerit et succubuerit, an adhuc non obstante exceptione rei judicatae de falso criminaliter agere possit? 4.

1 In publicis judiciis frustra intervenit Procura-
2 tor, *l. pen. ff. de publ. judic.* et ita quoque in
3 crimine falsi per *h. l.* sed si civiliter velit de fide testamenti agere actione in factum per *l. pen. h. t.* potest hoc expedire per Procurato-
4 rem. Sed quid si egerim civiliter de instrumento aut testamento falso, et succubuerim, an adhuc non obstante exceptione rei judicatae de falso criminaliter agere possum? Affir. hic per regulam in *l.* 7. §. 4. *ff. de except. rei judic.* de quo in *l. unic. C. quando civilis actio criminali praejudicet*, plura notabuntur.

L. Sicut. 17.

SUMMARIA

Scriptura vera temporis lapsu non convellitur. num. 1.
Objectio diluitur. 2.
Falsum instrumentum diuturnitate temporis non reconvalescit. 3.
Quae ad agendum sunt temporalia, ad excipiendum sunt perpetua. 4.
Judex a tormentis incipere non debet, sed ad id sufficientibus indiciis commoveatur. 5.

1 Scriptura vera temporis lapsu non convellitur,
2 nec enim obstat *l. sancimus* 20. *supr. de testam.* quia ibi concurrit cum lapsu temporis contraria
3 voluntas, sic etiam falsum instrumentum diuturnitate temporis non reconvalescit, nam licet post 20. annos, quando instrumentum falsum producitur, accusari ob hoc crimen nemo possit, potest tamen per modum exceptionis de falso opponi, *Balbus p.* 4. *part.* 4. *princ. num.* 7. *et* 8. *Farinac. d. quaest.* 10. *num.* 11. quia 4
quae ad agendum temporalia, ad excipiendum sunt perpetua, *l. plures* §. *fin. ff. de except. dol.* Quando autem de falso queritur aliquis, sive in processu civili sive criminali, torturae subjiciendi servi ad eruendam veritatem. Sed Judi- 5
cem non oportet a tormentis incipere, *l.* 1. *pr. et l.* 8. §. 1. *C. de quaest.* sed ad id sufficientibus indiciis commoveri.

L. Ex initio. 18.

SUMMARIA

Facti species. num. 1.
Quaestio inde deducta. 2.
Paria sunt nullum titulum et invalidum habere. 3.
Quid si dominus rem tradiderit, sed ex falso instrumento? 4.
Deciditur per distinctionem. 5.
Sententia Salyceti *ex parte approbatur.* 6.
Quidnam ad transferendum rei immobilis dominium requiratur. 7.
Ex contractu simulato, si plane nihil actum, non transit dominium. 8.

Scripsisti falsum instrumentum, quasi fundus 1
meus tibi esset venditus et traditus. Possedisti 10. annis, postea tibi litem moveo, opponis exceptionem usucapionis, Quaeritur: *An recte?* 2
Resp. Quod non, nam 1. titulus abest. 2. usucapio nulla, *arg. pr. Inst. de usucap.* Paria enim 3
sunt nullum habere titulum, et invalidum, ideoque actionem contra te habeo realem, ob fundum, et accusationem de falso instrumento, quae sunt separatae actiones, quarum una aliam non consumit. Sed *quid si dominus rem* 4
tradidit, sed ex falso instrumento? Et *Cynus* distinguit, an uterque ignoraverit falsitatem in- 5
strumenti, an uterque sciverit, an vero alter: in primo casu non transfertur, sed secundo transfertur, *arg. l. cujus per errorem ff. de reg. juris.* In tertio casu distinguitur: An tradens sciverit, et donatio est; an vero accipiens, ignorante tradente, et tunc si res immobilis transit dominium, secus si mobilis, ubi furtum, licet aliter 6
Salyc. hic, cujus tamen sententia in eo est probanda, quod rem immobilem non dicat adquiri accipienti, si falsitatem instrumenti sciat, ignoret vero tradens. Nam ut transferatur do- 7
minium etiam rei immobilis, necesse est, ut consentiat tradens et accipiens; sed hic est error in tradente, qui excludit consensum. Et ex eo, quod in *l. quoniam* 18. *ff. de condict. furti* in re immobili furtum committi dicatur, aliisque in textibus, non probari potest, quod in rebus immobilibus dominium adquiratur a sciente falsum. Et sic ex contractu simulato non 8
transit dominium, si plane nihil actum, de quo *Farinac. quaest.* 161. *num.* 27. *et seqq.*

L. Et si ad te. 19.

SUMMARIA

Casus legis. *num.* 1.
Quaestio inde resultans. 2.

Foemina, nisi suam et suorum injuriam prosequatur, accusare non potest. 3.
Causa donatarii non est donatoris, et hic in illius causa testis esse potest. 4.

1 Cosmia donaverat fundum Sejo, sed Titius falsum instrumentum concinnavit, quo vult probare fundum esse suum, scilicet Titii, Quae-
2 ritur: *An Cosmia possit de falso accusare Ti-*
3 *tium?* Et resp. non posse: Nam foemina non potest accusare, nisi suam aut suorum injuriam prosequatur, *l. 5. supr. qui accusare:* Vid. *Decian. in pr. crim. lib. 3. cap. 7.* At haec causa non pertinet ad Cosmiam, quia donaverat Sejo. Ergo Seji interest, nec Cosmia tenetur Sejo ad evictionem, *arg. l. 2. supr. de evict.* Imo si maxime spectaret ad Cosmiam hoc negotium, non tamen nisi praevia deliberatione seria ac-
4 cusationem suscipere deberet. Collige: Causam donatarii non esse donatoris, et hunc in causa illius testem esse posse, scilicet, quando non super ipso contractu donationis, sed super aliis vocatur ad testimonium et non habet interesse ratione evictionis, et sic nec cedens prohibetur esse testis pro cessionario, si non super ipsa cessione producatur et nullum habeat interesse ratione evictionis. Vid. *Menoch. lib. 2. A. Q. casu 435. num. 7. Campejus de testibus regul. 69. fall. 2. Farinac. d. q. num. 367.*

L. Nec exemplum. 20.

SUMMARIA

Facti species. num. 1.
Falsum sine dolo non contingit. 2.
Error in parte non vitiat totam scripturam. 3.
Restringitur. 4.

1 Obtuli preces Principi et petii dari mihi Judicem ob 10. quae mihi debet Titius. Princeps rescribit et dat Judicem, sed Secretarius Principis errat in exemplo precum, seu descriptis precibus et ponit 20. Titius opponit me plus debito petiisse; Ego allego errorem Secretarii. Respond. Judicem non debere audire Titium ulterius super hoc puncto incidenti, quia error
2 fuit, non dolus. Collige: Falsum sine dolo non contingere, *l. 31. ff. h. t. Mascard. de probat. concl. 739. num. 12. Farinac. quaest. 50. num. 273. Carpzov. qu. 93. num. 6. Ant. Matth. tit. 7.*
3 *cap. 2. num. 3.* et errorem in parte non vitia-
4 re totam scripturam; secus si falsum commissum sit in parte substantiali, et quod a caeteris facile separari non possit, *Mascard. de probat. concl. 743. Menoch. lib. 5. praesumpt. 21.* et quos allegat *Farinac. q. 152. num. 12.*

L. Si quis. 21.

SUMMARIA

Facti species. num. 1.
An Tabellio, qui fit Decurio, si de falso arguitur, ad eruendam veritatem torqueri possit? 2.
Ratio dubitandi. 3.
Decidendi. 4.
Accusatus criminis manet in dignitate, donec condemnetur. 5.

Tabellio quidam falsum fecit testamentum, 1
postea fit Decurio, et deinde lapso aliquo temporis spatio arguitur de falso, Quaeritur: *An ad* 2
eruendam veritatem possit *torqueri?* Videtur 3
quod non, ob *l. 16. infr. de quaest.* Sed affir. quia 4
duplici officio fungitur, Tabellionis et Decurionis. Igitur veritati, quando per tormenta eruenda est, non obstat Decurionalis dignitas. Et sic in iis, quae ante officium Decurionatus admisit, torqueri potest, praesertim vero in crimine falsi, per ea quae allegat *Farinac. q. 41. num. 6. et 65.* Interim tamen donec condemnetur, manet Decurio. Nota bene: Accusatum criminis 5
manere in dignitate, donec condemnetur.

L. Ubi falsi. 22.

SUMMARIA

Quomodo Judex in crimine falsi procedere debeat? num. 1.
Poena criminis falsi hodie est arbitraria. 2.

Lex haec instituit Judicem, quomodo proce- 1
dere debeat in crimine falsi; et I. quidem debet summo studio inquirere in veritatem, testibus, comparatione literarum, atque aliis modis; II. Onus probandi imponit quidem actori, *l. 10. ff. h. tit.* quomodo autem probetur, Vid. *Mascard. concl. 740. et aliquot seqq.* et quos citat alios *Christin. V. dec. 199. num. 25.* Sed si plene non probaverit, aliquid tamen, etiam reo poterit imponere probationem alicujus articuli, ut ita plene discutiatur causa. III. Non debet judex interloqui, ex quo apparere possit, in quam partem judex inclinet, sed imitetur hac in re datum judicem, cui tantum cognitio et examinatio partium, non definitio mandata. Hi enim non debent definire quicquam, sed referre superiori, sicut etiam ordinarius judex, qui Principem consuluit, non debuit prius quicquam definire, quam a Principe responsum acceperit. Ita judex in falsi crimine omnia reservet ad sententiam definitivam, *Menoch. lib. 1. A. Q. q. 37. num. 17;* IV. Intra biennium, a tempore litis contestatae computandum, debet finire judicium, *hic et l. fin. infr. ut intra certum tempus etc.* V. Causa cognita autem poterit poenam irrogare, et quidem vel capitalem, si servus sit, vel falsum sit atrocius, vel deportationem, si liber sit, et nulla circumstantia crimen aggravet, *l. 1. §. ult. ff. h. t.* Sed et in aliis speciebus capitalis poena est criminis falsi, ut si quis falsum testimonium dixit, ut aliquis in judicio capitali opprimatur, per textum *Deut. 19. vers. 10. et l. 1. ff. de sicar. Auctor in l. 1. ff. ad l. Corn. de fals. num. 3.* Sed hodie 2
poena arbitraria est, per tradita *Wesenb. in π. ff. h. t. num. 12. etc.* Conf. *Carpzov. quaest. 93. num. 19.*

L. Damus. 23.

SUMMARIUM

In civili judicio prolato falso instrumento, quod alter accusat ut falsum, duplex datur agendi via, et quaenam utraque?

Quando in civili judicio falsum instrumentum profertur, quod alter accusat ut falsum, tunc duplex via est agendi; civilis ad persecutionem rei familiaris, et criminalis ad vindictam publicam. Et si velit actor prius, ut procedatur in civili, poterit hoc fieri, forte quia non statim apparet de falsitate, et ex civili judicio patebit etiam decisio criminalis judicii; finito autem civili (in quo non ita aspere agendum, ut in criminali, in quo pleniores et evidentiores probationes requiruntur, *Mascard. concl.* 741. *num.* 14.) criminaliter agi, et vindicta debita reo imponi potest, *Ant. Matth. tit.* 7. *cap.* 3. *n.* 3. *et seq.*

L. Praebemus. ult.

SUMMARIA

Facti species. num. 1.
Negata fide instrumenti, cui Notarius quidem se subscripsit, sed neque Notarius, neque sigillum ejus notum, quinam veritatem instrumenti probare debeat? 2.

Producis instrumentum manu Notarii subscriptum, sed neque Notarius, neque sigillum ipsius notum est; ideoque nego fidem instrumenti; 1
Quaeritur: *An ego prius falsum probare debeam,* 2
vel an tu prius veritatem instrumenti probare debeas? Resp. Affirm. posterius; ideoque tu debes probare fidem instrumenti tui in dubium vocati. Idem est, quoties instrumentum primo intuitu suspectum apparet, de quo *Mascard. concl.* 741. *per tot.* secus autem, si non sit suspectum, cum pro instrumento publico alias praesumatur, *l.* 18. *supr. de probat.*

TITULUS XXIII.

De his, qui sibi adscribunt in testamento.

SUMMARIA

Adhibitus ad testamentum alienum scribendum, si in eo sibi vel haereditatem, vel aliud aliquod emolumentum contra leges, dictante licet testatore scripsit, puniendus quomodo? num. 1.
Causa severitatis hujus. 2.
Ampliatur regula. 3. 6.
Limitationes aliquot. 4. 5. 7. 8. 9.

1 Ex SCto Liboniano et Claudiano poena legis Corneliae de falsis etiam ei imponenda, qui cum ad scribendum alienum testamentum adhibitus esset, in eo sibi vel haereditatem, vel quoddam alium emolumentum adscripsit, dictante licet testatore, *l. ult. ff. de his quae pro non scriptis etc. l.* 1. §. 7. *et* 8. *l.* 5. *et* 6. *pr. et* §. *ult. l.* 11. *l.* 14. *princ. ff. ad Leg. Corn. de falsis, ibique Auctor num.* 1. et ideo hoc non proprie falsum, sed quasi falsum, vel profalsum dici potest, quia forte jussit testator vel certe jussit. Et quia hoc non est proprie falsum, sed quasi falsum, dolus proprie non requiritur, sed sufficit, si quis contra leges, licet dictante testatore, sibi adscripserit, *Dauth. ad l. dictantibus ampl.* 2. *C. de testam. Carpzov. p.* 3. *c.* 3. *def.* 9. *Molinaeus*
2 *cons.* 31. *num.* 6. Causa autem severitatis fuit odium suggestionum et captionum, quae fiunt in ultimis voluntatibus, et ne quis captet voluntatem alienam, praesertim laborantis in extremis, cum in eo statu captionibus et subreptionibus obnoxii sint agonizantes, et ultima voluntas a libera voluntate testantis manare de-
3 beat, *Molinaeus d. cons.* 31. *num.* 7. Et regula haec ampliatur in *l.* 4. *h. t.* ut etiamsi maritus in testamento uxoris sibi quid adscribat, poenam tamen hanc non effugiat, *Farinac. dict. quaest.* 105. *num.* 178. licet maritus uxori legatum in alieno testamento scribere non prohibeatur, *l.* 18. *pr. ff. de fals. Farin. quaest.* 150. *num.* 206. Sed haec regula habet limitationes 4
aliquot; quidam enim sibi aliquid in testamento alieno adscribentes effugiunt poenam falsi et retinent simul legatum sibi adscriptum, ut 1. filius emancipatus, qui patre dictante se haeredem scripsit per *l.* 1. ubi ratio: Quia etiam ab intestato succederet jure Praetorio, modo non majorem portionem sibi adscribat, quam ab intestato competebat, *Farinac. dict. quaest.* 150. *num.* 110. *et seq.* Et ex *hac lege* 1. probat *Dn.* 5
Carpzov. prohibitionem hanc, quae in hoc titulo continetur, etiam ad eum casum pertinere, si quis se haeredem scripserit, *Carpzov. decis.* 151. - 2. Si testator testamento vel codicil- 6
lis, in quibus scriptor sibi quid adscripsit, specialiter subscripserit, se illud legatum relinquere ei, qui id testamentum scripsisset, *l.* 2. *h. t. Peregrin. de jure Fisci lib.* 3. *tit.* 12. *num.* 1. *P. Greg. lib.* 36. *syntagm. tit.* 5. *num.* 2. *et Farinac. d. quaest.* 150. *num.* 201. Quidam vero sibi aliquid in testamento adscribentes non accipiunt quidem idem quod adscriptum, sed a poena falsi tamen absolvuntur, ut I. Qui sibi 7
quid adscripserunt in testamento, quod testamentum sua voluntate scriptum, generali subscriptione vel in codicillis testator fatetur, *d. l.* 2. *h. t.* et ita ad evadendam poenam sufficit generalis subscriptio, licet non ad consequendum legatum, *Farinac. dict. quaest.* 150. *num.* 202. II. Qui SCta ignorant, et relicta vel adscri- 8
pta se non petituros promittunt, *l.* 3. *h. t. Farinac. d. q. num.* 191. Ex qua *lege* 3. *Carpzov. d. decis.* 159. *num.* 16. *et seq.* probat, eandem esse rationem si quis non quidem sibi, sed tamen liberis suis vel uni liberorum legatum ad-

scripserit, cum *haec lex* omne emolumentum a scribente adimat, et facile fraus legi fieri possit. Et cum miles ignorare jura praesumatur, *l. 1. supr. de juris et facti ign.* ideoque militi semper poena remittitur, *l. 5. h. t. Farinac. d. l. num.* 190. et ita etiam rustico, *Farinac. d. l.*
9 *num.* 89. III. Servus voluntate domini sibi libertatem adscribens, libertatem quidem non acquirit, sed tamen poenam non meretur, *l. fin. h. t. Farinac. d. l. num.* 205. Imo et libertatem accipit, si subscriptio domini sequatur saltem generalis, quod procul dubio favor libertatis et miseratio servilis conditionis meruit, *l. 1. §. 8. et l. 15. §. 2. ff. de falsis.*

TITULUS XXIV.

De falsa moneta.

L. Quoniam. 1.

SUMMARIA

Multa in odium falsariorum monetae traduntur. num. 1.
Quilibet adulteratores monetae inquirat, et judici etiam sine ejus mandato exhibeat. 2.
Exceptio hic est l. ult. de exhib. reis. 3.
Facinorosi de sociis aliis interrogandi non sunt. 4.
Aliud hoc loco, et cur? 5.
Accusatores adulteratorum ejusmodi immunitatem habent ab oneribus realibus et personalibus. 6.
Quatenus hoc ad liberos porrigatur? 7.
Verior hujus legis *explicatio.* 8.
Miles, cujus culpa monetarius e carcere evadit, capite plectitur. 9.
Nec tali competit beneficium appellationis. 10.
Miles etiam in dignitate constitutus reus hujus criminis apud competentem Magistratum deferendus est. 11.
An et quatenus domus, in qua ejusmodi moneta cuditur, Fisco adjudicetur? 12.
Actor seu custos domus capite plectitur. 13.
Excipiuntur viduae et impuberes. 14.
Tutor pupilli quomodo hac in parte puniatur? 15.
Jus hodiernum. 16.

1 *Haec lex* multa tradit in eorum odium qui falsa-
2 runt monetam. I. Omnibus mandatur, ut adulteratores monetae inquirant, et Judici etiam citra
3 ejus mandatum exhibeant, ut hic sit exceptio
4 *l. ult. supr. de exhibendis reis.* II. Quamvis facinorosi de sociis aliis interrogandi non sint, *l.*
5 *fin. supr. de accus.* hic tamen contrarium obtinet, quia hoc delictum sua natura tale est, ut verosimiliter cum sociis et fere nunquam sine sociis patretur, ideoque facinorosi statim torquendi, ut socios nominent, *Cynus hic et Salyc. et Decianus lib. 7. cap.* 21. *num.* 9. *tit.* 3. *Fa-*
6 *rinac. quaest.* 115. *num.* 47. III. Qui accusaverint adulteratores monetae, illi habeant immunitatem aliquam ab oneribus realibus et perso-
7 nalibus; in quantum autem liberi sint futuri immunes in singulis individuis se expresse declaraturum promittit Imperator, cum patrimonia civium sint dissimilia, i. e. si quis exiguas habet facultates, potest eximi omnibus oneribus: si quis ampliores habeat opes, plerisque tantum
8 oneribus eximatur. Quae explicatio verior est, et verbis convenientior, quam *Gloss. et DD. hic*, quod non habeat opus metuere calumniam, si non probaverit, ut *Cynus, Salyc. et alii hic, Decianus d. cap.* 21. *num.* 6. *Farinac. d. quaest.* 115. *num.* 48. *Pan. et Fel. in cap. 2. X. de calumniator. Molin. d.* 702. *num.* 7. vel quod sperare debeat veniam delicti, ut *Menoch. lib. 2. A. Q. cas.* 321. *num.* 28. *et Godofr. hic.* IV. Mi- 9
les qui culpa sua efficit, ut talis monetarius e carcere evadat, plectitur capite. V. Nec tali com- 10
petit beneficium appellationis, quod atrocitas criminis meruit, *Decianus d. c.* 24. *num.* 13.
Farinac. d. q. 115. *num.* 46. VI. Miles etiam, 11
qui in dignitate constitutus est, si hujus criminis reus sit, apud competentem tamen Magistratum deferendus. VII. Domus, in qua cudi- 12
tur moneta adulterina, est Fisco adjudicanda, si dominus ejus sit in propinquo; licet ignoraverit crimen, ut hic culpa et negligentia supina ac crassa ignorantia puniatur, *Molin. d. d.* 702. *num.* 3. *Farinac. d. q. num.* 16. quae certior ratio, quam quod si contra dominum praesumptio validissima scientiae. Sed excipitur in textu casus; si comperto scelere statim illud deferatur, si etiam longius abfuerit, non mulctabitur aedibus, sed actor ejus seu custos domus 13
capite plectitur. Excipiuntur tamen ab hac ul- 14
tima parte. 1. viduae sceleris ignarae, et 2. impuberes; addita ratio est; *quia aetas eorum quid videat, ignorat:* Sed tutor pupilli tantum in- 15
ferre Fisco debet, quantum pupillus inferre debuisset, si impubes non fuisset. Hodie tamen illi 16
domini amittunt aedes suas, qui scientes passi sunt in suis aedibus falsam cudi monetam, *P. H. O. art.* 111. *Carpzov. qu.* 42. *num.* 119. qui vero conscii sunt, arbitrarie, durius adhuc si domum praebuerint, puniuntur, *Decianus lib.* 9. *c.* 25. *num.* 1. *et* 2. *et c.* 28. *num.* 4. Conf. *Farinac. qu.* 115. *num.* 32.

L. Si quis nummos. 2.

SUMMARIA

In adulteratores monetae statuitur vivicomburii poena. num. 1.
Ratio. 2.
An illi, qui falsam et ab aliis adulteratam monetam dolo expendunt, etiam vivicomburio puniendi? 3. 6.
Constitutio Carolina. 4.
Sensus vocabuli, Oder, *in hac Constitutione.* 5.
Quid de eo, qui cudit alterius Principis monetam, ut in alia provincia expendat. 7.
Poena ejus, qui rasit pecuniam, de jure veteri et hodierno. 8.
Poena radentis excessivam monetam. 9.
An idem militet in aliis? 10.
Objectio removetur. 11.

An publicatio bonorum in hoc crimine locum habeat? 12.

1 Hic in adulteratores monetae statuitur vivicom-
2 burii poena, addita ratione; quia crimen laesae Majestatis committunt, ideo simul omnia eorum bona publicantur: accusatoribus etiam praemium
3 promittitur: Sed *anne illi, qui falsam, et ab aliis adulteratam monetam dolo expendunt, etiam vivicomburio puniendi?* Id quidem affirm. *de Constit. Carol. Dn. Carpzov. quaest.* 42. *num.*
4 26. Sed cum *Constitutio Carolina* in *dicto art.* se referat ad jus commune, et cum in communi jure iste rigor non reperiatur, ideoque non absurde dixerimus, verbum alternati-
5 vum, *Oder*, non disjunctive, sed copulative explicandum esse, ut in jure saepe fieri solet; vel si hoc non placet, membrum illud de iis accipiendum, qui communicato cum pseudomonetariis consilio, expendunt falsam monetam; nam horum opera monetariis istis perquam necessaria est, ut dicit *Menoch. l. 2. A. Q. cas.*
6 316. *num.* 51. Verius igitur est, puniri arbitrarie (nisi sit minister monetariorum) et praesertim si auctorem, a quo acceperit, possit ostendere, *arg. l. majorem supr. de fals. Covarr. de coll. vot. num. cap. ult. num.* 4. *Molin. d. l. num.* 9. poena igitur erit arbitraria. Vid. *Me-*
7 *noch. cas.* 136. Sed quid de eo, qui cudit alterius Principis monetam, ut in alia provincia expendat? Poenam hanc non habere locum tradit *Molin. d. l. num.* 4. Imo plane nullam mereri poenam tradit *Menoch. cons.* 1208. *num.* 13. quod posterius non placet, siquidem hoc laedit vicinos, rei ad se non pertinenti se immiscet, commercia turbat etc. Conf. *Carpzov. d. l.*
8 *num.* 25. Ei, qui raserit pecuniam, arbitrariam poenam dictat *de Constitutione Carolina Carpz. qu.* 43. *num.* 32. licet olim pugna cum bestiis dictata, *l.* 8. *ff. de fals. Farinac. quaest.* 119.
9 *num.* 99. *Molin. d. d.* 702. *num.* 8. De radente excessivam monetam, Vid. *Menoch. d. cas.* 316.
10 *Carpzov. d. qu.* 43. *num.* 35. Sed *An idem militat in aliis Statuum Imperii monetis?* Affirm. cum *Carpzov. d. l. num.* 37. *et seq. et Menoch. d. cas.* 316. *num.* 29. Nec obstat *lex haec* 2. 11
quia tunc nemini cudendae pecuniae jus erat, sed tantum Imperio. Ideoque hodie ex moribus potius, quam ex jure scripto hoc decidendum, *Ant. Matth. tit.* 7. *cap.* 5. *num.* 36. Sed ad hanc legem quaeri potest: *An publicatio bo-* 12
norum etiam locum habeat in hoc crimine? Et cum in crimine laesae Majestatis tantum, post *Carolinam Constitutionem*, locum habeat publicatio bonorum, et quidem in primo tantum capite, scilicet perduellionis, *Farinac. quaest.* 116. *num.* 23. et vero primum caput ad eum, qui Principis monetam adulteravit, non pertineat, nisi novandi status publici causa quis monetae cudendae jus sibi arrogaverit, quo casu perduellionem committeret, *Ant. Matth. d. t.* 7. *cap.* 5. *num.* 6. ideoque publicatio extra hunc casum in falso nummario locum non habebit, per tradita *Menoch. cons.* 970. *num.* 32. licet universas facultates nummario ademptas fuisse memoret *Paul. Christ. t.* 4. *dec.* 199. *num.* 22.

L. Si quis. ult.

SUMMARIA

Rescripta jus cudendae monetae privatis concedentia ipso jure nulla sunt. num. 1.
Objectio diluitur. 2.

Rescripta illa, quibus jus cudendae monetae 1
conceditur, privatis scilicet, sunt ipso jure nulla. Ratio in *t. t. C. si contra jus vel utilitatem etc.* et impetrans punitur. Non ergo obstat *lex haec* 2
de privatis loquens, quo minus Imperii Principibus et Statibus jus cudendae monetae concedi possit, praesertim cum jam Status Imperii admodum mutatus sit ab illo, qui sub *Theodosiis* erat. Vid. *Coll. Argent. ad tit. de falsis* §. 4. *et in A. Bulla tit.* 10. *et Rec. Imp. passim.*

TITULUS XXV.

De mutatione nominis.

L. Sicut. un.

SUMMARIA

An et quatenus nomen suum mutare liceat? num. 1.
Poena in fraudem aliorum nomen suum mutantis. 2.
In aliorum fraudem etiam tendit, si mercator ad fraudanda vectigalia in alterius praejudicium nomen vel signum alterius assumit. 3.

1 Cuilibet nomen suum quidem mutare licet, cujus rei ratio est in *pr. hujus legis*, quia ab initio liberum alicui est nomen pro lubitu adsumere. Alias rationes atque exempla habet *Menoch. de A. Q. lib.* 2. *casu* 359. v. gr. si quis id faciat ad se et sua defendenda contra vim, vel ob nominis turpitudinem, *Farinac. quaest.* 150. *num.* 144. Sed si quis in fraudem aliorum 2
nomen mutaverit, *l.* 13. *pr. ff. de falso ibique Auctor* ut deciperet alios, v. gr. Si quis se gerat pro alio, qui tamen non est, vel si quis insignia gentis ac familiae alienae gerat, et se pro nobili etc. gerat, tale falsum pro ratione doli, vel fustigatione aut relegatione tantum solet coerceri, qualia exempla habet *Ant. Fab. in C. h. t. defin.* 1. *Carpz. qu.* 93. *num.* 33. *et seqq. Menoch. lib.* 2. *casu* 318. *P. Gregor. lib.* 36. *syntagm. cap.* 4. *Ant. Matth. d. t.* 7. *cap.* 1. *num.* 17. Quamvis historiae testentur, tales homines ob maximum dolum, quod causam tumultibus praebuissent, etiam suspensos fuisse. Sic etiam in aliorum fraudem tenderet, si mer- 3
cator ad fraudanda vectigalia, vel in alterius praejudicium nomen vel signum alterius adsumeret, *Menoch. lib.* 2. *A. Q. casu* 318. *num.* 24. *Farin. d. q.* 150. *num.* 142.

TITULUS XXVI.

Ad legem Juliam de ambitu.

L. Nullus. un.

SUMMARIA

Officia publica aut alia nec pretio comparanda, nec de novo petenda et suscipienda sunt. num. 1.

Quid si quis repetat aut de novo suscipiat nondum redditis rationibus, quomodo puniendus? 2. 3.

Severitas poenae hujus legis *hodie non obtinet.* 4.

Veteres contra ambitum leges remissive. 5.

Qui per ambitum ad honores adscendisse convincitur arbitrarie punitur. 6.

Limitatur. 7.

Quomodo is, qui domum judicis informandi causa intrat, sit puniendus? 8.

1 Officia publica, ut principatus agentium in
rebus , item principatus numerorum , aut
officium praefecti carceris, aut alia, non sunt
pretio comparanda, *l. ult. tit. seq. Novell.* 8. *cap.* 1.
et 7. quae foret prima species ambitus, scilicet
dignitatem pretio comparandi, ita etiam non
repetenda, id est, de novo petenda et susci-
2 pienda non sunt; Si quis autem repetat et su-
scipiat de novo, nondum redditis scilicet ratio-
nibus (ut communis est opinio, et sic inter-
pretantur verba *h. l. ad solutionem debiti* ,
quod scilicet ex priori administratione con-
tractum, *DD. hic*, quos sequitur *Christinaeus*
v. 4. *decis.* 200. *num.* 2. talis deportandus est. Sed 3
si penitus aspiciamus, illa solutio debiti videtur
spectare ad poenam 100. aureorum, de qua in
l. un. ff. h. t. ibique Auctor, quam quia noluit in-
ferre, propter contumaciam fuit deportatus. Aut
fatendum est, interdum ambitum etiam ante hanc
Constitutionem fuisse deportatione castigatum,
sane in defectu aliorum licita fuit repetitio of-
ficiorum , Vid. *P. Greg. in syntagmate lib.* 36.
cap. 29. *num.* 25. *et seqq.* Severitas sane poe- 4
nae *hujus legis* hodie non obtinet, notante *We-*
senb. in n. h. t. in fin. Vid. etiam *Menoch. lib.*
2. *A. Q. cas.* 401. *et seqq.* De veteribus contra 5
ambitum legibus, plura *Decianus lib.* 8. *cap.* 22.
Nec sane impune feret quis, si per ambitum 6
ad honores adscendisse convincatur, sed poenam
puto arbitrariam. Ubi officia a solo motu Prin- 7
cipis dependent, locum non habet poena, sed
ubi a populo creantur officiales, per *l. un. ff.*
h. t. ibi centum aureis cum infamia reus ple-
ctitur. Ejusdem criminis reus, si quis domum 8
Judicis intret ejus informandi causa, *d. l. un.*
§. 4. *in fin.*

TITULUS XXVII.

Ad legem Juliam repetundarum.

L. Ut unius. I.

SUMMARIA

Quousque Praeses deposito officio et querentibus ob perpetratam injustam pecuniae extorsionem provincialibus, in provincia commorari et respondere teneatur? num. 1.

Quid si provinciam excesserit et querela contra istum moveatur, quomodo victus puniendus? 2.

Corrumpendi animo judici datum totum Fisco debetur. 3.

Secus ubi pecunia a Judice fuerit extorta. 4.

Judex corruptus male judicans in causa civili reo litis aestimationem, Fisco vero triplum solvit. 5.

In poenis hujus criminis variatur. 6.

1 Praeses deposito officio suo cum tota familia
sua 50. dies commorari in provincia, et provin-
cialibus contra se querentibus respondere de-
bebat, *l. un. supr. ut omnes Judices tam civi-*
2 *les etc.* Sed si excessisset provinciam, et quere-
la contra illum moveretur, quod vel ipse vel
ministri ejus a provinciali quid extorsissent, vel
contra jura accepissent, remittendus erat exprae-
ses in provinciam, et ad quadrupli restitutio-
nem condemnandus, cujus dimidia pars Fisco,
dimidia laeso debebatur, nisi ex causa turpi dedis-
set, *l.* 3. *C. de Adsessoribus.* Nam si corrumpendi 3
animo dedit aliquis Judici, tunc totum Fisco debe-
ri puto, sed ubi extorta pecunia est, et agit pars 4
laesa, duplum laesus, duplum Fiscus habebit, per
d. l. 3. Si corruptus autem male judicavit in causa 5
civili, laeso solvit aestimationem litis, *l. ult. supr.*
de poena jud. Fisco vero triplum. Vid. *Menoch.*
lib. 2. *A. Q. casu* 342. *num.* 15. *et Bacch. in Tr.*
d. d. 32. *th. ult. lit. C.* Sed Conf. *Ant. Matth.*
t. 8. *cap.* 2. *num.* 5. *Decianus l.* 8. *cap.* 39.
num. 22. *Farin. quaest.* 111. *num.* 63. Nota:
poenam ad paucos, metum ad plures pertinge-
re debere. Plures textus allegantur in *axiom.*
Barb. l. 11. *cap.* 11. *axiom.* 17. et in poenis hujus 6
criminis admodum variatum est. Videatur *De-*
cianus lib. 9. *cap.* 39 *Volzius consil.* 1. *in*
tract. de inquisit. num. 71. *et seqq. Tholos. lib.*
36. *cap.* 18. *Farinac. quaest.* 111. *art.* 2. *per*
tot.

L. Sciant. 2.

SUMMARIA

Publica judicia, in quibus quaestio ablatae pecuniae principalis movetur, nonnisi post litem contestatam mortuo reo contra haeredem dantur, et haeres hoc casu, quando quid ad eum pervenit, etiam civiliter tenetur. num. 1.
Secus in crimine repetundarum, ubi indistincte poena etiam contra haeredem datur. 2.
Ratio. 3.

1 Publica quoque judicia in quibus quaestio ablatae pecuniae principalis movetur, etiam contra haeredem dantur, sed post litem contestatam reo mortuo, *l.* 20. *ff. de accusat. ibique Auctor per tot.* Sicut etiam haeres eo casu tenetur civiliter, quando quid ad eum pervenit, *l.* 26. *ff. de dolo*, exemplum vide apud *Auct. in d. l. n.* 2.
2 Sed hoc hic speciale est in crimine *repetundarum*, quod poena etiam detur contra haeredem indistincte, sive ad eum ex hoc crimine aliquid pervenerit, sive non, *Peregr. de jure Fisci lib.* 4. *l.* 5. *num.* 31. *et seq. Farin. quaest.* 10. *n.* 76.
3 ut scilicet turpe lucrum etiam haeredibus extorqueretur, cum praesumatur id lucrum ad haeredem pervenisse, nam hic quaestio principalis est ablatae pecuniae, *l. fin. ff. ad l. Jul. pecul. ibique Auctor*, et *l.* 2. *ff. h. t. l. in SCtum* §. *si propter* 2. *ff. ad Turpil. Volz. d. l. num.* 82. *et seq.*

L. Omnes. 3.

SUMMARIUM

Poena judicis corrupti.

Judex ordinarius vel delegatus in causa civili vel criminali, si pecuniam vel aliud pecunia aestimandum a partibus accipiat, poenae legum subjaceat sub exilio, *leg.* 7. §. *fin. ff. h. t.* quid hodie circa poenam obtineat vide apud *Auct. ad d. l. per tot.* De poena corrupti Judicis plura apud *Vasquium lib.* 2. *cont. c.* 37. *Bargal. de dolo lib.* 3. *c.* 9. *Oldend. cl.* 7. *act.* 13. *Roland. de commiss. p.* 1. *lib.* 6. *c.* 7. *Menoch. A.* Q. *lib.* 2. *casu* 342. et alios.

L. Jubemus. 4.

SUMMARIA

Judex concutiens aliquem, vel accipiens pecuniam, vel aliud factum, quod lege repetundarum *vindicatur, patrans, tam durante administratione, quam ea deposita, deferri atquae accusari potest. num.* 1.
Exceptio est in esculentis et potulentis acceptis. 2.
Tacita objectio removetur. 3.
Haec lex approbatur a Jure Canon. 4.
Majores magistratus durante officio conveniri nequeunt, sed tantum minores. 5.
Exceptio est in hac lege. 6.

1 Judex si concutit aliquem (id est, terrore potestatis quid extorquet) vel pecuniam accepit, (excipiuntur esculenta et potulenta paucis diebus consumenda, *l.* 18. *ff. de offic. Praesid.* hodie 2
tamen non procedere asserit *Auctor in. d. l. num.* 2. *Farin. d. quaest.* 111. *num.* 248. *et* 256. *Ant. Matth. d. t.* 8. *cap.* 1. *num.* 9. licet per haec etiam corrumpi affectus et consequenter intellectus Judicis possit: Vid. *Carpz. pr. crim. quaest.* 93. *num.* 61. alia exceptio in *l.* 1. §. *fin. ff. h. t. ibique Auctor num.* 2. qua de re *Vivius decis.* 113.) vel si etiam pro eo, qui dedit, contra Decurionem vel quemcunque alium sententiam tulerit, vel si poenam debitam pecunia remittat accepta, vel si poenam immeritam ex avaritia ingesserit, vel aliud patrarit factum, quod *lege repetundarum* vindicatur, tam durante administratione, quam ea deposita, potest deferri atque accusari. Nam licet alias magistratus 3
tempore administrationis conveniri nequeat, *l.* 48. *ff. de judic. ibique Auctor*, diversum tamen hic, quando occasione officii deliquit, et ratione officii convenitur, et ne detur licentia diutius grassandi, et qui crimen probaverit gloriam reportet. *Lex haec* in Jure canonico ap- 4
probata, et, ut loquuntur, canonizata in *c.* 126. *c.* 1. *quaest.* 1. Notetur igitur, hoc speciale esse in hoc crimine; Quod majores magistratus 5
non possint durante officio conveniri, sed tantum minores, *l.* 32. *ff. de injur. ibique Auctor num.* 6. Ergo speciale est in hoc crimine, quod 6
etiam majores magistratus delinquentes et committentes crimen *repetundarum*, possint durante officio plecti: Et sic universale non est, quod delinquens in officio, durante officio, non debeat plecti.

L. Unusquisque. 5.

SUMMARIA

Casus legis. *num.* 1.
Conquerentes de concussione praedecessoris intra annum post depositum officium adhuc audiuntur. 2.
An in omni crimine repetundarum *obtineat, ut post annum laesus non audiatur?* 3.

Legis hujus obscurioris hunc pono casum: 1
Comes rerum privatarum, forte qui bona caduca in Fiscum inferebat, ille suos subjectos praepositos textrinis vel alios concussit. Deposito officio, coloni et alii, qui pensiones solitas novo comiti seu successori inferre debebant, excipiebant, se esse pares inferendis pensionibus. Respond. Imperator, intra annum 2
post depositum officium debere audiri istos de concussione praedecessoris conquerentes, et si per concussionem fuerit illis quid extortum, illius quadruplum concussor restituere debet, dimidium Fisco, dimidium laeso, *l.* 3. *supr. de adsessor.* ut ex his pensiones inferre possint. Sed post annum non esse laesum audiendum. Sed quaeritur: *An hoc in omni crimine* repe- 3
tundarum *obtineat, ut post annum laesus non audiatur?* Affirm. id *hic et l.* 2. *ff. eodem, Farinac. d. quaest.* 111. *num.* 6. *et Decianus lib.* 8. *cap.* 37. *num.* 22. Sed de eo, quod ad haeredem pervenit, est perpetua, *arg. d. l.* 2. *et Auct. d. l.*

L. Sancimus. ult.

SUMMARIA

Praesides et Gubernatores non ambitione et pretio, sed probatae vitae testimonio eligantur. num. 1.
Quomodo jurent? 2.
Contra violatores omnibus accusatio permittitur. 3.
Poena. 4.
Nemo aeternae salutis immemor nec suae aeternae saluti ullum commodum anteferre praesumitur. 5.
Fallit hodie haec praesumptio. 6.
Lata sententia remunerandi causa judici aliquid dare licere erronee statuitur. 7.
Ampliatur. 8.
Pro beneficio ante administrationem praestito remunerandi causa donatum judici accipere licet. 9.

1 Praesides et Gubernatores provinciarum, non debent eligi ambitione et pretio, sed probatae vitae testimonio. Confer. *Exod. cap.* 18. *vers.* 21.
2 et hi debent jurare, se pro officio acquirendo nihil dedisse neque promisisse, nec per se, nec per alium quocunque titulo, et praeter salarium a nemine quidquam vel durante officio, vel deposito, pro eo, quod gratis praestare debent, accepturos. Et contra violatores accusatio per- 3
mittitur omnibus, et condemnandi sunt in qua- 4
druplum, et datur etiam accusatio contra dantem. Nota bene: Neminem praesumi immemo- 5
rem aeternae salutis, nec praesumi, quenquam suae saluti aeternae ullum commodum anteferre, *Baldus vol.* 2. *cons.* 25. *et Cravetta cons.* 6. *num.* 52. *et* 161. quos refert *Hering. de fidejuss. c.* 20. §. 1. *num.* 74. *et num.* 79. et Conf. *Dn. D. Samuel Strycke in dissert. de effatis agonizantium* §. 10. Sed quam saepe haec 6
praesumptio hoc exulceratissimo seculo, ubi fides deficit, studium bonorum operum refrixit, et totus christianismus in uno justificationis articulo a multis proh dolor! collocatur, fallat, satis enarrari, imo ne deplorari quidem potest. Colligitur ex *hac lege*, erroneam eorum esse 7
sententiam, qui putant lata sententia remunerandi causa, licere aliquid judici dare, ut *Decianus lib.* 8. *quaest.* 40. *num.* 9. *et Farinac. d. quaest. num.* 120. Sed erroneum esse hoc 8
dogma vel ex *hac lege* apparet, qua ne deposito officio quid accipere judici licet, nedum durante pro sententia lata vel opera praestita, *Alciatus in l. principalibus* 33. *ff. de rebus cred. et l.* 2. *Parergon.* 49. *Ant. Matth. d. t.* 8. *cap.* 4. *num.* 8. Sed pro beneficio ante administratio- 9
nem praestito licere remunerandi causa donatum accipere tradit *Fachin. l.* 2. *c.* 80.

TITULUS XXVIII.

De crimine peculatus.

L. Judices. un.

SUMMARIA

Qui pecuniam publicam abstulit, intercepit, et in rem suam vertit, vel actu proxime fecit, ut alius auferret, poena legis Juliae peculatus *tenetur. num.* 1.
Poena pro qualitate personarum variat. 2.
Ratio severitatis. 3.
Per poenam capitalem an deportatio vel alia poena intelligatur? 4.
Qui pecuniam publicam administrant et ex ea quid surripiunt, hac lege non tenentur. 5.
Quomodo ergo? 6.
De poena ex lege Julia de residuis, *remissive.* 7.

1 Qui pecuniam publicam abstulerit, interceperit et in rem suam verterit, vel qui fecerit et adjuverit (actu proximo, non remoto, ut *hic Bl.* distinguit) ut alius auferret, tenetur
2 poena *legis Juliae peculatus.* Et hoc crimen licet interdum quadruplum sit, *l. penult. et ult. ff. h. t.* in judicibus tamen iis, quibus administratio pecuniae commissa non est, capitalis est, nec non in ministris, qui scilicet adjuverunt, vel pecunias publicas susceperunt subtractas. Cum enim Judices et Magistratus plures oppor- 3
tunitates habeant intercipiendi pecunias publicas, majoris poenae metu fuerunt deterrendi; poenam autem capitalem interpretantur esse 4
deportationem, per *l.* 3. *ff. h. tit. ibique Auctor.* Sed ex §. 9. *Institut. de pub. judic.* ubi opponuntur inter se poena capitalis et deportationis, melius per sententiam capitalem hic poena gladii intelligitur, *Menoch. lib.* 2. *A. Q. cas.* 586. *num.* 6. Conf. *Caballinus dec. crim.* 99. Caeteri 5
qui administrant pecuniam publicam et ex ea quid surripiunt, hac lege non tenentur, *l.* 9. §. 2. *ff. h. t. ibique Auctor, Farinac. p.* 7. *quaest.* 171. *num.* 57. sed tenentur *ex l. Julia de resi-* 6
duis, l. 2. *ff. h. tit.* De qua specie furti publici 7
ab administratore commissi, vid. *Carpzov. part.* 2. *quaest.* 85. *per tot. Berlich. p.* 5. *concl.* 57. *Farinac. d. quaest.* 171. *num.* 59. *et seqq. Tholos. lib.* 33. *cap.* 20. *Bacchov. in Tr. d.* 32. *th. ult. lit. G. Hirchov. V. concl.* 24. *num.* 14. *et seqq. Harpr. in* §. *ult. Instit. de publ. jud. num.* 31. *et seqq.*

TITULUS XXIX.

De crimine sacrilegii.

SUMMARIA

Sacrilegii definitio. num. 1.
Ex quibusnam sacrilegium tam de Jure Civili quam Canon. sit dijudicandum? 2.
Poenae talis sacrilegii. 3.
An et quatenus Judex ecclesiasticus et politicus in puniendo hoc crimine concurrere possint? 4.
Sacrilegium quot modis committatur? 5.
An illud sit sacrilegium, si quis dubitet, an dignus sit aliquo officio, quem Princeps elegerit? 6.
Hodie ex plerisque statutis locorum ad administrationem reipublicae tantum indigenae admittuntur. 7.

1 Sacrilegium est proprie furtum pecuniae sa-
crae ex loco sacro, vel religiosae ex loco reli-
2 gioso, *arg. l. 5. ff. h. t.* Et sic sacrilegium Jure
Civili non tantum ex materia, sed etiam ex lo-
co dijudicandum esse videtur, *d. l. 5. ff. h. t.
ibique Auctor, Farinac. d. q.* 172. *num.* 5. *et seq.
Menoch. cas.* 389. *num.* 2. *et* 12. *Carpzov. q.* 89.
num. 4. (aliud autem Jure Canon. *c.* 21. *caus.*
17. *quaest.* 4. et per *Carolin. Constitut. art.* 171.
3 *P. H. O.)* Poena autem dicti sacrilegii est vel
ignis, vel damnatio ad bestias, vel furca, vel de-
portatio, *l. 6. pr. ff. h. t. ibique Auctor n.* 2. *Fa-*
4 *rinac. d. qu.* 172. *n.* 24. et concurrere hic volunt
Judicem ecclesiasticum et politicum, adeo, ut
si a judice ecclesiastico reus minus punitus, a
seculari ulterius puniri queat, *Clarus §. fin.
quaest.* 57. *num.* 11. *Perez in hoc tit. num.* 16.
Sed sacrilegium etiam aliis modis committitur: 5
I. si quis articulos fidei vel ignoret vel discere
contemnat, vel etiam erroribus pervertat, ideo
haeretici sunt sacrilegi, per *l. 1. h. tit.* II. Im-
proprie etiam sacrilegium committitur, quod 6
quasi sacrilegium appellare possumus, si quis du-
bitet, an dignus sit aliquo officio, quem Prin-
ceps elegerit, *l. disputare 2. h. t. et l. 5. supr.
de divers. rescr.* et ibi vide notata, scilicet ex
certa scientia, et si Princeps habeat potestatem
eligendi, nec hoc aliis competat. III. Quasi etiam
sacrilegium committit, qui gerendae ac susci-
piendae administrationis officium in ea provin-
cia, ubi civis, et unde oriundus est, ut sanctius
aequiusque jura reddantur non corrupta con-
civium aut consanguineorum favore, *Perez hic
num.* 4. desideravit, nisi proprio motu Princeps
indulserit, *l. ult. h. t.* Vid. *l.* 10. *supr. de adsess.
l. 3. ff. de offic. adsess. l. 38. pr. ff. ex quibus cau-
sis majores etc. ibique Auctor.* Sed huic legi ult. 7
derogatum esse experientia ostendit, et fere
in contrarium adsunt statuta locorum passim,
ut non admittantur Peregrini ad administratio-
nem reipublicae, sed tantum indigenae, quod
procul dubio a nonnullis paucis statutum, ab
aliis jure retorsionis in imitationem tractum est.

TITULUS XXX.

De seditiosis et de his, qui plebem contra rempublicam audent colligere.

L. Si quis. 1.

SUMMARIA

Seditio quid sit? num. 1.
Contra Principem facta seditio crimen laesae Majestatis vocatur. 2.
Non, si facta contra Magistratum inferiorem. 3.
Poena auctoris pro qualitate personae variat. 4.
Cessat poena in iis, qui patrocinium in judicio superioris subditis probabilem litigandi causam habentibus contra Magistratum praebent. 5.
Nec cives seditiosi sunt, qui apud Principem de suo Magistratu conqueruntur. 6.

1 Seditio est mobilis vulgi ad excitandum tu-
multum contra quietem publicam dolo fa-
cta concitatio, *art.* 127. *Constit. crimin. Alex.
Trentac. lib.* 1. *resol. tit. de V. S. resol.* 1.
num. 6. *Boer. in tr. de seditiosis §.* 2. *num.* 4.
Et si contra Principem fiat, in aliud nomen 2
transit, et dicitur crimen laesae Majestatis;
Si vero contra Magistratum inferiorem, non 3
est crimen Majestatis, *Farinac. q.* 113. *num.*
183. 192. *et* 201. Auctor seditionis et qui ple- 4
bem defendit contra Magistratum vel contra
publicam disciplinam, graviter punitur pro qua-
litate personae et gravitate criminis: vel enim
tales suspendio puniuntur, vel bestiis subjiciun-
tur, vel deportantur, *l. 38. §. 1. ff. de poenis,
ibique Auctor per tot.* Sed haec de iis non intel- 5
liguntur, qui patrocinium in judicio superioris
subditis contra Magistratum praebent, praeser-
tim si subditi probabilem aliquam causam liti-
gandi habeant. Vid. *Carpzov. part.* 1. *Constitut.*
1. *def.* 21. Sicut et cives seditiosi non sunt, qui 6
apud Principem de suo Magistratu conquerun-
tur; et talem civem contra suum juramentum
non agere, a Principis consiliariis rescriptum
memini.

L. In nullis locis. ult.

SUMMARIA

Subditi clamoribus importunis a Magistratu quid extorquentes arbitrarie puniuntur. num. 1.
Quicquid hoc modo impetrarunt a Magistratu, non valet. 2.

Solent subditi interdum clamoribus importunis 1
Magistratui aliquid extorquere, quod in Passione Salutifera factum esse scimus, quod hic sub poena arbitraria prohibetur. Et si quis per istius- 2
modi clamores quid impetraverit a Magistratu, nullius id debet esse valoris, Conf. *l.* 28. §. 3. *ff. de poenis ibique Auctor.* De seditionibus agunt *Decianus lib. 7. cap. 7. et seqq. Card. Tuschus concl. 98. lit. S. Trentac. lib. 1. res. tit. de V. S. resol.* 1. et alii.

TITULUS XXXI.

Quando civilis actio criminali praejudicet, et an utraque ab eodem exerceri possit.

L. A plerisque. un.

SUMMARIA

Descendentibus ex eodem facto vel crimine duabus actionibus, altera civili, criminali altera, una alteram non tollit. num. 1.
Limitatur. 2.
Exemplis aliquot declaratur. 3.
Si actio civilis et criminalis tendunt ad idem, una aliam extinguit. 4.
Exemplo declaratur. 5.
Actio injuriarum *actionem* legis Aquiliae *non tollit, et cur?* 6.
An maritus ob adulterium ab uxore commissum prius ad dotem sibi applicandam et postea criminaliter ad fustig. agere possit? 7.

1 Si ex eodem facto vel crimine descendunt duae actiones, altera civilis, altera criminalis, tunc una non tollit alteram, et licet una actum sit, tamen adhuc altera agi potest; quod ex *hac lege* ex verbis, *re familiari*, recte ita explicant *Maranta part. 1. distinct. 1. num. 9. pag.* 47.
2 *et Clarus §. fin. quaest. 2. num.* 7. si modo tendant ad diversa, id est, si criminalis tendat ad vindictam, civilis vero ad persecutionem rei fa-
3 miliaris; hoc exemplis aliquod declarat Imperator; si quis dejectus est de possessione fundi potest prius interdicto *unde vi* experiri ad recuperandam possessionem, et postea ob vim publicam accusare, vel contra, quia illa actione recuperat damnum rei familiaris, per hanc statuendum petitur exemplum, ut alii deterreantur. Sic si testamentum, in quo haeres institutus sum, suppressisti, possum agere civiliter de *Tabulis exhibendis*, et criminaliter ex *lege Cornelia de falso*, *l. 2. et 7. ff. de fals.* Sic si libertus meus se ingenuum dixerit, non tantum agere possum civiliter ob operas mihi debitas, sed etiam criminaliter ex *l. Visellia*, Vid. *l. un. supr. ad l. Visell.* Sic etiam de furto possum agere civiliter in duplum, et finito civili judicio criminaliter et contra, per *l. fin. de priv. delict. l. fin. ff. de furt. ibique Auctor.* Sic si servum meum abduxisti, agam civiliter, servum meum vindicando, et criminaliter postea ex *l. Flavia de Plagiariis.* Sic et de falso licet agere civiliter, et finito hoc judicio etiam criminaliter et contra, *l. pen. supr. de fals.* Atque haec sunt exempla hic tradita. Sed si actio civilis et crimina- 4
lis ad idem tendunt, una extinguit aliam, v. g. accusatio injuriarum civilis et criminalis ten- 5
dunt ad vindictam ambae, *Gail. lib. 1. observ.* 65. *num.* 3. neutra rem familiarem persequitur; hoc tantum differunt, quod illa poenam actori, hac judici applicandam petimus: Ideoque una tollit alteram, *Maranta d. l.* Conf. etiam, *Farinac. quaest. 100. Lancellot. de attentatis lib. 2. cap. 4. limit. 23. per tot. Mastrill. dec.* 120. *etc.* Sed actio *injuriarum* non tollit actio- 6
nem *legis Aquiliae;* haec rem familiarem, illa vindictam persequitur. Sed quaeritur, si maritus 7
egerit ob adulterium ab uxore commissum, ad dotem prius sibi applicandam, et postea criminaliter ad fustigandam agere possit? Videtur quod sic ob regulam hujus textus. Sed verius negatur, quia utraque ad vindictam tendit, nam et actio ad dotem spirat vindictam injuriae marito ab uxore illatae, *P. Barbosa ad l. 2. princ. num. 138. et seq. ff. solut. matrim.*

TITULUS XXXII.

De crimine expilatae haereditatis.

L. Expilatae. 1.

SUMMARIA

Facti species. num. 1.
An haeres alterum haeredem, cui se praesente claves communis arcae traditae, surreptis ex arca quibusdam rebus, accusare et contra eundem hanc actionem instituere possit? 2. 3.
An haeres alter compensare hoc casu possit? 4.
Quid juris ergo hoc in casu? 5.
Contra viduam, quae haereditatem expilasse dicitur per inquisitionem procedi nequit. 6.
Quid si probari possit socium aliquid scienter ultra suam partem rapuisse, an actione expilatae haereditatis teneatur? 7.

1 Titio et Sejo delata est haereditas; Titio praesente Sejo datae sunt claves communis arcae, sic ergo Titius acquisivit possessionem, et nonnullas res surripuit ex arca. Sejus ipsum accusat vel convenit de expilata haereditate; Titius excipit se velle compensare, cum etiam Sejus alias res ex communi haereditate occupaverit
2 vel surripuerit; Quaeritur; *Quid juris?* Resp. Imper. neutrum admittendum esse: non Sejum, hic enim non habet actionem expilatae haereditatis, cum, volente et vidente Sejo, Titius illam arcam cum rebus possidere coeperit, et cum socius non alienum quid, sed suum apprehendisse, et sic furtum non fecisse videatur, *l.* 5. *ff. pro socio, ibique Auctor num.* 1. et ideo
3 contra cohaeredem non datur actio expilatae haereditatis, *l.* 3. *supr. famil. hercisc. Cujac. lib.* 22. *obs.* 27. *Ant. Matth. ad lib.* 47. *tit.* 12. *c.* 1.
4 *num.* 4. Sed nec Titius audiendus compensaturus, nam species cum specie non compensatur, *arg. l. si convenerit* 18. *princ. ff. de pign. act.*
5 Ergo reliquum est, ut Sejus ad exhibendas illas res agat contra Titium, et postea Titius ad res, quas a Sejo subtractas putat, exhibendas agat coram Judice Seji competente. Ex *hac lege*
6 probatur; Contra viduam, quae dicitur expilasse haereditatem, non posse procedi per inquisitionem, quia fuit socia, et per *art.* 165. *Const. crim. Carpzov. lib.* 6. *resp.* 85. *Farinac. qu.* 174. *num.* 120. *Menoch. lib.* 2. *A. Q. casu* 300. *num. fin.* Sed de hoc etiam postea. Quae-
7 ritur tamen hic: *Si probari possit, socium scienter aliquid ultra suam partem rapuisse, anne eo casu teneatur actione expilatae haereditatis?* Et affirmant id *Duarenus ad hunc tit. in ff. et Menoch. d. casu* 300. *num.* 7. *per l.* 45. *ff. pro socio, ibique Auctor*, a quibus dissentit *Ant. Matth. d. c.* 1. *num.* 4. Sed quia tamen tenentur socii hoc casu actione furti, et hujus *legis primae* ratio in eo, quod acceperit bona haereditaria jure societatis, ratione partis suae, consistit, *Menoch. l.* 4. *praes.* 18. *num.* 3. et nostro casu, ubi dolus manifestus, illa ratio cessat, non putamus priorem sententiam fundamento carere.

L. Expilatae. 2. et L. Si avi. 3.

SUMMARIA

Privignus contra vitricum vel novercam de expilata haereditate agere non prohibetur. num. 1.
Objectio diluitur. 2.
Quomodo fraudibus viduarum hoc casu obviam iri possit? 3.
Statutum in Neomarchia Elector. Brandenburgica. 4.

Privignus contra vitricum vel novercam age- 1
re non prohibetur de expilata haereditate. Nam
quamvis videatur obstare reverentia istis perso- 2
nis debita, facit tamen contra ejusmodi personas frequentia delicti, quia nemo saepius expilare haereditatem solet, quam noverca et vitricus. Unde non male optat *Cujac. lib.* 14. *obs.* 38. 3
laudatus ab *Anton. Matth. d. c.* 1. *num.* 3. ut *Novella Leonis* 110. in usum revocaretur, scilicet uxorem, si intra 3. menses inventarium non conficiat, nihil posse petere de dote, sicut fere simile statutum in Neomarchia Electorali 4
Brandenburgica habemus, quo fraudibus viduarum obviam itur.

L. Adversus uxorem. 4.

SUMMARIA

Dicta in praecedente lege *de noverca limitantur. num.* 1.
Socius socio furtum non facit, sed actione rerum amotarum potest conveniri. 2.
Noverca ex haereditate quid surripiens quanam actione conveniatur? 3.
An et quatenus etiam fructus repeti ab ea possint? 4.
Societas contracta inter maritum et uxorem non in sorte sed utilitate consistit. 5.

Quod de noverca dictum, id limitatur in *hac* 1
lege; ut locum non habeat, quando de mariti successione agitur, nam ibi obstat ratio, quod uxor marito furtum non faciat, cum sit socia rei humanae atque divinae, per *hanc l.* Socius 2
autem socio furtum non facit, *l.* 51. *ff. pro socio*, Confer. *Auctor ad d. l.* Sed actione rerum amotarum conveniri potest, Vid. *tot. tit. ff. rerum amotarum.* Si ergo noverca tua ex tui pa- 3
rentis, sui vero mariti haereditate quid surripuerit, non quidem actione criminali hac poteris eam convenire, sed rei vindicatione potes res subtractas repetere, vel si dolo desiit possidere, potes etiam ad exhibendum agere, *l.* 5. §. 2. *l.* 9. *pr. et* §. 2. *et seqq. l.* 12. §. 3. *ff. ad exhibend.* Et cum noverca mala fide possideat, 4
fructus etiam rerum subtractarum extantes vin-

dicare, consumptos vero condictione ex lege repetere potes, *l.* 3. *supr. de condict. ex lege.*
5 Colligitur ex *hac lege:* Inter maritum et uxorem societatem contrahi, *Carpz. p.* 3. *c.* 25. *def.* 8. *num.* 2. sed haec societas non est in sorte, sed in utilitate, *Molina de J. et J. d.* 411. *num.* 4. *Mantica lib.* 6. *de tac. et amb. convent. t.* 3. *num.* 8. Repetantur etiam ea, quae supra ad *l. primam* notata.

L. Obtentu. 5.

SUMMARIA

An libertus legatarius legatum ab haerede petens expilata haereditate legato carere debeat? num. 1.
Quid si species legata? 2.
Varius legis *intellectus.* 3.

1 Libertus legatarius petit a te haerede legatum sibi relictum, dicis expilatam esse haereditatem, et te non posse solvere legata. Resp. te haeredem debere solvere, si scilicet genus vel quantitas sit legata, quia genus vel quantitas non perit, *arg. l. incendium* 11. *supr. de reb. cred.*
2 Secus si species legata, nam speciei interitu liberatur debitor, *l.* 33. *l.* 37. *l.* 38. §. 7. *ff. de V. O. ibiq. Auctor, Ant. Matth. d. t.* 12. *cap.* 2. *num.* 3. Sed tunc forte haeres actionem suam
3 tenetur cedere legatario. Alii quidem *hanc l.* intelligunt de eo casu, quando ipse legatarius expilavit haereditatem, sed refutantur *l.* 5. *supr. de legatis*, ad quam contorte respondet *Accursius;* vel de exceptione expilatae haereditatis actori opposita, quasi ipse legatarius expilasse dicatur, quem intellectum videntur indigitare verba legis, *suspensa cognitione.* Posset responderi, *hanc legem* de exceptione hac nondum liquida loqui.

L. Expilatae. ult.

SUMMARIA

Deficiente quandoque furti actione, haec ut subsidiaria, datur. num. 1.
Poena hujus delicti est arbitraria. 2.
An poena furti statutaria expilatoribus haereditatis dictanda? 3.

Quando actio furti deficit, tunc interdum 1
haec actio datur, cum haec actio sit subsidiaria, deficiente actione furti, *hic et l.* 2. *pr. et* §. 1. *ff. h. t.* ratio videri potest, apud *Auct. ad h. l.*
Poena autem hujus delicti est arbitraria, *l.* 2. *ff.* 2
h. t. P. H. O. art. 165. Sed quaeritur: *An* 3
poena furti statutaria expilatoribus haereditatis dictanda? Et recte negat *Farinac. qu.* 174. *num.* 121. *Carpz. qu.* 83. *num.* 7. *Ant. Matth. d. t.* 12. *cap.* 2. *num.* 1. licet dissentiat *Chassanaeus in consuet. Burg. rubr.* 1. §. 5. *num.* 7. *Gomez tr.* 3. *res. cap.* 5. *num.* 16. et quos allegat *Farinac. d. q. num.* 122. Nam *l.* 1. §. 1. non loquitur de expilatione haereditatis, sed aliis expilatoribus, seu direptoribus; quin tamen corporalis poena illis imponi possit, non dubito cum *Farinac. d. l. num.* 125. *Carpz. d. l. num.* 76. *et* 80. *Ant. Matth. d. l.*

TITULUS XXXIII.

De vi bonorum raptorum.

L. Si bonorum. 1.

SUMMARIA

Actio vi bonorum raptorum de mobilibus vel se moventibus tantum datur. num. 1.
In quonam conveniat et in quo differat a furto. 2.
An vis in secundo actu illata requiratur? 3.
Raptor quomodo differat a latrone? 4.

1 Actio vi bonorum raptorum datur tantum de mobilibus, vel sese moventibus, *hic et l.* 32. *et l.* 11. *ff. de vi et vi arm.* §. 1. *Inst. h. t.*
2 *ibique Auctor exerc.* 24. Et sic in hoc cum furto convenit, sed ratione violentiae a furto distinguitur, *Farin. qu.* 166. *num.* 31. sive illa vis sit illata cum armis, sive sine armis, *Mol.*
3 *de J. et J. tr.* 2. *d.* 68. *num.* 2. imo licet nulla vis sit actu secundo illata, modo ablatio fiat palam, et committentes parati sint vim inferre, *Farin. d. l. Carpz. qu.* 90. *num.* 68. Et ex tali facto tam publicum quam privatum crimen
4 nascitur, *Boss. tit. de rapinis num.* 14. Differt a latrone raptor, quod ille in via publica, hic etiam in fundo privato rapiat, *Farinac. d. quaest.* 166. *num.* 37. licet cum homicidio conjunctum latrocinium esse velit *Carpzov. d. qu.* 90. *num.* 3. Conf. *Damhoud. c.* 101. *num.* 3. *etc.*

L. Si res mobiles. 2.

SUMMARIA

Intra quod tempus et ad quid detur haec actio? num. 1.
In quonam raptor lenius fure puniri soleat? 2.
Ratio. 3.
Si iteratum hoc crimen, capite luitur. 4.
Poena de jure Germanico est gladius, imo quandoque praeter gladii poenam rotae infliguntur. 5.
De jure Saxon. etiam in re minima, si vel quatuor grossi argentei rapti fuerint, haec poena adhibetur. 6.
Aequitati tamen contrarium hoc videtur, maxime si sponte restituant. 7.

Actio vi bonorum raptorum intra annum uti- 1
lem (scilicet in quo computantur tantum dies

illi, quibus judicis copia in publico esse potest), potest intendi in quadruplum, vel rei si dominus agat, vel interesse, si alius, cui simplum inest, §. 19. *Instit. de act.* post annum in simplum, *hic et pr. Instit. h. t. confer. Auct. ad pr.*
2 *tit. exerc.* 21. Et sic lenius punitur raptor, quam fur: nam 1. quadruplo in furto non inest simplum: 2. non est illa poena ad annum restricta, cum tamen raptores sint fures improbi vel improbiores, §. 1. *Inst. h. t. l.* 80. §. 3. *ff. de furtis, Farinac. d. qu.* 166. *num.* 32. *Hilliger in*
3 *Donell. lib.* 15. *c.* 30. *lit. D.* putat hanc esse rationem, quia lex putavit pauciores fore, quibus animus rapiendi esset ob paratam defensionem possidentis, quam qui rem absentis furari audeant, et magis ita cavet, ubi majus est periculum. Aliter *Bacchov. ad Tr. v.* 2. *d.* 30. *th.* 4.
4 *lit. E. et ad Wesenbec. num.* 6. *h. t.* In grassatores poena capitis statuta, si saepius admiserunt, *l.* 28. §. 10. *ff. de poenis.* Unde videri potest primum actum hac poena non affici, *Farinac. q.*
5 167. *num.* 87. sed aliud jure Germanico, ubi poena *gladius*, de consuetudine *rota.* Vid. *art. crim.* 126. *Carpz. qu.* 90. *num.* 27. Interdum gladio feriuntur, et corpora rotae infiguntur,
6 quod consuetudine obtinuit, quam severitatem etiam in re minima, si vel quatuor argentei grossi rapti fuerint, adhibent Saxones, ut apparet ex traditis a *Carpz. in pr. crim. d. qu.* 90. *num.* 42.
7 *et seqq.* Quod tamen videtur ab aequitate remotius esse, ut et id, quod raptores, si sponte rem restituant, supplicio capitali afficiantur, *Carpz. d. qu. num.* 55.

L. Res obligatas. 3.

SUMMARIA

Creditor rem oppignoratam vi rapiens tenetur in quadruplum. num. 1.
Objectio diluitur. 2.
Creditor lege conventionis propria auctoritate pignus auferens, uti nec furtum facit, ita nec hac actione tenetur. 3.
Secus si citra conventionem pignus surripiat. 4.
Quamnam poenam hoc casu incurrat? 5.

1 Creditor rem sibi oppignoratam per vim rapiens, etiam tenetur in quadruplum, *hic et l.* 2.
2 §. 18. *ff. h. t. Auctor d. l.* Sed videtur obstare, quod creditor hic furtum non faciat, *l.* 55. *ff. de furt. ibique Auctor* Resp. imo etiam creditor furtum hoc casu facit, *l.* 14. §. 1. *in*
3 *fin. ff. de furtis.* Non ergo facit furtum, quando lege conventionis aufert propria auctoritate; *d. l.* 55. et sic etiam hac actione non tenetur, qui ex lege conventionis aufert, *l.* 3. *supr. de pign. Menoch. rem.* 9. *recup. possess. num.* 208. At si
4 citra conventionem pignus surripiat, furtum committit, *d. l.* 14. ita si citra conventionem
5 rem rapiat, *hac l.* 3. coercetur. Sed non incurrit hanc poenam, qui a debitore fugitivo, quia in mora est periculum, rem pignoris loco aufert, *l.* 10. §. 16. *ff. quae in fraudem credit. Menochius d. remed.* 9. *recup. poss. num.* 189. *et num.* 207.

L. De his. 4.

SUMMARIA

Actio haec contra dominum servi per vim aliquid eripientis data noxalis actionis qualitatem induit. num. 1.
Quomodo dominus se liberare possit? 2.

Actio haec datur contra dominum, cujus ser- 1
vus vel familia mihi per vim quid eripuit, *hic et l.* 2. §. 14. *ff. h. t.* Sed tunc habet qualitatem 2
noxalis actionis, ita ut dominus possit se liberare, litis aestimationem, id est quadruplum offerendo, vel servum noxae dedendo, et electio est domini, *pr. Instit. de noxal. act.*

L. Sive negotiorum. ult.

SUMMARIA

Quaenam mihi contra novercam res meas violenter et de facto rapientem ac vendentem detur actio? num. 1.
Casus legis *aliter formatus.* 2.
Simplicior est prior legis *intellectus.* 3.
Objectio diluitur. 4.
Conventione Electoris Brandenb. Joannis Sigismundi cum Duce Pomeraniae et Ducibus Megapolitanis inita 1617. *raptores nobiles et ignobiles pacificantur.* 5.

Noverca tua res tuas rapuit violenter et de 1
facto, et eas vendidit, quaeritur: *Quae actio datur contra Novercam?* Respond. Si venditionem velis ratam habere, poteris civiliter agere actione *negotiorum gestorum*, sed si velis ad poenam agere, poteris etiam hac actione uti, et agere intra annum ad quadruplum, facit *l.* 2. *et* 3. *tit. praeced.* Alii ita ponunt casum: Qui 2
tibi per vim eripuerat res tuas, postea tua negotia gessit, hic electio tibi datur, utrum velis primaeva actione *vi bonorum raptorum* agere in quadruplum intra annum, vel *negotiorum gestorum* actione agere velis, cum negotiorum gestor a se ipse exigere debeat, *l.* 18. *ff. de negot. gest. ibique Auctor.* Ergo et ille exigere et solvere debuit; sed prior intellectus simpli- 3
cior. Sed videtur obstare: Quod non possim ra- 4
tum habere id quod meo nomine non est gestum, *l.* 12. *pr. ff. ratam rem haberi etc. c. ratum* 9. *de R. J. lib.* 6. Sed huic Noverca non meo nomine vendidit: sed responderi potest, vel odio raptoris, et ejus qui a raptore, licet ignarus, culpae tamen non omnimodo expers emit, hoc statutum; vel dicendum est, hunc textum de re, quae apud emptorem periit, intelligendum esse, *l.* 9. *C. de negot. gest. l.* 23. *ff. si certum pet. ibique Auctor num.* 1. Videatur de raptoribus 5
conventio Sereniss. Electoris Brandenb. Joannis Sigismundi cum Duce Pomeraniae et Ducibus Megapolitanis inita anno 1617. ubi pacificantur nobiles et ignobiles hoc delictum committentes, *Carpzov. pr. crim. qu.* 90. *num.* 39.

TITULUS XXXIV.

De crimine stellionatus.

L. Improbum. 1.

SUMMARIA

Quodnam crimen Stellionatus vocari soleat? n. 1.
Hujus criminis exempla. 2. 6.
Si creditor hypothecam priorem generalem reticuit, non est crimen stellionatus. 3.
Quaecunque ob fraudem tertii sunt illicita, illa eventu fraudis non secuto nullam poenam merentur. 4.
Stellionatus per poenitentiam fit impunibilis. 5.
Si pignus utrique creditori sufficit, crimen hoc locum non habet. 7.

1 Quicquid turpiter et in fraudem alterius fit, quod proprii criminis nomen non habet, voca-
2 tur crimen Stellionatus, et hujus criminis exempla in *hoc titulo Digestorum et Codicis* passim habentur, et recensentur ab *Ant. Gomez tr. resol. cap.* 7. *P. Gregor. lib.* 39. *syntagm. cap.* 17. *Menoch. lib.* 2. *A. Q. cas.* 381. *Tusch. concl.* 691. *Bos. h. t. Coll. Arg. hic th.* 2. v. g. Si debitor aliquam rem mihi obligasset, et postea sciens, *l.* 16. §. 1. *ff. de pign. act. ibique Auctor num.* 2. alii eamdem obligasset, nec hoc indicasset prius alii obligatam; secus enim si
3 indicasset, *l.* 15. §. *ult. ff. de pign.* secus etiam si reticuerit hypothecam priorem generalem, nam tunc crimen stellionatus non esset, *Christinaeus vol.* 4. *dec.* 201. *num.* 14. Sed si debitor omnibus sua debita solverit, nullus creditor deceptus est, et ita crimen stellionatus locum non habet; ratio est, quia respectum habet ad
4 eventum. Quaecunque enim ob fraudem tertii sunt illicita, illa eventu fraudis non secuto poenam nullam merentur, §. 3. *Instit. qui et ex quibus caus. manumitt. etc. l.* 36. *in fin. ff. de*
5 *pign. act.* Et ideo stellionatum per poenitentiam fieri impunibilem, recte ex *hoc textu* colligitur;
6 Alia exempla comportantur ex *l.* 38. *ff. ad leg. Jul. de adult. l. un. supr. ne tutor vel curator vectig. Auth. novo jure supr. de poenis jud. qui male etc. Ant. Matth. d. lib.* 47. *tit.* 13. *cap.* 2.
7 *num.* 3. Ex *hac lege* etiam probatur; Si pignus utrique creditori sufficiat, non habere locum hoc crimen, per *l.* 35. §. 1. *ff. de act. Christin. d. dec.* 201. *num.* 20.

L. Si pater tuus. 2.

SUMMARIA

Facti species. num. 1.
Quaestio inde deducta. 2.
Si quis rem alienam pignori dedit stellionatus crimen incurrit. 3.
In re aliena vendita actio venditi datur. 4.
Ubi datur civilis actio, actio de stellionatu cessat. 5.
Ubi eadem res duobus citra rationabilem causam venditur, crimen falsi et stellionatus committitur. 6.

Paterfamilias donaverat filiofamilias praedium, 1
eidem emancipato idem tradit, qua ratione filio adquiritur praedium, *l.* 17. *supr. de donat.* sed postea illud praedium creditori suo obligavit
pignori, Quaeritur: *An pater crimine stellionatus teneatur?* Respond. Quod sic, non quasi a 2
filio possit de crimine accusari, id enim reverentia paterna non patitur, nec etiam filii quicquam interest, quia obligatio illa filio ut domino non potest praejudicare, sed actio datur creditori, cui res aliena oppignorata est. Collige: Si quis rem alienam piguori dederit, com- 3
mittere crimen stellionatus, *hic et l.* 36. §. 1. *ff. de pign. act. l. ult. ff. h. t. ibique Auctor.* Sed 4
aliud in re aliena vendita, nam eo casu datur actio venditi, *l.* 39. *ff. de act. empti.* Ubi datur actio 5
civilis, actio de stellionatu cessat, *l.* 3. §. 1. *ff. h. t. Menoch. d. cas.* 381. *num.* 3. *Tuschus de concl.* 691. *num.* 13. *Farinac. d. qu.* 19. *num.* 36. sed ubi eadem res duobus citra rationabilem 6
causam venditur, crimen falsi et stellionatus committi putant per *l.* 21. *supr. ad leg. Cornel. de fals. Menoch. d. l. num.* 10. *Boss. tit. de falso num.* 112. *Christin. vol.* 4. *d. dec.* 210. *num.* 10.

L. Stellionatus. 3.

SUMMARIA

Crimen stellionatus est crimen extraordinarium. num. 1.
Quod in privatis judiciis est actio de dolo, hoc in criminibus est stellionatus. 2.

Hoc crimen neque publicum *l.* 3. *ff. h. t. ibique* 1
Auctor num. 2. nec privatum, sed extraordinarium *l.* 1. *ff. h. t. et l.* 3. *ff. de extraord. crim.* et quod in privatis judiciis est de dolo actio, 2
hoc in criminibus stellionatus est, *d. l.* 3. §. 1. *ff. h. t.*

L. Ignorantia. ult.

SUMMARIA

An debitor rem alii obligatam secundo creditori ignoranti denuo obligans et eum ita decipiens gravissime puniatur, et quomodo? num. 1.
Quid si in necem primi creditoris colluserit cum secundo, et ipsi quasi priori fundum obligaverit? 2.

Si debitor rem pridem alii obligatam secundo 1
creditori ignoranti obligaverit, et eum ita deceperit, debet severissime plecti, puta damna-

tione in metallum, si plebeji, vel relegatione aut remotione, si honoratiores, *l.* 3. §. 2. *ff. h. tit. ibique Auctor num.* 5. *P. Gregor. d. lib.* 39.
2 *cap.* 14. *num.* 4. *Farinac. num.* 34. Sed si in necem creditoris primi collusit cum secundo, et ipsi quasi priori obligavit fundum; potest conveniri coram competenti judice, non quidem de stellionatu, sed falso, *l.* 15. *supr. ad leg. Cornel. de fals.* Plura de stellionatu videantur apud *Menoch. cas.* 381. *Tholos. lib.* 39. *cap.* 14. *et lib.* 21. *cap.* 8. *num.* 22. *et lib.* 23. *cap.* 10. *num.* 5. *Tusch. concl.* 691. *lit. S.*

TITULUS XXXV.

De injuriis.

L. Nec servis. 1. et L. Dominum. 8.

SUMMARIA

Injuria in servum alienum quatenus committi soleat? num. 1.
Idem in colonis, monachis et civibus. 2.
Domino servi de damno datur actio, si injurians servum deteriorem reddiderit. 3.
Actio ex l. Aquilia *criminalem non tollit.* 4.
Remissa actione injuriarum, actio ex l. Aquilia *non statim remittitur.* 5.

1 Injuria etiam in servum alienum committitur, quatenus illa injuria spectat contumeliam domini, *hic et* §. 3. *Instit. de injur. l.* 15. §. 35. *ff. eod. ibique Auctor*, seu quatenus injuria servo illata, tendit ad deminutionem existimationis domini, quod fit, quando servus contumelia afficitur, dum exequitur officium suum, et expedit negotia domini, *d. l.* 15. *ff. h. t. Schneid. ad* §. 5. *pr. Inst. h. t. num.* 2. *Farinac. qu.* 105.
2 *num.* 278. *et seqq.* Quod etiam ad colonos, monachos et cives accomodant *DD. Farinac. d. l. num.* 291. *et seqq. Bacchov. in Treutl. d.*
3 30. *th. ult. lit. B. et C.* Et praeterea de damno datur actio domino, si injurians servum reddiderit deteriorem. Nam neutra actio aliam extinguit, *l.* 8. *h. t.* una enim ad vindictam, altera ad restitutionem damni directa est, *l.* 15. §. 46.
4 *ff. h. t.* Nec criminalem tollit haec ex *lege Aquilia* actio, *Ant. Matth. tit.* 4. *cap.* 3. *num.* 9.
5 Nec remissa actione injuriarum statim actio *legis Aquiliae* remissa, *Menoch. lib.* 3. *praes.* 114.

L. Injuriarum actio. 2.

SUMMARIA

Maritus ob injuriam uxori illatam duplici jure actionem habet. num. 1.
Idem in patre injuriato filio. 2.
An et quatenus pater injuriam filio illatam remittere possit? 3.
Remissio filii de illatis sibi injuriis, patri non praejudicat. 4.

1 Maritus ob injuriam uxori illatam habet duplici jure actionem, ratione uxoris, quam defendit, et ratione sui, dum ipse per uxoris injuriam laeditur, *hic et l.* 1. §. *fin. ff. h. t. ibique Auctor num.* 10. Idem in patre, cujus filio il- 2
lata injuria, *hic et* §. 2. *Inst. h. t.* Confer. *Auctor exerc.* 25. Et quia pater perlatus filii injuria af- 3
ficitur, pater potest actionem injuriarum filio illatarum remittere, *l.* 17. §. 12. *ff. h. t. Boer dec.* 120. et quos allegat *Harprecht. d.* §. 2. *num.* 17. nisi filius sit honestioris conditionis, quam pater, *d. l.* 17. §. 2. *Ant. Gomez t.* 3. *cap.* 6. *Clarus* §. *fin. qu.* 5. *num.* 22. Si autem filius sibi 4
illatam injuriam remittat, haec remissio patri non praejudicat, *l.* 30. *pr. ff. de pactis.*

L. Si non. 3.

SUMMARIA

An delatorem aliquem dicens injuriam ipsi fecerit? num. 1.
Ex probris neminis opinio vere laeditur. 2.
Barbarum et stultum illud est quorundam opificum statutum, quod injuriato statim artis exercitium interdicant causa non cognita. 3.
Reformatio politica de anno 1548. *num.* 4.
An, si probrose delatorem te aliquis dixerit, habeas injuriarum actionem? 5.

Dixit te quis delatorem, Quaeritur: 1. *An ab* 1
hoc tua fama sit laesa? cum delatoris falsi vel falsi nunciatoris poena sit infamia, *lib.* 8. *C. de calumniat.* Resp. Quod non, si modo non es delator falsus, nam verus non infamiam, sed laudem meretur, cum expediat delicta fieri nota, *l.* 18. *pr. ff. h. t.* Nota bene: Ex probris ne- 2
minis opinio vere laeditur. Et colligitur ex *hoc textu:* barbarum et stultum illud esse statutum 3
quorundam opificum, quod injuriato statim interdicant exercitium artis causa non cognita: *Vid. Reform. politic. de anno* 1548. *tit. ult.* §. 4
Es soll auch dejenige, so geschmahet worden; *et de anno* 1577. *tit. ult. eod.* §. Quaeritur 2.
An si probrose te delatorem quis dixerit, habeas 5
actionem injuriarum? Quod affirm. Ratio in *l.* 15. §. 5. *ff. h. t.*

L. Atrocem. 4.

SUMMARIA

Qualitas personae et habitus injuriati injuriam atrociorem facit. num. 1.
Exemplo declaratur. 2.
Habitus e contrario injuriam leviorem reddit. 3.
Exemplum subjicitur. 4.
Ex habitu praesumenda hominis qualitas. 5.

1 Qualitas personae et habitus, sive vestitus in-
2 juriati, facit injuriam atrociorem, v. g. si quis sacerdotem, et quidem sacris vestibus indutum, vel etiam sacra facientem, conviliis petierit. Nam atrox injuria est ex persona, loco, tempore, *l.* 7. *§. ult. ff. h. t. et §. atrox* 9. *Instit. h. t.* exempla hujusmodi vide ap. *Auctorem exerc.*
3 25. *ad d.* §. sicut e contrario habitus facit inju-
4 riam leviorem; v. g. Si virgo meretricio habitu induta, ob injuriam, nisi realem vel atrocem, agere non potest; nam si realis sit, nec meretrici impune infertur, *Covarr. lib.* 3. *resol.*
5 *cap.* 14. *num.* 2. Et ideo notandum: Ex habitu praesumendam esse hominis qualitatem, *Menoch. lib.* 6. *praes.* 89. *num.* 5. *et cons.* 614. *num.* 16.

L. Si non convitii. 5.

SUMMARIA

In dubio omnis injuria dolo et animo injuriandi facta praesumitur. num. 1.
Restringitur haec regula. 2.
Si verba injuriosa non sunt, exceptio deficientis doli, adeoque non competentis actionis ante litem contestatam ad eam impediendam opponi potest. 3.
Si dubia et ab offenso prolata verba post lit. contest. rejicienda sunt. 4.
Quatenus jure Sax. ante lit. contest. injurians se liberare possit? 5.
Reus animum injuriandi negans ad contrarii probationem est admittendus. 6.
Ad probandum hoc praesumptiones etiam sufficiunt. 7.
Quatenus interdum se juramento purgationis purgare possit? 8.
Praesumptiones contrariae praesumptionem doli vel animum injuriandi interdum elidunt. 9.
Ex amicitia et observantia doli praesumptio tollitur. 10.
Excipiens contra testes eos esse falsarios, improbos, actione injuriarum non tenetur. 11.
Actio injuriarum an et quatenus tantum intra annum competat? 12.
Exemplo declaratur. 13.
Scripta injuriarum actio an sit perpetua? 14.
Actio ad palinodiam anno finitur. 15.
Idem in actione criminali, si ex ea civiliter et criminaliter agi potest. 16.
Actio de dolo est biennalis. 17.
Idem in stellionatu. 18.
Annus actioni injuriarum Praetori praefixus est utilis. 19.
Si quis personam meam vel res aresto impedit, actio injuriarum tam contra arestum petentem quam judicem concedentem competit. 20.
Exitus processus arestatorii est expectandus, antequam injuriarum agam. 21.
Palinodia, juramentum purgationis, declaratio et deprecatio christiana sunt affinia. 22.
Quando singulae competant? 23.

1 In *hac lege* duo notanda dicuntur: In principio dicitur, quod in dubio omnis injuria dolo et animo injuriandi facta praesumatur, *Clarus in §. injuria num.* 12. *Harp. in princ. Inst. h. t. num.* 6. *et Carpzov. pract. crimin. quaest.* 97. *num.* 2. *Dn. Mevius. p.* 5. *dec.* 390. si modo ver- 2
ba per se sunt injuriosa, *d. l.* 15. §. 5. *ff. h. t. Farinac. qu.* 105. *num.* 118. et ex eo *Carpzov. d. l. num.* 3. *Menoch. lib.* 5. *praesumpt.* 3. *num.* 47. *Mascard. conclus.* 903. *num.* 6. *Gail. lib.* 2. *obs.* 106. *num.* 1. Nam si verba per se non sint 3
injuriosa, exceptio deficientis doli atque adeo non competentis actionis, statim ante litem contestatam ad eam impediendam, opponi potest. Sed si dubia et ab offenso prolata post litem 4
contestatam rejicienda, ut docet *Dn. Mevius p.* 5. *dec.* 388. In foro Saxonico quis ante li- 5
tem contestatam a lite contestanda se liberare potest per declarationem, quod in injuriis, quae non sunt atrocissimae, nec magnum damnum dederunt, est aequissimum. Sed si reus neget 6
animum injuriandi, admittendus est ad probationem contrarii, si velit probare se non habuisse animum injuriandi, ad quod probandum 7
non exactae probationes, sed praesumptiones, sufficiunt, v. g. ex amicitia, vel antecedentibus actibus, vel joco. Vide *Berlich. parte* 5. *concl.* 6. *num.* 9. *Heig. parte* 2. *quaest.* 31. *num.* 39. *Carpz. d. l. num.* 4. *Christin. vol.* 4. *decis.* 202. *num.* 2. *et seq.* Imo interdum etiam si pro se habeat 8
praesumptiones quasdam, sed infirmiores, quam ut iis dolum satis purgare possit, potest per juramentum purgationis se purgare, *Gail. lib.* 2. *obser.* 106. *Carpzov. dicto loco num.* 6. Interdum 9
praesumptiones contrariae elidunt praesumptionem doli vel malum injuriandi, *Cephal. cons.* 75. *num.* 23. ut, si magistratus quid dixerit, quod videtur injuriosum, *l. item apud Labeonem* 15. §. 38. *ff. h. t. confer. Auctor num.* 20. *Carpz. pr. crim. quaest.* 97. *n.* 3. *Gail. lib.* 2. *obs.* 106. *num.* 6. Et ex amicitia et observantia tollitur 10
praesumptio doli, *Cephalus cons.* 76. *num.* 20. sic qui excipit contra testes, quod sint falsarii, 11
improbi etc. licet non probet, non tamen tenetur actione injuriarum, *l. delator* 44. *ff. de jure Fisci, Fachin. l.* 9. *c.* 13. Secundo dicitur, 12
actionem injuriarum intra annum tantum competere, quia est praetoria: Sed hoc ad actionem injuriarum praetoriam restringendum, nam hujus etiam exemplum hic proponitur: Si quis 13
te homicidam dixerit; hic enim laesus actione ex lege Cornelia non potest agere; Sed actio legis Corneliae civilis et criminalis non est annalis, *Gail. lib.* 2. *obser.* 101. *Clarus in §. injuria num.* 9. *Hartm. Pistor.* 4. *quaest.* 20. *Farin. quaest.* 10. *num.* 23. *Balbus de praescript. part.* 4. *partis quartae princ. quaest.* 1. *Bacchov. d. d.* 30. *th. ult. pag.* 1137. *Christinaeus v.* 4. *dec.* 202. *num.* 12. Sed optandum esse scribit *Fachin. l.* 9. *c.* 7. constitutionibus Principum tam odiosas actiones christianae religioni minime consentaneas coarctari ad brevissimum tempus. Injuriarum scriptarum actio- 14
nem quidam perpetuam faciunt, quod vix concedendum, *Berlich. p.* 5. *concl.* 69. *num.* 51. *Carpzov. p.* 4. *c.* 46. *d. t. Christin. d. decis.* 202. *num.* 14. Et anno etiam finitur actio ad pali- 15
nodiam, *Dn. Mevius* 5. *dec.* 369. et actio cri- 16
minalis, si ex ea injuria civiliter et criminaliter agi potest. Sicut etiam, quia actio de dolo 17
est biennalis, ita etiam judicium criminale de 18
stellionatu biennio finitur, *Farinac. quaest.* 10. *num.* 21. *et seq.* Et sic annus actioni injuria- 19
rum Praetori praefixus, est utilis, *l.* 14. §. 2. *ff. quod metus causa;* ratione principii scilicet

dum non currit nisi scienti, *Gail. lib.* 1. *obser.* 105. *Myns. cent.* 6. *obs.* 7. *Ant. Matth. tit* 4. *num.* 17. et quos allegat *Christin. d. decis.* 202.
20 *num.* 8. *Fachin. l.* 9. *c.* 8. Sic si quis personam meam vel res aresto impediat, datur actio injuriarum contra te, qui petis, et judicem, qui arestum jubet, quia praesumitur arestum esse injustum; sed quia in nonnullis casibus licitum
21 est arestum, expectandus mihi est exitus processus arestatorii, antequam injuriarum agam,
22 *Dn. Mevius p.* 5. *decis.* 38. *quaest.* Observa autem admodum adfinia esse 1. recantationem seu palinodiam, 2. juramentum purgatorium, 3. declarationem, 4. deprecationem christianam.
23 Prima ad atrociora crimina competit. Altera, quando injuriandi animus fere liquet. Tertia, quando dubia est interpretatio verborum et posset in bonam partem flecti. Quarta, quando ex ira verbum effusum.

L. Cum nec. 6.

SUMMARIUM

An et quatenus liberto contra patronum ejusque haeredes detur injuriarum actio?

Liberto contra patronum datur actio injuriarum, si modo injuria atrox sit, nam ob levem non dabitur, *l.* 7. §. 2. *ff. h. t. l.* 10. §. 12. *ff. de in jus voc.* Et consequenter etiam contra patroni haeredes facilius, quia liberti reverentia tanta erga haeredem patroni non est, quam erga ipsum patronum.

L. Injuriarum. 7.

SUMMARIA

Injuria est delictum privatum. num. 1.
Secus famosus libellus. 2.
Objectio tacita removetur. 3.
Quatenus magistratus in hoc crimine ex officio inquirere soleat? 4.
Quomodo civiliter actione injuriarum agatur? 5.
Quomodo aestimatio fieri soleat? 6.
Judicis moderatio est necessaria et quidem juramento praemittenda. 7.
Si civiliter agitur, ad poenam carceris agi non potest. 8.
Si criminaliter, ad palinodiam simul recte agitur. 9.

1 Injuria est delictum privatum, non publicum.
2 Famosus tamen libellus est delictum publicum,
3 *per tit. seq. leg. un.* Sed quamvis injuria sit crimen privatum, tamen criminaliter de ea agi potest, *leg. ultim. ff. de priv. delict. et l. ult. ff. h. t.* ad poenam arbitrariam et extraordinariam, pro modo delicti personarum qualitate, *Farinac. quaest.* 105. *num.* 65. *Carpzov. pract. crim. quaest.* 94. *num.* 4. *et seq. Wesenb. in π. hic num.* 3. *Card. Tuschus concl.* 561. *num.* 8.
4 *lit. F.* quamvis etiam magistratus ex officio in hoc crimine inquirere soleat; si praesertim honoratiori vel graduato sit injuria illata, vel personae miserabili, *Maranta p.* 6. *tit. de inquisit. num.* 132. Civiliter autem agitur actione inju- 5
riarum, si injuriatus ipse injuriam pecuniarie aestimet et aestimationem sibi applicari petat, de qua *Carpzovius quaest.* 95. et haec aestima- 6
tio vel simpliciter in libello proponitur, vel etiam ad juramentum se offert actor. Utroque 7
casu moderatio praemittenda juramento, *arg. Auth. jusjurandum C. de jud. Novell.* 82. *cap.* 10. *Berlich. part.* 5. *concl.* 61. *num.* 85. *Carpzovius dict. l. num.* 13. *et seq.* Et si civiliter aga- 8
tur, ad poenam carceris agi non potest, *l.* 6. *in fine ff. h. t. et l.* 7. §. 1. *ff. de furtis*, et per *l. un. supr. quando civilis actio etc. Maranta p.* 4. *distinct.* 1. *num.* 19. *Bacchovius in Tr. d. d.* 30. *th.* 3. *lit. B. et Harp. in* §. 10. *num.* 58. *et seqq.* Sed si criminaliter agatur, ad palinodiam simul 9
agi potest, *Mevius p.* 3. *dec.* 33.

L. Qui liberos. 9.

SUMMARIUM

An injuria sit, hominem liberum vocare servum?

Injuria est, aliquem liberum vocare servum, vel etiam in servitutem adserere, *hic et l.* 11. §. *fin. et l.* 12. *ff. h. t.* quia hoc opinionem minuit.

L. Siquidem. 10.

SUMMARIA

Facti species. num. 1.
Si actor injuriam in libello reo dixit, ab eodem nisi lite finita reconveniri non potest. 2.
Si una quaestio est praejudicialis respectu alterius, tunc nulla datur actionum cumulatio. 3.
Reconventio, quae ex conventione sumitur, non habet locum, nisi finita lite et de illa solide judicari nequit. 4.

Zenodorus Pauli aviam dixit esse ancillam ali- 1
cujus civitatis, et vult hoc probare; tunc pendente illa lite, Paulus de injuria agere non potest, sed expectandus est eventus litis. Nam si libera pronuncietur tunc demum de injuria agi potest. Nota bene: Si actor injuriam libello dixerit reo, 2
ab eodem reconveniri de injuriis non potest, nisi lite finita, *Mevius p.* 4. *dec.* 46. *num.* 4. *Jo. a Sande lib.* 5. *tit.* 8. *dec.* 10. *Berlich. p.* 1. *concl.* 65. *num.* 4. Unde *haec l. si quidem* saepe allegari solet. Ratio autem legis est; Quod 3
ubi una quaestio est praejudicialis respectu alterius, tunc nulla datur actionum cumulatio. Conf. *Farin. quaest.* 100. *num.* 60. *et* 78. Et re- 4
conventio, quae ex conventione sumitur, non habet locum, nisi finita conventione, et de illa solide judicari non potest, nisi prius de hac judicetur, *Mevius p.* 6. *dec.* 85. Sic etiam de injuria in judicio illata reo tertius agere nequit, nisi nihil tertio cum hoc negotio sit commune, *Mevius p.* 3. *dec.* 48.

L. Si quando. ult.

SUMMARIA

In actione injuriarum civili procurator intervenire potest. num. 1.
In criminibus publicis hodie ex parte actoris procurator admittitur. 2.
Idem in causis injuriarum. 3.
Secus ex parte rei, et cur? 4.
Exceptio est in personis illustribus. 5.
Quid singulare quoad procuratores harum sit notandum? 6.
Idem in nobilibus. 7.
Lex haec canonizata a Jure Can. 8.
In foro Saxon. et alibi ex parte rei quoque procurator admittitur. 9.

1 In actione civili injuriarum procuratorem intervenire posse certum est, *leg.* 11. §. 2. *leg.* 17. §. 19. *ff. h. tit. leg.* 42. §. 1. *ff. de procurat.*
2 Sed si criminaliter agitur, tunc hodie, ut in criminibus publicis per *Constitutionem Carol. artic.* 12. ex parte actoris procurator admittitur, ita etiam in causis injuriarum, *Carpzov.* 3
quaest. 95. *num.* 51. Sed ex parte rei procurator intervenire non potest, quia poena ad corporalem extendi potest, quae in procuratorem non cadit, *Carpzov. num.* 52. *Rauchb. part.* 1. *quaest.* 7. *num.* 25. *et seq.* Excipiuntur hic personae illustres, ita tamen ut eae 6
inscriptionem in persona propria facere teneantur, et sententia in ipsas feratur, ut ideo talis procurator nudus minister videri possit, qui vicarias operas praestet, et faciat ea, quae sunt a dignitate istarum personarum alieniora, *Farin. quaest.* 99. *num.* 115. *Bacchov. in Wesenb. h. t. num.* 16. Quod ad nobiles extendit *Tiraq.* 7
de nobilit. c. 20. *num.* 141. Et *haec lex* cano- 8
nizata est Jure Canon. *per c. absens* §. *nisi c.* 3. *q.* 9. *Farin. d. q.* 115. Et non aliter habet locum nisi in injuriis, *Farin. d. q. num.* 119. Nec in foro Saxon. tantum, sed et alibi procu- 9
ratorem ex parte rei admitti videmus per tradita *Treutl. vol.* 2. *disp.* 30. *lit. H.* ubi tamen *vid. Bacch.*

TITULUS XXXVI.

De famosis libellis.

L. Si quis. un.

SUMMARIA

Famosi libelli descriptio. num. 1.
Poena hujus auctoris. 2.
Inventoris poena. 3.
Quid si nomen suum auctor famosi libelli subscripserit, an teneatur poena famosi libelli? 4.
Deciditur per distinctionem. 5.
Quid si verum crimen capitale diffamaverit, an capitalis poena auctorem libelli sequatur? 6.

1 Famosus libellus proprie est scriptura injuriosa, extra formam judicii proposita, qua crimen capitale et publicum alicui impingitur, quod ex *h. l.* manifeste probatur, cum Imperator hortatur omnes, ut potius si quid contra alium habeant, se sistant publice, et accusationem legitime proponant, ergo famosum libellum intelligit scriptum, quod impingit alicui crimen, quod accusari potest, ut recte *Wesenb. in* ϖ.
2 *ff. de injur. num.* 19. *et Bacchov. ibid.* Hujus auctor capitali supplicio afficiendus, scilicet si capitale delictum est, cujus alium insimulavit,
3 per *Constit. crim. art.* 100. et eadem poena etiam coercendus repertor, qui non corrupit sed divulgavit, nam inventio non sufficit, sed divulgatio simul requiritur, *Menoch. lib.* 2. *A. Q. casu* 263. *num.* 40. Sed huic poenam capitalem mortis infligendam esse videtur iniquius. Ideoque cum capitale supplicium etiam deportationem et relegationem significet, aequius esse putamus, si hic extraordinaria poena plectatur, praesertim cum *dict. art.* 100. de compositore tantum loquatur, et exorbitans haec poena famosi libelli potius restringenda quam amplianda. Et ita lubens subscribo *Carpzov. dict. quaest.* 98. *num.* 2. Sed *quid si nomen suum auctor li-* 4
belli famosi subscripserit, an teneatur poena famosi libelli? Respond. jure civili quidem te- 5
neri puto, *l.* 5. §. 9. *ff. de injur. Wesenb. in* ϖ. *de injur. num.* 19. aliud tamen videtur dicendum de jure nostro Germanico ex *dict. art.* 100. ubi requiritur, ut famosus libellus sit editus sine mentione nominis, *Carpzov. num.* 28. *Nebelkra dec.* 16. Quid si verum crimen ca- 6
pitale diffamaverit, Quaeritur: An capitalis poena auctorem libelli sequatur? Respond. id videtur affirmari posse ex *hac lege.* Sed dissentit *Fachineus lib.* 9. *cap.* 11. Quid si enim ideo publicaverit, ut scelus puniatur, ut ille homo caveatur etc. Et si ex odio fecerit, tamen haec res jure naturae non meretur poenam capitalem, licet aliqualem poenam mereri possit. Imo per *art. crimin* 100. in hoc puncto criminis veri propalati expresse arbitraria constituitur poena. Et poenam famosi libelli capitalem vix unquam observari puto cum *Claro* §. *fin. quaest.* 68. *num.* 29. *et Goenerregen. hic.* Plura de libello famoso apud *Heig. P.* 2. *quaest.* 31. *Colerum in spec. tract. Berlich. p.* 5. *concl.* 69. *Carpzov. p. crim. quaest.* 98. *Harprecht. in* §. 1. *Inst. h. t. num.* 149. *Menoch. d. cas.* 273. *num.* 14. *et seqq.*

TITULUS XXXVII.

De abigeis.

L. Abacti. un.

SUMMARIA

Abigei quinam sint? num. 1.
Criminaliter potest accusari hoc crimen. 2.
Poena. 3.
Quid juris si criminaliter, et quid si civiliter agatur? 4.
Jus hodiernum. 5.
In Belgio abigei laqueo quandoque puniuntur. 6.
Si quis ex probabili causa vel etiam levi jus in animalibus abactis se habere putat, non est abigeus. 7.

1 Abigei sunt, qui pecora subtrahunt et abigunt, scilicet si minorum pecorum gregem decem capitum, vel singula pecora saepius, vel ex majoribus 10. jumentis vel armentis etiam unum abigit ex pascuis vel stabulis animo lucrandi. Vide *Carpzov. quaest.* 86. *num.* 27. *et seq. Farinac. quaest.* 167. *num.* 113. *et seqq.*
2 Quamvis autem publicum crimen non sit, criminaliter tamen accusari potest, ut et alia privata delicta, *leg. ultim. ff. de priv. delict.* et quidem quia furto deterius delictum est, *leg.* 2.
3 *ff. h. t.* Supplicio ultimo etiam affici solent abigei, *leg.* 1. *ff. d. tit.* ubi scilicet delictum est frequentius, *Wesenbec. in* ϖ. *ff. h. tit.* vel si quis ferro abegerit ex stabulo: aggravatur etiam poena, ubi facilior est ansa abigendi pecus, ut a pascuis ex sylvis. Quo enim major delinquendi facultas et occasio, eo majori poena coercendus est. Si autem per incuriam domini intraverit stabulum punietur levius, *Wissenbach. ad Pand. ad h. tit.* §. 17. Quando igitur crimi- 4
naliter agitur contra abigeos, accusator se inscribere debet; quando civiliter, non; hodie 5
nunquam, ut supra. Sed poena criminalis variat, nam ubi frequentius hoc crimen umiliores committunt ad gladium vel in metallum, vel in opus publicum condemnantur, honestiores vero loco nati, vel ordine moventur vel relegantur, *l.* 1. *princ. et* §. 3. *ff. h. t. Farin. d. quaest. num.* 111. *Gomez t.* 3. *c.* 5. *num.* 19. *Carpzov. d. l. num.* 3. Imo et poenam laquei lo- 6
cum hic habere de consuetudine Belgii notat *Christinaeus vol.* 4. *dec.* 302. *num.* 4. si alia requisita, quae in furto sunt, hic adsint, *Carpzov. d. l. num.* 3. quoniam etiam fures sunt. De his plura apud *Choppinum de privil. rust. lib.* 2. *c.* 4. *Boss. in praxi crim. h. l. Damhoud. cap.* 113. *Tholos. lib.* 37. *c.* 5. et alios. Si quis tamen ex 7
probabili causa vel etiam levi se putat habere jus in animalibus abactis, abigeus non est, *Bossius in tit. de abigeis num.* 2.

TITULUS XXXVIII.

De Nili aggeribus non rumpendis.

L. Si quis. unic.

SUMMARIA

Qui Nilum intra XII. cubitum rupit et derivavit, ac sibi usurpavit fluenta ac rivulos ex Nilo, concremandus est, et consortes deportandi. num. 1.
Extenditur decisio hujus legis *ad omnia flumina publica, ita tamen, ut cum restitutione damni extraordinaria poena sufficiat.* 2.
Aliud in maritimis. 3.
Puniuntur etiam ii, qui arbores aggeres conservantes excidunt. 4.

1 Qui intra XII. cubitum, id est, antequam excederet incrementum Nili 12. cubitos, aggeres Nili ruperit, et derivaverit ac sibi usurpaverit fluenta ac rivulos ex Nilo, concremandus est: consortes sine spe veniae deportandi. Vide *Godofred.* Ratio hujus est, quia in Nili exundatione consistit fertilitas agrorum Aegypti. Pessimo ergo exemplo, et cum publico damno derivabuntur fluenta in privatos agros. *Hanc legem* 2
tamen *Doctores* ad omnia flumina publica extendunt, ut tamen tunc cum restitutione damni, poena extraordinaria afficiantur, licet eam 3
praesertim in maritimis ad supplicium ultimum extendi posse non dubitem. Vide *Damhoud. in pr. crimin. cap.* 167. *Coler. decis.* 171. *Christin. vol.* 4. *decis.* 203. *num.* 7. *Monoch. casu* 386. ubi cum *Accurs.* hanc legem cum *leg. pen. ff. de extraord. cogn.* conciliat, quod *haec lex un.* de majoribus, *illa l. pen.* de minoribus aggeribus loquatur. Poena etiam eos manet, 4
qui arbores aggeres conservantes excidunt, *Coepolla de S. R. P. c.* 37. *num.* 7. *et* 8. Conf. *et Doring. in bibliothec.* in voce *Aggeres.*

TITULUS XXXIX.

De his qui latrones vel aliis criminibus reos occultaverint.

L. Eos. 1. et L. Si qui. 2.

SUMMARIA

Extraordinarium crimen est, recipere latrones vel alios facinorosos. num. 1.
Quilibet dominus praedii latrones latitantes Judici significare eosque exhibere debet. 2.
Si exhibere non potest, manum militarem imploret. num. 3. 9.
Quaenam poena statuta in eos, qui recipiunt latrones, eosque moniti non exhibent? 4.
Haec pro qualitate personae interdum exasperatur. 5.
Interdum mitigatur. 6. 8.
Qui societatem cum occultatis latronibus inierit, quomodo puniatur? 7.
Si illi, qui ut latrones quaesiti fuerunt, reperiuntur innocentes, accusator ut calumniator est puniendus. 10.
Quid in Imperio juris in eo, qui alterius subditos, colonos, inquilinos recipit? 11.
Is, apud quem fur latitat, eum postulatum ad supplicium prodere non tenetur. 12.

1 Extraordinarium etiam crimen est si quis latrones vel alios facinorosos receptaverit, et hospitio susceperit, nam sine his latere diu latrones non possent, *l.* 1. *ff. de receptator.* Prohibentur igitur omnes, ne facinorosos excipiant hospitio,
2 aut si in praediis eorum latitent, debent hoc Judici significare et eos exhibere, *leg.* 2. *princ.*
3 Si autem per se aut familiam judicis latrones exhibere non possint, imploreat manum mili-
4 tarem, *dict. leg.* 2. *princ.* Si autem ultro recipiant latrones, vel admoniti eos non exhibeant, dominus praedii, si praesens fuit, privandus est dominio praedii, si vero ipso absente recepti latrones, procuratores vel illi quibus praecipua praedii cura commendata est, deportabuntur, *dict. leg.* 2. §. *domini etiam etc. Damhoud. cap.* 136. *num.* 5. ubi dicit, poenam esse exilium et deportationem, quando scilicet a Superiore mo-
5 nitus ac jussus statim non tradit: Interdum etiam dispendio facultatum, vel supplicio corporali tales receptatores puniendi pro qualitate personae, *l.* 1. *h. t.* quando scilicet post delictum commissum tales recipiuntur, *Menoch. l.* 2.
6 *A. Q. c.* 319. *num.* 21. nisi receptatores essent cognati latronum, vel magis uxor, ubi poena mitiganda, vel plane remittenda, *l. ult. ff. de recept. Farin. quaest.* 115. *num.* 280. *Menoch. lib.* 2. *A. Q. casu* 218. *num.* 7. *et* 10. *Farin. quaest.* 133. *num.* 32. *Gail. lib.* 7. *de P. P. cap.* 10. *Carpzov. quaest.* 134. *num.* 48. *Damhoud. cap.* 136. *num.* 4. Imo si occultaverint 7
latrones, quod plus est quam hospitio excipere, et quasi societatem inierint cum eis, eosque adjuvent, simile cum latronibus supplicium expectent, *l.* 1. *h. tit. Menoch. dict. casu* 349. et hanc similitudinem supplicii recte, et post alios ad hoc genus receptatorum, qui simul societatem quandam iuierunt, restringit *Carpzov. quaest.* 134. *num.* 42. Merito enim mitius pu- 8
niuntur illi, qui tantum recipiunt latronem vel alterius criminis reum, non etiam societatem scelerum turpisque lucri cum eo contraxerunt, quam illi, qui societate scelerum contracta recipiunt, quos eadem poena affici aequum est, *Anton. Matth. tit.* 10. *cap.* 2. *num.* 1. *et* 2. *Farin. quaest.* 133. *num.* 4. *et* 90. sin autem familia ju- 9
dicis latrones alicubi receptos in potestatem suam redigere ob eorum multitudinem nequeat, debet implorari manus militaris a Tribuno proximo, qui etiam sub poena gravissima judici hoc denegare non debet. In aliis autem causis, et praesertim contra innocentes auxilium militare nemini praeberi debet. Multo minus a militibus dispendio debent affici provinciales sub poena gravissima, *leg.* 2. §. *fin. ff. h. tit.* praeterea damna debent restitui a tribunis vel primatibus numerorum *dict.* §. *fin.* Si vero ii, qui 10
ut latrones quaesiti fuerunt, reperiantur innocentes, accusator ut calumniator puniendus est, *dict. l.* 2. §. *si vero.* De receptatoribus facinorosorum prolixe agit *Farin. quaest.* 133. *c.* 1. 2. *et* 3. *Menoch. cas.* 348. *Coler. decis.* 141. *num.* 29. *Berlich. parte* 5. *concl.* 55. Quid in 11
Imperio juris sit in eum, qui recipit alterius subditos, colonos, inquilinos, de eo agitur *in art.* 128. *Constit. crim. et ibi Matth. Steph. et Remus, Ord. Cam. parte* 2. *tit.* 14. *Gail. de arestis imp. cap.* 8. *num.* 15. Sane si fur ad aedes 12
alicujus amici se conferat, non teneri prodere furem ad postulatum supplicium, tradit *Damhoud. cap.* 118. *num.* 5. Et *c. qui cum fure* 4. *X. de furtis* potest intelligi de eo casu quando dominus rei ablatae persequitur furem, ut suum recuperet; nam dominus aedium tenetur furem vel manifestare, vel eum admonere, ut res restituat. Aliud enim est ad poenam prodere, aliud offerre reum ad supplicium, a quo humanae naturae compatibilitas abhorret, nisi magistratus vel jubeat, vel persecutor petat reclusionem omnium conclavium, quod omnino permittendum per *Damhoud. d. t. num.* 6. aliud vero curare, ut suum cuique restituatur.

TITULUS XL.

De requirendis reis.

L. Cum absenti. 1.

SUMMARIA

Quomodo judex contra absentem criminis alicujus accusatum procedat? remissive. num. 1.
Quid juris circa reum absentem? 2. 3.
Jus Germanicum hac in parte. 4.
In Flandria contra absentes quomodo procedatur? 5.

1 Quomodo contra absentem criminis alicujus accusatum procedere judex debeat, apparet ex
2 traditis *supra ad l.* 6. *de accusat.* Nam si absens inter reos relatus (quid hoc sit vide *Cujac. lib.* 20. *obs.* 21. *et Farin. quaest.* 10. *num.* 89.) intimatur reo annotatio bonorum, et iterum reus citatur, ut se excuset a delicto, *Farin. quaest.*
3 44. *num.* 2. *Clarus* §. *fin. quaest.* 44. *num.* 2. Si autem reus bonis annotatis, sese intra annum praesentaverit, licet tunc decedat, Fisco nihil debetur, sed bona sua transfert ad haeredes suos, crimine siquidem extincto, *hic et l.* 1. *in fin. ff. eodem.* Vide *Farin. quaest.* 11. *num.* 2. Si autem post annum se sistat, non recuperat bona, licet quoad poenam personae infligendam se possit defendere perpetuo, *Aegid. Bossin. ti-*
4 *tul. de requirend. reis in princ.* Sed in Germanico Imperio bona quidem annotantur, sed non eo fine, ut confiscentur, sed ideo, ne quid ex bonis ad fugitivum transferatur et ita ejus fuga instruatur, per *articul. constit. Carol.* 206. et bona Fisco nunquam adquiruntur, nisi in crimine Majest. per *notiss. Authent. bona damnatorum C. de bonis proscriptorum*, et consuetudinem. In levioribus etiam delictis plane non est opus annotatione bonorum, *Gail. de articul.*
5 *Imperat. cap.* 1. *num.* 5. Quomodo in Flandria procedatur contra absentes, vide *Damhoud c.* 28.

L. Quicunque. 2.

SUMMARIA

Absentis bona notata si citatus intra annum non comparuit, confiscantur, et licet postea innocens reperiatur, apud Fiscum permanent. num. 1.
Ratio. 2.
Hoc consuetudine non approbatur. 3.

Quando absentis bona notata sunt, et ille in- 1
tra annum citatus non comparuerit, confiscantur bona, adeo ut licet postea innocens criminis reperiatur, nihilominus bona penes Fiscum permaneant, quia haec est poena contumaciae, 2
ergo licet ratione criminis intentati innocens sit, ratione tamen contumaciae innocens non est, quod tamen consuetudine non approbari 3
testatur *Farin. d. quaest.* 11. *num.* 3. Et praeterea esset hoc ad veram contumaciam restringendum.

L. In pecuniariis. ult.

SUMMARIA

Differentia inter judicia civilia et criminalia num. 1.
In criminalibus, qui argumentis, quae vel diluere non vult vel non potest, convictus contumax condemnatur, redditur infamis. 2.
Ampliatur. 3.
Falsum est, inquisitum condemnatum mitius esse puniendum, quam accusatione condemnatum. 4.

Hoc interest inter alia judicia civilia et cri- 1
minalia, quod in civilibus quis condemnatus ob contumaciam non reddatur infamis; quia magis ob contumaciam, quam ob causae merita, sententia prolata videtur, *l.* 55. *princip. ff. de*
evict. sed in criminalibus, si quis ut contumax 2
condemnetur, quod tamen fit non ob solam contumaciam, sed quia absens convictus est argumentis, quae diluere non vult, vel non potest, *Anton. Matth. tit.* 18. *cap.* 3. *num.* 8. *Christinaeus tit.* 4. *d.* 203. *num.* 11. redditur infamis. Vide *Freherum de infam. cap.* 8. *num.* 17. *et*
Hillig. in Donell. lib. 18. *cap.* 8. *lit. S.* Idque 3
indistincte verum est, sive per inquisitionem, sive per accusationem procedatur, cum pro ac-
cusatione sit inquisitio. Et falsum est, inquisitum 4
condemnatum mitius puniendum esse quam accusatione condemnatum, *Anton. Matth. tit.* 18. *cap.* 3. potest tamen ad relegationem absentis procedi, *leg.* 5. *princip. ff. de poenis*, *Clarus quaest.* 44. *num.* 2. *Farinac. dict. quaest.* 11. *num.* 1. *Gail. d. cap.* 1. *num* 5. *Cacher. decis.* 105. *Besold. consil.* 161. *num.* 18. *et* 22.

TITULUS XLI.

De quaestionibus.

LL. 1. 2. 6. 7. 12. 13. 14. et 15.

SUMMARIA

De quonam praesentes leges loquantur, et cur conjunguntur? num. 1.
Servi vel in proprium vel alterius caput licite torquentur. 2.
Restringitur. 3.
Ampliatur. 4.
Idem est, si de ipsius servi domino quaeratur. 5.
Ratio hujus. 6.
Limitatio. 7.
Contra dominum servus torqueri nequit. 8.
Exceptionis hujus ampliatio. 9. 10. 11. 12. 13. 14. 16.
Varia lectio. 15.
Ejusdem exceptionis limitatio. 17. 18. 19. 20.

1 *Leges hae* omnes de servorum tortura loquun-
tur, quas ideo, quia materia haec in praxi
infrequens, imo nunquam occurrit, conjun-
2 gere placuit. Regula est autem: Quod servi, vel
in proprium caput vel alterius licite torqueri
3 possint, per *tot. leg.* 1. *ff. h. tit.* si modo in-
dicia adsint, licet leviora, *Farinac. quaest.* 37.
4 *n.* 108. non tantum in criminalibus, sed etiam in
civilibus, v. g. si se quid commodasse dicant, vel
deposuisse, *leg.* 15. *h. t.* quia ob vilitatem per-
sonae citra torturam ipsis non creditur, si aliae
5 probationes desint, *leg. Divus ff. h. tit.* Idem
est, si de ipsius servi domino quaeratur, nam
et tunc servus de suo domino torquendus est,
6 *leg.* 12. *h. tit.* quia tunc nemo dominorum di-
cere potest: servus in dominum suum torqueri
non potest, sed ego sum dominus, quia ad-
7 sumptio est incerta et dubia. Quia tunc quasi
in re propria multo minus ipsi credendum est,
quam in aliena, nisi scilicet reus, a quo peti-
tur, cavisset alteri, se si succubuerit restitutu-
rum, nam tunc non poterit torqueri, quia in-
terim pro domino habetur, *leg.* 5. *§. fin. ff. h.*
8 *tit.* Sed contra dominum servus non potest tor-
queri, *l.* 1. *et* 7. *h. tit. et l.* 1. §.13. *et* 18. *ff.*
eodem, et *DD.* passim. Haec exceptio multis mo-
9 dis ampliatur in titulo nostro. Nam I. Neque pro
domino torqueri potest, nec pro domino pro-
duci, sive in civilibus, sive in criminalibus cau-
sis, quia esset testimonium domesticum, *leg.* 6.
10 *et* 7. *h. tit.* II. Neque contra eum, qui pro par-
te dominus est, per *leg.* 13. Pone enim: Te
mihi controversiam movere de haereditate pa-
tris mei, fateris quidem me esse haeredem, sed
non solum, te enim pro cohaerede geris; si me
haeredem esse plane negares, de haereditate
possent servi omnino torqueri, sed quia me pro
parte haeredem, atque sic etiam servi haeredi-
tarii dominum esse pro parte concedis, non
potest ille servus contra me, ut fatente adver-
sario pro parte dominum me esse, torqueri,
d. l. 13. III. Nec potest servus torqueri contra 11
dominum, cujus antea fuit servus, licet jam
ejus servus non sit, *l.* 14. *h. t.* ob vestigia re-
verentiae pristinae. IV. Nec contra tutores do- 12
mini sui pupilli, quia tutor est domini loco, *l.*
56. §. 4. *ff. de furtis*, vel contra matrem do-
mini sui, quia hoc negotium consequenter tan-
git dominum, *l.* 2. *h. t.* nisi tutor ipse actione
tutelae conveniatur, *d. l.* 2. nam hoc favore pu-
pilli est introductum, et tutor non est domini
loco, quando pupillum spoliat, *leg.* 7. §. 3. *ff.*
pro emptore. V. Idem est in liberto, ut nec 13
ille contra patronum torqueatur, *l.* 6. *h. t.* ob
reverentiam ei debitam. VI. In pecuniariis cau- 14
sis, etiamsi inopia sit probationum, non tamen
debet servus torqueri contra dominum, aut in-
terrogari, *l.* 1. *h. t.* Nam licet pro verbis, *nec* 15
inopia, Cujac. legat, *ex inopia*, *lib.* 2. *obs.* 33.
quam lectionem probat etiam *Menoch. lib.* 2.
A. Q. cas. 499. *num.* 62. constans tamen lectio
in contrarium, et *l. Divus ff. h. t.* de servis in
dominum torquendis in specie non agit. VII. Et 16
licet servi contra dominum de facto quid depo-
suerint, hoc tamen judex attendere non debet
in ferenda sententia, nisi aliae etiam probatio-
nes contra dominum concurrant, *l.* 1. *h. t.* Sed 17
limitatur illud, quod de servis contra dominum
non torquendis dictum, quod non habeat lo-
cum 1. in crimine adulterii, *l.* 1. *h. t. et l.* 5.
et 6. *princ. ff. h. t. leg.* 39. *ff. de adult.* - 2. Ma- 18
jestatis, *l.* 7. *et* 8. *ff. ad l. Jul. Majest.* - 3. In 19
causa tributorum et fraudati publici census,
leg. 1. *ff. et leg.* 1. *C. h. t.* - 4. In crimine par- 20
ricidii aut matricidii, *l. fin. supr. ad leg. Corn.*
de sicar. Farinac. q. 37. *num.* 107. Conf. *Carrer.*
in pr. crim. tr. 2. *de ind. et tort.* §. *circa tertium:*
Quae persona etc. num. 2. *Brunnus in tract. de*
ind. et tort. p. 2. *t.* 4.

L. Cum cognitionaliter. 3.

SUMMARIA

An ipsa mulier, infantem suum vel embryonem vel maritum extinxisse forte ab alienis illius facti consciis servis denunciata, torqueri possit? num. 1.
Restringitur. 2.
Tunc ad tormenta deveniendum est, quando veritas aliter indagari nequit. 3.
Ampliatur. 4.
Confessio per torturam sine praecedentibus indiciis elicita pro nulla habetur. 5.
Qualia indicia ad torturam injungendam sufficiant? 6.
Indiciorum copia prius reo detur, ut ea, si possit, dato termino ad se defendendum elidat. 7
Etiam non petenti. 8.
An unius testis adsertio sufficiat? 9.
Constitutio haec criminalis strictissime est intelligenda, et cur? 10.
Mulieres etiam torturae sunt subjiciendae, adeo

ut si mas et foemina ceu complices sint torquendi, a foemina initium fieri debeat. 11.
Ratio. 12.
Patre et filio complicibus, filius prius torturae subjiciendus. 13.

1 Mulier dicitur extinxisse infantem suum vel embryonem in utero existentem, vel etiam maritum. Alieni servi sunt conscii illius facti, qui etiam illud factum forte denunciarunt; Quaeritur: *An ipsa mulier torqueri debeat?* Respond.
2 Quod sic, si modo praecedant indicia veneficii verisimilia, et servi illi alieni prius torturae subjecti, *hic et l. fin. supr. ad leg. Corn. de sicar.* Nota
3 bene: Tunc ad tormenta deveniendum esse, quando veritas aliter indagari non potest, *l.* 12.
4 *h. t. Christin. vol.* 4. *dec.* 204. *num.* 2. et cum suspectus est reus, et ita aliis argumentis fere, non plene tamen convictus, ut sola servorum confessio desideraretur, *l.* 1. §. 1. *ff. h. t.* De indiciis vide *Zanger. de qu. c.* 3. *per tot. et alii.*
5 Nam sine praecedentibus indiciis tortura indici non potest, et confessio per torturam sine praecedentibus indiciis elicita est nulla, *Glossa sing. num. l. pen. ff. h. t. Damhoud. c.* 54. *num.* 48. *Farinac. q.* 37. *num.* 110. *Clarus quaest.* 55. *Zanger. d. c.* 3. *num.* 9. *Christin. d. dec.* 204.
6 *num.* 5. Oportet autem illa indicia esse graviora, urgentia, certa, clara et concludentia, *Fa-*
7 *rinac. q.* 37. *num.* 3. *et* 13. Et horum copia prius reo danda est, ut ea, si posset, eliderct dato termino, ad se defendendum, *Wesenb. in* ϖ. *h. t. num.* 1. *Zanger. d. tr. c.* 3. *Farinac. qu.*
8 38. *num.* 3. *et qu.* 39. etiam non petente reo, *Farinac. d. qu.* 49. *num.* 90. Sane per *Const.*
9 *Carol. art.* 30. sufficit unius testis adsertio, si ille omni exceptione major, et de ipso actu immediato testetur, vid. *Carpzov. qu.* 121. Sed prudentis judicis arbitrium hic non excludo, qui arbitrabitur, an sensus falli potuerit, et
10 praesertim haec Constitutio criminalis strictissime erit intelligenda, quia non tantum cum *l.* 20. *ff. h. t.* ubi ne quidem ob unum testem de ancilla haberi potest quaestio, sed etiam cum jure naturali et divino videtur pugnare. Vid. *Ant. Matth. tit.* 16. *cap.* 3. *num.* 9. Moneo igitur judices, ut cautissime hic agant. Colligitur
11 etiam ex *d. l.* 3. mulieres subjiciendas esse torturae, adeo ut si mas et foemina ceu complices simul torquendi sint, a foemina debeat fieri initium, *arg. l.* 1. §. 2. *et l.* 18. *ff. h. t. Zanger. cap.* 4. *num.* 27. *Carpzov. qu.* 121. *num.* 16. quia
12 hae molliores sunt. Idem si marito et uxori inferenda tortura, et ab hac fiat initium; et si
13 pater et filius torquendus, hic prius subjiciendus sit, *Damhoud. c.* 37. *num.* 15. *et seq.*

L. Sicuti. 4.

SUMMARIA

Facti species. num. 1.
An facinoroso socium suum capienti et judici praesentanti, si hic crimen fatetur et alterum socium esse affirmat, sit credendum? 2.
Confessio socii criminis, nisi quaedam concurrant, alteri non praejudicat. 3.
Quaenam, ut credatur inculpationi socii, sint necessaria? 4.

Facinorosus quidam latronem socium suum 1
capit, et praesentat judici, sed ille praesentatus latro fatetur delictum, sed alterum socium esse suum affirmat; Quaeritur: *An hoc creden-* 2
dum? Resp. quod non; nec interrogari debebit delinquens, nisi sit probabile, adhibitos socios fuisse, de quibus in genere interrogandus, *Damhoud. d. l. num.* 12. Sed si alia argumenta accedant, praesertim si probetur, alterum ob spem effugiendi poenam praesentasse illum judici, potest judex etiam priorem, qui alterum praesentavit, punire, *hic. et l.* 1. §. 26. *ff. eodem.* Nota bene: Confessionem socii criminis non 3
praejudicare alteri, nisi quaedam concurrant. Vid. *Constit. Carol. art.* 31. Nam hic non creditur convicto latroni, nisi probetur evidenter alios apprehendisse latrones eo fine, ut impunitatem sceleris consequeretur. In *dicto* autem 4
art. 31. sequentia requiruntur, ut credatur inculpationi socii, 1. ut fuerit generaliter, non specialiter super sociis interrogatus. 2. ut illa inculpatio non laboret praesumptione falsitatis ex inimicitia. 3. ut omnes circumstantiae videantur congruere; et 4. inculpata persona talis sit, in quam suspicio sceleris cadere possit; et demum 5. ut in confessione reus perseveret, Vid. *Carpzov. qu.* 121. *num.* 20. *et seqq.* et quos allegat *Zanger. cap.* 2. *num.* 57. *Farinac. qu.* 53. *num.* 3. *et seqq.* Et sic judex hic etiam valde cautus esse debet.

L. Nec si mors. 5.

SUMMARIUM

An occiso domino illi etiam servi, quibus libertas testamento relicta, pro eruenda veritate sint torquendi?

Fuit Titius occisus, quaeritur: *An et illi servi torquendi sint pro veritate eruenda, quibus libertas relicta testamento?* Resp. quod non, nisi participes sceleris praesumantur, *l.* 1. §. 5. *ff. ad Silan.* aut veritas aliter haberi non possit. Nam illi pro liberis jam habendi sunt.

L. Milites. 8.

SUMMARIA

An et quinam milites torqueri non possint? n. 1.
Quid juris hodie? 2.
A tortura incipiendum non est, sed requiruntur praecedentia et sufficientia. 3.
Quando veritas jam eruta, et convictus reus, licet neget, torturae locus non est 4.

Milites habent hoc privilegium, quod torque- 1
ri non possint, etiamsi non emeritis stipendiis, sed ex causa honesta tantum, sunt militia missi. Nam ignominiose missi hoc privilegium non habent; quod quidem in desuetudinem abiit, teste *Zanger. cap.* 1. *d. q. num.* 57. non facile tamen miles etiam torquendus, *Farinac. qu.* 41. *num.* 30. *et seq. et Zanger. d. l. num.* 58. *Carpzovius autem quaest.* 118. *num.* 74. consuetudinem illam allegatam a *Zangero* ad gregarios adstrinxit mi-

lites in explorando crimine atrociori, v. g. ho-
2 micidio. Hodie milites etiam non gregarii solent super suo crimine torqueri, *Wissenbach. in Pandect. num.* 6.
3 §. 1. A tortura non est incipiendum, sed requiruntur praecedentia et sufficientia indicia, *hic et l.* 20. *ff. eodem P. H. O. art.* 67. *et* 68. etc. Vid. *Carpzov. qu.* 120. *et seq.* et notata ad
4 *l.* 3. *supr. h. t.* Colligitur etiam ex *hac lege:* ubi dicitur investigandae veritatis causa torturae locum esse, quando veritas jam eruta est, et reus convictus, torturae non esse locum, licet neget adhuc reus, *Zanger. cap.* 1. *num.* 37. *Farinac. qu.* 38. *num.* 4. *Carpzov. quaest.* 119. *num.* 46. *Christinaeus vol.* 4. *dec.* 204. *num.* 16.

L. Super statu. 9.

SUMMARIUM

Quatenus ad tormenta servorum vel aliorum liberorum pridem servilium ac levium sit deveniendum?

In re pecuniaria non facile ad tormenta servorum deveniendum, nisi veritas aliter haberi non possit, *l.* 8. *et seq. ff. h. t.* Tunc enim persona servilis, aut libera quidem, sed levis et suspecta, concurrente 1. rei gravitate et magnitudine; 2. veritatis investigandae difficultate; et 3. personae levitate, ad torturam devenire potest etiam in civilibus, ut si talis persona thesaurum invenerit, et ipsius juramento ob sublestam fidem fides haberi non possit, *Carpzov. p.* 2. *jurispr. for. constit.* 53. *def.* 8. Sed quando causa ingenuitatis tractatur, et quis se pro ingenuo gerit, tunc necesse est quaerere veritatem per tormenta servorum; Ratio additur: *ne splendidae familiae sordidis hominibus polluantur.*

L. Cum testamentum. 10.

SUMMARIA

Casus legis. *num.* 1.
Quaestio inde deducta. 2.
Ratio dubitandi. 3.
Decidendi. 4.

1 Tu ex testamento adiisti haereditatem Titii, et servos nonnullos manumisisti; ego id testa-
2 mentum falsum esse arguo. Quaeritur: *An servi, praesertim ii, qui a te manumissi sunt, contra*
3 *te sint torquendi?* Vid. Quod non, ob regulam
4 in *l.* 1. Sed affirm. *hic*, quia quamdiu incertum est, ad quem bona pertineant, servi non torquentur in caput domini, licet contra te torqueantur, et ego nego esse dominum; Conferantur notata ad *l.* 1.

LL. 11. 16. et 17.

SUMMARIA

Quaedam personae ob dignitatem a plebejorum poenis et tormentis sunt immunes. num. 1.
Quaenam istae sint? 2.
An et quatenus etiam ad eorum liberos hoc extendatur? 3. 5.
Quid si nobilis avus, filius vero facinorosus, an dignitas avi prosit nepoti, an vero facinus patris eidem noceat? 4.
Judex subjiciens ejusmodi personas torturae quomodo puniatur? 6.
Excipiuntur quaedam crimina, ob quae etiam personae exceptae debito modo et moderatae torturae sunt subjiciendae. 7.
In Gallia et Belgio privilegia haec non observantur. 8.
Nisi quod graviora in eorum personis indicia requirantur. 9.

Quaedam personae ob dignitatem immunes 1
sunt a poenis plebejorum et a tormentis, ut viri clarissimi, eminentissimi, *l.* 11. *h. t.* et qui 2
in dignitate sunt, *l.* 4. *supr. ad leg. Jul. Majestat.* et nobiles, *d. l.* 4. decuriones, *l.* 16. *h. t. l.* 9. §. 11. *ff. de poenis*, hi quidem, etiam deposito officio, *l.* 17. *in fin. h. t.* quia pristinae dignitatis vestigium manere videtur; Vid. *Gomez. lib.* 3. *resol. c.* 13. *num.* 3. *Farinac. qu.* 41. *num.* 61. Et id non tantum in eorum, qui in dignitate 3
constituti sunt, personis locum habet, sed etiam in liberis usque ad pronepotes, *l.* 11. *h. t.* Sed quid si v. g. nobilis avus, filius vero facinoro- 4
sus v. g. latro, an dignitas avi prodest nepoti, an vero facinus patris eidem nocet? Prius videtur, per *l.* 7. *in fin. ff. de Senat.* Sed contrarium affirm. videtur in *l.* 11. *h. t.* ubi nulla violatio pudoris; nisi *hanc legem* de violato pu- 5
dore loquentem, de filio illegitime nato, vel de nepote post ademptam dignitatem concepto interpretari velimus. Judex autem si in dignita- 6
te constitutos quaestioni subjiciat, capitalem ferat sententiam, si in contumeliam ordinis exitiumque ejus tentaverit, *l.* 16. haec enim merces debetur labori, ob multorum munerum testimoniis commendatam devotionem, *l.* 17. *vel penult. h. t.* Sed excipiuntur nonnulla cri- 7
mina, ob quae etiam personae exceptae debito modo et moderatae torturae subjiciendae, v. g. in crimine laesae Majestatis, *l.* 3. *et* 4. *supr. ad leg. Jul. Majestat. l.* 16. *h. t.* crimine falsi, *l.* 21. *supr. ad leg. Cornel. de fals.* veneficio, *l.* 7. *supr. de maleficis*, proditione patriae, *l.* 3. §. 10. *et l.* 7. *ff. de re militari*, et quae nefanda dictu sunt, per *d. l.* 16. per quae detestabile scelus sodomiae intelligo, ut et adulterii. Conf. *Carpzov. qu.* 118. *num.* 65. *et seqq.* Et sane in Gallia, ac 8
Belgio haec privilegia non servari ex aliis tradit *Christin. d. d.* 201. *num.* 33. *et seqq.* nisi quod 9
graviora in eorum personis indicia requirantur; memini tamen talibus personis torturam cum consensu Principis dictari.

L. De tormentis. ult.

SUMMARIA

Servi de haereditatis quaestione torqueri possunt. num. 1.
Extenditur hoc etiam ad statu liberos, cum duplici tamen moderamine. 2.
Differentia inter torturam rei et testis. 3.
Tortura est res natura sua fragilis et quae saepe veritatem fallit. 4.

Periculosissime a multis erratur, qui sine peritiorum consilio rem hanc periculosissimam consensu juris divini destitutam aggrediuntur, et qui ex confessione convicti statim ad inferendam quaestionem occasionem sumunt. 5.

1 Quando de haereditate quaestio est, vel de rebus haereditariis, licet causa sit civilis, servi tamen torturae subjici possunt, et non tantum
2 servi, sed etiam quibus in testamento libertas relicta, seu statu liberi, verum cum duplici moderatione, 1. ut illi tantum servi torqueantur, qui res gerendas detinent, id est, qui administrarunt res haereditarias, de quibus controvertitur, nam alii scientiam harum rerum habere non praesumuntur; et ut 2. ille, qui petit servos torturae subjici juret se non calumniae
3 causa id petere. Hoc autem ex *Gloss. hic* interesse notat *Baldus* inter torturam rei et testis, quod in reo gravior, in teste levior requiratur tortura, et quod in hoc non requiratur perseverantia, sed in illo. Nam tortura est res sua 4
natura fragilis, et quae veritatem saepe fallat, *l.* 1. §. 23. *ff. h. t.* ergo necesse est, ut confessio rei per tormenta expressa cum aliis argumentis concurrat, et perseverantia rei accedat, *Clarus* §. *fin. qu.* 61. *num.* 40. *Gomez t.* 3. *c.* 13. *num.* 24. *et seqq. Carpzov. quaest.* 126. *num.* 17. *Ant. Matth. d. t.* 16. *c.* 4. *num.* 11. Sed de torturis plura apud *Zanger. Carpzov. Farinac.* et alios reperiuntur. Periculosissime hic erratur a 5
multis, praesertim qui sine consilio peritiorum rem hanc periculosissimam consensu juris divini destitutam aggrediuntur, et qui ex confessione convicti occasionem statim sumunt ad quaestionem inferendam. Summa diligentia et experientia hic opus est.

TITULUS XLIII.

De abolitionibus.

L. Praeses. 1.

SUMMARIA

Contra criminis abolitionem nemo impune ab accusatione desistere potest. num. 1.
A quonam judice abolitio petatur? et quomodo? 2.
Cui detur abolitio? 3.
Impetrata abolitione reus super iisdem criminibus accusari nequit. 4.
Limitatur. 5.

1 Contra abolitionem criminis nemo accusatorum ab accusatione impune desistere potest, *l.* 1. §. 10. *ff. ad SC. Turpil. l.* 16. §. 1. *supr. ad leg. Jul. de*
2 *adult.* petenda autem est abolitio a judice, qui de crimine cognoscere debuit causa cognita, ubi accusator allegat, se ex affectu, nimio errore, juvenili ardore ad accusationem prosiluisse, et judex attendere debet tempus, an intra 30. dies
3 petita fuerit abolitio; quo casu invito etiam reo abolitio danda est, si res integra, juxta *l.* 3. *h. t. Christin. d. vol.* 4. *decis.* 205. *num.* 3. et si
4 abolitio impetrata sit, super iisdem criminibus ab eodem accusatore reus accusari nequit, *hic*
5 *et l.* 4. §. *fin. ff. ad SCtum Turpil.* nisi accusator a Principe impetraverit abolitionem abolitionis; ut scilicet ei ad accusationem redire liceat, sed si decesserit accusator et accusatus obtinuerit abolitionem, quae legalis abolitio a lege concessa dicitur, ab alio intra 30. dies reus accusari potest, *l.* 3. §. *fin. ff. de accusat.*

L. Abolitio. 2.

SUMMARIA

Ob quam causam abolitionem impetrare liceat? num. 1.
Qua forma petenda? 2.
Quinam abolitionem petere possint? 3.

Hic quaeritur: 1. *Ob quam causam impetrare* 1
abolitionem liceat? Resp. Si accusator errore lapsus actionem instituerit, aut nimio calore iracundiae, vel inconsulto dolore, et poenitentia ductus, calumniae et SCti Turpilliani poenam evitare velit; illicita vero est petitio, quando pretio corruptus accusator abolitionem petit, vel etiam desistit: Nam judex nihilominus contra reum procedere potest per viam inquisitionis. 2. Quaeritur, *Qua forma petenda?* Resp. 2
quod ad eam rem partium praesentia opus sit, et causae cognitione, et petendum est non a Principe, sed judice, in cujus officio accusatio instituta, *hic et l.* 16. *supr. ad leg. Jul. de adult.* quod de speciali hac abolitione intelligendum, *Decian. lib.* 3. *c.* 35. *num.* 29. Quaeritur 3. *quinam* 3
abolitionem petere possint? Resp. non tantum illi, qui alienam, sed et qui suam injuriam vindicant, et qui suos etiam cognatos accusant. Et quidem his facilius indulgenda abolitio, quia non dolo, sed dolore adducti praesumuntur accusasse, *Baldus et Salyc. hic.*

L. Fallaciter. ult.

SUMMARIA

Causae quatuor, ob quas abolitionem nemo impetrare potest. num. 1.
Abolitionibus raro utimur, et hodie adgrationi Principis locus est. 2.

Non semper, qui petit abolitionem, eam im- 1
petrat, ideoque hic quatuor causae recensentur, quibus quis non debet, nec potest impetrare abolitionem. 1. Si fallaciter accusaverit, vel calumniose; nam manifestis calumniatoribus abolitio non conceditur, *hic et l.* 9. *infr. de calumniat. l.* 15. *ff. de jure Fisci.* Nam hi beneficio juris sunt indigni, sed hi tantum, qui sincera mente et amore justitiae actionem insti-

tuerint. 2. Non datur nisi rebus integris; nam si vel reus carcerem, vel tormenta passus est, vel homo ingenuus, licet plebejus, ob testimonii dictionem fuerit subjectus quaestioni, tunc sine rei vel testium tortorum consensu abolitionem impetrare accusator non debet: Nam hoc cum maxima fieret injuria aliorum, *Christin. d. l. num.* 2. et jus partis laesae judex remittere nequit, *Menoch. lib.* 1. *A. Q.* 96. *Farinac. qu.* 6. *num.* 6. *et* 8. *Covarr. lib.* 2. *resol. c.* 98. - 3. Non datur post 30. dies, nisi reus consentiat. 4. Sunt excepta quaedam delicta, in quibus peti non potest, ut in Majestatis crimine, proditionis vel oppugnationis patriae, peculatu, sacramento militiae deserto, et falso, *Damhoud. cap.* 148. *num.* 12. Sed abolitionibus raro utimur, cum 2
hodie adgrationi Principis locus sit, de quo infra.

TITULUS XLIII.

De generali abolitione.

L. Qui. 1.

SUMMARIA

Generalis abolitio quid sit? num. 1.
An, qui forte vim publicam passus est, post festum publicum accusationem repetere possit? 2.
Discrimen inter abolitionem privatam et publicam. 3.
Nonnullorum *sententia notatur.* 4.
Sententia Auctoris. 5.

1 Generalis abolitio est, quando accusationes reorum generaliter ob publicam laetitiam, vel honorem domus divinae, *l.* 12. *ff. ad SCtum Turpil.* vel domus Caesaris, *l.* 7. *C. de SS. Ecclesiis*, vel ob rem prospere gestam, *l.* 8. *et seq. ff. ad Turpil.* abolentur; Quaeritur ergo,
2 qui forte vim publicam passus erat, *An post illud festum publicum repetere accusationem possit?* Affirm. si intra 30. dies a fine feriarum
3 computandos hoc faciat. Est ergo hoc discrimen inter privatam et publicam abolitionem, quod hic datur repetitio, illic non, per *l.* 3. *tit. praeced.* quia illic sponte deseruit actionem, hic coacte. Conf. *Decianus d. lib.* 3. *cap.* 35. *num.* 1.
4 *et seq.* Et merito absurdam vocat *Gomezii* et *Aliorum* sententiam *Ant. Matth. t.* 19. *c.* 6. *num.* 1. qui statuunt, novo judicio post illos 30. dies alium accusare posse; quid enim aliud est ex integro repetere accusationem, quam de no-
5 vo agere? Sed hoc non absurdum putaverim licere Magistratui per inquisitionem ex officio de crimine, etiam post illos 30. dies, procedere, de quo *Clarus* §. *fin. quaest.* 51. *num.* 11. Quae autem crimina ab abolitione generali excipiantur, Vid. *l.* 3. *supr. C. de Episcop. audient.*

L. Cum eo tempore. 2.

SUMMARIA

Facti species. num. 1.
An feriis intervenientibus crimina post 30. *dies adhuc accusari possint?* 2.
Abolitio ad praesentes accusationes, non futuras, porrigitur. 3.

Volebam te accusare crastino die, sed prae- 1
ter opinionem ob laetitiam publicam abolentur crimina, tum finitis feriis post 30. dies te accusare volo. Tu objicis praescriptionem 30. dierum lapsorum, Quaeritur: *quid juris?* Resp. illam 2
praescriptionem objici non posse: Nam abolitio 3
ad praesentes accusationes, non futuras, porrigitur. Ergo nondum instituta accusatio etiam post dies 30. a tempore feriarum lapsos, potest institui. Et sic illa praescriptio 30. dierum non a comminata, sed ab intentata accusatione currere incipit, *Joan. Aloys. Ricc. Coll. decis.* 475.

L. Indulgentia. ult.

SUMMARIA

Indulgentia et remissione poenae non statim etiam infamia tollitur. num. 1. 4.
Aliud est in plena restitutione in integrum, quae etiam infamiam tollit. 2.
Fama omnibus bonis est praeferenda. 3.
Quibus verbis Princeps poenam indulsisse, et quibus reum plene restituere videatur, remissive. 5.

Alia est indulgentia poenae, qua quidem poe- 1
na remittitur, infamia non tollitur, ut *hic et l.* 7. *infr. de sentent. pass. et restit.* Alia est 2
restitutio in integrum plena, quae etiam infamiam tollit, *l.* 1. §. *pen. ff. de postuland.* Prioris rationem exponit *Sfortia Oddus de restit. p.* 2. *qu.* 91. *art.* 4. quia fama omnibus bonis 3
est praeferenda, *l. isti quidem ff. quod metus causa.* Sed bona non recuperantur per simpli- 4
cem indulgentiam, ergo nec fama, *Farinac. q.* 6. *num.* 15. §. *et quia in materia etc.* Quibus 5
autem verbis Princeps poenam indulsisse, quibus plene restituisse reum videatur, de eo *Sfortia Oddus p.* 2. *qu.* 93.

TITULUS XLIV.

Ut intra certum tempus criminalis quaestio terminetur.

SUMMARIA

Quasnam et quot dilationes judex partibus concedat? num. 1.
Judicis officium, si accusator cessaverit. 2.
Nulla lis criminalis ultra biennium a tempore litis contestatae numerandum extendi potest. 3.
Si extenditur, post hunc lapsum reus ab instantia est absolvendus. 4.
Quomodo accusator hoc casu puniendus? 5. 6.
Hoc biennium quatenus etiam in inquisitione sit observandum? 7.
Jus hodiernum. 8. 10.
Hodie haec salubris constitutio in desuetudinem abiit. 9.

1 Judex necessarias dilationes partibus concedat, *l.* 2. *h. t.* reo tres, accusatori duas, *l. fin. ff.*
2 *de feriis.* Si autem cessaverit accusator, potest ipsum urgere Judex, et certum tempus praescribere, intra quod accusationem prosequatur, quod si negligat accusator, extraordinarie pu-
3 nitur, *l.* 3. *supr. qui accusare non poss.* Sed si Judex non praescribat tempus brevius, ultra tamen biennium, a tempore litis contestatae numerandum, nulla lis criminalis extendi po-
4 test, sed tum post lapsum biennii reus est absolvendus, scilicet ab instantia, non a crimine, *DD. hic*, et *Ant. Matth. ad l.* 48. *tit.* 19. *cap.*
5 6. *in fine.* Accusator vero mulctandus quarta parte bonorum et infamis fit, *l.* 1. *h. t.* quae propterea *d. l.* 3. non contradicit; Nam hic agitur de eo, qui non tantum distulit accusationem coeptam prosequi, sed etiam in ea negligentia perseveravit usque ad lapsum biennii, nam talis habetur pro eo, ac si destitisset. Si 6
vero sit persona vilis, quae non solet curare infamiam, etiam relegatione plectitur, *l.* 2. *h. t.*
Et hoc biennium etiam in inquisitione obser- 7
vandum esse docet *Trentac. lib.* 2 *tit. de judic. resol.* 4. *num.* 6. *Vinc. de Franchis decis.* 250. *Capyc. decis.* 260. nisi scilicet intra biennium partium consensu sit impetrata abolitio, *l.* 3. *h. t. et l. fin. supr. de abolit.* aut per Judicem steterit, quo minus intra biennium causa finiretur, tunc enim mora haec Judicis non nocet actori, sed Judici 20. libris auri mulctando, per *l. fin. h. t.* Sed *Cujacius* annum statuit, si reus in vinculis sit, ex *l. fin. supr. de custodia reorum.* Sed quia *illa lex* auctoritatem juris 8
in foro non obtinet, merito biennium indistincte statuitur ab *Ant. Matth. d. t.* 19. *c.* 6. *in fin.* Sed salubris haec constitutio in desuetudi- 9
nem abiit, ut et aliae nonnullae leges, *Steph. Nathan. de just. vuln. p.* 2. *tit.* 2. *cap.* 3. *Hilliger. in Donell. lib.* 26. *cap.* 2. *lit. Q.* Nam quae- 10
dam judicia criminalia in multos annos extenduntur, praesertim quando a Fisco accusantur; quaedam vero paucis diebus absolvuntur a judicibus festinantibus, qui a tortura incipiunt ordinarium judicium.

TITULUS XLV.

Ad SCtum Turpillianum.

L. Is. demum. I.

SUMMARIA

Accusatorum temeritas triplex. num. 1.
Tergiversari quid sit? et ejus poena. 2.
Quinam incidat in SCti Turpilliani poenam? 3.
Duo requisita. 4.
Qui, causa criminis nondum ordinata, licet libello Principi dato, accusationem minatus est, contra SCtum hoc non agit. 5.
Objectio removetur. 6.

1 Accusatorum temeritas triplex est, vel enim calumniantur, vel praevaricantur, vel tergiver-
2 santur. Tergiversari autem, de quo hoc loco, est ab accusatione desistere sine abolitione, quod non licebat sine poena talionis, *Farin. q.* 16. *num.*
3 2. *Ant. Matth. tit.* 17. *c.* 3. *num.* 1. In Turpilliani SCti poenam autem ille demum incidit, qui cum publicum delictum, non privatum (in privatis tamen extra ordinem punitur, *l.* 3. *et l.* 7. §. 1. *ff. h. t.*), detulisset, et se inscripsisset, et fidejussorem de persequenda lite praestitisset, et reum custodiae dari curasset, ab accusatione desistit citra abolitionem, *hic et l.* 1. §. 7. *et* §. 10. *ff. h. t.* et per *tot. tit.* Collige ex *h. l.* duo 4
requisita, ut quis incidat in SCtum Turpill. I. Ut desistat ab accusatione in crimine publico. II. Ut id fiat inchoato jam judicio, et praestitis solemnibus. Nam qui causa criminis non- 5
dum ordinata, licet libello Principi dato, accusationem minatus est, non agit contra SC. Turpill. Nec obstat *tit. Cod. quando libellus Prin-* 6
cipi datus etc. nam is de civilibus loquitur, *Coll. Arg. in tit. de SC. Turpill.* §. 4. cui addunt tertium: Ut id fiat in eo crimine, propter quod non irrogatur ultimum supplicium, *Treutl. v.* 2. *d.* 31. *th. ult. lit. F.* et ibi *Bacchov.* in verbis destitisse dicitur, scilicet si transigat cum accusato, et jam si sine transactione desistat, etiam in capitalibus poenis SCtum Turpill. locum habet.

L. Si pro eo. 2.

SUMMARIA

Facti species. num. 1.
An fidejussor accusatoris supra illam summam promissam ad poenam accusatori debitam conveniri possit? 2.
Quid si fidejussor summam promissam solverit, an accusatori poena SCti Turpilliani possit infligi? 3.
Ratio dubitandi. 4.
Decidendi. 5.
Accusator de persequenda lite fidejussorem praestare tenetur. 6.
Tergiversans vel desistens accusator extra ordinem punitur. 7.
Hodie SCti Turpilliani usus est exiguus. 8.

1 Ego pro accusatore fidejussi de lite persequenda hoc modo, nisi ille litem persequatur, me soluturum 100. destitit accusator, et convenior.
2 Quaeritur: 1. *An supra illam summam promissam conveniri possim ad poenam accusatori debitam?* Et Resp. quod non, quia stipulatio est stricti juris, et poenae suos tenent auctores,
3 *l.* 2. *infr. de poenis.* Sed *quid si illa centum solverim, anne accusatori potest poena SCti Turpilliani infligi?* sc. infamia et poena extraor-
4 dinaria seu arbitraria? Videtur quod non, quia
5 solvente fidejussore liberatur reus. Sed affirm. hic, quia fidejussor non ratione poenae calumniae, sed de persequenda lite tantum fidejussit, ergo quisque solvit, quod debet, et unius poena alium non liberat. Collige ex *hac*
6 *lege secunda:* Accusatorem teneri praestare fidejussorem de persequenda lite, *Hering. de fidejuss. c.* 5. *num.* 245. *et multis seqq.* et poenam a fidejussore solutam non tamen liberare
7 accusatorem temerarium. Collige etiam: Accusatorem desistentem vel tergiversantem extra ordinem puniri, licet olim etiam poena fuerit ordinaria, scil. 5. librarum auri, *l.* 3. §. *fin. ff.*
8 *de prevaricat.* Sed hodie vix reperietur usus SC. Turpilliani, quamvis ob id desuetudine abolitum dici non possit.

L. Quamvis. 3.

SUMMARIA

Facti species. num. 1.
Semel impetrata abolitio in criminalibus praetextu non servati pacti rescindi nequit. 2.

1 Accusavi te ob crimen, sed destiti, atque abolitionem impetravi: Sed hac conditione destiti, ut mihi numerares annua decem. His a te non praestitis, quaeritur: *An pristinam actionem contra te instituere possim?* Videtur quod sic, *arg. l.* 19. *et* 28. *supr. de transact.* Sed hic negatur; Quia in civilibus id quidem procedit, 2
sed non in criminalibus, ubi semel impetrata abolitio, praetextu non servati pacti, rescindi non potest.

L. Si is. 4.

SUMMARIUM

Ampliatio regulae praecedentis.

Qui semel destitit ab accusatione, reum amplius accusare nequit, sive destiterit impetrata abolitione, *l.* 4. §. 1. *ff. h. t.* sive nuda contestatione, se amplius non persecuturum accusationem, *l.* 6. *supr. qui accusare etc.* vel si facto ipso animum deserendae accusationis satis declaravit. 1

L. Si foemina. 5.

SUMMARIA

Foemina si suam suorumque injuriam persequitur, accusari potest. num. 1.
An ab accusatione coepta desistens poenam hujus SCti incurrat? 2.

Foemina accusari potest, si suam suorumque 1
injuriam persequatur. Sed *quid si hoc casu a* 2
coepta accusatione desistat, anne SCti Turpilliani poenam incurret, scilicet mulctam 5. *librarum auri? l.* 3. §. *fin. ff.* de praevaricat. Resp. omnino, facultate enim accusandi concessa, eam ad finem usque persequi debet. Sed *hanc legem* de muliere ob pretium acceptum desistente communiter intelligunt, ne pugnet cum *l.* 1. §. 10. *et l.* 4. *ff. h. t.* Vid. *Bacchov. in not. ad π. Wesenb. h. t. Pacius cent.* 7. *cap.* 69. *Cujac. l.* 20. *obs.* 8. *Raesius ad h. t. in Pand. num.* 8.

L. In executionibus. ult.

SUMMARIA

Casus legis. *num.* 1.
An impedimentis detentus, ut uno continuo actu accusationem ad finem perducere non potuerit, poenam SCti mereatur? 2.

Lucius accusaverat Titium, sed impedimentis 1
detentus non potuit accusationem continuo actu ad finem perducere, sed aliquamdiu tacuit.
Quaeritur: *An ille Lucius poenam SCti Turpilliani incurrerit?* Resp. quod non; Nam ille non 2
destitit, qui aliquandiu cessavit, sed qui animum accusandi in totum deposuit, *l.* 6. §. 1. *et l.* 13. *pr. ff. h. t.*

TITULUS XLVI.

De calumniatoribus.

L. Calumnia. 1. et L. Qui non. 3.

SUMMARIA

Facti species. num. 1.
An reus accusatus, sed absolutus accusatorem de calumnia accusare possit? 2.
Qui in accusatione non probat, non statim calumniari videtur, nisi aliae accedant conjecturae. 3.
Discrimen inter actionem de calumnia et injuriarum. 4.
Pendente appellatione accusator de calumnia et falsitate accusari potest. 5.

1 Accusaverat Titius Cajum, Cajus fuit absolutus. Postea Cajus Titium vult de calumnia ac-
2 cusare, Quaeritur: *An possit?* Resp. Quod non; nam debuisset statim accusatus conqueri de calumnia et petere, ut in ipsa sententia de calumnia accusatoris pronuncietur. Si igitur Judex non dixit, *Calumniaris*, sed tantum absolvit reum, non potest de calumnia agere accu-
3 satus contra accusatorem; non enim statim calumniari videtur, qui non probat, *l.* 1. §. 3. *ff. ad SC. Turpill. et l.* 3. *h. t.* nisi aliae conjecturae accedant; sed Judex debet inquirere, qua mente inductus accusator ad accusationem processerit, *d.* §. 3. *et l.* 15. *pr. ff. de jur. Fisci.* Et
4 sic colligitur ex *hac l.* 1. discrimen inter actionem de calumnia, et injuriarum. Haec quando ex ipsa actione fluit, non nisi finita accusatione, matre sua, intenditur, per *l. si quidem C. de injur.* Sed illa una cum causa principalis
5 ventilatur; nam pendente appellatione accusator de calumnia et falsitate accusari potest, *Clarus* §. *fin. qu.* 14. et quos refert et sequitur *Farin. q.* 16. *num.* 30. causa autem principali finita intendi non potest, per *hanc l.* 1. *et l.* 10. *ff. de publ. judic. Far. qu.* 16. *num.* 38. *Ant. Matth. tit.* 17. *cap.* 3. *num.* 2. Sed hoc *DD.* de officio Judicis mercenario intelligunt, et putant, etiam absoluto reo judicem officio nobili implorato posse novo processu de calumnia quaerere, per *l.* 1. §. 3. *ff. ad SC. Turpillian. Clarus* §. *fin. qu.* 62. *num.* 9. *Farin. d. l.*

L. Mater. 2. et L. Calumniae. 4.

SUMMARIA

Nec qui intentatum crimen non probat, calumniator erit. num. 1.
Exemplo declaratur. 2.
Restringitur regula. 3.
Praesumpta calumnia quaenam vocetur? 4. 6.
Objectio diluitur. 5.
Verae calumniae exemplum. 7.
Ex vera calumnia etiam Fisci procuratores tenentur. 8.
An si actio de calumnia locum non habeat, injuriarum actio tamen obtineat? 9.

Etiamsi quis non probaverit crimen intentatum, 1
non tamen statim calumniator erit; nonnulli enim compelluntur officii ratione, *Farin. q.* 16. *num.* 52. *et Men. l.* 2. *A. Q. casu* 321. *num.* 21. Sic enim haeres a praesumpta calumnia excu- 2
satur, vindicans necem defuncti, *l.* 2. *h. t.* sic etiam filius excusatur vindicans mortem parentis, *l.* 4. *h. t.* idem in marito accusante ob mortem uxoris, *Farin. quaest.* 16. *num.* 56. vel si quis suorum injuriam persequatur, *Wesenb. in* ϖ. *h. t. num.* 3. *Farin. d. qu.* 16. *num.* 56. vel quis ratione officii teneatur accusare, *Farin. d. l. num.* 52. *Menoch. lib.* 2. *casu* 321. *num.* 21. *et seqq.* Sic excusatur etiam, qui a testibus persuasus accusavit, *Farin. qu.* 16. *num.* 49. *Men. l.* 2. *A. Q. d. cas.* 321. *num.* 19. vel si a personis fide dignis audivit, *Farin. d. l. num.* 50. *et* 61. *Men. num.* 29. vel si defunctus hunc nominaverit, *Men. num.* 60. vel si testes ob qualitatem personae rejecti, *Farin. num.* 62. Sed 3
haec omnia de praesumpta calumnia intelligenda esse tradunt communiter *Doctores*, quos citat *Clarus d. qu.* 62. *num.* 6. *Farinac. d. qu.* 16. *num.* 2. praesumptam autem calumniam eam 4
vocant, quando quis non probat crimen objectum; Sed videtur obstare *l.* 3. *h. t.* ubi dici- 5
tur, ex eo quod aliquis non probat, non praesumi calumniam. Verum respondetur, calu- 6
mniam praesumptam non esse statim, si quis non probet, sed si quis non probet, et nec ratione officii adstrictus sit ad accusandum, nec probabilem causam habeat; vel dicendum, praesumi calumniam; vel dicendum, eam praesumptionem per justam causam adductam dilui. Ideoque dandum est accusatori aliquod temporis spatium, ut si possit, diluat praesumptionem calumniae, *Mascardus de probat. concl.* 253. *num.* 41. *et Mevius ad jus Lubec. l.* 1. *tit.* 4. *art.* 1. *num.* 4. *et seqq. Farin. d. q.* 16. *num.* 3. 9. et quos retuli ad *l.* 1. *ff. ad SC. Turpill. num.* 4. sed vera calumnia est, quae ita est evidens, 7
ut de ea dubitare nemo possit, v. gr. si probetur, pecuniam datam esse, vel si confessa est. Vid. *Ant. Matth. d. t.* 17. *n.* 6. ex qua etiam Fi- 8
sci procuratores tenentur, per *l. univers. C. ubi causae fiscales etc. Farin. q.* 16. *n.* 20. Quaeri- 9
tur autem, *An si actio de calumnia locum non habeat, injuriarum actio locum habeat?* Quod affirmat *Alex. cons.* 11. *num.* 4. *vol.* 1. *et Menoch. lib.* 2. *A. Q. casu* 321. *num.* 33. Sed hos merito refutat *Farin. d. qu.* 16. *num.* 67. *et seqq.* quia nec injuria sine dolo committitur. Sane a restitutione expensarum non excusabitur, quia temere movit litem.

L. Qui calumniatores. 5.

SUMMARIA

Facti species. num. 1.
Calumniator in criminibus publicis ad supplicii similitudinem tenetur. 2.
In privatis delictis officio judicis tantum punitur. 3.
Calumniatores quomodo hodie puniri soleant? 4.

1 Caesius in servitutem vindicatus erat, sed est absolutus, quoniam igitur calumniator tenetur ad similitudinem supplicii, ideoque petit accu-
2 satorem servum declarari. Sed Resp. Calumniatorem teneri ad similitudinem supplicii in criminibus publicis, *l. fin. supr. de accusat.* Sed
3 in privatis delictis officio judicis tantum punitur, *l.* 3. *et* 7. §. 1. *ff. ad SC. Turpill. Christin. vol.* 4. *dec.* 205. *num.* 10. *Menoch. lib.* 2. *cas.* 322. *num.* 2. *Farinac. qu.* 16. *num.* 5. Sed hodie
4 calumniatores tenentur arbitraria et non poena talionis, ne homines ab accusationibus plane repellerentur, sicut de generali consuetudine testantur *Doctores* magno numero allegati a *Farinac. q.* 16. *num.* 3. *et Menoch. lib.* 2. *A. Q. cas.* 322. *num.* 3.

L. Dominis. 6.

SUMMARIA

Servum alterius torqueri petens si postea per calumniam appareat, ad duplum damni per torturam dati domino servi tenetur. num. 1.
Objectio tacita removetur. 2.
Praeter hanc dupli poenam etiam calumniatorum poena locum habet. 3.

1 Quicunque petit torqueri servum aliquem, et si postea appareat, per calumniam id esse petitum, tenetur ad duplum damni, domino ejus
2 servi per torturam dati. Quamvis autem calumniator alias etiam in civilibus teneatur ad interesse et damna, et pariter in criminalibus per allegata *Farinac. d. q.* 16. *num.* 8. in hoc tamen casu ubi servus (non minus ad imaginem Dei creatus, quam ingenuus) torturae immerito subjectus, ad aestimationem damni atque interesse condemnatur justissime, et nihilominus ob calumniam punitur calumniator, per *l. fin. ff. de calumniat.* Nam *haec l.* 6. damnum rei familiaris persequitur, *illa l. fin.* vero interesse
3 publicum, et ideo praeter hanc poenam dupli etiam poena calumniatorum locum habet, *Delrio ad l. transigere num.* 142. *C. de transact.*

L. Non prius. 7.

SUMMARIA

Quatenus judex reum abducere, et carceri mancipare possit? num. 1.
Calumniator arbitrarie punitur. 2.

Judex non debet jubere, ut reus abducatur, 1
vel carceri mancipetur, nisi prius accusator ad poenam se inscripserit, et calumniantem poena eadem manet, quae maneret reum, si crimen probatum. Sed hodie calumniator arbi- 2
trarie punitur. Vid. *l. fin. supr. de accusat. et leg. praeced.*

L. Nostris. 8.

SUMMARIA

An ille, qui instinctu alieno accusavit, infamiam evitare possit? num. 1.
Objectio diluitur. 2.

Quidam alterius mandato et instinctu me ac- 1
cusavit; absolvor, et pronunciatur ille calumniator, *An ille infamiam evitare possit, si dicat, se instinctu alieno accusasse?* Resp. Quod non, nam submissus accusator similiter eodem SCto Turpilliano plectitur, quod ministerium alieni timoris susceperit, si non ex verbis, saltem ex sententia SCti, per *l.* 1. §. *pen. ff. ad SC. Turpill.* Cui non obstat *l.* 20. *ff. de his qui not. infam.* 2
ubi dicitur, non notari infamia instigatorem. Resp. *Ant. Matth. in tr. crim. in proleg. c.* 1. *num.* 10. *et in lib.* 48. *tit.* 17. *cap.* 3. *num.* 4. verbis quidem SCti non notari, sed tamen sententia legis. Fateor duriorem hanc esse interpretationem, sed nec altera uterer, quae distinguit inter tempora Papiniani et JCti Martiani. Verum amplector potius communem sententiam, quod *d. l.* 20. de sententia interlocutoria sit intelligenda. Vid. *Bacchov. in Treutl. vol.* 1. *d.* 8. *th.* 6. *lit. S. Hillig. in Donell. lib.* 18. *cap.* 8. *lit. X.*

L. Fallaciter. 9.

SUMMARIUM

Calumnioso accusatori nec generalis nec specialis abolitio, nec indulgentia Principis; nec ullum prodest privilegium.

Calumnioso accusatori, maxime si reus custodiae mancipatus, non prodest generalis abolitio, nec specialis, nec indulgentia Principis, nec ullum privilegium, *t. t. Cod. si contra jus vel util. publ. Perez ad hunc tit. num.* 7. Conf. *Cothman. ad tit. de juris et facti ignor. num.* 51.

L. Quisquis. ult.

SUMMARIUM

Poena calumniae est similitudo supplicii, hodie arbitraria.

Poena calumniae est similitudo supplicii, *l. ult. supr. de accusat.* hodie arbitraria, de qua re vid. *Menoch. lib.* 2. *A. Q. cas.* 321. *et seq. Tholos. lib.* 32. *c.* 20. *Simon. Pistor. cons.* 2. *et* 5. *Lucas de Penna in l.* 6. *C. de jure Fisci*, et alii.

TITULUS XLVII.

De poenis.

L. Etiam. 1.

SUMMARIA

Poenae capitales duplices. num. 1.
Differentia inter damnationem ad opus publicum, damnationem in metallum, et deportationem. 2. 4.
Inter metallum et opus metalli nihil interest, nisi vincula. 3.

1 Poenae capitales sunt duplices, aliae irrogantes mortem naturalem, ut furca, vivicomburium, rota, suffocatio in aqua, et amputatio capitis: aliae mortem civilem, ut damnatio in metallum, et deportatio in insulam, item damnatio in opus publicum, quae poenae non
2 dissimiles vocantur, licet inter damnationem ad opus publicum, et damnationem in metallum, et deportationem ratione vinculorum multum
3 intersit, *l.* 8. §. 6. *ff. h. t.* Nihil enim interest inter metallum et opus metalli, nisi vincula, quibus gravioribus in metallum, levioribus in opus metalli damnati puniuntur, unde et refugae ex opere metalli in metallum dantur, *d. l.* 8. §. 4. *et* 6. *ff. de poenis, Ant. Matth. tit.* 18. *cap.* 1.
4 *num.* 4. Sed et differentia est inter damnationem in metallum, et in opus publicum; nam illud adimit libertatem, hoc tantum civitatem, *l.* 17. *ff. h. t. Ant. Matth. d. l.*

L. Procurator. 2.

SUMMARIA

Procurator Caesaris inter Fiscum et privatum tantum judicat. num. 1.
Quid si inter privatos de criminalibus cognoverit? 2.
Poena ab incompetente judice lata ipso jure nulla est. 3.

1 Procurator Caesaris judicat inter Fiscum et privatum, sed inter privatos non potest cogno-
2 scere, *l.* 1. *supr. de pedan. jud.* Ergo si inter privatos in criminalibus judicaverit, et aliquem deportaverit, nullum est judicium, nisi vice
3 Praesidis judicet, *d. l.* 1. Nota bene: Poenam ab incompetente judice latam ipso jure nullam esse.

L. Decurionem. 3. et L. Si matrem. 9.

SUMMARIUM

Decurionum privilegium.

Decurionum hoc erat privilegium, quod ipsi et eorum liberi in opus publicum damnari non possent.

L. Si ante. 4.

SUMMARIA

An filius ex damnata in metallum matre natus sit servus? num. 1.
Ratio decidendi. 2.

Ex damnata in metallum matre natus filius 1
servus est, *l.* 24. §. 6. *ff. de fideicomm. libert.* nisi ante condemnationem conceptus esset, quia 2
qui in utero est, si de commodo ejus quaeratur, pro jam nato habetur, *l.* 7. *ff. de statu hominum.* Et ita *l. Imperator* 18. *ff. de. statu hominum* hic exceptionem patitur in poenis, quae infantulo non nocent, quales sunt relegatio, deportatio et simil.

L. Honor. 5.

SUMMARIUM

Liberorum primi gradus veteranorum privilegium.

Veteranorum liberi primi gradus, ut et ipsi veterani, nec in metallum damnantur, nec in opus publicum, nec ad bestias, *hic et l.* 3. *ff. de veteran.*

L. Incredibile est. 6.

SUMMARIA

Liber homo ad perpetuum carcerem condemnari nequit. num. 1.
Aliud jure Can. et consuetudinario. 2.
Perpetuus carcer morti ultimoque supplicio aequiparatur. 3.

Liber homo ad perpetuum carcerem conde- 1
mnari non potest, nam jure civili haec poena est incognita, unde incredibile hoc loco vocat Imper. licet jure Canonico recepta, *c. quamvis de poenis lib.* 6. Sed jure consuetudinario poena car- 2
ceris est recepta, *arg. art.* 101. *P. H. O.* Et sic poena carceris monastici, scholastici, civici, est poena, imo perpetuus carcer poena corpo- 2
lis est; imo etiam poena temporalis carceris, si hic squalidus sit, erit corporalis poena, *Ant. Matth. t.* 20. *c.* 3. *n. fin.* et morti ultimoque supplicio aequiparatur, *Carpzov. p.* 4. *constit.* 9. *def.* 6. *num.* 7. *et* 8.

L. Impunitas. 7.

SUMMARIA

An et quatenus aetas impunitatem tribuat? n. 1.
Impuberes doli capaces poena extraordinaria plectuntur. 2.
An minores mitigationem in delictis, quorum poena est ordinaria, habere debeant? 3. 5.
Communis opinio. 4.

1 Aetas non tribuit impunitatem, nisi talis sit, ut ob defectum judicii non cadat poena in il-
2 lam aetatem, v. g. si infans sit; Impuberes vero doli capaces poena extraordinaria plectuntur, *Carpzov. part.* 3. *pract. crim. qu.* 143. *num.* 61.
3 *et seq.* Minores vero non habent regulariter mitigationem in delictis, quae poenam habent
4 ordinariam, *Carpzov. d. l. num.* 64. *et seq.* licet *DD.* communiter contra nitantur, praecipue *Menoch. lib.* 2. *A. Q. cas.* 329. *Farinac. q.* 92. *num.* 41. *et seqq. Tiraq. de poenis temp. caus.* 7. qui omnes de impuberibus etiam agunt. Quam-
5 vis autem hic non negetur moderatio poenarum in minorenni aetate, sed tantum impunitas, nusquam tamen in jure habetur, minoribus ordinariam poenam remittendam esse, licet in extraordinariis moveri judex possit. Conf. *art.* 164. *Constitut. crim.*

L. Deportatorum. 8.

SUMMARIA

Deportatus amittit civitatem et bona. num. 1.
Non relegatus ad tempus. 2.

1 Deportatus amittit civitatem et bona, *l.* 6.
2 *pr. ff. de interdict.* Sed qui ad tempus relegati sunt, neque bona, neque partem bonorum amittere debent, nisi specialiter hoc dictum in poena; quod quamvis fieri non debet, non tamen infirmantur sententiae, quae ita sunt prolatae, *l.* 7. §. 4. *ff. de interdict.* Sed si quis in perpetuum relegatus sit, ejus bonorum pars publicari potet, *l.* 1. *et* 4. *ff. h. t. Ant. Matth. d. t.* 18. *c.* 1. *num.* 10.

L. Servus. 10.

SUMMARIA

Servus in vincula damnatus et domino reddi jussus, an perpetuo in vinculis esse debeat? n. 1.
Objectio diluitur. 2.

1 Servus in vincula fuit damnatus, et domino reddi jussus, Quaeritur: *An perpetuo in vinculis*
2 *esse debeat?* Resp. Affirm. Nec obstat *l.* 23. *ff. h. t.* quia secundum *DD.* ex imperitia judicis tempus omissum. Forte responderi etiam posset, aliud esse, si quis in opus publicum condemnetur, aliud, cum servus in vincula condemnatur. Nam ibi decennium subintelligitur, *d. l.* 23. Non videtur ergo sequi absolute ex *h. l.* sententiam sine praefinitione temporis latam intelligi perpetuam. Quamvis communius dicatur, poenam habentem actum successivum, tempore non expresso, intelligi perpetuam, *Bart. in d. l.* 23. *ff. de poenis*, et *Hartm. Pistor. obs.* 189. quem sequitur *Carpzov. in pr. crim. q.* 130. *num.* 16.

L. Metalli. 11.

SUMMARIA

An servus ad metallicum opus damnari possit? num. 1.
Ratio dubitandi. 2.
Decidendi. 3.
Servus relegari potest. 4.

Quaeritur: *An servus ad metallicum opus da-* 1
mnari possit? Videtur quod non, quia per da- 2
mnationem in metallum quis amittit civitatem, *l.* 8. §. 4. *ff. h. t.* quam servus non habet. Sed Affirm. *hic et l.* 8. §. *penult. ff. h. t.* quia ser- 3
vus eximitur juri domini sui et servus poenae efficitur. Sicut etiam servus relegari potest, per 4
l. 2. *ff. qui et a quibus manumis. etc. l.* 2. *ff. de sepulchro violato;* ut ita verba, *sicut relegatio*, in *l.* 12. §. *ult. ff. de accusat.* affirmative sint accipienda hoc sensu; quod poena pecuniaria et capitis non conveniat servis, ut relegatio competit. Vid. *Ant. Matth. d. cap.* 1. *num.* 10.

L. Decurionum. 12.

SUMMARIA

Decuriones eorumque filii nec torqueri nec bestiis subjici debent. num. 1.
Judex ad clamorem populi aliquem condemnare vel absolvere non debet. 2.
Male hoc observavit Pilatus. 3.
Limitatur regula num. 2. *tradita.* 4.

Decuriones et horum filii torqueri non pos- 1
sunt, *l.* 11. *et* 16. *supr. de quaest.* ita bestiis subjici non debent et non debet Judex ad clamorem 2
populi quem condemnare vel absolvere, sed debet leges sequi. Quam legem non observavit 3
Pilatus ad clamorem populi, cum Salvatorem nostrum condemnaret; secus est, si fiat colle- 4
gialiter et mature populo, *Ceph. cons.* 26.

L. Servo. 13.

SUMMARIA

Servus in metallum damnatus et si postea sit restitutus non debet domino reddi. num. 1.
Secus si in perpetua vincula fuerit damnatus. 2.

Servus potest condemnari ad metallum, et si 1
postea sit restitutus, domino reddi non debet, quia per hanc poenam jus domini semel amputatum; sed si alia poena servo imposita quae 2
jus domino non amputat, vel adimit servum do-

mino, praesertim finita poena, parere aequum est, ut si in perpetua vincula fuerit damnatus, *d. l.* 8. §. *fin. et l.* 34. *ff. h. t.*

L. Si operis. 14.

SUMMARIA

Reipubl. interest poenas non remitti. num. 1.
Poenam temporalem qui meruit, finem illius expectare, nec Judex tempus restringere debet. 2.
Limitatur quoad posterius. 3.

1 Poenas non remitti Reipubl. interest, ergo
2 qui poenam meruit temporalem, finem istius
expectare debet, nec Judex tempus restringere
debet; Quia sententiam semel dixit, et sic offi-
3 cio suo functus est, nisi velit per viam restitu-
tionis in integrum, non per viam gratiae, quae
soli concessa est Principi, succurrere condemna-
to, *A. Faber h. t. def.* 8.

L. Poenam. 15.

SUMMARIUM

An Judex poenam a se in sententia dictam revocare possit?

Quaeritur: *An Judex poenam a se in sententia dictam revocare possit?* Videtur quod sic, *ob l.* 16. §. *fin. ff. de minor.* Sed negatur; quia aliud est restituere per viam justitiae, ut in *d. l.* 16. aliud per viam gratiae, quod non Judici sed Principi relictum. Vid. *Carpzov. quaest.* 150. *per tot. M. Ant. Peregr. de jure Fisci lib.* 5. *cap.* 2. *num.* 1. *et Farin. quaest.* 6. *num.* 2. Sed interdum lex ipsa concedit potestatem mutandi poenam, v. g. qui non habet in aere, luat in corpore, *Vinc. de Franch. dec.* 358. *n. fin. per l. pen. ff. de in jus voc.* Alias vero post sententiam latam Judex mutare poenam nequit, *Farin. q.* 17. *num.* 61.

L. Qui sententiam. 16.

SUMMARIA

Nemo nisi de delicto constet et sit victus ad poenam capitalem in ullo crimine condemnari debet. num. 1.
Si de corpore delicti non constat nec specialis inquisitio formetur. 2.
Ampliatur. 3.
Quando quis est convictus, non opus est, ut ipsius confessio per tormenta exprimatur. 4.
Sed quid si atrocius delictum, publica fama v. g. de magia? 5.
Damnati in metallum servi fugitivi et calumniatores stigmate olim notabantur. 6.
Constantinus *hoc abrogavit.* 7.
Si quis in delicto plene est convictus, crimen tamen negat, et ab imperito judice torturae subjectus in negatione persistit, an ordinaria poena sit afficiendus? 8.

Condemnari nemo debet ad poenam capitalem 1
in ullo crimine, nisi sit confessus, modo constet
de corpore delicti, nam si non constet de cor- 2
pore delicti, nec inquisitio quidem specialis
formari debet, *l.* 1. §. *item illud* 24. *ff. de SC.*
Silan. tantum abest, ut ex sola confessione, si 3
nullo modo de corpore delicti constet, quis
condemnari possit ad poenam mortis, vel or-
dinariam, de quo *Farinac. qu.* 1. *num.* 6. *et.*
q. 2. *num.* 1. *et seqq. Carpzovius quaest.* 16. *et*
passim, Scac. de judic. p. 1. *cap.* 83. *num.* 6.
aut si testibus atque argumentis convictus est.
Nota bene: Quando quis convictus est, non opus 4
est, ut ipsius confessio per tormenta exprima-
tur, per particulam *aut* in *hac lege;* Item per
art. 69. *Constit. crim. Carpzov. quaest.* 125.
num. 17. Sed quid si delictum atrocius, publi- 5
ca fama v. g. de magia? Ibi: Sagas exulare jus-
sas memini cum *Ant. Fabr. in C. h. t. d.* 9. Stig- 6
mate olim notabantur in facie illi, qui in me-
tallum damnabantur, et servi fugitivi et ca-
lumniatores, quod Imperator *Constantinus* pro- 7
hibuit et constituit, ut stigma in fronte nemi-
ni inuratur, *l.* 17. *h. t.* Sed quaeritur, si ali- 8
quis de delicto plene convictus sit, sed reus
crimen tamen neget, et ab imperito judice torturae subjectus in negatione persistat, an ille ordinaria poena afficiendus? Tractat hanc quaestionem *Carpzov. in pract. crim. quaest.* 125. *num.* 19. *et seqq.* qui eam negat, et putat, extra ordinem talem esse puniendum. Alii statuunt, eum plene esse absolvendum. Alii poenam ordinariam infligendam esse, ut *Hippol. Riminald. inter consilia Ziletti vol.* 2. *cons.* 84. *num.* 13. *et seq. et Hippol. de Marsil. sing.* 108. Ego distinguerem inter delicta grandia et atrocia, v. g. homicidium voluntarium, et inter alia delicta minus atrocia et leviora. In illis affirmarem quaestionem: Nam absurdum mihi videtur, posse judicem errore suo homicidam a poena ordinaria liberare. Lex divina non torturam, sed mortem ipsi dictitat; haec igitur poena exequenda est. Sed in crimine furti, falsi et similibus admitterem aequitatem ex mente *Carpzovii d. l.* Colligunt etiam *DD.* ex *hac l.* et ex verbis *in unum conspirantes etc.* quando aliquod delictum in genere probandum est, v. g. adulterium, homicidium plurium, quando tunc testes singulares probant, quando illorum depositiones ad unum finem tendunt. Conf. *Far. q.* 64. *num.* 150. *et seq.*

L. Si quis. 17.

SUMMARIA

Non in fronte, sed in brachiis et cruribus stigma inurendum est. num. 1.
Ratio. 2.

Stigma in fronte nemini inuratur, quia facies 1
hominis repraesentat imaginem Dei, ideoque si
stigma inurendum est, id in brachiis vel cru-
ribus fieri potest. Ratio autem, qua utitur Imp. 2
optime se habet, quia et corpus hominis suo
modo et analogice ad imaginem Dei conditum
est, et praecipua pulchritudo hominis in facie
consistit, ex qua Sancti Viri collegerunt saepius

quanta sit pulchritudo Dei conditoris, si facies humana in statu corrupto nos saepe in admirationem pulchritudinis et stuporem rapiat, licet haec ratio non sit ad palatum *Ant. Matth. tit.* 19. *c.* 1. *num.* 11.

L. Cum reis. 18.

SUMMARIA

Reo satis convicto sine mora ferenda est sententia. num. 1.
Non est condemnandus reus, nisi manifesta probatione sit convictus. 2.
Praestat nocentem in dubio dimittere, quam innocentem condemnare. 3.
Post condemnationem diu differri non debet supplicium. 4.
In Constitutione crim. Carolina *judices triduo ante executionem poenam reo denunciare jubentur, et cur?* 5.
Quid in Italia observari soleat hac in parte, remissive? 6.
Supplicium interdum est differendum. 7.
Exempla. 8.
Princeps quando poenae gratiam convictis facere possit, et quando non? 9.

1 Postquam reus satis convictus, sine mora ferenda est sententia, ne detur occasio supplicationem offerendi Principi, et ne quidem audiendi sunt, si dicant, se habere aliquid dicendum pro salute Principis, *l.* 6. *pr. ff. h. t.* Col-
2 lige ex *hac lege:* I. Non esse condemnandum reum, nisi manifesta probatione sit convictus;
3 nam praestat nocentem (in dubio) dimittere
4 quam innocentem damnare. II. Postquam aliquis condemnatus, supplicium diu differri non debet, cum convictos velox poena subducere debeat, et liberandos non macerare diuturno
5 carcere, *l.* 5. *C. de cust. reorum.* In *Constit. crim. Carolina* jubentur judices *art.* 29. triduo ante executionem denunciare poenam reo, ut tempestive commissa delicta lugere, divinam misericordiam infinitam implorare, et sese ad
6 mortem praeparare possit. Quid in Italia ob-
7 servetur, de eo *Clarus §. ult. qu.* 90. Interdum
8 sane differendum supplicium, v. g. si sit praegnans, si complices capi posse spes sit, si aegrotus, et si de alio adhuc crimine sit inquirendum, qua de re pluribus agit *Carpzov. q.* 137. *num.* 2. *et seqq.* et quos allegat. Colligitur
9 etiam ex *hac lege:* Peccare Principem, si temere gratiam poenae convictis faciat, *Card. Tusch. concl.* 9. *lit. F.* maxime vero in delictis jure Divino capitalibus, ut homicidio. Sane in iis delictis, quae jure Divino non sunt capitalia, jure humano capitalia sunt, in his facilius veniam ex causa leviori concedet poenae ordinariae, ut in furto, raptu, maxime cum consensu raptae facto, in bigamia simultanea, in quibus poenae legitimae sunt valde rigorosae.

L. Ne quis. 19.

SUMMARIA

Reus ita puniri non debet, ut in certum aliquod collegium redigatur. num. 1.
Limitatur. 2.

Non debet quis ita puniri, ut redigatur in 1
certum aliquod collegium, v. g. pistorum; quia
haec non esset poena, nisi Princeps ipsi in spe- 2
cie aliqua delicti talem poenam constituat, ut in *Auth. Sed hodie supr. de adult.* quod favore religionis constitutum. Vide aliud exemplum in *l.* 9. §. 10. *ff. h. t. et infr. de appar. Praefect. urb.*

L. Si vindicari. 20.

SUMMARIA

Sententia Principis severior, quam quae communi juri conformis videtur, executioni non statim mandanda est, sed danda mora 30. *dierum. num.* 1.
Ratio. 2.
Auctor hujus Constitutionis. 3.

Quando Princeps severiorem quodammodo sta- 1
tuit poenam, quam quae juri communi videtur conformis, non statim ea sententia executioni mandanda, sed danda mora est 30. dierum, aut ut *can. cum apud* 69. *caus.* 11. *quaest.* 3.
dierum 20. ne locus poenitentiae aut miseri- 2
cordiae pereat. *Hujus Constitutionis* auctor Am- 3
brosius fuit, occasione caedis Thessalonicensium a Theodosio perpetratae. De quo *Menoch. lib.* 2. *A. Q. cas.* 334. *num.* 6. *Clarus §. ult. quaest.* 97. *num.* 3. *Carpzov. d. quaest.* 137. *num.* 18.

L. Ne diu. 21.

SUMMARIA

Contra apparitores et judiciorum nuncios in officio quid deliquentes et perfide agentes etiam absentes judex puniendo procedere potest, nec appellare ipsis licet. num. 1.
Quoties citentur? 2.
Exceptio a regula in l. 5. ff. h. t. 3.
Per statutum introduci potest, ut contra absentem procedatur. 4.
Exempla 5.

Quando apparitores et judiciorum nuncii in of- 1
ficio delinquunt, et perfide agunt, potest etiam contra eos absentes procedere puniendo judex, quod hic speciale, nec apparitores habent facultatem appellandi, *l.* 3. *supr. quorum appellat.* Nam solent ejusmodi homines potestate sua abu-
ti. Collige: Quando officialis est in fuga, potest 2
citari, ut compareat, ad se defendendum. Si autem non compareat, potest iterum citari ad audiendam sententiam, et sic contra absentem hoc casu potest ferri sententia, si satis sit mo-
nitus; et sic hoc loco reperitur exceptio regu- 3
lae, quae habetur in *l. absentem* 5. *ff. h. t. Farinac. q.* 48. *num.* 81. *Christin. vol.* 5. *decis.* 163. *num.* 21. *et seq.* Colligitur etiam: Posse per 4
statutum introduci, ut contra absentem proce-
datur, ut infert *Baldus hic*, et statuta Italo- 5
rum, Saxonum, et pacta domus Brandenb. Pomeran. et Megap. satis docent.

L. Sancimus. 22.

SUMMARIA

An poena facinorosi alicujus ad agnatos vel familiares ejus sit extendenda? num. 1.
Si delinquens est fideicommissarius, cujus bona publicantur, durante vita ejus bona fideicommisso gravata ad Fiscum devolvuntur, postea revertuntur. 2.

1 Quaeritur: *An poena alicujus facinorosi ad agnatos ejus vel familiares extendenda?* Resp. quod non; quia ibi esse debet poena, ubi noxa est: delicta suos auctores tenere debent. Quae regula ex *hac l. sancimus*, quotidie solet allegari, et prolixe tractatur inter axiomata *Barb. lib.* 14. *c.* 41. *axiom.* 40. *et Tusch. concl.* 212. *lit. L. Menoch. cons.* 99. *num.* 223. *Duarenus*
2 *l.* 2. *annivers. disp.* 224. Si autem delinquens sit fideicommissarius, hujus bona publicantur, durante vita ejus bona fideicommisso gravata ad Fiscum devolvuntur, postea revertuntur, *arg. l.* 17. §. 5. *ff. ad SC. Trebell. Peregr. de Jur. Fisci lib.* 5. *c.* 1. *num.* 69. *Farinac. quaest.* 20. *num.* 22. *Rosenthal. de feud. c.* 11. *concl.* 5. *n.* 5.

L. Omnes. 23.

SUMMARIA

Legis *tenor. num.* 1.
Tempus, quo quis in carcere fuit, in exilii tempus computari debet. 2.
Carceris diuturnitas poenam minuit. 3.
Secus ubi poena capitalis de jure divino infligitur. 4.

1 Qui condemnatus est ad exilium, si tempus exilii in carcere contriverit, debet postea liberari; sufficit enim illum in carcere fuisse poenam.
2 Nota bene: Tempus quo quis fuit in carcere, debere computari in tempus exilii. Nec inconcinne ex *hac lege* probatur, carceris diuturni- 3
tatem minuere poenam, *Viv. decis.* 201. *Carpz. pr. crim. q.* 149. *num.* 49. Si enim diuturnitas poenam exilii minuit, nulla est causa, cur non alias etiam poenas minuat, *Tiraq. de poen. temp. caus.* 41. *Paulus Merenda inter cons. crim. Ziletti vol.* 2. *cons.* 91. *num.* 66. quod tamen 4
non intelligo de poena homicidii, ubi poena capitalis jure Divino infligitur.

L. Rectores. 24.

SUMMARIA

Completo tempore exilii et poenae in pristinum statum reus reponitur. num. 1.
An infamia etiam prorogetur, remissive? 2.

Qui ad certum tempus in exilium condemnati, tempore exilii completo, neque carceri mancipandi, nec ut in patriam revertantur, prohibendi sunt, quia poenam suam luerunt et legi paruerunt. Et sic completo tempere poenae, reponitur in integrum statum, *Baldus hic;* 1
An autem infamia prorogetur, de eo videantur notata ad *l.* 1. *et* 2. *C. de his qui in exilium etc. lib.* 10. *tit.* 59. 2

L. His. ult.

SUMMARIA

Quicunque artem naves conficiendi barbaros et hostes imperii docuerit, capitalem poenam subeat. num. 1.
Non observatur in foro. 2.

Quicunque artem conficiendi naves barbaros et hostes imperii docuerit, capitalem suebat poenam. Confer. notata ad *l.* 2. *supr. quae res exportari non debeant.* Quae hic habetur *lex finalis*, non habet auctoritatem in foro, ideo omittitur. 1 2

TITULUS XLVIII.

Ne sine jussu Principis certis judicibus liceat confiscare.

L. Nulli judicum. un.

SUMMARIA

Cuinam judici bona alicujus Fisco addicere liceat? num. 1.
Jus hodiernum. 2.

1 Bona alicujus Fisco addicere, ita ut non in consequentiam, sed per se principaliter id fiat, non omni licet judici, sed ei qui supremam post Principem habet potestatem, seu extraordinaria confiscatio bonorum judici regulariter non est permissa, bene tamen, quae a lege dictatur, *Menoch. lib.* 1. *A. Q.* 93. *Quazzius in tr. de confiscat. bon. concl.* 12. *num.* 29. *et seq.* tacite vel expresse, *Clarus* §. *fin. q.* 78. *num.* 5. *et Farinac. q.* 25. *num.* 7. Hodie id juris da- 2
tur Principi, et ejus consiliariis, et quicunque regalia exercent, *lib.* 2. *feud. tit.* 56. *quae sint regaliae.* Aliis vero Principibus, etiam de regalibus investitis, negat potestatem bona confiscandi praeter vel contra jus *Rosenthal. de feudis cap.* 5. *concl.* 62. quod ultimum de eo, quod contra leges est, concedo.

TITULUS XLIX.

De bonis proscriptorum seu damnatorum.

L. Servorum. 1. et L. Si filius. 3.

SUMMARIA

Peculium servi capite plectendi domini manet, nec addicitur Fisco. num. 1.
Domino quoque pretium rerum ex peculio distractarum restituendum est. 2.
Si servus res domini gessit, executio poenae differatur, donec domino rationes reddit. 3.
Modo dominus ipse non sit in mora. 4.
Idem in homine libero. 5.
Idem etiam in filiofamilias. 6.
Objectio tacita removetur. 7.
Quid in peculio adventitio, in quo pater habet usumfr. an Fiscus succedat in usufructu vivente patre? 8.
Jus hodiernum hoc in casu. 9.

1 Quando servus capite plectendus est, ipsius peculium non addicitur Fisco, sed manet do-
2 mini, cujus antea fuit, cui etiam restituendum pretium rerum ex peculio a servo distractarum,
3 et si servus res domini gessit, tamdiu executio poenae differtur, dum rationes reddiderit do-
4 mino, modo dominus ipse non sit in mora. Un-
5 de probatur, ejus, qui condemnatus est, licet sit liber, dum tamen alicui ad reddendas rationes est obstrictus, supplicium differendum esse, *Clarus* §. *fin. qu.* 97. *Carpzov. qu.* 157.
6 *num.* 17. Eadem ratio filiifamilias; Nam si etiam hic damnetur, v. g. deportetur, non debet auferri patri peculium ejus, licet sit castrense.
7 Nam quamvis in hoc pro patrefamilias habeatur, hoc tamen in odium parentis detorquendum non est, quod in favorem filii constitutum est, quod hodie etiam procedere puto cum *Claro d. q.* 78. *num.* 12. *Farin. q.* 24. *num.* 11. *Guazz. de confisc. concl.* 13. *limit.* 27. *Fachin. l.* 9. *c.* 49. Nam licet pater hodie ut haeres succedat, hoc ipsum tamen non in ipsius odium est detorquendum, nec generales constitutiones posteriores derogare solent prioribus constitutionibus, licet contra disputet *Ant. Matth. tit.* 18. *cap.*
8 2. *num.* 7. Sed quid in peculio adventitio, in quo pater habet usumfructum, an Fiscus succedit in usufructu vivente patre? Resp. affirmando, si pater maximam deminutionem capitis passus sit, alias non, *Fachin. l.* 9. *cap.* 50.
9 Et quod de peculio castrensi hic constitutum, etiam locum habet in peculio adventitio, in quo pater nullum habet usumfr. *Fachin. l.* 9. *cap.* 49. si scilicet filii bona publicentur, et idem dicendum in bonis adventitiis aliis, *Fachin. d. lib.* 9. *cap.* 47.

L. Deportati. 2.

SUMMARIA

In iis, quae deportatus post sententiam labore suo acquirit, deportato mortuo Fiscus succedit. num. 1.
Casus legis 22. §. 5. ff. mandati. 2.

Quae deportatus post sententiam labore suo 1
acquirit (nam ex haereditate vel ultima voluntate non potest) quamvis ad vitam iis fruatur, juxta *leg.* 22. §. 5. *ff. mandati*, non tamen in proprio ipsius sunt patrimonio, ideoque Fiscus in iis deportato mortuo succedit, *hic et l.* 7. §. *fin. ff. h. t.* vel dicendum est, in *d. l.* 22. §. 5. *ff.* 2
mandati actum esse de publicatione bonorum sine deportatione, quod ibi bona post poenam adquisita non pertineant ad Fiscum, sed in deportatis secus ut hic, ex mente *Cujac. l.* 6. *observ. c.* 23. *Fachin. l.* 9. *c.* 51. Conf. *Guazz. de confisc. bon. limit.* 24. *et seq. conclus.* 13. Vid. *Wesenbec. in π. h. t. num. fin. Hillig. in Donell. lib.* 17. *c.* 4. *lit. G. Pacius cent.* 4. *q.* 87. *Ant. Matth. d. t.* 18. *c.* 2. *num.* 11. *et seq. Sixtin. de regal. lib.* 2. *c.* 13. *num.* 30.

L. In metallum. 4.

SUMMARIA

Poenae capitales recensentur, remissive. num. 1.
Annumeratur iis confiscatio bonorum. 2.
An damnatus per indulgentiam Principis a poena liberatus bona semel confiscata denuo recipiat? 3.
Aliud, si Princeps dicat, se restituere aliquem in integrum. 4.

Capitalibus poenis, quae recensentur *l.* 28. 1
ff. de poenis, semper annexa est confiscatio 2
bonorum, v. g. damnationi ad metallum, *hic et l.* 8. *supr. de poen.* Sed pone: Damnatum, per 3
indulgentiam Principis, fuisse a poena liberatum, Quaeritur: *An bona semel confiscata denuo recipiat?* Resp. quod non, nisi speciale beneficium super hoc impetraverit, *l.* 2. *infr. de sent. pass.* Aliud est, si Princeps restituere 4
se dicat aliquem in integrum, ubi deportatus et damnatus restituitur honoribus et ordini, et omnibus caeteris, Vid. *Wesenbec. in π. de sentent. pass. et restitut. Berous cons.* 76. *num.* 107. *vol.* 1. *Rol. a Valle vol.* 4. *cons.* 15. *num.* 2. *et seq. Bossius in tit. de remediis ex Clement. un. princ. num.* 1. Vid. notat. ad *l. fin. supr. de generali abolit.*

L. Si ut proponis. 5.

SUMMARIA

An pupillus, bonis tutoris deportati ad Fiscum devolutis actione tutelae Fiscum convenire possit? num. 1.
Rationes decidendi. 2.

1 Tutor meus deportatus est, ideoque ejus bona ad Fiscum devoluta, Quaeritur: *An actione tutelae Fiscum convenire possim?* Resp. Quod
2 sic, *hic et l.* 2. *supr. ad l. Jul. de vi publ.* quia Fiscus successit tutori; Et Fiscus succedit in juribus activis et passivis, *Peregrin. de jure Fisc. lib.* 5. *t.* 1. *num.* 54. et res alias etiam transit cum onere suo, *Carpzov. part.* 3. *c.* 33. *def.* 20. sic etiam bona alienari prohibita non transeunt in Fiscum sine onere, *Quaz. de confisc. conclus.* 13. *limit.* 17. *et limit.* 26.

L. De bonis. 6.

SUMMARIA

Deportatae matri vel capitaliter punitae non liberi succedunt, sed Fiscus. num. 1.
Secus in patre. 2.
Aliter de jure hodierno. 3.

1 Jure Codicis, si mater deportetur, vel capitalem poenam subeat, bona non ad liberos ejus-
2 dem, sed ad Fiscum devolvuntur, secus in pa-
3 tre, *l. ult.* sed haec hodie mutata per *Authent. bona damnatorum h. t.* de qua postea.

L. Si quis. 7.

SUMMARIA

Officium judicis bona Fisco addicentis. num. 1.
Poena ejusdem, vel propter dolum, vel negligentiam commissum. 2.

1 Judex, qui bona alicujus, sive principaliter sive per consequentiam Fisco addicit, jubetur hic omnia damnati bona mobilia et immobilia, jura et actiones sigillatim et specifice describere, qualitates etiam agrorum, mancipiorum, immunitates locorum, et in summa, quicquid in bonis est cum omnibus qualitatibus et circumstantiis debet describere, et procuratori Caesaris tradere illam descriptionem, et si
2 quid fuerit subtractum, et doli particeps sit Judex, quod postea procurator in secunda inquisitione reperiat, aliud tantum Judex restituat. Quod si negligens in bonis describendis sit, nec hoc impune feret. Practicam *hujus legis* ostendit *M. Ant. Peregrinus de jure Fisci lib.* 5. *tit.* 1. *num.* 196. Et in hoc inventario ponendae etiam res conductae, depositae, commodatae, quae eodem jure detentionis transeunt in Fiscum, *Peregrin. d. l.* Conf. *not. infr. ad l.* 7. *de jure Fisci.*

L. Si deportatus. 8.

SUMMARIA

Princeps liberis quandoque deportatorum ex gratia speciali quandam partem bonorum reservare solebat. num. 1. 4.
Casus. 2.
Quaestio inde deducta. 3.
Imperium magis hominum adjectione, quam pecuniarum copia ampliari debet. 5.

Quando deportati habebant liberos, tunc so- 1
lebat interdum Princeps ex gratia speciali quandam bonorum partem reservare liberis. Pone 2
ergo: Deportatum habere liberos partim in potestate, partim emancipatos. Et his emancipatis, antequam crimen admitteret, quaedam donavit pater: liberis autem Imperator tertiam partem bonorum deportati donavit; Emancipati damnum ducunt, si conferant suam donationem vel dotem, id est, nolunt in commune conferre, Quaeritur: *An possint etiam partici-* 3
pare de bonis reservatis? Resp. Quod non, nisi velint conferre donationem vel dotem. Colligitur ex *hac lege:* Ante tempora Justiniani 4
conservatam fuisse ex bonis damnatorum eorum liberis aliquam portionem, et quidem, si damnatus duos liberos habuit, plerumque ex aequitate dimidia pars bonorum (si omnia adempta vel adimenda erant) liberis concedebatur, per *l.* 1. *ff. de bonis damnat.* Si autem plures haberent liberos, omnia bona saepe concedebantur pro pietate et clementia Principis, per *l. cum ratio* 7. §. 3. *ff. de bonis damnat.* Ubi elegans ratio: Quod imperium magis hominum 5
adjectione, quam pecuniarum copia ampliandum sit, *P. Barbosa in l. si ab hostibus* 11. §. *fin. num.* 1. *ff. solut. matrim. Donell. l.* 9. *c.* 10. *litt. CC.*

L. Si quis. 9.

SUMMARIA

Quasnam ex deportati mariti bonis res uxor recipiat vel retineat? num. 1.
Dotem quomodo probet uxor? 2.
Quatenus mariti donatio uxori facta infirmetur? 3.
Quatenus filii emancipati bona a patre deportato sibi donata vindicare possint? 4.
Exceptio in mortis causa donatione. 5.
Quid si nec uxor, nec emancipati filii aliquid jure vindicare possint? 6.
Si bona alicujus ad administrationem rerum fiscalium fraudulentam publicata fuerint, quatenus valeat donatio liberis facta? 7.
Ratio legis. 8.

Quando maritus deportatur, vel ejus bona a- 1
lias publicantur, uxor ante omnia res proprias 2
retineat, vel recipiat, nec non dotem, si modo ejus illationem non solis instrumentis dotalibus seu confessione mariti, sed aliis argumentis probare possit, scilicet, si tempora exceptioni non solutae dotis praefinita nondum praeterlapsa, nam postea etiam confessio mariti eam probaret, ut declarat *Riminald. vol.* 2. *caus.* 180. *num.* 7. quae declaratio quidem dubia reddi posset ex iis, quae tradit *Carpzov. p.*

1. *jurispr. for. const.* 28. *def.* 74. quia tamen hic uxori res est non cum creditoribus, qui de damno certant, sed cum Fisco, qui de lucro certat, eam declarationem facile admitto. Retinebit etiam donationem propter nuptias, retinebit etiam donationes alias a marito in ipsam constante matrimonio collatas. Quod intelligendum juxta distinctionem *M. Ant. Peregr.*
3 *de jure Fisci lib.* 5. *tit.* 1. *num.* 148. nam si maritus tale crimen commisit, propter quod post mortem memoria ejus damnari potest, infirmatur donatio facta uxori, per *l. cum hic status* 32. §. *si maritus uxori* 7. *ff. de donat. inter vir. et uxor.* Idem, si metu confiscationis donavit, per *d. l.* In aliis casibus statim confirmatur donatio, si maritus supplicium patiatur. Si vero deportetur, in pendenti est; nam, si maritus non revocaverit, retinet uxor, si vero revocaverit, capit Fiscus, *l. res uxoris* 24. *ff. de donat. inter virum et uxor.* Ratio horum *in l. sancimus supr. de poen.* et in sexus favore.

4 §. 1. Pater filiis emancipatis aliqua donaverat ante reatum, postea pater deportatur, vel bona ejus publicantur, sed liberi emancipati po-
5 terunt vindicare bona sibi donata. Aliud est, si causa mortis donasset vel suspicione poenae, *l.* 7. *ff. de donat. mortis causa*, nam donatio mortis causa sicut alia etiam voluntas ultima, revocatur per confiscationem, licet sine fraude sit facta, per *d. l.* 7. *ff. de donat. mortis causa.* Conf. *l.* 8. §. 1. *ff. de testament. Natta cons.* 519. *num.* 12. *Peregr. d. t. lib.* 5. *cap.* 1. *num.* 17. *Quaz. de confisc. bon. concl.* 13. *limit.* 38.
6 *num.* 2. Imo licet nec uxor, nec liberi emancipati, aliquid jure vindicare possint, personae tamen publicae, quae solent describere bona publicata, debent referre Principi, utrum liberos habeat deportatus annon, et utrum etiam liberi quaedam ut sibi donata vindicent. Nam licet donatio patris facta filio in potestate, non valeat, *l.* 11. *supr. de donat.* Princeps tamen potest ex speciali gratia talem donationem confirmare.

7 §. 2. Quando bona alicujus ob administrationem rerum fiscalium fraudulentam publicantur, tunc quidem uxor res suas semper repetere potest, sed si maritus uxori aut liberis emancipatis quid donaverit, tunc distinguitur, utrum fecerit eo tempore, quo ex fraudulenta administratione jam tum Fisco obligatus esse coeperat, an ante illud tempus, ut hoc casu, uxor et liberi Fisco praeferantur, illo casu, Fiscus illis praeferatur. Excipiuntur hic Catholicani et Caesariani; per illos Procuratores Cae-
8 saris, per hos apparitores Procuratorum Caesaris intelligunt. Ratio autem *legis* manifesta est; quia alienationes ante crimen commissum, etiam lucrativo titulo factae, validae sunt, *arg. l. ult. C. ad Leg. Jul. Majestat. l. post contract. ff. de donat. Peregr. d. c.* 1. *num.* 152. *Nicol. Mozzius de contra t. et in specie ad donat. rubr. de personis num.* 27. *Quaz. de confisc. bon. limit.* 12. 13. *concl.* 1.

L. Quando. ult.

SUMMARIA

Bona damnati de capitali crimine, liberis non extantibus, ad Fiscum devolvuntur, liberis vero extantibus cujuscunque gradus aut sexus debetur dimidia. num. 1.
Aliud in decurione. 2.
Usus horum hodie nullus est. 3.
In crimine laesae Majestatis liberis nihil debetur. 4.

Bona damnati de crimine capitali, cui nulli 1
supersunt liberi, nec superesse sperantur, ad Fiscum devolvuntur integra, liberis vero existentibus cujuscunque gradus aut sexus debetur
dimidia. Sed aliud observatur, si decurio sit 2
qui condemnatus est, nam si ille non habeat liberos, bona ejus applicantur curiae: Si autem masculam sobolem habeat, bona devolvuntur ad liberos masculos: Sed si foeminei sexus liberos habeat, dimidia bonorum sola ad eos pertinet: Si autem masculis fuerint foemellae mixtae, illis dimidia cedit, et altera dimidia dividi-
tur inter omnes. Verum haec omnia ab usu re- 3
cesserunt. Sed in crimine laesae Majestatis libe- 4
ris nihil debetur, *l.* 5. *supr. ad Leg. Jul. laesae Majestat.*

Auth. Bona damnatorum.

SUMMARIA

Haec Auth. et Novell. 134. cap. ult. *derogant legibus* Digest. et Codicis. *num.* 1.
Hodie ex nullo crimine nisi laesae Majestatis sive perduellionis aut haereseos bona publicantur, sed relinquuntur descendentibus et ascendentibus usque ad tertium gradum. 2.
An etiam collaterales admittantur? 3.
Quid uxor recipiat? 4.
An poena confiscationis sublata etiam in iis casibus, ubi leges in species dictitant? 5.
Excipitur crimen Majestatis. 6.
Hodie per Constitutionem criminalem publicatio bonorum est abolita extra crimen perduellionis. 7.
Jure consuetudinario damnati ad mortem testari possunt. 8.
Perduellionis crimini aequiparatur haeretica pravitas. 9.
Quid juris, si bona ob perduellionem confiscantur, et quibus singula cedant? 10.
An publicatio bonorum assassinis pro poena Canonica statuta etiam in civili judicio criminali dictari possit? 11.

Haec Auth. et Novell. 137. *cap. ult.* derogat 1
legibus *Digest.* et *Codicis hujus tituli*, et hodie ex 2
nullo crimine (nisi laesae Majestatis sive perduellionis aut haereseos, *Auth. Gazaros C. de haeret.*) bona publicantur, sed relinquuntur descendentibus et ascendentibus usque ad ter-
tium gradum, quibus *Irnerius* addit hic colla- 3
terales, de quibus tamen in *Novella* nihil habetur: Sed de communi sententia, quae tamen hic manifeste erronea, *Ant. Matth. t.* 18. *c.* 2. *num.* 2. omnino etiam collaterales admittuntur, *Clarus* §. *fin. quaest.* 28. *Farinac. q.* 25. *num.* 6. et ita error hic jus fecit, et consuetudinem, de qua omnibus constat, introduxit, sed occasio-
naliter, et uxores non tantum dotem repetunt, 4
sed, si indotatae sunt, succedunt marito in competenti seu legitima portione, secundum

Novell. 53. 74. 117. *et* 127. Vid. *supr. tot. tit. unde vir et uxor*, et in portione statutaria, si hanc eligant, *Gail. lib.* 2. *obs.* 86. *num.* 7. *Carpzov. p.* 3. *const.* 20. *def.* 23. Sed Quaeritur: *An haec Novell.* 131. *etiam deroget Novell.* 12.
5 *c.* 1. *et Novell.* 117. *c.* 10. seu: *An poena confiscationis sublata, etiam in iis casibus, ubi leges in specie dictitant?* Quod negat *Rittershus. in Novell. part.* 13. *c.* 4. *num.* 5. secutus *Farinac. d. q.* 25. *num.* 8. *Clar.* §. *fin. q.* 78. *num.* 1. Sed cum videatur *Novell.* 131. generaliter loqui de omnibus casibus, in quibus veteres leges poenam mortis aut proscriptionis sanciunt, igitur videtur illis etiam legibus derogare, quae
6 in specie publicationem irrogant. Et excipit Imperator specialiter crimen Majestatis, cui crimini tamen in specie confiscatio bonorum dictata, post *Ant. Fabr. decad.* 5. 73. *error.* 4. *Ant. Matth. d. t.* 18. *c.* 2. *num.* 3. qui tamen *d. l. num.* 4. recte existimat, per *Novellam* non derogari *illis textibus*, in quibus bona alicujus addicuntur aliis, utpote *in l. un. C. de mulier. quae se propr. serv. l. un.* §. *et si quidem C.*
7 *de raptu virg.* Sed quicquid sit de jure civili, per *Constitutionem criminalem art.* 218. abolita publicatio bonorum, extra crimen perduellionis; Vid. *Carpzov. part.* 3. *q.* 135. *per tot.* sicut 8
etiam jure consuetudinario (nam jure communi secus) damnati ad mortem testari possunt, *Carpzov. p.* 3. *Constit.* 6. *d.* 1. Perduellionis autem crimini aequiparatur haeretica pravitas, per 9
Auth. Gazaros C. de haeret. Farinac. q. 25. *num.* 12. *Ant. Matth. d. c.* 2. *num.* 6. *et seqq.* Hac de re, et *Auth.* plura *Clar.* §. *haeresis num.* 6. *Klock. vol.* 1. *cons.* 24. *num.* 35. *et seqq.* Sed quando ob perduellionem confiscantur bona, mobilia quidem cedunt judici domicilli, sed immobilia ei, in cujus territorio sita sunt immobilia, per ea, quae tradit *Wissenbach. disp.* 37. *th.* 26. *Quaz. d. tr. de confisc. bon. concl.* 13. *limitat.* 16. Quaeritur autem, quia Innoc. Quartus diu post hanc Authenticam in *c.* 1. *de homicid. lib.* 6. constituerit assassinis publicationem bonorum pro poena; an haec poena canonica etiam in civili judicio criminali dictari possit? tractat hanc quaestionem *Thes. lib.* 3. *q.* 35. ubi Senatum in negativam sententiam ivisse tradit in fine. 10

TITULUS L.

De bonis eorum, qui sibi mortem consciverunt.

SUMMARIA

Quatenus Fiscus bona rei mortem sibi conscientis occupare possit? num. 1.
Quatenus haeredes ejus succedant. 2.
Ampliatio. 3.
Jus hodiernum. 4.
Observantia fori in imperio Germanico. 5.
An autocheiria puniri soleat, et quatenus? 6.
Quid si effectus non secutus, qualis poena? 7.
In dubio autocheiria non praesumitur. 8.

1 Quando reus 1. criminis postulatur: 2. et quidem talis criminis, quod confiscatione bonorum puniebatur: et 3. si metu poenae et conscientia criminis sibi mortem conscivit, tunc etiam Fiscus ejus bona occupat, *hic et l.* 3. §. *fin. ff. h. t.* de quo prolixe agit *Farinac. qu.* 128. *part.* 2.
2 *per tot Menoch. lib.* 2. *A. Q. cas.* 284. Si autem alia ex causa fecerit, ut taedio vitae, impatientia, furore etc. quae ab haeredibus probari debet, qui etiam innocentiam defuncti probare possunt, *Farinac. q.* 128. *num.* 92. succeditur ab intestato, et ex testamento, per *l. fin.*
3 §. 2. *ff. h. t. Farinac. qu.* 128. *num.* 77. et hoc ampliatur in *l.* 2. ut licet in reatu sit, id est, criminis postulatus; si tamen conscientia criminis non probetur fecisse, bona ejus Fiscus non occupat: cur autem necesse sit, ut fuerit criminis postulatus, haec est ratio; nam ex sui interfectione oritur praesumpta confessio, quae nulla est ante litem motam, *Farinac. q.* 128. *num.* 83. Cum autem hodie in nullo crimine 4
bona confiscentur, nisi in crimine Majestatis, et haereseos, ideo etiam ex praesumpta hac confessione hodie non publicantur bona, *Wesenb. in h. t. Farinac. d. l. num.* 95. *et seqq.* nisi tale delictum sit, ex quo bona publicari solent, *P. H. O. art.* 135. Et idem in Imperio Germanico talis hominis testamentum valebit, licet se ex conscientia criminis interfecerit, *Carpzov. p.* 3. *Constit.* 6. *def. ult.* Sed autocheiria tamen 5 6
propterea non impunita; nam in milite graviter punitur, scilicet supplicio, si tentavit, *l.* 38. §. 12. *ff. de poenis*, ubi specialis ratio. In aliis est poena arbitraria, *Farinac d. l. n.* 37. *Carpzov. q.* 2. *num.* 44. *Menoch. d. l. num.* 22. Effectu 7
autem non secuto in cadaver non saevitur, *Farinac. d. l. num.* 11. *Carpzov. num.* 33. sed sepultura tamen honesta denegatur, *c. placuit.* 11. *c.* 23. *q.* 5. *Farinac. num.* 16. *P. Greg. lib.* 36. *t.* 22. *Heig. p.* 2. *q.* 36. Conf. *Christin. vol.* 4. *dec.* 208. *in fin.* In dubio sane autocheiria non 8
praesumitur, ut si incarceratus interfectus reperiatur, *Heig. d. qu.* 36. *num.* 31. aut in puteum quis lapsus sit, *Farinac. num.* 43.

TITULUS LI.

De sententiam passis et restitutis.

L. Cum salutatus. 1. et L. Cum patrem. 2.

SUMMARIA

Differentia inter indulgentiam simplicem Principis, et restitutionem in integrum. num. 1.
Quibus verbis simplex indulgentia, et quibus restitutio concessa videatur? 2.
In dubio restitutio magis quam indulgentia praesumitur. 3.

1 Aliud est indulgentia simplex, seu liberatio a poena, et aliud est restitutio in integrum; per illam tantum poena remittitur, non vero amissa bona restituuntur, nisi specialiter id dictum, sed in hac omnia, quae amissa sunt, restituuntur: alii illam indulgentiam generalem, hanc specialem vocant, *Ant. Matth. t.* 19. *c.* 5. *num.* 8. Et hanc vel plenam, vel minus plenam facit, hanc v. g. si bonis et patriae, sed non honoribus restituatur. Vid. *l.* 4. *supr. de bonis damnat. Peregr. de J. Fisci lib.* 5. *tit.* 2. *num.* 5. *et seqq. Oddus de restitut. p.* 2. *qu.* 94. *num.* 16. *et seq. Farinac. qu.* 6. *num.* 28. *et seqq. Christin. vol.* 4.
2 *dec.* 208. *num.* 8. *et seq.* Quibus autem verbis indulgentia simplex, quibus vero restitutio concessa videatur, de eo agit *Oddus de restit. p.* 2.
3 *q.* 93. Quod si autem verba sint dubia, et utrumque sensum admittant, in dubio praesumenda restitutio, *Oddus d. l. num.* 12. *Peregr. d. l. num.* 18.

L. Si debitor. 3.

SUMMARIA

An debitor deportatus parte bonorum a Principe ipsi restituta creditoribus suis solvere teneatur? num. 1.
Si ob debitum Fiscale bona ipsius publicantur, non liberatur a creditoribus. 2.
Damnatus suis creditoribus non amplius tenetur. 3.
Limitatur. 4. 5.

1 Debitor meus deportatus est, et sic bona publicantur, sed Princeps ipsi partem bonorum restituit, Quaeritur: *An mihi aliisque creditoribus suis solvere teneatur?* Resp. Distinguendo, utrum res singularis ipsi restituta, ut praedium: utrum vero quota pars bonorum, v. g. pars tertia vel quarta restituatur; nam illo casu non tenetur, hoc casu tenetur pro quota parte, v. g. si ipsa tertia pars restituta bonorum, tenetur etiam tertiam partem debitorum solvere.
2 Conf. §. 9. *Instit. de SC. Trebell.* Sed si ob debitum Fiscale bona ipsius publicentur, non liberatur a creditoribus suis, quia tunc non habetur pro mortuo. Declarari haec distinctio potest ex *l. quoties C. de haered. instit.* Collige: Damnatum 3
non teneri amplius suis creditoribus, quia confiscatio liberat cum ab omni aere alieno ceu mortuum, per *leg. seq.* Sed si restituitur pars 4
quotitativa bonorum, pro ea parte restituuntur quoque jura creditoribus, *Perez. ad hunc tit. num.* 8. Et sic ad omnia bona restitutus, reci- 5
pit omnia bona cum oneribus pristinis. Ad partem quotitativam restitutus, recipit partem aeris alieni, *M. Ant. Peregr. de jure Fisci tit.* 2. *num.* 93.

L. Tutor. 4.

SUMMARIA

Quicunque patitur bonorum confiscationem ex delicto capitali, pro mortuo habetur, et sic ab omni aere alieno omnique actione civili liberatur. num. 1.
Casus. 2.
An tutorem deportatum data ipsi ex indulgentia Principis facultate redeundi denuo pupillus actione tutelae convenire possit? 3.
Limitatur. 4.
Ex gratia restitutus non est specialiter restitutus. 5.

Quicunque patitur bonorum publicationem ex 1
delicto capitali, habetur pro mortuo, et sic liberatur ab aere alieno, et omni debito omnique actione civili, qua antea tenebatur. Pone 2
autem tutorem meum deportatum esse ob delictum, nondum redditis rationibus, sed ex indulgentia Principis datur ipsi facultas redeundi, Quaeritur: *An tunc ipsum denuo convenire pos-* 3
sim actione tutelae? Resp. quod non. Vid. *supr. l.* 2. *ad Leg. Jul. de vi publ.* licet bona quaedam acquisierit; sed additur hic limitatio, nisi per indulgen- 4
tiam Principis ipsi etiam bona specialiter restituantur, tunc enim quasi actiones pristinae contra eum reviviscunt, *l.* 2. *et* 3. *ff. h. t. Peregr. d. t.* 2. *num.* 7. Ergo ex gratia restitutus, non est 5
specialiter restitutus, et gratia aequipollet indulgentiae, *Menoch. vol.* 1. *cons.* 103. *num.* 20.

LL. 5. 6. 7. et 9.

SUMMARIUM

An et quatenus deportatus accepta facultate redeundi sua bona et actiones recuperasse dicendus sit?

Qui deportatus est, et cujus adeo bona sunt publicata, licet accipiat facultatem redeundi, non tamen recuperat statim bona sua, neque actiones suas, v. g. actionem tutelae, quam an-

te habuit, (excipitur tamen actio ad alimenta legata, *l.* 11. *ff. de alim. legat.* nam etiam damnato in metallum alimenta legari possunt, *l.* 3. *pr. ff. de his quae pro non scriptis habentur*), sic nec recuperat dignitatem, aut locum militiae, nec recuperat integram existimationem et famam, *l.* 7. *h. t.* nisi in indulgentia vel restitutione famae fuit facta mentio, *Peregr. d. t.* 2. *num.* 24. *Roland. a Valle cons.* 45. *num.* 3. *vol.* 4. *Farinac. d. q.* 6. *num.* 45. Sic nec recuperat patriam potestatem, quam in liberos antea habebat, *d. l.* quia indulgentia vel generalis restitutio tantum poenam tollit; et sic in casu converso, si filius deportatus, qui in patris potestate erat, si per indulgentiam reditus facultas ipsi detur, imo etiamsi dignitati restituatur, non tamen iterum in potestatem patris redit, haec quippe semel extincta est, *l.* 6. *h. t.* et sic nec jura passiva in eum redintegrantur, *Peregr. d. t.* 2. *num.* 7.

L. Frustra. 8.

SUMMARIA

Servus deportatus impetrata indulgentia poenae a Principe in domini pristini potestatem non redit, sed fit mancipium Fisci. num. 1.

Si alicujus creditoris contra Principem militantis nomen fuerit confiscatum, et postea a Fisco debitori remissum nomen, postea vero creditor Principi militet, an si conveniat debitorem, debitor exceptione caducitatis se defendere possit? 2.

1 Servus si deportetur, et indulgentiam poenae a Principe impetret, non redit in potestatem domini sui pristini, sed fit mancipium Fisci. Ex *hac l.* colligit *Mevius p.* 2. *dec.* 23. *num.* 5.

2 Si alicujus creditoris contra Principem militantis nomen fuerit confiscatum, et postea a Fisco debitori remissum nomen, postea vero creditor Principi militet, an si conveniat debitorem, debitor exceptione caducitatis se defendere possit? Quod ibidem affirmat, quia solus reditus in gratiam sine restitutione non reddit integrum dominium amissum.

L. Cum indulgentia. 10.

SUMMARIA

Sensus legis. *num.* 1.
Obstans l. 7. h. t. *removetur.* 2.

1 Quamvis diversimode *hanc legem* intelligant; hic tamen videtur sensus: Quando quis indulgentiam poenae impetrat, et simul bonis restituitur, licet a Praeside ejus bona annotata antea fuerint, non tamen debet ille iterum accusari, quia hoc fieret calumniose; Nam annotatio illa per indulgentiam abolita est, ut ita non loquatur *haec lex* de infamia, aut si
2 de infamia intelligatur, debemus praesupponere, reum hic specialiter ad honorem etiam fuisse restitutum, ne obstet *l.* 7. *h. tit.*

L. Casus ejus. 11.

SUMMARIUM

Casus legis.

Quando quis specialiter restitutus est ad bona, tunc recuperat actiones, quas antea habuit, secus si generalis indulgentia tantum ipsi tributa, *l.* 5. *h. t.*

L. Si deportationis. 12.

SUMMARIUM

Sensus legis.

Deportatus, si restituatur omnibus bonis, etiam in solidum a creditoribus suis conveniri potest, et improbe se tuetur hac exceptione, quod per deportationem liberatus sit, *hic et l.* 2. *et* 3. *h. t.* Vid. explic. *l.* 3. *h. t.*

L. In quaestione. ult.

SUMMARIA

Pater plene in integrum restitutus, et potestatem et omnia jura sanguinis recuperat. num. 1.
Ea, quae filius majorennis intra tempus deportationis, ut paterfam. gessit, rata manere debent. 2.
An testamentum filiifam. interim factum sit invalidum? 3.
Tutela filii minorennis, patre deportato ad omnia bona restituto, expirat 4.
Limitatur. 5.
Quicquid deportatio abstulit, id restitutio plena restituit. 6.
An pater restitutus ea etiam recuperet, quae filius alienavit in tertium. 7.
Beneficia in praejudicium tertii detorquenda non sunt. 8.
In quantum Fiscus h. l. *teneatur.* 9.
Si quis ex justitia restituitur, velut innocens, bona etiam alienata recuperat. 10.
Ampliatur. 11.
Per indulgentiae restitutionem plena restitutio in integrum significatur non sola indulgentia. 12.

Princ. Quando pater restituitur plene in in- 1
tegrum, tunc recuperat etiam patriam potestatem, et sic testamentum filii irritum redditur, *arg. pr. Inst. qui testamentum fac. poss.* et sic recuperat omnia jura sanguinis, *Peregr. de. jur. Fisci d. t. num.* 26.

§. 1. Quae interim filius majorennis, ut pa- 2
terfamilias gesserit, rata manere debent, alias sequeretur absurdum, patre deportato, nec sui juris fuisse filium, nec in patris potestate. Un-
de probat *hic Baldus num.* 8. testamentum fi- 3
liifamilias interim factum non reddi invalidum, quia restrictionem ad contractus ratio ab Imp. addita non videtur admittere, et ad *l.* 2. §. 3. *ff. unde legitimi.* Respondetur, aliud esse, loqui de capto, aliud deportato, nam hujus re-

stituendi non est talis spes, quae reversuri captivi. Conf. *Perez. ad hunc tit. num.* 10.
4 §§. 2. et 3. Si filius minorennis, patre deportato, fuit in tutela, tunc patre restituto ad
5 omnia bona, expirat tutela, si pater probos mores habeat, nam tunc administratio bonorum filii juxta jura ei restituitur; si autem sit prodigus, ac libidinum vitiorumque servus, bonorum filii administratio non committatur parenti, sed tutori. Nam alias liberis luctuosior erit reditus patris, quam discessus, *Bald. hic*; debet enim pater officium suum nulla pravitate corruptum liberis praebere, ut eorum bona augeat, non minuat.
6 §. 4. Continet generalem regulam: Quicquid deportatio abstulit, id restitutio restituit, scilicet plena, v. g. pater patriam suam potestatem recuperat, ideoque si liberi sui juris esse velint, debent emancipationem petere a parentibus, ut libertas eos non poenae paternae, sed lenitatis paternae commonefaciat. Sed quaeritur:
7 *An restitutus etiam ea recuperet, quae Fiscus*
8 *alienavit in tertium?* Quia beneficia non sunt in praejudicium tertii detorquenda, *Clarus* §. *fin. q.* 50. *num.* 6. *Farin. q.* 6. *num.* 33. *Peregr. d. l.* 5. *t.* 2. *num.* 35. Resp. Neg. per tradita *Rosenthal. c.* 10. *concl.* 38. *num.* 86. Vid. *Wesenbec. num.* 10. *ff. h. t.* ibi *Bacchov. et Hahnius*, *Gomez. t.* 3. *resol. c.* 13. *num.* 36. Sed Fiscus ta- 9
men tenebitur, in quantum locupletior redditus, *Peregr. de jure Fisci lib.* 5. *t.* 2. *num.* 27. *Farin. quaest.* 6. *num.* 43. Sed haec si ex gra- 10
tia restitutus, nam si ex justitia restituatur, veluti innocens, bona etiam alienata recuperet, *Peregr. d. t.* 2. *num.* 21. *et* 44. *Hahnius ad Wesenbec. d. t. Ant. Matth. d. c.* 5. *num. fin.* Et quod de bonis alienatis dixi, etiam de bonorum 11
non alienatorum fructibus intelligendum est, per *Authent. idem est de Nestorianis C. de haeret. Peregr. d. t.* 2. *num.* 61. *Anton. Gomez d. cap.* 13. *num.* 35. *Farinac. d. q.* 6. *num.* 41. *Ant. Matt. d. c.* 6. *num.* 9. Colligitur ex §. *ult.* 12
per indulgentiae restitutionem plenam restitutionem in integrum significari, non vero solam indulgentiam, *Oddus de restit. pag.* 2. *qu.* 49. *art.* 5. *num.* 18.

FINIS LIBRI NONI

LIBER X.

CODICIS

TITULUS I.

De jure Fisci.

SUMMARIA

Fiscus quid sit. num ? 1.
Quomodo hic titulus a titulo Codicis de privileg. Fisci *differat ?* 2.
Duplex sub Augustis aerarium. 3.

1 Fiscus est camera regalis, in qua receptatur id, quod ad commodum pecuniarium Imperii
2 pertinet, *Jo. de Platea hic num.* 8. et differt *hic titulus a titulo Codicis de priv. Fisci:* Quod illic in specie de jure praelationis, quo prae caeteris creditoribus gaudet Fiscus, hic de aliis juribus agatur, *Jo. de Patea hic num.* 14. *et Cujac. Vid. Peregr. de jure Fisci lib.* 1. *tit.* 1. *Christin. vol.* 5. *dec.* 1. *num.* 1. *et* 2.
3 Erat autem sub Augustis duplex aerarium: Alterum Imperii publicum, in quo reponebantur pecuniae ad salutem et necessitatem Imperii pertinentes: Alterum Imperatoris privatum, *Barb. ad l.* 1. §. 7. *num.* 7. *ff. sol. matr.*

L. Si priusquam. 1.

SUMMARIA

Facti species. num. 1.
Quaestio inde deducta: An Fiscus ea quae antea perfecte donata erant, actione Pauliana revocare possit ? 2.
Ratio affirmandi. 3.
Negative decidendi ratio. 4.
Quod factum est, ex superveniente casu non retractatur. 5.
Nisi id sit imperfectum. 6.
In casibus jure non expressis Fisco non est favendum, et in dubio privatorum jure utitur. 7.
Si Fiscus agit ex causa onerosa contra possidentem ex titulo lucrativo, si de prioritate non constat, Fiscus prior praesumitur. 8.
Hypothecarius creditor agens contra possessorem titulo lucrativo rem habentem, probare tenetur sibi rem prius esse obligatam. 9.
Secus in Fisco. 10.
Restringuntur num. 8. *dicta.* 11.
Quando Fiscus cum muliere dotem petente pugnat, dos potius in dubio prior praesumitur. 12.

1 Titius liberis suis emancipatis Attico et Severo praedia quaedam donaverat et tradiderat (nam sine traditione perfecta seu consummata donatio non fuisset, *arg. l. traditionibus C. de pactis*, nec ratio legis concluderet) postea Titius Fisco ex contractu vel administratione obligabatur; Quaeritur: *An Fiscus ea quae antea perfecte donata erant, actione Pauliana revocare possit ?* Nam non de actione hypothecaria, nec de actione in factum, quae datur contra fraudatorem sermonem esse, ex verbo, *rescindendi*, recte *hic* colligit *Cujac.* Videtur quod sic, quia Fiscus in bonis debitoris sui semper habet pignus, *l.* 46. §. 3. *ff. h. t.* et quaerentes hic habuerunt titulum lucrativum, ubi non est necessaria conscientia fraudis. Sed resp. quod non, quia in hoc non est privilegiatus Fiscus, ut ejus obligatio trahatur ad praeterita bona, quae antea fuerunt in bonis debitoris: Et quod factum est, ex superveniente casu non retractatur, *l.* 6. *ff. de contrah. empt.* nisi id sit imperfectum per *l.* 19. *ff. solut. matrim.* Sed hic fuit donatio perfecta, id est, per traditionem consummata. Licet autem Fisco non sit favendum in casibus jure non expressis, sed in dubio jure privatorum is utatur, *l.* 12. *ff. de compens. l.* 25. *de pign. et l. non puto* 10. *ff. de jure Fisci, Gail. lib.* 1. *obs.* 90. *num.* 2. *Peregr. de jure Fisci lib.* 1. *tit.* 1. *num.* 1. *Alex. Trentac. lib.* 1. *tit. de jure Fisci resp. ult. Carpzov. lib.* 4. *resp.* 13. a contrario tamen sensu ex *hac lege* colligunt: Si Fiscus agat ex causa onerosa, contra possidentem ex titulo lucrativo, si de prioritate non constet, praesumi priorem Fiscum, *Br. hic et Covar. lib.* 1. *resol. cap.* 16. *num.* 2. plures citans: Licet alias hypotecarius creditor, agens contra possessorem titulo lucrativo rem habentem teneatur probare, sibi rem prius esse obligatam, per *l. de rebus* 13. *C. de donat. ante nupt.* Sed in Fisco secus, ubi donatarius debet probare sibi prius esse donatum, *per hanc leg. Lud. Rom. sing.* 159. et ibi *Nic. Pign. in addit. Ant. Corset. sing.* 13. Et sic Fisco in dubio praesumitur prior, *Neguz. de pign. m.* 4. *part.* 12. *num.* 108. Quod tamen videtur restringendum ad praesentem casum, si scilicet Fiscus de damno certet, ut si agat de restituendis reliquis ex administratione rerum fiscalium; et sic quando Fiscus de damno certans agit contra donatarium, qui certat de lucro, Fiscus prior praesumitur, *P. Barbosa ad l.* 1. *p.* 2. *num.* 19. *ff. soluto matr.* Conf. *Salgado in Labyr. p.* 2. *c.* 22. *num.* 30. Et ideo in casu, quando Fiscus pugnet cum muliere petente dotem, decisio hujus legis non habet lo-

cum, sed potius dos in dubio praesumitur prior, *Jo. Guttierez l. 3. pract. qq. c. 99. num. 11. et seq.*

L. Instar. 2.

SUMMARIA

Computatio a tabulariis facta non habet vim sententiae num. 1. 3. 5.
Tabulariorum officium. 2.
Casus. 3.
Limitantur num. 1. *dicta.* 4.
Quid si a procuratore Caesaris approbata calculatio, et tamen error interveniat? 6.
Nondum approbatae rationes intra 20. *annos computari possunt.* 7.
Rationes, licet per sententiam approbatae fuerint, si tamen dolo alicujus quid commissum vel expunctum, non obstante sententia vel renunciatione erroris calculi ad calculum revocari possunt. 8.
Quae per judicem expediuntur, per notarium fieri non debent. 9.

1 Computatio facta a tabulariis vim sententiae
2 non habet. Tabulariorum, qui et numerarii vocabantur, *l.* 2. *et* 4. *infr. de numerar.* officium erat, eorum, quae publico inferuntur et dantur, rationes conficere, *l.* 1. *C. de exact. tribut.* item susceptoribus seu exactoribus debitorum fiscalium ingerere seu denunciare modum et quantitatem debitarum pecuniarum, *d. l.* 2.
3 Talis ergo tabularius computationem cum debitore Fisci instituit, et eum liberavit: Quaeritur, *An talis liberatio vim sententiae habeat?* Et videtur quod sic, quia publico munere fun-
4 guntur; sed negatur, nisi computatio illa vel liberatio per sententiam procuratoris Caesaris fuerit comprobata; quia ipsorum officium non est, sententiam facere, sed calculare. No-
5 ta: Calculationem non habere vim sententiae.
6 *Quid si autem a procuratore Caesaris approbata calumniatio, et tamen error interveniat?* Resp. *Jo. de Platea hic num.* 2. si error in sententia expressus, esse sententiam nullam, *l.* 1. *ff. quae sent. sine appell.* si non est expressus, appellandum esse, *l.* 2. *C. de re judic.* Alias, si non appellatum sit, sententia transit in rem judicatam, quae scilicet lata a judice ordinario, nam aliud si a delegato a quo sententia lata confirmans errorem in computatione admissum semper potest retractari, quia judex
7 delegatus excessit fines mandati. Ideo nondum approbatae rationes intra 20. annos possunt retractari, per *l.* 8. *ff. de administr. rerum ad civit. pertin. l.* 13. §. 1. *ff. de divers. et temp. prae-*
8 *cript. Perez. ad hunc tit. num.* 15. *et seqq.* Sed licet approbatae sint rationes per sententiam, si tamen dolo alicujus quid omissum, vel expunctum, non obstante sententia vel renunciatione erroris calculi, ad calculum revocari possunt, *Perez. d. l.* vel si publicus favor adsit, vel miserabilis persona, *Escobar. de ratiocin. c.* 41. *num.* 13. Notant etiam ex *Gl. hic Doctores*:
9 Quod ea, quae debent fieri per judicem, non debeant fieri per notarium, et *hanc Gloss.* notabilem vocat *Phil. Dec. in l. fin. C. qui admitti ad bonor. possess. num.* 3.

L. Si minori. 3.

SUMMARIA

Summa legis. *num.* 1.
Quaestio inde deducta. 2.
Fiscus quandoque proprium factum impugnare potest. 3.
Quid juris, si creditor privatus dolo malo aut gratiose pignora minoris vendat? 4.
Quando quis a Fisco emit pignus, domino rei datur actio pignoratitia contra Fiscum, et Fiscus minori pretio vendita recuperat restituto pretio. 5.
Si minori justo pretio res ab officiali Fisci est vendita fraude emptoris vel gratia, procurator Caesaris, probata fraude vel gratia, hujusmodi venditionem rescindi curare debet, et rem domino restituere, si Fisco satisfaciat. 6.
Laesionem ultra dimidiam probare necesse hic non est. 7.
Venditio fiscalis mala fide facta retractatur. 8.
Duplex causa rescindendae venditionis. 9.
Fiscus venditor emptorem ad suum judicem trahere potest. 10.
Restringitur haec regula. 11.
An Clericus venditor, cui lis est denunciata ad defensionem accedens, causam ad suum judicium trahere possit? 12.

Summa est: Fiscus pignore sui debitoris male 1
alienato, tenetur actione pignoratitia. Procurator Caesaris debitoris Fisci praedia Fisco obligata, ob debitoris moram et cessationem alienaverat in privatum, sed sine subhastatione aliisque solemnitatibus, quae habentur in *l.* 1. *C. de fide et jure hastae fiscalis*, vel per subhastationem, sed minori pretio, quam erat, idque vel dolo emptoris, vel ex gratia seu in gratiam emptoris. Debitor postea offert debitum Fisco, et pignoratitia actione repetit pignus, petitque, ut Fiscus restitui curet praedium, vel rei vindicatione agit contra emptorem: Quaeritur, *An* 2
possit? Videtur neutrum dicendum, non primum, quia Fiscus alienavit, nec igitur factum proprium retractare potest, *l.* 25. *pr. ff. de adopt.* non secundum, quia emptor dominium traditione adquisivit, §. 40. *Inst. de rer. divis.* Sed prius affirm. debuit enim procurator Fisci in venditione fiscali fidem et diligentiam praestare debitam, *d. l.* 1. et ideo quia solemnitates istae omissae, venditio est nulla, et ideo non translatum fuit dominium, vel si in fraudem alterius facta, est retractanda. Potest igi- 3
tur hic procurator Fisci proprium impugnare factum ad exemplum oeconomi Ecclesiae, *l.* 14. §. 1. *C. de SS. Eccles.* Sed *quid si creditor pri-* 4
vatus, dolo malo aut gratiose pignora minoris vendat? Resp. *hic Cujac.* idem observandum, ut si debitor offerat debitum creditori, hic teneatur rem, vel id, quod interest, praestare; nisi is solvendo non sit, quo casu oblato pretio res ab emptore revocatur, *l.* 1. *et* 3. *C. si vendito pign.* quod de Fisco dici nequit, qui semper solvendo est. Collige ex *hac l.* 3. Quando 5
quis a Fisco emit, domino rei datur actio pignoratitia contra Fiscum, et Fiscus minori pretio vendita recuperat restituto pretio, *Chri-*

6 *stin. vol.* 5. *dec.* 3. *num.* 22. *et seqq.* Et, si minori justo pretio res ab officiali Fisci sit vendita, fraude emptoris vel gratia, procurator Caesaris probata fraude vel gratia, hujusmodi venditionem rescindi curare debet, et rem domino restituere, si Fisco satisfaciat, *Perez.*
7 *ad hunc tit. num.* 40. nec hic opus est probare laesionem ultra dimidiam, ut in *l.* 2. *C. de resc. vendit.* quia hic fraus intervenit, *Perez. d. l.*
8 *num.* 41. Et venditio Fiscalis mala fide facta retractatur, *Peregr. de jure Fisci. lib.* 6. *tit.* 4.
9 *num.* 6. ergo duplex causa rescindendae venditionis. Colligitur ex *hac lege tertia:* 1. Nullitas venditionis, si formalia non observata: 2. Si minori pretio vendita fraude et gratia emptoris, *Fr. Caldas de empt. c.* 31. *num.* 99. Colligunt etiam ex *hac lege* aliquod privilegium Fisci,
10 quod Fiscus venditor possit trahere emptorem ad suum judicem, *P. Barb. ad l. venditor* 49.
11 *num.* 149. *ff. de judic.* Quod tamen generaliter non esse intelligendum monet *d. l. Barb. num.* 135. *et seqq.* Sed tantum de eo casu, quando venditio habetur nulla ob defectum solemnitatis, aut gratiam emptoris. Et exinde potest de-
12 cidi quaestio: An Clericus venditor, cui lis est denunciata, ad defensionem accedens trahere possit causam ad suum judicium? Quod nonnulli voluerunt probare ex *hac lege*, quia Fiscus et Ecclesia ad paria judicentur, quod tamen, quia in Fisco generaliter non procedit, nec in Clericis hoc procedit, per *d. l. venditor* 49. *ff. de judic. per allegata DD. Fachin. lib.* 2. *cap.* 38. ubi in fine hanc legem ita explicat, *et Barb. d. l. num.* 150. *et seq.*

L. Certa. 4.

SUMMARIA

Metoeci quinam dicantur? num. 1.
Quid juris circa eorum praedia in patria relicta? 2.
An his ipsis successio parentum debeatur? 3.
Ratio dubitandi. 4.
Decidendi. 5.
Statuta stricte interpretanda, eorumque forma in negotio aliquo ad unguem est servanda. 6.

1 Metoeci erant coloni, qui ab una civitate in aliam jussu Principis migrare habebant ne-
2 cesse; horum praedia in patria relicta, in Fiscum redigebantur, tum ne daretur via redeundi ad civitatem a qua translati erant, ob affectionem patriae, tum quia in nova civitate alia praedia ipsis assignabantur. Sed talibus Metoecis successio parentum deferebatur: Quaeri-
3 tur, *An haec ipsis debeatur?* Videtur quod
4 non, quia videntur eorum bona publicata, ergo etiam ea, quae postea adquiruntur, publica
5 erunt, *l.* 2. *C. de bonis proscript.* Sed Affirm. quia non in poenam praedia eorum confiscata, aut certe, quia interdum populi victi ita transferebantur, non erat haec simpliciter poena, dum alia praedia in coloniis ipsis assignabantur, et concessum erat illis statim de praediis suis pro libitu disponere, quod factum non fuisset, si simpliciter poena fuisset. Vid, *Perez. ad hunc tit. num.* 32. *et seqq.* nec forma translationis aut lex ulla hoc vult, ut nihil sibi adquirere possint. Collige: Formam statutam in negotio 6
aliquo ad unguem esse servandam; item statuta stricte interpretanda: nec ad bona extra territorium sita facile extendenda, *Carpz. lib.* 6. *resp.* 36. *num.* 15. item omnia licere, quae prohibita non reperiuntur.

L. Prohibitum est. 5.

SUMMARIA

Quaenam forma circa publicanda aut Fisco delata observetur? num. 1.
Si officialis non observata ista forma, bona occupaverit, an iis, quorum interest, liceat officialibus resistere? 2.
Ratio dubitandi. 3.
Decidendi. 4.
Etiam in collectarum executione juris ordine et cognitione opus est. 5.
Ipsi etiam judici sine causae cognitione de facto procedenti impune resistitur. 6.
Si officialis facit contra formam ab Imp. praescriptam, contra ipsum militat praesumptio. 7.
Ampliatur. 8.
Insignia officialis, nisi commissionem doceat, non sufficiunt, et alias impune resisti posset. 9.
Confiscatio sine speciali mandato Principis fieri non potest. 10.
In his, quae mandatum speciale Principis requirunt officiali non creditur. 11.
Injuste oppressus contra officialem se defendere potest. 12.
An etiam alium injuste oppressum contra officialem defendere liceat? 13.
An captivus fugere possit, remissive? 14.

Quando bona sunt publicanda, seu Fisco sunt 1
delata, haec forma observanda est: Princeps dat literas officialibus ad Praesidem ejus provinciae, ubi bona illa sunt, perferendas, ut officiales cum Praeside inquirant de bonis illius delinquentis, vel alias Fisco delatis, quae et quanta sint, et publice denuncient, utrum sit aliquis, qui jus aliquod in bonis iis praetendat, ut hoc doceat intra certum tempus, et cum omnia in scripturam redacta sint, ea referant ad Principem, qui bona postea jubebit in Fiscum redigi, *l. fin. C. de bon. vac.* Sed queritur: *Si officialis non observata ista forma bona oc-* 2
cupaverit, an iis, quorum interest, liceat officialibus resistere? Videtur quod non, quia pro 3
officiali militat praesumptio, quod hoc faciat jussu Principis; Sed affirm. quia alias etiam offi- 4
ciali injuste exequenti licet de facto resistere, *l. pen. C. de execut. l. devotum C. de Metat. l. omnes judices infr. C. de decur. l. ult. C. de discuss.* Nam juris ordine et cognitione opus est etiam 5
in collectarum executione, nam alias impune resistitur, *Casp. Klock. de contribut. c.* 18. *num.* 26. *et num.* 51. quia et ipsi judici sine cogni- 6
tione causae de facto procedenti impune resistitur, *Carpz. lib.* 1. *resp.* 2. *num.* 10. *et lib.* 3. *resp.* 108. *num.* 11. *Klock. vol.* 2. *cons.* 72. *num.* 7. *Dn. Mev. p.* 4. *dec.* 72. *num.* 2. Et si officialis 7
faciat contra formam ab Imp. praescriptam, contra ipsum militat praesumptio, praesertim, 8
si tale sit negotium, quod sine speciali jussu Principis fieri non debet: quod exemplis decla-

9 rat *hic Gl. in fine* verb. *vigorem*, et non sufficiunt insignia officialis, nisi commissionem doceat, et alias impune resisti posset, *Sig. Scacc.*
10 *de jud. lib.* 1. c. 46. *num.* 2. Nota: confiscationem sine speciali mandato Principis fieri non
11 posse; et in his, quae mandatum speciale Principis requirunt, officiali non credi, *Scacc.*
12 *d. l.* et oppressum injuste contra officialem se posse defendere. Obiter hic notat casus *Lucas de Penna*, in quibus scriptura requiratur; et
13 *DD. hic* tractant quaestionem: *An etiam alium injuste oppressum defendere liceat contra officialem?* Quod affirm. *Jo. de Platea et Lucas de Penna de jure can. c. negligentia c.* 2. *qu.* 3. si Fiscus procedat extra formam ac figuram sui judicii, imo si etiam in figura judicii procedat, si damnum sit irreparabile, idem vult dictus *Auctor*, quod dicere durum est, neque
14 ego facile suaderem laeso. Obiter etiam hic tractat dictus *Auctor* quaestionem, *An captivus possit fugere?*

L. Justas etiam. 6.

SUMMARIA

Summa legis. *num.* 1.
Quaestio ex lege deducta. 2.
Ratio affirmandi. 3.
Negative decidendi ratio. 4.
Fisci etiam procurator de calumnia jurare tenetur. 5.
Specialia quaedam circa praescriptionem rerum vacantium, item rerum incorporatarum, remissive. 6.
In dubio Fiscus jure communi et privatorum utitur. 7.

1 Summa: Sicut actiones privatorum prescribi possunt, et cum praescriptae sunt, libellus statim rejiciendus, ita etiam in actione Fisci Fiscus aliquid emerat a privato, post annum vult
2 actione redhibitoria agere, Quaeritur: *An pos-*
3 *sit?* Videtur quod possit, ob §. *res Fisci Inst. de usucap.* et cum negligentia administratoris
4 Fisco praejudicare non debeat; Sed Neg. Additur ratio, quia Imp. eadem ratione Fisci actionem voluit praescribi qua privatorum, ut privati a calumniosis litibus arceantur: Et nota, administratorem praejudicare Fisco vel Ecclesiae, ut *hic et l.* 10. *C. de SS. Eccl. in fin.* Colligunt
5 etiam ex *hoc textu:* Quod procurator Fisci etiam de calumnia jurare teneatur. Sed circa
6 praescriptionem rerum vacantium, item rerum incorporatarum, quaedam specialia sunt, de quibus in *l. omnes C. de praescript.* 20. *an. et l.* 1. *C. de quadr. praescript.* et Conf. *M. Ant. Peregr. lib.* 7. *tit.* 8. *per tot. de jure Fisci.* Colli-
7 ge ex *hac lege:* In dubio Fiscum uti jure communi et privatorum. Conf. not. ad *l.* 1 *et Covar. lib.* 1. *resol. c.* 16. *Besold. de aerar. lib.* 2. c. 85. *num.* 72.

L. Defensionis. 7.

SUMMARIA

Casus legis. *num.* 1.
Quaestio inde resultans. 2.
Pendente lite nihil innovandum. 3.
Reus possessione ante sententiam privandus non est. 4.
Quomodo Fisci periculo hac in parte occurratur. 5.
Quando inventatio et quando sequestratio concedatur. 6.
Ante sententiam ad faciendum bonorum suorum inventarium nemo est obligatus. 7.
Ampliatur. 8.
Defensio nemini etiam contra Fiscum est deneganda. 9.
Ampliatur. 10.
Fiscus etiam contra eos, de quibus non constat, quod sint debitores, ordinario processu agere debet. 11.

Pendente lite, Fiscus bona quaestionis seque- 1
strare non debet: Fiscus tibi movet quaestionem de bonis a te possessis, et statim vult bona in inventarium redigere ac sequestrare;
Quaeritur: *An possit?* Videtur quod sic, quia 2
Fiscus posset periclitari: Sed Negatur, quia pen- 3
dente lite nihil est innovandum, *t. t. X. Ut lite pendente etc.* Et ante sententiam reus posses- 4
sione privandus non est, et periculo hujusmodi 5
occurritur, quod post sententiam possint bona investigari, etiam per tormenta servorum terrae isti adscriptorum, et si quid subtractum fuerit, duplum est restituendum. *DD.* tamen *hic et M. Ant. Peregr. lib.* 7. *de jure Fisci tit.* 3. *num.* 10. concedunt inventationem, modo 6
non insignia Principis inscribantur, et sequestrentur, sed et in casu, ubi justa suspicio est dissipationis, sequestrationem concedunt apud tertium. Sicut et Imp. hic excipit Caesarianos, seu Catholicianos, sive procuratores bonorum Caesaris, qui sunt fraudibus assueti, qui si in provinciis ultra salarium suum divitias adquisiverint, contra eos stat praesumptio; et sic pendente lite fieri potest sequestratio. De quo tamen conferas *M. Ant. Peregr. d. lib.* 6. *tit.* 3. *num.* 6. *et seqq.* Nota: I. Ante sententiam ne- 7
minem esse compellendum ad faciendum inventarium bonorum suorum, *Pinell. de bonis matern. ad l.* 1. *p.* 2. *num.* 24. *Peregr. de jure Fisci lib.* 5. *t. t. num.* 169. *Besold. cons.* 179. *n.* 175.
et licet constaret aliquo modo de delicto, et 8
ita inventarium faciendum esset, non deberet tamen de possessione amoveri reus, *Besold. d. l. num.* 176. II. Defensionem nemini, etiam con- 9
tra Fiscum esse denegandam, *hic et l. fin. infr. de bonis vac. Carpz. lib.* 1. *resp.* 77. *num.* 6.
licet dicatur per delictum incurrisse te poe- 10
nam ipso jure vel facto, *Klock. de contrib. cap.* 19. *num.* 569. et licet de facto possideat, debet tamen ipsi concedi defensio, *Klock. vol.* 1. *cons.* 22. *num.* 112. et Fiscum etiam contra eos, de 11
quibus nondum constat, quod sint debitores, agere debere processu ordinario, *Klock. cons.* 28. *num.* 34. *vol.* 1.

L. Qui in contractibus. 8.

SUMMARIA

Procurator Fisci, vel alius officialis pecuniam exactam, et in Fiscum redactam et repositam alii mutuo dans cum foenore, poena quadruplici punitur. num. 1.

Idem in eo, qui mutuo accepit. 2.
Idem etiam in eo, qui pecuniam jam in Fiscum redactam surripuit. 3.
In rebus Fisco antea quaesitis delinquentes puniuntur in quadruplum. 4.
In nondum quaesitis nec incorporatis in duplum. 5.

1 Quidam procurator Fisci vel alius officialis,
pecuniam exactam, et in Fiscum redactam, et
repositam alii mutuo dedit sub foenere, talis
2 punitur poena quadrupli, sicut et ille, qui pe-
cuniam hanc mutuo suscipit, per *l.* 1. *C. de his,*
3 *qui ex publicis rationibus etc.* Sicut et ille, qui
pecuniam jam in Fiscum redactam surripuerit,
Decianus lib. 8. *c.* 30. *num.* 5. *Menoch. lib.* 2.
A. Q. casu 586. *num.* 7. *et seqq.* Nota igitur:
4 Hic singulare jus esse in Fisco, quod delin-
quentes puniantur in quadruplum, scilicet in
5 rebus Fisco antea quaesitis. Sed in duplum in
bonis nondum quaesitis, nec incorporatis, per
l. praeced. et l. 46. *ff. de jure Fisci*, *Menoch.*
d. l. Peregr. de jure Fisci lib. 4. *t.* 7.
num. 18. *Mart. Laudens. de Fisco q.* 8. *Guazinus de confisc. concl.* 13. *ampliat.* 28. *num.* 3.
Perez. ad hunc tit. num. 19. Et si plures interversores, et quidem idonei, singuli pro parte
tantum tenentur, *d. l.* 46. §. *fin.*

L. Super creandis. 9.

SUMMARIA

De quonam haec lex *proprie agat. num.* 1.
Quem in finem huc relata. 2.
Susceptores, receptatores et collectores redituum imperialium, quorum periculo olim electi? et eorum officium. 3.
Irenarcharum officium. 4
In salariis praestandis consuetudo servanda est. 5.
Vetustas pro lege habetur. 6.

1 Haec lex proprie de jure Fisci non agit,
2 sed de bonis privatis Principis. Sed ideo huc
relata, ut hac in parte idem jus in Fisco di-
catur, et erant susceptores, receptatores et
3 collectores redituum imperialium. Hi a procu-
ratoribus rei dominicae eligebantur horum pe-
riculo, et pabula in jumenta ac alimenta fa-
miliae subministrare debebant ex publico, et
non debebat comes rei privatae ex ambitione
aucupandae gratiae Principis, vel aliorum causa
alimenta ea minuere vel augere, quae eadem
consuetudo etiam in Irenarchis, qui publicae 4
pacis curam habebant, et optionibus, per quos
custodes fabricarum vel aedium possunt intelli-
gi, custodienda. Nota: In salariis praestandis 5
servandam esse consuetudinem, nam vetustas 6
pro lege habetur, *l. fin. C. nova vectigalia*
inst. etc.

L. Eorum. ult.

SUMMARIA

Casus legis. *num.* 1.
An bona accusati in judicio de diversis criminibus et pendente causa morientis post mortem Fisco assignari debeant? 2.
Ratio affirmandi. 3.
Negative decidendi ratio. 4.
Exceptiones a regula. 5.
Confiscatio bonorum non habet locum, nisi crimine quis sit convictus. 6.
Ampliatur. 7.

Quidam diversa crimina patraverat, et de iis 1
etiam accusatus fuerat in judicio, sed penden-
te causa moritur, Quaeritur: *An post mortem* 2
bona ejus Fisco assignanda? Et videri possit
quod sic: Quia lis cum defuncto contestata: 3
sed Resp. Contrarium, quia regulariter crimi- 4
na extinguuntur morte, tam quoad poenam
personae, quam publicationem bonorum, per
l. 1. *et seqq. C. si reus vel accusator mortuus*
fuerit. Et excepta sunt tantum quaedam cri- 5
mina, ob quae privatio bonorum etiam post
mortem fieri potest; et quidem vel ob atroci-
tatem, ut in crimine Perduellionis, vel ubi
principaliter quaestio pecuniaria est, in crimi-
mine Repetundarum, Peculatus, et de Residuis,
l. ult. ff. ad l. Jul. peculatus, et aliis, de qui-
bus *M. Ant. Peregr. lib.* 4. *tit.* 5. *num.* 7. *et*
seqq. Farin. lib. 1. *qu.* 10. *num.* 36. *et seqq.*
Collige: Non, nisi de crimine sis convictus, 6
confiscationem locum habere, *Besoldus cons.* 179.
num. 15. licet dominium ipso jure et facto trans- 7
ierit in Fiscum, ubi quidem post mortem agi
potest, ut alibi dictum, sed nihilominus senten-
tia opus est, *Kock. de contrib. c.* 19. *num.* 600.

TITULUS II.

De conveniendis Fisci debitoribus.

L. Non injusta. 1.

SUMMARIA

Commoda lectura legis. *num.* 1.
Casus. 2.
Quaestio inde resultans. 3.
Ratio affirmandi. 4.
Negative decidendi ratio. 5.
Tunc tantum Fiscus sui debitoris debitorem convenire potest, quando primus debitor prius excussus. 6.
Communis Doctorum *opinio.* 7.
Fidejussor indemnitatis beneficium excussionis habet, ut ei renunciaverit. 8.
Sententia optima. 9.

Quamvis alii de fidejussore Fisci intelligant, 1
videtur tamen haec lectura melior; quod Fiscus
debitores sui debitoris, vel possessores rerum

sibi obligatarum convenire non possit, nisi
2 excusso prius debitore. Casus est talis: Quidam administrabat res Fisci, et sic bona ejus tacite obligantur Fisco: Interim aliquas res ab admi-
3 nistratore emi, Quaeritur: *Si administrator ex administratione debitor Fisci maneat, an Fiscus me actione hypothecaria, aut ex singulari privilegio, ut sui debitoris debitorem convenire possit, etiam non excusso debitore primo?* Vi-
4 detur quod sic, illud propter *l. persecutione* 24. *C. de pign.* hoc propter *tit. C. quando Fiscus*
5 *vel privatus debitoris sui etc.* Sed Neg. nam ex aequitate Imp. prius debitorem principalem exculi jubet, quam hypothecam, per *l. Moschis* 47. *ff. de jure Fisci, et l.* 3. §. *ult. ff. de administr. rerum ad civit. etc.* Et sic hic videtur deterior causa Fisci, quam aliorum privatorum,
6 et tunc tantum Fiscus sui debitoris debitorem potest convenire, quando primus debitor prius excussus, *l.* 4. *C. quando Fiscus vel privatus etc.* Sed opus est, ut emptores et possessores Fisco de indemnitate caveant. Qui sensus est
7 literae convenientissimus. Sed communiter *DD.* videntur intelligere *hunc textum* ita: ut iidem emptores etiam antea fidejussionem indemnitatis praestiterint Fisco, et sic ex hoc textu colligunt:
8 Fidejussorem indemnitatis *(Schadlosburgen)* habere beneficium excussionis, utut eidem renunciaverit, *Gail. l.* 2. *obs.* 27. *num.* 13. *Afflict. dec.* 318. *Carpz. p.* 2. *c.* 17. *def.* 7. *Hering. de fidejus. c.* 27. *p.* 1. *num.* 112. *et seq.* vel putant, tres personas hic intervenisse: 1. Reum principalem: 2. Fidejussorem indemnitatis: 3. Emptores, ut *Perez. ad hunc tit. num.* 2. Et tunc idem, quod *DD.* colligunt, ex *hoc textu* colligitur,
9 sed sententia prima videtur literae magis amica.

L. Fisco quidem. 2.

SUMMARIA

Debitor fiscalis solvens Fisco, an et quatenus liberetur? num. 1.
Species facti. 2.
Apocha quae non probat contra tertium, probat tamen contra ipsum scribentem. 3.
Solvere aliquid volens Fisco cautus procedat, et quomodo? 4.
Officialis confessio eatenus Fisco praejudicat, quatenus est solvendo. 5.
Quod de thesaurariorum apochis dictum, ad catastra inferiorum magistratuum non extendatur. 6.

1 Debitor fiscalis solvens Fisco non aliter liberatur, nisi solutionis cautio a tabulario fuerit
2 subnotata specifice: Solvi tributum exactori, et apocham accepit; sed si a tabellione seu notario, qui ejusmodi apochas subscribere solet, non sit subscripta, Quaeritur: *An per ejusmodi apocham possim solutionem satis probare?* Videtur quod sic, ob apocham officialis manu scriptam, sed Neg. quia apochae manu notarii debent esse subscriptae, et susceptorum officium cum ratiociniis nihil habet commune, *l.* 13. *C. de suscept.* Sed excutiendus tamen est prius officialis seu exactor, et hoc non existente ido-
3 neo, solvere teneor. Nota: I. Apocham, quae non probat contra tertium, probare tamen contra ipsum scribentem, et cautum esse debere, qui 4
Fisco aliquid vult solvere. Nam non sufficit, si exactor in rationes publicas retulerit solutionem, sed necesse est, ut tabularius subnotaverit; si tamen subnotatio non facta, prius excutiendus exactor, *Perez. ad hunc tit. num.* 6. Si tamen probari possit, versam esse solutionem in utilitatem Fisci, licet subnotatio tabularii non sit facta, Fiscus tamen tenetur, *Christin. vol.* 5. *dec.* 9. *num.* 3. II. Officialis confessionem 5
eatenus praejudicare Fisco, quatenus est solvendo, *Trentac. lib.* 3. *tit. de solut. resol.* 20. *num.* 26. nec quod de thesaurariorum apochis 6
dictum, ad catastra inferiorum magistratuum extendendum, *Klock. de contrib. cap.* 20. *n.* 415.

L. Quoniam. 3.

SUMMARIA

Intellectus legis. *num.* 1.
Facti species. 2.
Quaestio inde deducta. 3.
Ratio affirmandi. 4.
Decidendi ratio. 5.
Eadem est ratio dividendae actionis in tutela et administratione rei publicae. 6.
Quia Fiscus hic constituit generalem syndicum ad exigendos omnes debitores, et alium specialiter ad quaedam nomina, si hic negligens, non tenetur generalis, in subsidium tamen tenetur. 7.
Fallit regula: Quod generi per speciem derogetur. 8.
Theorica illa, quod processus collectarum sit executivus et summarius, quomodo intelligenda? 9.

Si inter administratores rerum publicarum, 1
divisa est administratio a Judice, vel officialibus ipsis, primo convenitur gerens et fidejussores et Nominatores, prius quam perveniatur ad collegam. *Species facti*: Augurius et filius ejus e- 2
rant cum aliis exactores electi, sed iis in specie nonnulla debita exigenda data sunt. Quaeritur: *An illis specialibus debitis exactis collegae Augu-* 3
rii, qui illa non administrarunt, statim conveniri possint? Videtur quod sic, quia aliqua cul- 4
pa posset imputari collegis; quod de eorum negligentia opportune non fuerunt questi, *arg. l.* 2. *supr. de divid. tut.* Sed Resp. Imp. *hic*, ut 5
primo Augurius cum filio, dein eorum nominatores, et ultimo loco collegae conveniantur a Fisco. Ratio habetur in *l.* 11. *ff. ad municip. in fin.* quia collega negligentiae ac poenae causa, nominator vero fidei ratione convenitur. Nota bene: Eamdem rationem esse dividendae 6
actionis in tutela et administratione rei publicae. Sed si facta divisio ab ipsis administratoribus, distinguitur inter tutelam et munus publicum, ut illo casu pupillus possit convenire, quem velit, *d. l.* 2. hoc casu vero datur benefic. Excuss. *hic et d. l.* 11. *Christinaeus vol.* 7. *dec.* 9. *num.* 1. *et seq.* Collige: Quia Fiscus hic consti- 7
tuit generalem syndicum ad exigendos omnes debitores, et alium specialiter ad quaedam nomina, si hic negligens, non tenetur generalis, in subsidium tamen tenetur, ideoque fallit hic 8
regula: *Quod generi per speciem derogetur*,

ut in *C. studuisti X. de offic. legati*, *Lud. Roman. sing.* 324. *incip. Fiscus etc.* Ex verbis etiam *hujus legis*, ibi: *Rationalis noster juris ordinem*
9 *sequetur*, Colligitur: Quod theorica illa (quod processus collectarum sit executivus et summarius) intelligenda sit de collectis, quarum certa et definita sit quantitas, nam alias defensio admittitur, et juris ordine servato proceditur, *Klock. de contribut. c.* 18. *num.* 26. ubi *DD.* id communiter tradere testatur. Conf. *Lancellottus in tr. de attent. p.* 2. *c.* 4. *limit.* 25. *num.* 3. *et. Carpz. lib.* 4. *res.* 77. *num.* 6. et quos hic allegat.

L. Hi qui Fisco. 4.

SUMMARIA

Casus legis. *num.* 1.
An Fiscus nomina aliorum a debitore in solutum sibi oblata accipere, vel tamdiu expectare teneatur, donec debitores sint excussi? 2.
Fiscus debitoris sui debitores excutere potest, sed non tenetur. 3.
Processus actionum fiscalium est summarius. 4.
Limitatur. 5. 6.

1 Fisco quid debeo ex administratione, ideoque convenior a Fisco, sed offero in solutum nomina, quibus alii mihi obstricti, sive ex contractu fiscali, sive non, ut recte *Peregr. d. lib.* 6.
2 *tit.* 7. *num.* 18. vel peto, ut tamdiu expectet Fiscus, donec meos debitores excussero. Utrumque in aequitate videtur consistere. Sed denegatur petitum. Nam Fisco teneor confestim sine ulla tergiversatione solvere; nec potest privatus cogi ad acceptandam cessionem, cum aliud pro alio solvi non possit. Contra meos vero debitores teneor ordinario processu agere, *Perez*
3 *ad hunc tit. num.* 9. Nota bene: I. Fiscum posse debitoris sui debitores excutere, sed non teneri, *Auctor in l.* 3. *ff. de jure Fisci num.* 4. Et II.
4 Quod processus actionum fiscalium sit summarius, scilicet, si reus sit redactus in numerum debitorum fiscalium, et debitum sit liquidum,
5 ut hic limitat *Jo. de Platea num.* 2. per *l.* 7. *tit. praeced.* Conferantur notata ad *l. praeced.* ubi distinctum fuit, an certa sit quantitas col-
6 lectarum, an vero non. Ulterius distinguitur, an debitores Fisci redacti sint in numerum debitorum, idque constet ex catastro, an vero non, ut illo casu executive procedatur, hoc vero casu ordinarie, *Lancellot. de c.* 4. *limit.* 25. *num.* 3. et quos allegat *Klock. vol.* 1. *cons.* 28. *num.* 34. *et de collect. c.* 18. *num.* 27. qui utroque loco plures citat.

L. Inter. ult.

SUMMARIA

Scriptura privata fidem pro scribente non facit, etiamsi ei Fiscus succedat. num. 1. 3.
Facti species. 2.
Limitatur regula num. 1. *tradita.* 4.
Exemplum. 5.
Scriptura et confessio moribundi in sui vel haeredis, imo et Fisci commodum nihil operatur. 6.

Scriptura privata non facit fidem pro scriben- 1
te, etiamsi ei Fiscus succedat. Titii bona omnia 2
in Fiscum rediguntur, inter ipsius instrumenta reperta est brevis chartula, in qua annotaverat haec verba: *Sempronium sibi debere* 100. *Cajum* 200. Et debitum aliunde non potest probari, neque aliis instrumentis, neque testibus. Quaeritur; *An Fiscus contra Cajum et Sempronium agere possit?* Videri posset quod sic, quia in fiscalibus causis remoto velo procedimus, per *l. praeced.* Sed Neg. nam inquum est, ut quis propria annotatione sibi debitorem con- 3
stituat, instrumenta privata ac rationes pro scribente non probant, *hic et l.* 6. *supr. de probat.* Imo ne Fiscus quidem, si tale quid notet, in aliorum praejudicium probat, *l.* 7. *C. de probat. Perez. ad hunc tit. num.* 5. Idem Imperator extendit ac causas similes; Quamvis interdum 4
scripturam ejusmodi pro scribente probare velint, si contineat verisimilia, si contineat quaedam contra scribentem, quaedam pro eo, et si persona sit legalis; Quod in specie in libris 5
mercatorum receptum, qui pro scribente semiplene probant, per tradita *Carpzov. lib.* 3. *resp.* 58. *Gail. lib.* 2. *observ.* 20. *Guido Papae decis.* 411. *Mascardus concl.* 975. *Klock. cons.* 50. *num.* 29. *vol.* 2. Colligitur etiam ex *hac lege:* Scripturam et confessionem moribundi in sui 6
vel haeredis (imo nec Fisci) commodum, nihil operari, *Menoch. lib.* 5. *Praesumpt.* 5. *num.* 17. *et Klock. vol.* 2. *cons.* 43. *num.* 28.

TITULUS III.

De fide et jure hastae fiscalis et de adjectionibus.

Quando morosus est debitor fiscalis, tunc Procurator Fisci res debitoris distrahere potest, et ei qui plus licitatus fuerit, vel adjectionem fecerit, id est, majus pretium obtulerit, addicere.

L. Quod in libellum. 1.

SUMMARIA

Facti species. num. 1.
An debitor res a Fisci susceptore vel exactore distractas, a possessoribus cum fructibus percipiendis et perceptis recuperare possit, si debitum fiscale exsolverit? 2.
Ratio dubitandi. 3.
Decidendi. 4.
Fiscus debitoris bona, immobilia praesertim, vendere nequit, nisi praevia subhastatione. 5.
Alienatio non legitime facta nulla est, nec opus habet restitutione. 6.

Debitor distractionem ut nullam impugnare non potest, nisi prius satisfaciat creditori. 7.
Malae fidei possessor etiam fructus percipiendos, licet titulum habeat, restituere tenetur. 8.
Extrinseca solemnitas non praesumitur, sed probanda est. 9.
Exemplo declaratur. 10.
Requisita venditionis a Fisco faciendae. 11.

1 Debui Fisco 1000. ex judicato, et cum in
mora essem, susceptor vel exactor bona mea
immobilia, vel etiam mobilia, in quae affectio
cadit (nam caetera sine solemnitate per Pro-
curatorem tamen Fisci vendi possunt. Vid. *Pe-
regr. lib.* 6. *tit.* 4. *num.* 14.), distrahit, nullo
servato juris ordine, quamvis in instrumento
publico mentio fiat ordinis solemnis observati,
2 Quaeritur; *An res distractas a possessoribus
cum fructibus percipiendis et perceptis possim
recuperare, si debitum fiscale exsolvero?* Resp.
3 quod sic, ratio dubitandi est in *l.* 3. *tit.* 1. *supr.*
proposita, et quia instrumentum dicit, obser-
4 vatum fuisse ordinem. Sed respond. quod te-
neatur possessor restituere, si solemnitates non
fuisse observatas probavero, et haec distractio
eo magis nulla, quia a procuratore Fisci non
facta, nec debitis eum solemnitatibus, praeser-
tim praevia subhastione per 20 dies, ubi ex-
primenda quantitas et qualitas rei, de quibus
et aliis solemnitatibus agit *Peregr. d. lib.* 6.
5 *tit.* 4. *num.* 4. *et seqq.* Collige; Fiscum debito-
ris bona, immobilia praesertim, non posse ven-
dere, nisi praevia subhastatione, *Aegid. Boss.
6 titul. de Fisco num.* 48. Si vero minus legitime
facta alienatio, est ipso jure nulla, nec opus
est restitutione, *Boss. d. l.* quo casu, si debi-
tor debitum fiscale offerat, et venditionem nul-
lam esse dicat, procurator Fisci est Judex com-
petens, *Franc. Caldas de empt. cap.* 31. *num.* 99.
7 Non ergo potest debitor distractionem, ut nul-
lam impugnare, nisi prius satisfaciat creditori,
Cephalus lib. 5. *cons.* 708. *num.* 90. *et* 92. Et
potest is, cujus res nulliter distracta, rem vin-
dicare a possessore seu emptore, *Besold. cons.* 34.
8 *num.* 37. Collige: Malae fidei possessorem etiam
fructus percipiendos restituere; licet titulum
habeat, ut recte contra *Gl.* statuit *Gilken. in
leg. certum cap.* 9. *Carpzov. lib.* 1. *resp.* 39.
num. 4. *Donell. lib.* 20. *cap.* 5. *lit. R.* qua in
parte tamen rusticitati aliquid condonandum
esse dicit *Cephal. d. l. num.* 75. Collige etiam:
9 Extrinsecam solemnitatem non praesumi, sed
probandam esse, *l.* 13. *et fin. ff.* de *public. act.*
10 Et sic in alienatione bonorum Ecclesiae, vel
minoris non praesumitur intervenisse decre-
tum, nisi concurrat antiquitas temporis, aliaeve
circumstantiae, de quibus *Masc. de probat.
conclus.* 488. Conf. *Simoncell. tract. de decretis
11 min. lib.* 3. *tit.* 7. *insp.* 3. Collegit *hic Glossa*
requisita venditionis faciendae a Fisco; nam 1.
opus est, ut debitum sit liquidum: 2. Ut sit
cessatum in solutione: 3. Ut facta fuerit inter-
pellatio coram Praeside, *leg.* 2. *et* 3. *supr. si
propter publicas pensit.* 4. Ut fiat subhastatio:
5. Ut per 20. dies venum res exponatur: 6. et
plus offerenti detur: 7. et justo pretio, per *l.
seq. h. tit.* 8. Praesente procuratore Fisci, per
hanc legem. Conf. *Peregrin. de jure Fisci lib.* 6.
tit. 4. *num.* 4. *et seqq.*

L. Duplex ratio. 2.

SUMMARIA

Ut Fisci procurator res morosi debitoris distrahere possit, quaenam requirantur? num. 1.
Casus. 2.
Ob parvitatem pretii, ubi fraus et gratia intervenit, venditio nulla est. 3.
Ubi duplex causa est sufficiens ad rescindendum aliquem actum, alteram probare sufficit. 4.
Limitatur. 5.
Ita laeso est succurrendum, ut tamen indemnitas Fisco praestetur. 6.
An ad rescindendam hanc venditionem requiratur, ut per eam Fisco creetur praejudicium? 7.
Nonnulli *notantur.* 8.

Ad id, ut Fisci procurator morosi debitoris 1
rem distrahere possit, requiritur inter alia, ut
pro parvo debito non vendantur res magni va-
loris, *hic et l.* 16. *C. de resc. vend.* et ut pro
justo pretio vendantur, *hic et d. l.* 16. *et l.* 3.
tit. 1. Sed Fiscus rem debitoris vendit in gra- 2
tiam emptoris pro exiguo debito vili pretio,
sine subhastatione, et propter easdem rationes
dicitur venditio nulla, nam alias exactor tribu-
ti plus lucraretur ex gratia, dum amico grati-
ficatur, quam dominus pretio, per *d. l.* 16.
Collige I. Ob parvitatem pretii, ubi fraus et gra- 3
tia intervenit, venditionem etiam esse nullam,
per notata *supr. ad leg.* 3. *de jure Fisci, Klock.
de contribut. cap.* 19. *num.* 621. *et seq.* Ubi igi- 4
tur duplex est causa sufficiens ad rescindendum
actum, alteram probare sufficit; nisi allegans se 5
ad utriusque probationem adstrinxerit, *Jo. de
Plat. hic et Perez. ad hunc tit. in fine.* Non er-
go laesio sola sufficiet, sed quae facta sit dolo-
se, *Pinell. ad l.* 2. *C. de rescind. vend. part.* 2.
num. 39. II. Sic esse succurrendum laeso, ut 6
tamen indemnitas Fisco praestetur: Ex quo ta-
men non probatur, rescindendam hanc vendi- 7
tionem, ut per eam Fisco creetur praejudicium,
ut nonnulli volunt, quos refutat *Petr. Barbo-* 8
sa ad l. si mora 10. *num.* 61. *ff. solut. matr.*
ubi praejudicii Fisci hic fieri mentionem tradit,
quia in facto ita contigerat, ut Fiscus posset
laedi, alias sufficit gratiose minori pretio rem
esse distractam; ut tamen Fiscus servetur in-
demnis, *Barb. d. l. et Perez. ad hunc tit. num.* 18.

L. Etsi instrumenta. 3.

SUMMARIA

Facti species. num. 1.
Deciditur contra Fiscum. 2.
Rationes. 3. 4.
Quem de evictione tenet actio, eundem agentem repellit exceptio. 3.
Scriptura ad contractum non requiritur, et idem est, sive quid testibus, vel instrumento, vel alio modo probetur. 4.
Eadem ad transferendum dominium in venditione Fisci requiruntur, quae in privatis. 5.
Exceptio. 6.
Exceptionis ratio. 7.
Filiorum res ob delictum parentum molestandae non sunt. 8.

1 Fiscus tibi vendidit agrum matris tuae, quasi
suum, et accepit pretium, agrumque tibi tradidit.
Postea matris bona publicantur ob delictum,
et procurator Fisci audit, agrum a Fisco
venditum ad matrem spectasse, et agrum
istum, ut publicatum, repetit a te: tu excipis
agrum istum a Fisco tibi venditum, sed instrumentum
emptionis producere non potes, Quaeritur:
Quid juris? Pro Fisco facere videtur,
quod matris bona, et ita etiam hic ager publicatus,
et quod scriptura in contractibus fisca-
2 libus interdum necessaria. Sed contra Fiscum
3 pronunciat Imperat. 1. ob regulam: Quem de
evictione tenet actio, eumdem agentem repellit
exceptio, per *leg.* 17. *ff. et l.* 11. *C. de evict.*
ideoque procurator Fisci referre quaestionem
non poterit; nam haec est exceptio perempto-
4 ria, et litis finitae: 2. Quia scriptura regulariter
ad contractum non requiritur, et idem est, sive
quid testibus, vel instrumentis vel alio modo
probetur, *l. in exercendis ff. de probat.* Nota:
5 Eadem requiri ad transferendum dominium in
venditione Fisci, quod in privatis, ut 1. Contractum:
2. Pretii solutionem: 3. Rei traditio-
6 nem; nisi quod in privato sufficiat fidem habere
de pretio, quod hic non est, sed praesenti
pecunia opus est, *leg.* 5. *in fine ff. de jure
Fisci. Jason in leg.* 1. *C. de procur. Caes. num.*
18. *M. Anton. Peregrin. l.* 6. *tit.* 4. *num.* 9.
7 Quia procurator Caesaris habet limitatum mandatum,
ut non possit vendere fide habita de
pretio, *Perez. ad hunc tit. num.* 4. item nota:
8 Quod ob delictum parentum filiorum res molestandae
non sint, quod per se clarum ex iis,
quae dicta sunt superius *in tit. Ne filius pro
patre etc.*

L. Si tempora 4.

SUMMARIA

Emptor intra tempus in subhastatione adjectum veniens, et majus pretium offerens admittatur, licet res sit empta. num. 1.
Casus. 2.
Ratio dubitandi. 3.
Ratio decidendi. 4.
Venditio facta sub hasta fiscali habet in se pactum tacitum addictionis in diem a lege subintellectum, ut si alius intra tempora statuta meliorem conditionem offerret, res esset priori inempta, et hoc est speciale Fisci privilegium. 5.

1 Si quis intra tempus in subhastatione adjectum
veniat, et majus pretium offerat, admitti de-
2 bet, licet res alteri empta. Fiscus praedium
publicatum sub hasta venale proposuit, interim
vero mihi vendidit. Sed intra 20. dies (quod
est spatium legale, *argum. Auth. hoc jus porrectum
C. de SS. Eccles.* Vid. *Menoch. lib.* 2.
cas. 129.) vel mensem (qui forte ex arbitrio
constitutus est, nam *haec lex* aliquot seculis
ante *dictam Authenticam* lata, et ideo de tali
tempore 20. dierum intelligi non poterit, *Franc.
de Clapper. caus.* 4. *quaest.* 112. *num.* 12.) alius
se offert, qui majus pretium licitatur, Quaeri-
3 tur: *An illi sit res vendenda?* Videtur quod
non, quia mihi prius vendita et tradita, per
leg. praeced. sed Resp. quod sic, quia in vendi- 4
tione mihi facta tacita subintelligitur conditio,
quod ita demum venditio rata maneat, nisi
alius intra tempus licitationis veniat allegaturus
meliorem conditionem, *Perez. ad hunc tit. num.*
5. *et* 6. *Peregr. de jure Fisci l.* 9. *tit.* 4. *num.*
42. Idque speciale in Fisco esse apparet ex *leg.*
21. *et fin. ff. ad municip. et leg.* 1. *et* 2. *C. de
vend. rebus civit. Peregrin. d. l.* Id quod cum
Glossa hujus legis communiter notant *DD.* quod 5
venditio facta sub hasta fiscali habeat in se
pactum tacitum addictionis in diem a lege subintellectum,
ut si alius intra tempora statuta
meliorem conditionem offerat, res esset priori
inempta, et hoc est speciale privilegium Fisci,
Franc. de Clapperiis c. 3. *quaest.* 1. *num.* 4. *et
seqq.* et in fiscalibus causis tantum locum habet.
Sed post tempora licitationis lapsa nulla
admittitur licitatio, *Klock. de contribut. c.* 39.
num. 70.

L. Quaecumque. 5.

SUMMARIA

Venditio solemniter a Fisco facta praetextu minoris aetatis aut rescripti non rescinditur. num. 1.
Facti species. 2.
Quaestio inde deducta. 3.
Ratio affirmandi. 4.
Negative decidendi rationes. 5.

Venditio a Fisco facta solemniter, praetextu 1
minoris aetatis aut rescripti non rescinditur:
Cessabas in solutione prodigorum, id est, edu- 2
liorum et annonarum, ideo nonnullae res tuae
solemniter, et certis cum requisitis, mihi fuerunt
venditae. Postea autem impetras rescriptum,
et allegas minorem aetatem, Quaeritur: 3
An cogar restituere res emptas? Videtur quod
sic; Quia minores habent beneficium restitutio- 4
nis. Sed Neg. hic, tum, quod rescriptum sem- 5
per intelligatur, salvo jure tertii, *l. avus ff. de
emanc.* nec dominium per rescriptum tolli potest,
nec in injuriam cujusquam beneficia tribuere
moris est, *Enenckelius Baro de privil.
lib.* 1. *c.* 6. *num.* 16. Accedit hic favor publicus,
*leg. rescripta, l. nec damnosa C. de prec. Imperat.
offerend.* cum, quod venditio a Fisco rite facta
tribuat potestatem perpetuo possidendi, *leg.* 1.
C. de cap. et distrah. pign. Peregr. d. lib. 6.
tit. 4. *num.* 16. *et* 19. et alias etiam fides hastae
publicae non facile convellenda, *l. si hypothecas
C. de remiss. pign. Carpzov. p.* 2. *const.* 34.
def. 13. *num.* 4. nisi scilicet minor fuerit indefensus,
actio minori datur contra curatorem.

L. Si qui. 6. et L. ult.

SUMMARIA

Emptor rei fiscalis solum ad pretium conventum solvendum tenetur, non vero ob alia debita. num. 1.
Casus. 2.

Quaestio inde deducta. 3.
Ratio affirmative respondendi. 4.
Negative decidendi ratio. 5.
Varia interpretatio legis 36. ff. de jure Fisci. 6.

1 Qui solemniter emit a Fisco, tenetur solum ad pretium conventum solvendum, non vero
2 ob alia debita. Fiscus tuus erat creditor, ideoque cum cessares, debitis cum solemnitatibus vendidit mihi res tuas, sed tantum non fuit pretium earum, ut Fisco plane satisfieri posset,
3 Quaeritur, *An Fiscus ob reliqua me convenire*
4 *possit?* Videtur quod sic ob *tot. tit. C. sine censu vel reliquis etc. l.* 36. *et* 41. *ff. de jure Fisci.*
5 Sed negatur in *hac lege;* nam Fiscus, dum sub hasta vendit, videtur liberum vendere, aut evictionem praestare, et alias nemo accederet ad emptionem, si ultra pretium teneretur solvere, et regula illa: *Sine censu etc.* de privato venditore loquitur, et *d. l.* 36. *per hanc leg.* est correcta, vel de venditione non solemni loquitur. Vel *illa lex* 36. loquitur de eo casu, quan- 6
do praedium tributarium venditur ob aliam causam, quam ob cessationem in tributis factam, sed hic ob tributa fundus erat venditus, et non potest emptor ulterius conveniri. Vid. *Peregr. de jure Fisci d. lib.* 6. *tit.* 4. *num.* 28. licet *Perez ad hunc tit. num.* 16. non de praeteritis tributis, sed de futuris, quae eandem quantitatem cum praeteritis habent, *d. l.* 36. videatur intelligere, quod perquam durum est, et mallem correctionem statuere, quam coactas et duras ejusmodi conciliationes.

TITULUS IV.

De venditione rerum fiscalium cum privatis communium.

SUMMARIA

Quoties Fiscus cum privato communia bona possidebat, totam rem, licet minimam partem haberet, solus Fiscus vendere poterat. num. 1.
Rationes. 2.
Limitatur regula. 3.
Neque tamen plus sua parte in pretio retinere licebat sed privato partem pretii restituere tenebatur. 4.
Secus, si rem communem pignori in solidum Fiscus obligare velit. 5.
An socius emptorem praedii communis de pretii parte sibi debita convenire possit, et ubi? 6.
Fiscus emptorem defendere volens id coram judice ordinario emptoris, non coram procuratore Fisci facere debet. 7.

1 Certa lex erat: Quoties Fiscus cum privato communia bona possidebat, quod tunc Fiscus totam rem, licet minimam partem haberet (per expressa verba textus, *Peregr. dict. t.* 4.
2 *num.* 23.) posset vendere, quia citius reperit quis emptorem si integrum vendere velit, quam si partem tantum, et ad emptionem partis non ita facile quis accedit ob odium communionis, quam ad emptionem totius, *Perez ad hunc tit. num.* 2. qui *num.* 23. id limitat:
3 Si vendat praesenti pretio, quia non cogitur
4 socius fidem habere de pretio; non poterat tamen plus sua parte in pretio retinere, sed privato partem pretii restituere tenebatur, *hic et l.* 2. *de comm. rerum alien.* et hoc etiam de rebus Fisco pariter et privatis obligatis intelligendum esse apparet ex *leg.* 22. §. 1. *ff. de jure Fisci, Perez. ad hunc tit.* licet rem sibi 5
cum privato communem non possit Fiscus obligare pignori in solidum, quia *lex haec* de venditione loquitur, nec ratio, quae in venditione militat, scilicet quod tota res vendita facilius emptorem inveniat in oppignoratione locum habet, et socius damno mulctaretur, si Fiscus in mora foret luendi rem, *Perez. ad hunc tit. num.* 7. Habuit igitur Fiscus mecum praedium commune, illud solus Fiscus vendit tibi, et accipit suam partem pretii, Quaeritur; *An ego* 6
te convenire possim de pretii parte mihi debita, et ubi? Videtur mihi non competere, quia non contraxi. Sed Resp. Imperat. mihi utilem ex vendito actionem contra te competere, quasi ipse tecum contraxerim, cum Fiscus non suo tantum, sed meo etiam nomine contraxerit, et quidem in foro tuo, cum actor forum rei sequatur. Volunt tamen *DD.* scilicet *Tiraquell. de retract. consang.* §. 1. *Gl.* 18. *num.* 7. *et Peregr. lib.* 9. *tit.* 4. *num.* 23. requirendum esse consortem a Fisco rem vendituro, an scilicet ille emere velit, ubi etiam recte de donatione in emphyteusin aut feudum id negat *Peregrin.* qui sic privatus haberet invitus emphyteutam vel vasallum. Quia si vendit Fiscus, privatus accepit partem pretii, in qua habebat liberam administrationem, sed secus in datione in emphyteusin, ubi invito socio perpetuus conductor obtruderetur. Colligitur etiam ex *hac lege:* Quod 7
si Fiscus velit emptorem defendere, quod non coram procuratore Fisci, ubi alias causae fiscales tractandae, sed coram Judice emptoris ordinario id facere debeat, *Perez. ad hunc tit. num.* 6. *et Covar. c.* 8. *pract. quaest. num.* 3. versic. *tametsi contrariam etc.*

TITULUS V.

Ne Fiscus rem, quam vendidit, evincat.

SUMMARIA

Fiscus ea, quae semel vendidit, retractare non potest. num. 1.
Ampliatur. 2.
Species facti. 3.
Quaestio inde deducta. 4.
Ne Princeps quidem venditionem a procuratore Fisci semel factam retractare potest. 5.
Quod inhonestum, id nec a Principe potest fieri. 6.
Tacita objectio removetur. 7.
Nec Fisci procurator venditionem ab eo, cui Fiscus successit, factam, rescindere potest. 8.

1 Summa et regula: Quod Fiscus ea, quae semel vendidit, retractare non possit. Ratio est
2 in *l. 17. ff. et l. 11. C. de evict.* ampliatio regu-
3 lae habetur in *l. 1.* cujus haec species: Statio Fisci hujus loci, sive officium fiscale hujus loci mihi vendit rem fiscalem, vel Fisco oblatam, sed haec res ad aliam stationem pertinere deprehenditur, ideoque illa alia statio rem illam a me emptam a me vindicat, Quaeritur:
An possit? Videtur hoc affirmandum, *argum.* 4
l. 1. C. de compensat. Sed Neg. quia omnes stationes Fiscum repraesentant. Sunt enim sub eodem domino: Si igitur illa alia statio revocaret rem, ipse Fiscus, cujus nomine prius res illa vendita fuit, videretur revocare, et sic veniret contra factum legitimum sui administratoris; nec id pertinet ad stationis alterius damnum, cum adversus illam stationem, quae vendidit, agere possit. Et ex *hac lege*, ubi hanc rem gravissimam verecundia sua esse dicit, pro-
batur: Ne ipsum Principem quidem retractare 5
posse venditionem a procuratore Fisci semel
factam, nam quod inhonestum, id ne a Prin- 6
cipe quidem fieri potest. Licet enim Princeps 7
sit solutus legibus civilibus, non tamen legibus contractuum et conventionum, quae sunt juris gentium, *Perez. ad hunc tit. num. 7. et seqq.*
Quin nec Fisci procurator venditionem ab eo, 8
cui Fiscus successit, factam, rescindere potest, cum ejus factum praestare debeat, *arg. l. cum a matre supr. de rei vindic. Christin. vol. 5. dec. 10. num. 22.*

TITULUS VI.

De his, qui ex publicis rationibus mutuam pecuniam acceperunt.

L. Si quis. 1. et L. Sciant. 2.

SUMMARIA

Foenori accipiens pecuniam fiscalem in arcam praefectoriam jam redactam quadruplum restituere tenetur. num. 1.
Ratio. 2.
Eadem poena obtinet in exactoribus et tabulariis, qui pecuniam publicam foenori dant, et contractibus Fisco perniciosis se immiscent. 3.
Pecuniae publicae in alium usum non sunt expendendae, quam sunt deputatae. 4.
Gravior poena est illius, qui aurum fiscale, unde Sacrae, id est, Imperatorum largitiones, fieri debent, intervertit. 5.
Quomodo tam mutuo dans hoc aurum sine Imperatoris consensu, quam accipiens sit puniendus? 6.
Ampliatur poena. 7.
Objectio tacita removetur. 8.

1 Foenori accipiens pecuniam fiscalem in arcam praefectoriam jam redactam quadruplum resti-
2 tuere tenetur, ratio, ne pecunia publica (quae, ut in utilitates reipub. jussu Principis erogetur, semper parata esse debet) in usus privatorum
convertatur. Et hanc poenam incurrunt etiam 3
ipsi exactores et tabularii, qui pecuniam publicam foenori dant, et contractibus Fisco perniciosis se immiscent, *l. 8. supr. de jure Fisci, Menoch. lib. 2. A. Q. cas. 586. num. 9. Perez*
ad hunc tit. num. 3. Colligitur ex *hac lege*: 4
pecunias publicas v. gr. collectas, non esse in alium usum expendendas, quam sunt deputatae, *Klock. v. 1. cons. 20. num. 261. et 265. et in tract. de contrib. cap. 7. num. 84. et Flores Diez*
de Mena q. 21. num. 162. Gravius adhuc puni- 5
tur, qui aurum fiscale, unde Sacrae, id est, Imperatorum largitiones fieri debent, interver-
tit; nam accipiens mutuo sine Imperatoris con- 6
sensu, deportandus cum publicatione bonorum,
mutuo dans vero capite plectitur. Nec utrum- 7
que excusat, si accipiens fidejussores det aut pignora, ratio igitur non tantum ea, ne damnum Fiscus incurrat, sed et ut celerior pecuniae publicae erogatio ad usus publicos institui pos-
sit. Sed mirari quis posset gravitatem poenae, 8
cum tamen administratio soleat minuere poenam; Sed resp. *Besoldus part. 3. cons. 41. num. 9.* quod loquatur de iis, qui ex repositis thesauris reipublicae, quorum solum custodiam, non vero administrationem habent, mutuam pecuniam concedunt.

TITULUS VII.

Poenis fiscalibus creditore praeferri.

L. Rem suam. un.

SUMMARIA

Facti species. num. 1.
Quaestio inde deducta. 2.
Deciditur per distinctionem. 3.
In duplo regulariter inest simplum, et damnum praeter meritum metuenti aequius succurritur, quam lucro inhianti. 4.
Fiscus licet habeat hypothecam, eam tamen non habet contra creditores in poenarum persecutione. 5.
Ratio. 6.
An Fiscus a tempore condemnationis habeat hypothecam? 7.
Si denunciatori, vel advocato Fisci dimidia pars poenae ex Constitutione debetur, et delinquentis facultates utrique non sufficiunt, Fiscus est praeferendus. 8.
Ratio. 9.
Sententia Carpzovii *his est contraria.* 10.
Explicatio sententiae communis. 11.

1 Sumpsisti mutuo pecuniam fiscalem 100. flor.
Fiscus igitur te convenit ad quadruplum ex *l.*
1. *tit. praeced.* Sed praeter Fiscum alios etiam
2 creditores habes, Quaeritur: *An Fiscus caeteris*
creditoribus praeferendus sit? Videtur quod sic,
quia Fiscus habet hypothecam tacitam, *l.* 46.
§. 3. *ff. de jure Fisci, l.* 2. *C. in quibus caus.*
pign. tac. contrah. hic autem est contractus.
3 Sed distinguitur hic inter centum, quae ex contractu
debentur et inter triplum, trecenta, scilicet
quae dantur ex poena; nam in poenalibus
Fiscus nullam habet hypothecam praelativam,
nec privilegium, sed omnibus creditoribus postponitur,
hic, et l. 17. *l.* 37. *et l.* 48. §. *ult.*
ff. de jure Fisci. Quia Fiscus certat de lucro,
4 creditores de damno. Collige: In duplo regulariter
inesse simplum, et damnum praeter meritum
metuenti aequius succurri, quam lucro
inhianti, *Menoch. lib.* 4. *praesumpt.* 189. *num.*
124. *Georg. Acac. Enenckelius in tract. de privileg. lib.* 2. *cap.* 5. *num.* 78. *Carpzov. lib.* 4.
resp. 14. *num.* 15. et quod Fiscus, licet habeat 5
hypothecam, eam tamen non habeat contra
creditores in poenarum persecutione, quia pu- 6
blicatio bonorum ita accipitur, ut aes alienum
deducatur, qua ratione utitur *Perez ad hunc*
tit. num. 5. quae tamen non in aliis poenis locum
habet fiscalibus. Sed *An Fiscus a tempore* 7
condemnationis habebit hypothecam? Resp. *Clarus* §. *fin. quaest.* 78. *num. ult.* quod sic, *d. l.*
46. §. 3. *de jure Fisci, et Carpzov. part.* 1. *constit.* 28. *def.* 104. Sed hoc intelligendum in praejudicium
rei, et aliorum creditorum, qui similiter
ex delicto eum obligatum habent, non vero
in praejudicium aliorum creditorum ex contractu,
ut explicat *Neguz. de pignor. membr.*
4. *part.* 2. *num.* 115. Ex quo probatur: Si de- 8
nunciatori vel advocato Fisci dimidia pars poenae
ex Constitutione debeatur, et delinquentis
facultates utrique non sufficiant, quod tunc praeferendus
sit Fiscus, quia Fiscus in poenis prae- 9
ferendus est delinquentis creditoribus ex delicto,
non item ex contractu, ut ex *hac lege* probat
Covarr. lib. 1. *resolut. cap.* 16. *num.* 8. *Perez*
ad hunc tit. num. 7. Sed non video, quomodo 10
cum dictis sententiis conciliari possit *Carpzovii*
sententia *d. resp.* 14. *num.* 15. quod Fiscus
posterioribus hypothecariis creditoribus, qui utique
ex contractu hypothecam habent, praeferatur,
cum tamen *Doctores* sentiant, Fiscum 11
postponi omnibus creditoribus etiam chirographariis
tantum, *Peregr. de jure Fisci lib.* 4.
tit. 8. *num.* 11. *Klock. de aerario lib.* 2. *c.* 13.
num. 7. *Farin. q.* 25. *num.* 188. Sed et hoc declarandum
est. Si v. gr. ex eodem delicto, pro
quo bona confiscantur, delinquens etiam condemnandus
est ad interesse partis offensae, praeferri
semper debet pars pro emenda damni passi,
Farin. d. l. num. 188. *Thes. l.* 4. *cap.* 3.
Et hanc sententiam, de restitutione damni facienda
privato ante fiscalem poenam solvendam,
rectae rationi convenire tradit *Peregr.*
de jure Fisci lib. 4. *tit.* 8. *num.* 13. et multi
alii, quos refert *Salgado in labyrint. p.* 1. *c.*
5. *num.* 5. Unde condemnatus si quis sit ex *Lege Aquilia* et propter malitiam etiam Fisco praefertur
privati debitum.

TITULUS VIII.

De fiscalibus usuris.

L. Ejus summae. 1.

SUMMARIA

An procurator Fisci poenam quadrupli exigens et non accipiens, postea ex mora poenam cum usuris poscere possit? num. 1.
Ratio affirmandi. 2.
Negative decidendi ratio. 3.
Nullius poenae usurae dantur. 4.
Ratio. 5.
Amplatio. 6.

Procurator Fisci, ex *leg.* 1. *C. de his qui ex* 1
publ. ration. vel l. 8. *ff. de jure Fisci,* quadrupli
poenam exegit, sed non accepit, postea ex
mora poenam cum usuris poposcit, Quaeritur:
An jure? Videtur quod sic, quia mulcta non 2
soluta debentur usurae rei judicatae, per *l. ult.*
C. de usur. rei judic. Sed Neg. nam aliud est 3

mulcta, aliud poena, *leg. aliud fraus* 131. §. 1. *de V. S.* Quando enim judex, qui potestatem mulctandi habet, mulctat, tunc ob moram dantur usurae. Sed quoniam procurator Fisci mulctare non potest, *leg.* 2. *C. de modo mulct.* sed tantum poenam lege definitam infligit, ideo ultra hanc poenam usurae non dantur, *hic et l. ult. ff. de magistr. conven.* Nota:
4 Nullius poenae usuras dari, quia usura nihil
5 aliud est, quam poena morae. Sicut autem usurae usurarum non dantur, ita nec poena poenae, *Perez. ad hunc tit. num.* 1. *M. Ant. Pe-*
6 *regr. lib.* 6. *tit.* 7. *num.* 30. Exinde etiam colligunt, poenarum conventionalium usuras non deberi, *Peregr. de jure Fisci l.* 6. *t.* 7. *num.* 30. nec interesse de interesse, *Peregr. d. l. n.* 31. nec pro augmento dotis constituto et non soluto non debentur usurae, quia lucrum est, ex Corneo *Peregr. d. l. num.* 33. udi idem tradit de donatione propter nuptias.

L. Si sub pignore. 2.

SUMMARIA

Facti species. num. 1.
Quaestio inde deducta. 2.
Ratio dubitandi. 3.
Decidendi. 4.
Ex persona haeredis non mutatur conditio obligationis. 5.

1 Titius mutuo dedit Sempronio centum sub pignore, conventum etiam nudo est pacto de solvendis usuris Sempronio; publicatis ejus bo-
2 nis successit Fiscus, Quaeritur: *An Fiscus te-*
3 *neatur usuras solvere Titio?* Videtur quod non, quia in stricti juris judiciis usurae citra stipulationem non dantur, *l.* 31. *ff. et l.* 3. *C. de usur.* Et Fiscus ex suis contractibus usuras non dat, *l.* 17. §. 5. *ff. de usur.* et Fiscus non debet usuras pro contractu, in quo successit privato, licet privatus antecessor solvere consuevisset, quia pro praeterito quidem tempore utitur jure privati, cui successit, sed non in
4 futurum, *l.* 6. *ff. de jure Fisci.* Sed Affirm. quia etiamsi nudo pacto id placuerit, quia tamen pignus hic intercessit, jure retentionis Titius usuras servare potest, ut tamdiu scilicet pignus retineat, *l.* 4. *et l.* 22. *C. de usuris.* Ubi vide notata, et privilegiatus succedens non privilegiato, privilegio suo non utitur, per *hanc l. et d. l.* 17. §. 3. scilicet quoad praeterita, non futura, *Jo. de Platea hic num.* 3. *Everardus cons.* 137. *num.* 65. *Georg. Acac. Enenckel. Baro tr. de privil. lib.* 3. *c.* 19. *num.* 7. et ex perso- 5
na haeredis non mutatur conditio obligationis, *l.* 2. *ff. de V. O.*

L. Fiscum. ult.

SUMMARIA

Nobilioribus et agricolis quaenam usurae sint concessae? num. 1. 2.
Quaestio inde deducta: An Fiscus ob singularem suum favorem bessales vel centesimas usuras petere possit, vel, an si hoc non possit, trientalibus usuris contentus esse debeat? 3.
Usurarum quantitatem in jure determinatam ne quidem Fiscus excedere potest. 4.

Nobilioribus et agricolis tantum trientalis usura 1
(id est 4. pro centum) est concessa. Nobilis 2
igitur Fisco cedit actionem suam vel alias transmittit, Quaeritur: *An non Fiscus ob singula-* 3
rem suum favorem bessales, vel centesimas usuras petere possit? Si vero non possit, *An non trientalibus usuris contentus esse debeat?* cum cessionarius utatur jure cedentis, et nemo plus juris in alium transferre possit, quam quod ipse habet. Sed utrumque negatur, et constituitur hic, ut Fiscus ultra semissales usuras (6. pro 100.) non possit usuras stipulari, et easdem possit petere, licet prior creditor minores acceperit, *hic et l.* 17. §. 6. *ff. de usur. leg.* 6. *ff. de jure Fisci, Perez ad hunc tit. n.* 7. et Nota: Usurarum quantitatem in jure deter- 4
minatam, ne quidem Fiscus excedere potest, *Christinaeus vol.* 5. *dec.* 13. *num.* 3.

TITULUS IX.

De sententiis adversus Fiscum latis, retractandis.

L. Causas. unic.

SUMMARIA

Res judicata ob nova reperta instrumenta vel aliam causam retractari nequit. num. 1.
Quid in sententia lata contra Fiscum? 2.
Intra quodnam tempus hodie sententia ejusmodi retractari possit? 3.
Ob novum instrumentum repertum sententia contra Fiscum lata licite retractatur. 4.
Extenditur hoc ad Ecclesiam, pupillum, rempublicam. 5.
Sententia contra indefensum Fiscum absente patrono Fisci lata ipso jure nulla est. 6.
Idem si per praevaricationem advocati aut judicis corruptionem lata. 7.
Si per sententiam forte a Collegio juridico latam absolutus reus in causa criminali vel paulo minori poena fuerit adfectus, an restitutionem patronus Fisci petere vel appellare possit? 8.
Generalis consuetudo. 9.
Aliorum *sententia de hac quaestione.* 10.
Exemplo declaratur. 11.
Opinio Auctoris. 12.

1 Regula est; Quod res judicata ob nova reperta instrumenta, vel aliam causam retractari non
2 possit, *l.* 4. *C. de re judic.* Sed *quid in sententia lata contra Fiscum?* Resp. Eam ob noviter reperta instrumenta retractari posse intra triennium, *hic et l.* 35. *ff. de re jud.* Imo si advocatus Fisci praevaricatus esse dicatur, vel dolum commisisse, in perpetuum retractari pote-
3 rit sententia. Quamvis autem nonnulli hodie intra quadriennium sententiam rescindi posse existiment, melior tamen eorum sententia, qui triennium adhuc retinent, quia hic non ex edicto Praetoris, sed constitutione Principum re-
4 stitutio datur. Collige ergo: Ob novum instrumentum repertum sententiam contra Fiscum
5 latam retractari posse; quod etiam ad Ecclesiam, rempublicam, pupillum extendunt *Everhardus in loco topico* 73. *num.* 4. *Christinaeus vol.* 5. *dec.* 13. *num.* 9. Ubi ita in supremo Senatu Mechliniensi pronunciatum testatur.
6 Quod si autem contra Fiscum indefensum absente patrono Fisci sententia lata, ea ipso jure
7 est nulla, *l.* 7. *ff. de jure Fisci.* Sed si sententia lata per praevaricationem advocati, aut judicis corruptionem, est ipso jure nulla, *l. venales C. quando provocare non est necesse*, *Peregr. de jure Fisci lib.* 17. *tit.* 4. *num.* 5. *Perez. ad hunc tit. num.* 3. Sed hic quaeritur:
Si per sententiam forte a Collegio juridico latam, absolutus reus in causa criminali vel paulo minori poena fuerit adfectus: an restitutionem patronus Fisci petere vel appellare possit? 8
Videtur quod non ob *l. auxilium* 37. *pr. ff. de minor.* et Vid. *Fachin. lib.* 9. *contr. c.* 81. idque generali consuetudine receptum testatur 9
Farin. quaest. 101. *num.* 32. Imo ex paritate rationis, si accusatus non appellat, nec Fisco hoc concedendum esse tradit *Ant. Matth. ad lib.* 48. *ff. tit.* 20. *c.* 4. *num.* 25. Alii tamen sentiunt, quod in atrocioribus, si poena minor de- 10
bito reo sit irrogata, soleat patrono Fisci restitutio concedi, agenti ad dignam poenam, v. gr. 11
si delinquenti imposita sit poena pecuniaria, cui tamen dictari debebat, supplicium ultimum, quo casu moneri potest patronus Fisci, ut restitutionem contra sententiam a Collegio aliquo juridico conceptam petat, propter exemplum, ut satisfiat publicae vindictae, et ita saepius judicatum meminit *Ant. Casp. Thes. lib.* 1. *quaest. for.* 59. et hunc referens *Perez ad hunc tit. num.* 8. *in fine.* Quid hic dicendum? puta- 12
rem hanc sententiam in puncto juris veriorem, per *l. illud* 9. *ff. de appellat.* et per tradita *Farinac. d. l.*

TITULUS X.

De bonis vacantibus et de incorporatione.

L. Scire. 1.

SUMMARIA

Vacantia bona ad Fiscum deferuntur. numm. 1. 3.
An hoc jus civitates municipales ex privilegio sibi acquirere possint? 2. 4. 5.
Moribus eo deventum, ut civitates, quae merum imperium habent, jus succedendi in bonis vacantibus habere soleant, praesertim vero civitates fori Saxonici. 6.
Ampliatur. 7.

1 Vacantia bona, id est, quae legitimo haerede destituuntur, ubi neque descendentes, nec ascendentes, nec collaterales consanguinei, nec uxor, nec socius liberalitatis imperialis, nec mortuus in legitimo collegio fuit (ubi alias curia succederet), nec patronus est, nec defunctus fuit clericus, deferuntur ad Fiscum. Sed
2 Quaeritur: *An hoc jus civitates municipales ex privilegio sibi adquirere possint?* Videtur quod sic, praesertim cum consuetudo legem imitetur; sed negat Imperator et statuit, non obstante concessione principali, res caducas Fisco incorporandas esse, ratio in *leg. ult. C. si con-*
3 *tra jus vel utilitatem publ. etc.* Colligitur ergo; Jus succedendi in bonis, quae nullum habent dominum vel haeredem, competere Fisco, *Peregr. de jure Fisci lib.* 4. *cap.* 3. *Rosenthal. de feudis c.* 5. *concl.* 52. *Vult. lib.* 1. *feud. c.* 5. *num.* 7. *Carpzov. p.* 3. *const.* 18. *def. ult. num.* 5.
4 Civitatibus vero, etiam si privilegio aliquo muniantur, denegatur merito jus succedendi in bonis vacantibus, *Besold. cons.* 91. *num.* 38. *Tiraquellus in tract. le mort saisit p.* 2. *decl.* 15. *num.* 11. *Klock. de contribut. cap.* 19. *num.* 634.
Nec prodest privilegium hac super re speciali- 5
ter civitati datum, nisi Princeps motu proprio id concesserit. Vid. *Rosenthal. de feud. cap.* 5. *concl.* 51. *num.* 2. *Vincent. de Franch. dec.* 125. *num.* 10. *Schurf. cons.* 83. *num.* 6. *cent.* 2. *Peregr. de jure Fisci lib.* 4. *tit.* 3. *num.* 9. *Lud. Molin. de jure primogen. lib.* 1. *cap.* 25. *num.* 21. *Perez ad hunc tit. num.* 3. Sed moribus eo de- 6
ventum esse putant, ut civitates, quae merum Imperium habent, jus succedendi in bonis vacantibus habere soleant, praesertim vero civitates fori Saxonici, *Schurf. d. cons.* 83. *num.* 7. *Klock. vol.* 1. *cons.* 22. *num.* 66. *et de aerario lib.* 2. *cap.* 36. *num.* 13. *Wesenb. in ω. tit. de jure Fisci in fine.* In primis si immemoriali 7
praescriptione se tueantur, vel privilegio motu proprio sint munitae: et probationem civitati incumbere putaverint: quae probatio sine titulo non potest fieri, et donec ea probatio fiat, Fiscus in possessione juris Fisci tamdiu defendi debet, donec contrarium probetur a civitate, cum Fiscus pro se habeat praesumptionem juris communis, *Mevius part.* 4. *dec.* 66. Conf. *Cothman. vol.* 2. *cons.* 55. *num.* 21. *et seqq. ubi* hac de re pluribus agit.

L. Si quando. 2.

SUMMARIA

Facti species. num. 1.
An in facta donatione his verbis, integro statu,

etiam adjacentes fundi, mancipia, pecora, et fructus contineantur? 2. 5.
Ratio dubitandi. 3.
Decidendi. 4.
Ampliatur regula in tantum, ut in donatione castri simpliciter, etiam pertinentiae donatae praesumantur. 6.
Si Princeps donavit castrum, cui alias adhaeret territorium et jurisdictio, an haec simul concessa videantur? 7.
Perez *notatur.* 8.

1 Princeps domum ad Fiscum delatam, nec dum Fisco incorporatam his verbis, *integro statu*,
2 mihi donavit: Quaeritur: *An etiam adjacentes fundi, mancipia, pecora, et fructus ea donatio-*
3 *ne contineantur?* Videtur quod non, quia stricte haec donatio ex publico intelligenda, ut
4 Fiscus minimum laedatur. Sed Affirm. quia beneficia Principis quoad ipsum Principem latissime, quoad alium vero strictissime sunt interpretanda, *leg.* 3. *ff. de constitut. Princip.* et tale hoc loco videtur donatum, quale ad Principem pervenerat, *leg.* 3. *de fundo instructo leg.*
5 Nota: Donata a Principe, cum integro statu, videri donata cum omnibus pertinentibus et omnibus, quae ibi erant ad instructionem fundi, imo concesso principali, videntur etiam donata accessoria, quando cum illis res pervenit
6 ad concedentem, *argum. dict. leg.* 3. Et idem de Principe donante castrum simpliciter, nulla facta mentione pertinentiarum, quod scilicet videantur et praesumantur, eum etiam pertinentias donasse in genere; id affirmant, et ex *hac lege* probant *DD.* Vid. *Molin. ad consuet. Paris. tit.* 1. §. 1. *Gl.* 3. *num.* 14. *Rudolf. Schraderus de feudis p.* 3. *c.* 4. *num.* 5. *Klock. vol.* 1. *cons.* 29. *num.* 232. *Menoch. lib.* 3. *praes.* 99. *num.* 1. Sed haec sententia ex *hac lege* ita vix probatur, nam praesupponitur donatio hic facta his verbis, *integro statu.* Sed Quaeri hic
7 etiam potest; *Si Princeps donaverit castrum, cui alias adhaeret territorium et jurisdictio, an haec simul concessa praesumantur?* Placuit mihi sententia distinguens, an ipse Princeps habeat jurisdictionem in eo castro, an vero tertius; illo casu beneficium latissime interpretandum, per *allegat. l.* 3. *ff. de const. Princ. et hanc legem.* sed hoc casu non videtur concessa jurisdictio in praejudicium tertii, *Molin. ad consuet. Paris. d. tit.* 1. §. 1. *Gl.* 5. *num.* 47. *Covar. in pract. quaest. cap.* 1. *num.* 10. *concl.* 9. *Longovall. in rep. l. Imperium ff. de jurisd. num.* 204. *Menoch. lib.* 3. *praesum.* 97.
8 *num.* 14. licet dissentire videatur, *Perez. ad hunc tit. num.* 6.

L. Si quando. 3.

SUMMARIA

Sensus legis. *num.* 1.
Incorporatio hoc loco quid sit? 2.

1 Ubi alicujus bona vacantia, vel ex delicto ad Fiscum devolvuntur, vel ei aperiuntur, aut caduca fiunt, primo Comes rerum privatarum Caesaris diligenter inquirat, an ea delata sint ad Fiscum, et quae illa sint, postea procurator Fisci ea debet in inventarium redigere, et solemniter incorporare, id est, reliquis bonis fiscalibus aggregare; Sed titulus per procuratores, actores, et conductores praediorum principalium adscribi propria auctoritate non debet, sed Principis publica auctoritate et cum solemnitate hoc fiet, ne augendi Fisci causa a procuratoribus in praejudicium provincialium quid tentetur, ideo supplicia etiam iis, qui propria auctoritate quid tentaverint, denunciantur. Notetur in *hac lege:* Quid sit incorporatio, cujus 2
hic fit mentio? scilicet est bonorum Fisco delatorum in Fiscum facta relatio, *Sixt. de regal.* 2. *cap.* 11. *num.* 32. *Klock. de aerario, l.* 2. *cap.* 38. *num.* 1. *et* 2.

L. Vacantia. 4.

SUMMARIA

Bonorum vacantium descriptio. num. 1.
Quid si quis rem mobilem vel immobilem pro derelicta habeat? 2.

Est tantum haec descriptio bonorum vacan- 1
tium. Sunt enim ea, quae nullum habent successorem legitimum, quae autem illa sint, dictum est in *l.* 1. *h. t.* scilicet quando non adest conjunctus sanguine, nec ex descendentibus, nec ascendentibus, nec collateralibus, nec uxor aut maritus, nec socius imperialis libertatis, per *l. un. infr. si liberalitatis imperialis socius sine haerede decesserit*, nec fuerit is in tali Collegio, quod collegae mortuo succedit, per *tot. tit. C. de haereditat. decur.* quod de Collegiis ibi expressis, intelligendum, *Schneidew. in tit. de haered. quae ad intest. tit.* 1. *membr. de succ. Fisci num.* 20. nec patronus, nec defunctus fuit Clericus, ubi Ecclesia succederet, *l.* 20. *C. de Episc. et Cler.* Vid. *Peregr. lib.* 4. *tit.* 3. *num.* 1. *et seqq. Carpzov. p.* 3. *jurispr. const.* 18. *def. ult.*
Sed quid si quis rem mobilem vel immobilem 2
pro derelicta habeat? Resp. haec non acquiritur Fisco, sed primo occupanti, *Peregr. de jure Fisci l.* 4. *d. tit.* 3. *num.* 29.

L. Si vacantia. ult.

SUMMARIA

Forma confiscationis in iis provinciis, ubi Imperator non habet procuratorem. numm. 1. 3. 4. 5.
Generalis Constitutio hac in parte continens tres partes. 2. 6. 7.
Licet bona vacantia ipso jure deferantur Fisco, prius tamen requiritur discussio et sententia declaratoria. 8.

Imperator in quibusdam provinciis habebat 1
procuratorem, in nonnullis non, forte quod nullum ibi haberet patrimonium; Quae sit forma confiscationis in iis provinciis, ubi habet procuratorem, de eo loquitur *l. si quando* 3. *h. t.* de iis vero, ubi non habet, loquitur *lex haec ult.* quae est generalis Constitutio, continens 2
tres partes. I. Est constitutio, in quibus pro-

vinciis non est procurator Caesaris, in illa provincia, si quaedam bona fiant caduca et ad Fi-
3 scum devolvantur: 1. Destinandi certi officiales et juramento adstringendi, quorum sollicitudine bona vacantia sub Praeside investiganda: 2. In-
4 ventarium conficiendum, quot sint, et quan-
5 ta et qualia: 3. Inquirendum, an non sint, qui ea bona possideant, aut jus in iis praetendant, quod etiam publice denunciari per proclamationem, et contradicentibus certus terminus assignari debet, in quo comparere debeant, et probare jussi in camera Fisci, qui si non compareant, magistratus pronunciet bona ad Fiscum pertinere, et demum referantur haec omnia ad Principem, cujus est jubere, ut bona Fisco uniantur. Vid. *Peregr. de jure Fisci lib.* 4. *tit.* 3. *num.* 30. *et lib.* 7. *c.* 3. *num.* 10. *Pacian. lib.* 2. *de probat. c.* 7. *num.* 101. Et sic possessor non debet a Fisco spoliari, nec iis, qui jus praetendere possent non auditis, debent auferri bona, *Covar. lib.* 1. *resol. c.* 16. *num.* 9. *Klock. de aerario lib.* 2. *c.* 137. *num.* 36. *et de collectis c.* 19. *num.* 596. II. Pars formam hanc 6
extendit ad eum casum; Si non universitas bonorum, sed singularis aliqua res vel actio caduca fiat, ut ad Fiscum deferatur. III. Pars 7
continet sanctionem poenae, ut ii, qui fraudem Fisci contra hanc formam agunt, puniantur, officiales quidem, sive executores vel commissarii, poena arbitraria, Praeses dimidia parte bonorum, Fisci advocatus restitutione damni. Collige etiam; Licet bona ipso jure deferantur 8
Fisco, prius tamen requiri discussionem et sententiam declaratoriam, *Cevall. in spec. q.* 113. Colligit etiam ex *hac leg. et praeced. Perez. ad hunc tit. Klock. d. cap.* 19. *num.* 597. *num.* 33. Fiscum non esse haeredem, sed successorem a titulo haeredis diversum.

TITULUS XI.

De delatoribus.

SUMMARIA

Quid sit delator? num. 1.
Quinam tales esse possint? 2.

1 Delator est, qui vel ex officio, vel praemii causa, rem ad Fiscum pertinentem denunciat,
2 ut qui crimina publica, bona caduca, ereptitia, vacantia, commissa, tacita fideicommissa, et alia nunciat, et regulariter omnes esse possunt, nisi aetate, sexu, dignitate, officio vel crimine prohibeantur, *l.* 18. *ff. de jure Fisci.*

L. Si ei. 1.

SUMMARIA

Fideicommissum tacitum quid sit? num. 1.
An fideicommissum tacite alicui relictum valeat, et an Fiscus id, ut in fraudem legis quaesitum, occupare possit? 2.
Ratio decidendi. 3.
Quaenam, ut tacitum fideicommissum Fisco addicatur, requirantur? 4.
Si quis partem restituere rogatus, non nisi pars Fisco acquiritur. 5.

1 Tacitum fideicommissum est, quod verbis non est expressum, sed e voluntatis conjectura colligitur; v. gr. rogo haeredem, ut 100. illa praestet ei, cui ea restituenda heri rogavi. Quidam itaque ita tacite tale fideicommissum reliquit
2 fratri. Quaeritur: *An fideicommissum istud valeat, et an non Fiscus id, ut in fraudem legis quaesitum occupare possit?* Videtur Fisco favere *l.* 1. *et l.* 12. *ff. de jure Fisci.* Sed omnino fideicommissum valet, nec Fisco debetur. Ra-
3 tio: quia Adrianus ea tacita fideicommisa Fisco addixit, si quis in fraudem *Legis Papiae et Juliae* incapaci quid reliquerit tacite, sub chirographo ab haerede scripto, et haeres scriptus fidem suam adstrinxerit de dando incapaci, *M. Ant. Peregr. lib.* 3. *tit.* 19. *num.* 6. *et per l.* 3. *prin. ff. de jure Fisci.* Neque enim omnia tacita fideicommissa improbantur, per *l.* 46. *ff. de haered. inst. Goedd. ad l.* 229. *de V. S. M. Ant. Peregr. lib.* 3. *d. tit.* 19. Collige: Ut tacitum fi- 4
deicommissum Fisco addicatur, requiritur: 1. Ut relictum sit incapaci: 2. Ut incapax fuerit tempore testamenti conditi, *l.* 10. §. 1. *ff. de his quae ut indign.* 3. Ut haeres fidem suam interposuerit, v. gr. chirographo: 4. Ut id fecerit clam; qua de re in *d. l.* 10. *et l. seq. d. t. l.* 3. §. 7. *Si quis palam ff. de jure Fisci*, aliisque textibus, *Mantica de conject. vol. ult. l.* 10. *tit.* 4. *Covarr. p.* 2. *c.* 8. §. 5. *num.* 7. *de matr. Fr. Barry de success. lib.* 1. *tit.* 9. *num.* 40. Ex quibus sequitur, non requiri, ut haeres realiter restituerit incapaci, sed sufficere, si haeres tantum fidem suam defuncto accomodaverit, *Perez ad hunc tit. num.* 7. Unde infert *num.* 18. haeredem salva conscientia hanc partem retinere non posse, *arg. l.* 18. *ff. de his quae ut indign. etc.* ubi haeres dicitur possessor etiam ante litem motam, licet dissentiat *Covarr. d.* §. 5. *num.* 12 *et seqq. et Molina d.* 169. *num.* 10. Nec illud dubium; si quis partem rogatus sit 5
restituere, non nisi partem Fisco adquiri, per *d. l.* 10. *et l.* 3. *C. ad l. Falc. Barry d. t.* 9. *num.* 41.

L. Monente. 2.

SUMMARIA

Tenor legis. *num.* 1.
An advocatus Fisci crimen ab alio delatum jussu judicis prosequens, sed ob defectum probationis succumbens, incurrat poenam legis 4. h. t. *numm.* 2. 4.
Judex causam criminalem ab accusatore vel delatore desertam alii prosequendam dare potest. 3.

Qui delationem ab alio inchoatam prosequitur 1
ex necessitate officii, vel praecepto Judicis, li-

cet non probet, delationis tamen poenam non
sustinet. Nam qui ex officio denunciant, non
tenentur judiciis adsistere, et delata probare,
nec ad expensas restituendas obligantur, ut alii
sponte denunciantes, *Mevius part.* 1. *dec.* 41.
2 Advocatus ergo Fisci crimen ab alio delatum
jussu Judicis prosequitur, sed ob defectum pro-
bationis succumbit, Quaeritur: *An incurrat poe-
nam legis* 4. *h. tit.?* Quod recte negatur, quia
necessitas officii a praesumpta calumnia excusat,
l. 2. *ff. de calumniat.* praesertim si jussus Ju-
3 dicis accedat, et delatio ab alio facta. Nota Ju-
dicem causam criminalem ab accusatore vel
delatore desertam alii prosequendam dare pos-
4 se, ob utilitatem publicam, et qui jussu Judi-
cis prosequitur accusationem, voluntarii delato-
ris periculo non subjacet, modo evidens ca-
lumnia absit, *l.* 7. *C. de accusat. l.* 1. *C. de cu-
riosis et station. Perez. ad hunc tit. num.* 7.
Christinaeus vol. 5. *dec.* 14. *num.* 25. *Ant. Matth.
ad lib.* 48. *ff. tit.* 17. *c.* 3. *num.* 8. *Mascardus
de probat. concl.* 506. *num.* 3. *Menoch. lib.* 2.
A. Q. casu 198. *num.* 33.

L. Nulla macula. 3.

SUMMARIA

Facti species. num. 1.
Quaestio inde deducta. 2.
Ratio affirmandi. 3.
Negative decidendi ratio. 4.
Qui protegendae suae causae gratia aliquid ad Fiscum nunciat, delator non est. 5.
Idem, qui ulciscendi sui causa defert eum, a quo provocatus est. 6.
Ratio. 7.
Idem in eo, qui cum accusaretur, crimen in alium detorsit. 8.

1 A Caesarianis conventus es ob fundum fisca-
lem a te possessum, sed tu declinandae litis
causa alium nominas possessorem juxta *l.* 2. *C.*
2 *ubi in rem actio etc.* Quaeritur: *An pro delatore
habendus sis, et per consequens, an si ille non
possideat, et ita nominatio tua falsa deprehen-
3 datur, infamis fias?* Videtur quod sic, quia
defers alium, quasi rem fiscalem possideat; sed
4 Neg. quia, qui ad se excusandum et defenden-
dum defert, non habetur pro delatore, *hic et l.*
39. §. 1. *ff. de jure Fisci*, et qui protegendae
5 suae causae gratia aliquid ad Fiscum nunciat,
delator non est, *l. delator* 41. *ff. de jure Fisci.*
6 Sic, qui ulciscendi sui causa defert eum, a quo
provocatus est, non est delator, *l.* 2. *princ.
ff. de jure Fisci*, *Auctor in l.* 18. *ff. de inju-
7 riis num.* 5. quia facile ignoscitur ei, qui vo-
luit vindictam sumere de eo, a quo fuit pro-
vocatus, *Menoch. d. cas.* 198. *num.* 27. ut nec
8 ille, qui cum accusaretur, in alium ipse crimen
detorsit, *l.* 3. §. 14. *ad Silan. Perez. ad hunc
tit. num.* 11.

L. Ex varia. 4.

SUMMARIA

Facti species. num. 1.
Quaestio inde resultans. 2.
Is delator demum infamis est, qui lucri et invidiae alteri conciliandae causa aliquid Fisco nunciat, non qui amore reipubl. aut sui defendendi vel ulciscendi causa. 3.

In publico quis aedificat, ego, jure permittente 1
per *l.* 3. §. *fin. ff. de operis novi nunciat.* opus
novum ipsi nuncio, vel alius rem fiscalem vin-
dicat, ego rem defendo in gratiam Fisci, Quae- 2
ritur: *An pro delatore habendus sim, et si suc-
cumbam, ideo infamis fiam?* Videtur quod sic,
quia per consequentiam alterum insimulo, quasi
rem fiscalem invadat; sed Neg. quia intentio ho-
minis attendenda: nam nemo, qui rempubl. vel
patriam suam defendit, fit infamis, per *leg.* 2. *pr.
ff. de jure Fisci l.* 9. *C. ex quibus causis infa-
mia etc.* Collige: Eum delatorem infamem esse, 3
qui lucri et invidiae alteri conciliandae causa
aliquid Fisco nunciat, non qui amore reipubl.
per *hanc l. Perez. ad hunc tit. num.* 8. aut sui
defendendi causa, per *l. praeced. h. t.* vel se
ulciscendi causa, per *d. l.* 2.

L. Omnes. 5.

SUMMARIA

Sensus legis. *num.* 1.
Poena ejus, qui Fisco calumniose nunciat, quasi bona hujus vel illius in commissum cecidissent, et caduca facta essent. 2.
Bonorum prosecutio non fit a Praeside sine advocato. 3.
Nec a Judicibus causarum Fiscalium. 4.
Legitimus ordo in hoc processu servetur, et cur? 5.
Poena iteratarum calumniarum. 6.
Ob multitudinem delinquentium, et iterationem delicti poena non capitalis in capitalem mutatur. 7.
Geminatio atque iteratio frequens delictum aggravat. 8.
Transactio delatoris cum denunciato impunita non manet. 9.

Multi delatores calumniose nunciabant Fisco, 1
vel Praesidi, quasi hujus vel illius bona in com-
missum cecidissent, vel caduca facta essent,
quod prohibet hic Imperator, et constituit, ut 2
qui nunciare vult Fisco, id faciat praesente
Fisci advocato, *Christinaeus vol.* 5. *dec.* 14.
num. 26. alioquin extra ordinem punietur de-
lator arbitrarie, *Peregr. de jure Fisci lib.* 2.
tit. 1. *num.* 4. *Menoch. d. casu* 198. *num.* 5.
Lucas de Penna in rubr. h. t. nec sine advoca- 3
to fit bonorum prosecutio a Praeside, *l. ult. tit.
praeced.* nec a judicibus causarum fiscalium, *l.* 4
ult. C. de offic. advoc. Fisci et debet servari le- 5
gitimus ordo in processu, ne aliquis ex prae-
cipitantia se laesum conqueri possit; quia autem 6
delationes calumniosae nimis frequentabantur,
ideo calumniosum delatorem ob saepius itera-
tas calumnias etiam supplicio affici posse consti-
tuit. Collige: Ob multitudinem delinquentium, 7
et iterationem delicti, poenam non capitalem
mutari posse in capitalem, *l.* 16. §. *ult. ff. de
poenis*, et geminationem atque iterationem fre- 8
quentem, delictum aggravare, *arg. hujus legis*

et l. 8. §. 1. *ff. de vi publ. Petrus Caballin. cent.* 1. *resol. crimin. casu* 16. *num.* 39. *Finckel-*
9 *thaus. obs.* 5. *num.* 10. Nec impunita est transactio delatoris cum denunciato, *Peregrinus de jure Fisci lib.* 2. *tit.* 1. *num.* 6.

L. Servum. ult.

SUMMARIA

Non omnes delatores, qui delictum probant, praemium consequentur. num. 1.
Quinam crimen contra aliquem deferre prohibeantur? 2.
Omnes crimen laesae majestatis deferre admittuntur. 3.
Qui contra superioris obedientiam aliquid gessit, etiamsi rem prospere gesserit, puniendus est. 4.
Filius contra patrem, servus contra dominum, libertus contra patronum, vasallus contra dominum feudi, crimen etiam verum deferre non debet. 5.
Exceptio. 6.
Proditio, et proditorie quid facere odiosissima res est. 7.
Stante statuto cuilibet bannitum occidere licet. 8.
Restringitur. 9.
Gravior poena ejus esse debet, qui proditorie occidit. 10.

1 Non omnis delator, qui probat delictum, praemium consequitur. Nam quidam ob reve- 2
rentiam alicui debitam, ut servus, non debet deferre crimen contra dominum, *hic et l.* 2. §. *pen. ff. de jure Fisci*, idem est in liberto, *d.* §. *pen.* idem in subdito et clerico: praeferenda enim est reverentia, quae natura debetur commodo fiscali, adeo ut si capitis dominum accuset, ultore ferro puniatur, *l. pen. C. qui accusare possunt.* Excipit tantum Imper. crimen 3
laesae majestatis, ubi omnes admittuntur, etiamsi alias prohibiti. Collige: Puniendum eum es- 4
se, qui contra obedientiam Superioris aliquid gessit, etiamsi prospere rem gesserit, ut duces belli legati, *arg. hujus legis et leg.* 3. §. 15. *ff. de re milit.* Colligitur ergo ex *hoc textu:* Fi- 5
lium contra patrem, servum contra dominum, libertum contra patronum, vasallum contra dominum feudi non debere crimen etiam verum deferre, *Peregrinus de jure Fisci lib.* 2. *tit.* 1. *num.* 2. *Perez. ad hunc tit. num.* 5. quin et ve- 6
rosimile est, cum hic solum crimen majestatis excipitur, *l. pen. C. qui accusare non possunt*, et aliis exceptionibus videri per hos textus derogatum, *Ant. Matth. ad lib.* 48. *ff. tit.* 13. *c.* 1. *num.* 4. Colligunt etiam: Odiosissimam rem esse 7
proditionem, et proditorie quid facere. Hinc 8
stante statuto licere cuilibet bannitum occidere, id tamen non esse extendendum ad casum caedis 9
proditoriae per *hunc textum* colligit *Hippol. de Marsil. sing.* 16. *num.* 5. *Decianus lib.* 7. *pract. crim. c.* 30. *num.* 5. Et gravior debet esse poe- 10
na ejus, qui proditorie aliquem occidit, *Farin. q.* 18. *num.* 73. ubi plures citat.

TITULUS XII.

De petitionibus bonorum sublatis.

L. Quisquis. 1.

SUMMARIA

Bona Fisco delata nemo petere potest. num. 1.
An concessio de facto impetrata sit invalida? 2.
Propter importunitatem petentium Princeps quandoque non concedenda largitur, quae postea revocare potest et solet. 3.
In concessionibus Principum contra jus commune factis non praesumitur justa causa, sed praesumitur Principem importunitate et falsis narratis supplicantis esse circumventum. 4.
In gravioribus etiam conatus interdum punitur, licet nullum habuerit effectum. 5.
Multa data proprio motu stabilitatem habent, quae ad preces alicui data irrita sunt. 6.

1 Omnes prohibentur bona Fisco delata ex quacunque causa, et incorporata petere, et si
2 de facto impetretur concessio ejusmodi est invalida, nisi motu proprio Principis facta fuerit; ratio prohibitionis est, quia haec bona fiscalia nervum Reip. continent, et sine ruina Reipubl. haec alienari non possunt, *c. intellecto* 33. *X. de jurejur. et in l. fin. C. si contra jus etc.* Col-
3 lige: I. Propter importunitatem petentium, quandoque non concedenda largiri Principem, quae postea revocare potest et solet, *c. execrabil. de praeb. et dignit. in extravag. Joan. de Platea hic, et Enenckelius Baro tract. de privil. lib.* 1. *cap.* 5. *num.* 32. II. Colligunt: In con- 4
cessionibus Principum contra jus commune factis non praesumi justam causam, sed praesumi Principem importunitate et falsis narratis supplicantis circumventum esse, *Hippol. de Marsil. sing.* 6. *Gail. lib.* 1. *observ.* 14. *num.* 7. *et lib.* 2. *observ.* 58. *num.* 2. *Klock. de contrib. c.* 19. *num.* 483. III. In gravioribus etiam conatum 5
interdum puniri, licet nullum habuerit effectum, ut hic in petitione rei fiscalis, licet ea infructuosa, tamen petens, reus violatae legis habeatur. IV. Multa data proprio motu, stabilitatem 6
habere, quae ad preces alicui data irrita sunt, *Enenckel. Baro d. lib.* 1. *c.* 5. *num.* 28.

L. Omne semen. ult.

SUMMARIA

Quinam a Principe res fiscales petere prohibeantur? num. 1.
Restringitur. 2.
Poena majorum est metus minorum. 3.
Casus, ubi notariis scribentibus aliquem contractum poena indicitur publicationis bonorum. 4.

Immodicae donationes Principum ab ipsis donatoribus aut eorum haeredibus revocari possunt et debent. 5.

1 Non tantum prohibentur omnes petere a Principe res fiscales, ut in *l. praeced.* dictum, sed et Quaestor, qui petitioni tali subscribit, Comes rerum privatarum, cui talis petitio oblata, Memoriales qui tales donationes decretas excipiunt, et Palatini, qui acta ediderunt, poenae subjiciuntur, quod extenditur ad donationem redituum civilium et
2 aliarum rerum publicarum. Sed *Baldus Joan. de Platea et Perez. hic num.* 6. *hanc legem* ad eas res Fisco delatas restringunt, quae Fisco incorporatae, vel quarum dominium ipso jure Fisco quaesitum, sed poenas Fisco debitas impetrari posse putant, quod quidem textui vix, sed consuetudini tamen convenit. Collige; Poe- 3
nam majorum esse metum minorum. Collige: 4
Casum, ubi notariis scribentibus aliquem contractum poena indicatur publicationis bonorum, *Menoch. lib.* 2. *A. Q. casu* 682. *num.* 2. ubi *n.* 1. *et num.* 3. *et seqq.* similes collegit casus. Notan- 5
dum etiam, immodicas donationes Principum ab ipsis donatoribus aut eorum haeredibus revocari posse et debere, qua de re *Klock. de aerario l.* 2. *c.* 45. *per tot.*

TITULUS XIII.

De his, qui se deferunt.

L. Is cujus. un.

SUMMARIA

Etiam ille, qui se ipsum defert, praemium idque majus meretur. num. 1.
Species legis. 2.
Cur vidua fideicommissaria h. l. *consequatur dimidiam omnium bonorum, in* l. 49. *autem* ff. de jure Fisci *dimidiam dodrantis?* 3.
Saepe in jure ii, qui ipsi sua crimina detegunt, impunitatem reportant. 4.
Divisio rei communis inter Fiscum et privatum per Fiscum fiat electione data privato, quod speciale h. l. *num.* 5.
Restringitur regula num. 1. *data.* 6.
Quinque casus ex Menochio. 7.
Ampliatio hujus legis. 8.
Quod hoc casu Fisco debetur, ei Fisco est assignandum, cui subjectus confessus. 9.

1 Cum ille praemium mereatur, qui alios defert, magis praemium meretur, qui seipsum detulit, quo enim difficilius quisque seipsum defert, eo majori praemio, ad id invitandus est, *Franc. Barry de success. lib.* 1. *tit.* 9. *num.* 42. *Menoch.*
2 *lib.* 2. *A. Q. casu* 198. *num.* 36. Species *hujus legis* est: Instituit quis haeredem, et eum tacite rogavit, ut restitueret haereditatem defuncti uxori, quae ejus non est capax, cui haeres accommodavit tacitam fidem de restituendo; Si hic haeres post apertas tabulas statim se deferat, pro praemio habet tertiam partem omnium bonorum, sed, si id non faciat, sed fideicommissaria vidua id detegat, haec habet pro praemio dimidiam omnium bonorum, adeo ut habeat etiam optionem; haeres vero occultator
3 deportationis poenam incurrit. Sed in hoc dubium est, cur hic fideicommissaria consequatur dimidiam omnium bonorum, et in *l.* 49. *ff. de jure Fisci* dimidiam dodrantis? Resp. quidam, hic de vidua agi ob id privilegiata; Rectius autem dicitur, hic de eo casu agi, quando fideicommissarius nondum accepit dodrantem, et se detulit. Verum *d. l.* 49. agi de eo, qui jam acceperat, et ita delictum consumavit, *Barry d. t.* 9. *num.* 42. *Menoch. d. casu* 198. *num.* 41. Collige: Eos 4
in jure saepe impunitatem reportare, qui ipsi sua crimina detegunt, exempla sunt in *l. quisquis §. ult. C. ad l. Jul. majest. l.* 1. *vers. accusatoribus C. de fals. monet. l.* 1. *§.* 26. *ff. de quaest. Auth. novo jure C. de poena judic. qui male judic.* Vide *Heigium part.* 2. *quaest.* 32. *num.* 21. *et seqq.* Colligunt ex *hoc textu* jus 5
speciale, ut rei communis inter Fiscum et privatum divisio fiat per Fiscum electione data privato, *M. Ant. Peregr. de jure Fisci lib.* 6. *tit.* 4. *num.* 24. Sane *haec lex* de incapacibus lo- 6
quitur, nam indigni non habent praemium, quod iis debetur, qui se ipsos deferunt, *l.* 5. *§. fin. ff. quae ut indignis.* Collige ergo ex *Menochio* 7
d. l. quinque casus: 1. Aut haeres detegit fideicommissum et accipit tertiam partem bonorum: 2. Aut ipse fideicommissarius incapax detegit ante restitutionem factam, et accipit dimidiam bonorum sibi relictorum: 3. Aut fideicommissarius detegit post restitutionem, et accipit dimidiam dodrantis: 4. Aut indignus se defert, et nihil accipit: 5. Aut quis jam ante tabulas apertas delatus est ab alio, et post apertas se ipsum defert, et non videtur praemium accipere, *l.* 13. *§.* 7. *ff. de jure Fisci*, *Menoch. d. l. num.* 41.
Notetur tamen, *hanc legem* non tantum in tacito fideicommisso, sed de aliis etiam delictis 8
esse intelligendam, *Perez. hic num.* 6. Unde ex hoc capite poenas mitigatas fuisse memini. Et 9
quod in hoc casu debetur Fisco, ei Fisco assignandum, cui subjectus confessus, scilicet si laicus, Fisco seculari, si Clericus, Fisco ecclesiastico, *Perez. hic in fine.*

TITULUS XIV.

Si liberalitatis Imperialis socius sine haerede decesserit.

L. Jubemus. un.

SUMMARIA

Facti species. num. 1.
Quaestio inde deducta. 2.
Ratio dubitandi. 3.
Decidendi. 4.
In multis casibus, etiam in contractu quasi jus accrescendi est. 5.
Quinam per haeredem h. l. *intelligatur?* 6.
Alia decidendi ratio. 7.
An idem eo casu, quando Princeps duobus feudum concedit, quod scilicet decedentis pars alteri accrescat? 8.

1 Donaverat Imperator rem Fisco delatam proprio motu duobus aulicis, unus decedit, nullo
2 haerede relicto, Quaeritur: *An decedentis pars Fisco adquiratur, ut vacans, an vero condona-*
3 *tario accedat?* Videtur hoc quod non, quia in contractibus jus accrescendi locum non habet.
4 Sed affirm. Imper. ratio in *l. fin. ff. de constitut.*
5 *Princ.* et in multis casibus etiam in contractu quasi jus accrescendi est, ut *l.* 1. §. *pen. ff. de usufruct. accresc. l.* 5. *ff. commun. praediorum* etc. *l.* 61. *ff. de contrah. emp.* per haeredem autem 6
hic omnis successor intelligitur, licet ipsa successio socii non sit universalis, sed singularis, *Peregr. de jure Fisci lib.* 4. *tit.* 3. *num.* 8. v. gr. si alter sociorum repudiat suam partem, nam tunc alter solidum consequitur, *Joan. Guttierez in rep. leg. un. C. quando non petentium partes etc. num.* 41. Quamvis autem 7
hujus legis rationem decidendi in jure accrescendi collocent, quos sequitur *Anton. Gomez. lib.* 1. *res. c.* 10. *num.* 2. et *Dn. Carpzov. p.* 3. *jurispr. constit.* 2. *def.* 16. *num.* 7. alii tamen forte rectius hoc non juri accrescendi, sed liberali interpretationi Principis tribuunt, *Hillig. in Don. lib.* 7. *c.* 12. *lit. L. Perez. ad hunc tit. num.* 11. Sed Quaeritur: *An idem eo casu, quan-* 8
do Princeps duobus feudum concedit? Quoniam non apparet *hanc legem* ad meras donationes restringendam esse, verior videtur sententia affirmans. Videatur *Rosenthal. de feudis cap.* 6. *conclus.* 74. *Schrad. de feud. part.* 7. *c.* 1. *num.* 11. *Clarus* §. *feudum quaest.* 77. *num.* 2. *Card. Mantica de tac. et ambig. convent. lib.* 23. *tit.* 38. *num.* 59. *Vasq. de success. progres. lib.* 3. §. 23. *num.* 120. et quos allegat *Klock. vol.* 2. *cons.* 24. *num.* 21. praesertim si feudum proprio motu concessum, *Schrad. d. l. num.* 11. et *Klock. d. l. num.* 22.

TITULUS XV.

De thesauris.

L. Nemo. un.

SUMMARIA

Thesauri definitio. num. 1.
Quid juris, si quis thesaurum in suis locis invenit? 2.
Quid si quis data opera, sive ignorante sive consentiente domino in alieno loco quaerat? 3.
Sed quid si inopinato v. gr. inter arandum inveniat? 4.
Quid juris in usufructuario? 5.
Quid in thesauro reperto in loco religioso? 6.
An emphyteuta et vasalli in inventione thesauri pro domino sint habendi? 7.
An constitutio Principis, ut thesaurus ubicumque repertus cedat Fisco, valere possit? 8.
An dominus alteri concedere possit, ut in suo quaerat? 9.
Quod communis juris dispositione provisum est, singulariter peti et impetrari non debet. 10.

1 Thesaurus est vetus quaedam depositio pecuniae, cujus non extat memoria, ut jam dominum non habeat, *leg.* 31. §. 1. *ff. de adquirend. rer. domin. ibique Auctor num.* 2. Thesaurum 2
autem qui in suis locis invenit, totum lucratur, quia Dei beneficium est, quo beat inventorem, *Hen. Arnis. de juribus majest lib.* 3. *cap.* 6. *num.* 22. *Klock. de aerario lib.* 2. *cap.* 116. *n.* 7. *et seq.* etiam emptor, non venditor, *leg.* 67. *ff. de rei vindic. Perez. hic num.* 3. nec opus habet speciali concessione Principis, modo non illicitis artibus quaerat, nam tunc Fisco cederet, *Peregr. de jure Fisci lib.* 4. *tit.* 2. *num.* 2. *Pet. Barbosa l.* 8. *si fundum n.* 30. *ff. sol. matr.* In alieno autem si quis data opera quaerat, sive ignoran- 3
te, sive consentiente domino, nihil inde adquirit, quod ita constitutum, ut coerceretur vanitas hominum et cupiditas alienis inhiantium, et ansa praescindatur effodiendi agros, et alia loca occulta, *Perez. ad hunc tit. num.* 2. *Petr. Barb. in d. l.* 8. §. *si fundum num.* 40. *et seqq. ff. sol. matr.* Quod etiam de eo intelligendum, qui in suo fundo magicis artibus quaesivit thesaurum, ut contra *Alciatum lib.* 7. *parergorum cum Garcia de expensis cap.* 22. *num.* 52. statuit *P. Bart. ad d.* §. *si fundum num.* 31. Nec habet locum *lex* 2. *C. de rescind. vendit.* quando emptor scivit thesaurum et ideo emit a venditore ignorante thesaurum, *Barb. d. l. num.* 32.

4 *qui in seqq.* plura hoc de titulo proponit. Sed
si inopinato, v. gr. inter arandum inveniat,
dimidia inventori, altera dimidia domino debe-
5 tur, *hic et* §. 39. *Institut. de R. D.* quod etiam
in usufructuario locum habet, *Castillo de usufr. cap.* 37. *num.* 20. *Schneid.* §. *Thesauros num.* 8. *Inst. de rerum divis. Carpzov. p.* 2. *c. ult. def.* 6.
6 Sed *quid in thesauro reperto in loco religioso?* Resp. totum defert inventori §. 39. *Inst. de rerum div.* sed partem dimidiam Fisco *l.* 3. §. *fin. ff. de jure Fisci,* quorum illud de loco religioso, cujus usum habet inventor, hoc de aliis intelligendum videtur, Vid. *Petr. Barb. in d.* §. *num.* 42. *et seqq. Carpz. p.* 2. *c.* 53. *def.* 5. *Donell. et Hill. lib.* 4. *c.* 14. *Bacch. in Tr. v.* 2. *d.*
7 20. *th.* 2. *lit. G.* Sed de emphyteuta et vasallo Quaeritur: *An in inventione thesauri pro domino sint habendi?* Et verior est sententia affir. per tradita *Rosenthalii c.* 5. *concl.* 93. *Perez. hic num.* 7. alia ratio est mariti possidentis fundum dotalem, *l.* 7. §. 12. *in fin. ff. sol. matrim.*
8 An autem possit valere Constitutio Principis, ut thesaurus ubicumque repertus cedat Fisco, multi dubitant, sed puto valere, nam potest
Princeps disponere de iis, quae sunt nullius; sicut etiam potuit inventori in alieno dimidiam attribuere etc. *Covar. in c. peccatum p.* 3. §. 2. *num.* 4. *Molin. de J. et J. tr.* 2. *d.* 56. *num. fin. Perez. ad hunc tit. n.* 14. *P. Barb. d. l. n.* 40.
Quod autem quidam ex textu volunt probare, 9
nec dominum alteri concedere posse, ut in suo quaerat, id non de eo casu intelligendum, si quis in alieno fundo vellet quaerere ipso consentiente, ad ejus etiam utilitatem, nec de eo, quando dominus jus quaerendi thesauri sponte in alium transfert, sed quando cumulative in eum transtulit jus sibi et domino investigandi, quod ultimum placuit, quia inventio thesauri est res incertissima, in qua vane se homines exercent, quam vanitatem et inconsultam cupiditatem alienos agros effodiendi Imper. voluit
reprimere, *Barb. d. num.* 40. *et seq.* Collige ex 10
lege: Non debere singulariter peti et impetrari, quod communis juris dispositione provisum est, *Besol. cons.* 134. *num. pen. Enenck. Baro de privil. lib.* 1. *c.* 6. *num.* 7. *Surdus cons.* 215. *num.* 23. *Klock. cons.* 10. *num.* 587. *vol.* 1. *et cons.* 11. *num.* 26. *et cons.* 29. *num.* 750. *etc.*

TITULUS XVI.

De annonis et tributis.

L. Aes quidem. 1.

(quae aliis est 2. *)*

SUMMARIA

Differentia inter annonam et tributum. num. 1.
Facti species. 2.
Annon omnes haeredes pro rata teneantur ad annonarum solutionem? 3.
Ratio affirmandi. 4.
Negative decidendi ratio. 5.
Census, tributa, et annonae sunt onera realia, et in quemcumque possessorem transeunt. 6.
Onus collectarum tantum iis incumbit, qui possident et fructus percipiunt. 7.
Exemplum subjicitur. 8.
Differentia inter onus personale et reale. 9.
Fisco ratione tributi praeteriti cum haerede agere est integrum, licet ille praedium tributarium non possideat. 10.
Legatarius tributum praestans ab haerede repetit. 11.

1 Annona et tributum ita differunt, quod illa erat species fructuum ad tuendum exercitum a possessoribus quotannis erogari solita, ut frumentum, oleum, sal, caro, vinum, foenum etc. Tributum vero erat pecunia vel jumenta ad tuen-
2 dum exercitum ex praediis suppeditata. Jam Titius debitor mansit annonarum, quas ex fundo Tusculano debebat solvere. Eo defuncto tres ipsius liberi dividunt haereditatem, sed Antiocho
3 filio praedium illud obvenit, Quaeritur: *An omnes haeredes pro rata teneantur ad annona-*
4 *rum solutionem?* Videtur quod sic, quia aes alienum ipso jure XII. *Tabul.* inter haeredes est divisum, etiamsi fiscale sit, per *leg.* 2. *C. de haeredit.*
act. Sed neg. quia annonae et tributa imponun- 5
tur non personis, sed rebus, *l.* 7. *ff. de publicanis*, ideo est onus reale, quod possessorem
sequitur, *dict. leg.* 2. Collige: Census, tributa 6
et annonas esse onera realia, et transire in quemcumque possessorem, *leg. fin. ff. de muner. et honor.*
Collige: Onus collectarum tantum 7
iis incumbere, qui possident, et fructus percipiunt, *Klock. de contribut. cap.* 11. *num.* 180.
Et ideo, si de feudo inter duos lis sit, v. gr. quan- 8
do res nuper empta retrahitur cognato, ille interim collectas solvet, quia fructus percipit,
Mevius p. 5. *dec.* 363. Et in hoc differre onus 9
personale a reali, quod illud haeredes agnoscant pro rata personarum, hoc vero pro rata bonorum, *Costa tract. de rata quaest.* 45. *num.* 15. *Klock. de contrib. c.* 17. *num.* 107. *et vol.* 2. *cons.* 83. *num.* 47. *Perez. ad hunc tit. num.* 21.
Integrum tamen erit Fisco ratione tributi prae- 10
teriti agere cum haerede, licet ille praedium tributarium non possideat, sed legatarius, per
l. 39. §. 5. *ff. de legat.* 1. Si autem legatarius 11
conveniatur, et praestet tributum, id ab haerede repetit, *l.* 5. *ff. de censibus*, *Afflict. dec.* 93. *n.* 3. *Perez. ad hunc tit. num.* 20.

L. Indictiones. 2.

SUMMARIA

Possessor rei ultra partem quam possidet, tributis gravari non potest. numm. 1. 4.
Munera patrimonialia quomodo imponantur. 2.
Collectae sunt onera fructuum, et ratione possessionis et perceptionis fructuum expediuntur. 3.
Catastrum pro varietate temporum mutari potest. 5.

1 Quia tributa et annonae possessorem rei sequuntur, ideo possessor, ultra quam possidet, gravari illis non potest, ut nec aliis muneribus, v. gr. qui pro parte dominus agri est, ad partem etiam annonarum tenetur, *hic et l. 3. infra de coll. fund. patrim.* atque sic est explicatio
2 *legis praecedentis.* Collige ex *hac et seq. lege:* Munera patrimonialia imponi pro modo facultatum, et possessionum, et secundum aes
3 et libram, et pro ratione fructuum; nam collectae sunt onera fructuum, et ratione possessionis et perceptionis fructuum expediuntur, *Surd. de alimentis tit. 7. privil. 91. num. 8.* et quos allegat *Carpzov. lib. 4. resp. 72. num. 25. et resp. 73. num. 1. Besold. cons. 52. num. 4.* et quos allegat magno numero *Casp. Klock. de*
4 *contrib. c. 11. num. 100. et num. 109.* et ultra modum possessionis nemo est adgravandus, et
5 ideo aestimum, seu catastrum pro varietate temporum mutari debet, ne quis ex post facto, cum pretia rerum mutentur, ultra possessionem bonorum gravetur, *Klock. de contribut. cap. 17. num. 115. et seqq. et vol. 1. cons. 28. num. 393. et Cravetta cons. 195.*

L. Omnes. 3.

SUMMARIA

Delegationes quid sint? num. 1.
An rectores plusquam ipsis mandatum, exigere possint, vel de tributo nonnullis aliquid possint demere vel immunitatem concedere? 2.
Quibus executio tributorum commissa, aliquid addere vel demere nequeunt, nisi de suo resarcire velint. 3.

1 Delegationes sunt rescripta Principum, quae certum modum collectarum continebant, Quae-
2 ritur: *An rectores plus quam ipsis mandatum, exigere possint, vel de tributo nonnullis possint aliquid demere, vel immunitatem concedere?* Resp. Neutrum licere, quia tributorum et annonarum modus a Principe manat, et exactio tributorum est de regalibus Principum, Confer. *Klock. de contrib. cap. 6. num. 51. et seq.* Propter paupertatem tamen posse aliquid demi, notat *hic Gloss.* cum Praeses patrem agere, et tanquam pater filiis praesse debeat. *Nov. 8. cap. 8.*
3 Collige: Eos quibus executio tributorum exigendorum commissa, non posse aliquid addere nec demere, nisi velint de suo resarcire, *Alphons. de Arevedo in const. reg. Hisp. lib. 6. tit. 11. §. 3. num. 21.* quem laudat *Klock. de contrib. cap. 18. num. 231.* et eos, omnibus quorum interest, rescriptum vel quantitatem summae inferendae indicere debere.

L. Omnes omnino. 4.

SUMMARIA

An immunitatem habens ab omnibus functionibus et praestationibus publicis, ab ordinariis etiam habeat; h. e. iis, quae a lege dependent, et uniformem quantitatem semper habent? num. 1.
Ratio affirmandi. 2.
Negative decidendi ratio. 3.
Ordinarium tributum quodnam h. l. dicatur? 4.
Tria faciunt munus ordinarium, et quaenam? 5.

Habebat quis immunitatem speciali rescripto 1
Principis concessam ab omnibus functionibus, id est, praestationibus publicis, Quaeritur: *An etiam ab ordinariis habeat?* id est, quae a lege dependent, et uniformem quantitatem semper habent, v. gr. *(Grundschoss, Hufenschoss, et simil.)* Videtur quod sic, ob universalitatem. 2
Resp. Imp. neg. Nam tales functiones, quae 3
quotannis ex fundis debentur, ordinariae sunt, non extraordinariae; ergo immunitas illa ad extraordinaria onera, et quidem tempore datae immunitatis existentia, sunt restringenda. Vid. *Wes. in π. titul. de vacat. mun. in fin. Gail. lib. 2. obs. 52. num. 26. Myns. cap. 4. obs. 70. Caspar. Klock. in tract. de contrib. cap. 16 sect. 1. num. 49. et vol. 1. cons. 27. num. 40.* Or- 4
dinarium hic tributum dici notetur, quod habet certam, annuam et regularem atque uniformem praestationem, *Cacher. decis. 59. num. 49. Car. Tapia in repet. rubr. de const. princ. c. 4. num. 39.* Tria enim faciunt ordinarium munus: 5
1. Indictio Imperatoris: 2. Causa ordinaria et successiva: 3. Uniformitas, *Klock. de contrib. c. 2. num. 6. Petr. Heig. lib. 1. q. 17. num. 15. et 38.* Sed primum cum extraordinariis commune est.

L. Pro locis. 5.

SUMMARIA

Quando annonae ad usum exercitus transvehi debeant? num. 1.
Magis distantes minus gravandi sunt portandi onere propter itineris impensas. 2.
Exemplum. 3.

Quaeritur: *Quando annonae ad usum exercitus transvehi debeant?* Resp. Si possessiones non 1
sunt nimis remotae a finibus provinciae, tunc ipsi possessores annonas usque ad terminos provinciae transvehere debent. Si vero nimis remotae essent, transvectio proximis possessoribus imponenda, per *l. 4. infra de erogat. milit. annonae.* Sed extra provinciam deferre non coguntur, per *l. nemo 7. h. t.* Nota bene: Magis 2
distantes, minus gravandos onere portandi, propter expensas itineris; Viciniores autem magis gravandos. Sic in extruendo castro vicini 3
magis gravandi, quam remoti, quia relevantur in expensis itineris, *Joan. de Platea hic num. 1. et Perez. ad hunc tit. num. 25.*

L. In fraudem. 6.

SUMMARIA

An rescriptum immunitatem ab oneribus ordinariis et extraordinariis tribuens subsistat? num. 1.

Princeps ex justis causis immunitatem ob oneribus concedere potest. 2.
Limitatur. 3.
Omnes immunitatem a Turcicis collectis petere prohibentur. 4.

1 Impetraverat quis rescriptum, et in eo immunitatem ab oneribus ordinariis, et extraordinariis, Quaeritur: *An subsistat?* Videtur quod sic, quia Imperator potest eximere aliquem. Sed respondetur, non quaerendum quid possit, sed quid velit. Cum hoc rescriptum in praejudicium Fisci, atque ideo Reip. tendat, praesumitur laborare vitio subreptionis et obreptionis, ob *l. fin. supr. si contra jus etc. et l. vacuatis* 19. *C. de decur.* ideoque non obstante tali rescripto, Praeses omnes aequaliter ad inferenda onera urgebit, *Klock. de contrib. cap.* 9. *num.* 63. *et seq. et cap.* 16. *sect.* 1. *num.* 47. *Carpzov. lib*
2 1. *resp.* 75. *num.* 7. Nihilominus tamen Princeps ab oneribus, ex justis causis, de quibus alibi, et si ipsi obreptum non sit, immunitatem concedere potest. Vid. *Rosenthal. c.* 5. *concl.* 8. *Klock. c.* 16. quamvis aequum esset, ut tales immunitates non gravarent concives,
3 sed ut remissa portio Fisco decederet. Et distinguendum etiam inter collectas, quas utilitas Reip. suadet, et quas summa et extrema Reip. necessitas extorquet, *Carpz. d. resp.* 75. *num.* 19.
4 In *Recessu de an.* 1529. omnes immunitatem a Turcicis collectis petere prohibentur.

L. Nemo. 7.

SUMMARIA

Mansionum descriptio. num. 1.
Nostris Magazin *dicuntur.* 2.
Non omnes ejusmodi mansiones extruere tenentur. 3.
Rustici extra castrum et domicilium dominorum servitia praestare haud tenentur, nisi id antiqua consuetudine sit introductum. 4.
Quando in legibus vel statutis dicitur aliquem non teneri longius ire, id de itione extra provinciam suscipienda intelligatur. 5.

1 Mansiones erant diversoria, in quae se recipiebant milites, quae annonis et pabulis instrue-
2 bantur, ex collatione vicinorum, nostris *Maga-*
3 *zin.* Hic ergo constituit Imperator, neminem ex longe dissitis locis vel etiam ab provincia deberi cogi, ut tales mansiones instruat, idest, annonam illuc advehat; debet ergo in talibus instructionibus ratio haberi longinquitatis, iti-
4 neris et viarum. Colligunt ex *hac lege;* Rusticos extra castrum et domicilium dominorum servitia praestare haud teneri, nisi id antiqua consuetudine sit introductum, *Gilman. in decis. camer. p.* 2. *dec.* 4. *num.* 8. *Esa. Rosacorv. in pract. for. c.* 37. *num.* 43. *Dn. Carpz. lib.* 1. *res.* 75. *num.* 5. *et seq. et num.* 11. Nota etiam:
5 Quando in legibus vel statutis dicitur, aliquem non teneri longius ire, id de itione extra provinciam suscipienda intelligendum esse, *Joan. de Platea hic num.* 3.

L. Mediterraneae. 8.

SUMMARIA

Sensus legis. *num.* 1.
Impensae transvectionis vel executionis valorem tributi superare non debent, neque hoc permittendum. 2.
An idem in tutore? 3.

Ex invidia fiebat, ut mediterraneae civitates 1
cogerentur annonam magnis sumptibus transvehere ad exercitum maritimum, e contrario illae maritimae ad exercitum terrestrem; ex quo id sequebatur, quod sumptus transvectionis summam devotionis, id est, collectae superarent. Id ergo *hac lege* prohibet Imperator, sub poena supplicii. Collige: Impensas transve- 2
ctionis vel executionis non debere superare valorem tributi, neque hoc permittendum esse in aliis, ut impensa superet rei valorem, v. gr.
quamvis tutori incumbat onus exigendi debita, 3
l. 2. *C. arbit. tut.* Si tamen pluris constaret exactio, quam ipsum nomen, excusaretur, per tradita *Jo. de Plat. hic et Jo. Guttierez de tutel. p.* 3. *c.* 1. *num.* 95. idem de refectione ruinosarum aedium, quae alias tutori incumbit, *l.* 22. *C. de adm. tut.* item licet teneatur conficere inventarium, et exigere debitores haereditarios; secus tamen est, si expensae ipsam absorbeant haereditatem, *Bart. hic num.* 3. *et Platea, et Menoch. de A. J. Q. lib.* 2. *cas.* 72. *num.* 8. *Guttierez de tut. p.* 2. *cap.* 1. *num.* 47.

L. Obsistere. 9.

SUMMARIA

Facti species. num. 1.
An dominus feudi in dignitate constitutus, cessante emphyteuta per sesquiannale spatium, ad solutionem tributorum possit compelli? 2.
Ratio dubitandi. 3.
Decidendi ratio. 4.
Ab oneribus statutis ordinariis nulla excusat dignitas, sed tantum a personalibus et sordidis. 5.
Exemplo illustratur. 6.
Colonum morosum, vel usufructuarium, vel emphyteutam dominus repellere potest. 7.
Si possessor fundi tributarii intra annum non solvit, post annum intra 6. menses potest dominus solvere, et tunc a possessore repetere. 8.
Tempus, intra quod cessante possessore fundi tributarii fundus subhastari possit, praecisum hic non habetur. 9.

Habebat aliquis in dignitate constitutus em- 1
phyteutam, vel usufructuarium, vel colonum; ad hos autem spectant onera patrimonialia, per *l.* 2. *C. de jure emphyt. et l.* 7. §. 2. *ff de usufr.* sed hi in solutione cessant per sesquiannale
spatium, Quaeritur: *An dominus compelli pos-* 2
sit ad solutionem tributorum? Et videtur quod 3
non, ob dignitatem, et quia nullum fructum
percepit ex fundo. Sed Aff. quaestio; Notetur 4
quod I. Nulla dignitas ab oneribus statutis or- 5

dinariis excuset, *hic et l. 5. h. t. Gail. lib. 2. obs.* 52.
num. 12. *Enenkel. Baro de privil. lib.* 1. *c.* 6.
Klock. de contrib. c. 15. *num.* 103. sed tantum
a personalibus et sordidis, *l. maximarum C. de*
6 *excus. mun.* Et sic, si nobilis vel alias privile-
giatus succedat non exempto in bonis collectari
solitis, v. gr. bona civium vel rusticorum si
emat nobilis, ad collectas omnino ratione bo-
norum ille solvendas obligatur, ab iis bonis ve-
ro, ex quibus servitia equestria solvit, immunis
7 est, *Mevius part.* 1. *c.* 4. *dec.* 106. II. Talem mo-
rosum colonum vel usufructuarium vel emphy-
teutam dominus potest repellere. Ita enim *hunc*
textum Gl. et DD. intelligunt, quando scilicet
conventionem domino non servat, juxta *d. l.*
2. *Paulus Christin. decis.* 18. *num.* 8. Collige:
8 Si possessor fundi tributarii intra annum non
solvit, post annum intra 6. menses potest do-
minus solvere, qui, si solvat, repetit a posses-
9 sore. Nota: Non probari ex *hac lege*, praecisum
hic haberi tempus, intra quod cessante posses-
sore fundi tributarii, fundus subhastari possit,
Menoch. lib. 2. *A. Q. cas.* 55. *num.* 6.

L. Judices. 10.

SUMMARIA

Onus imponendi et exigendi tributa etiam ad Praesides spectabat. num. 1.
Poena judicis in exactione negligentis. 2.
Desidia officii salarii amissione punitur. 3.
Officialis negligens non praesumitur. 4.
Praeses interesse debet conventibus provincialium, quando de collectarum distributione deliberatur. 5.
Non ut collectandi ita et modum dicendi esse de regalibus, sed de facultate cujusque universitatis. 6.

1 Ad Praesides spectabat etiam onus profligan-
di, id est, imponendi et exigendi tributa, per
2 *l.* 6. *C. de exact. tribut.* Si ergo Judex erat
negligens in exigendis tributis, poterat privari
omnibus emolumentis, quae ex munere perce-
pit, id est, toto salario. Nam alia compendia
habere nequit; quod hic speciale; nam alias qui
in officio negligens est, punitur tantum pro il-
lo tempore, quo est negligens, *arg. l.* 33. §.
similiter ff. locati. (ibi, *ejus scilicet temporis*)
3 Collige: Desidiam officii puniri amissione salarii,
hic et l. fin. C. de vest. holob. imo et re-
4 motione, *Menoch. cons.* 263. *num.* 14. Collige;
etiam officialem non praesumi negligentem, *hic*
et l. 2. *supr. de off. civil. jud. Mascardus de*
probat. concl. 1093. *Menoch. cons.* 1205. *num.* 48.
Collige: Praesidem debere interesse conventibus 5
provincialium, quando de distributione colle-
ctarum deliberatur: Nec enim ut collectandi, 6
ita et modum dicendi esse de regalibus, sed de
facultate cujusque universitatis, *Mevius p.* 3.
dec. 216. *num.* 1. Ut autem mutatio modi non
sit incongrua vel iniqua vel parum proficua,
Praeses providebit, *Mevius d. dec.* 216. *num.* 4.

L. Id ab unaquaque. ult.

SUMMARIA

Lex haec *est localis, et quaenam ejus species? num.* 1.
Compositiones Principum cum subditis super quota collectandi a Principe revocari non debent. 2.
Item onera realia in personalia mutari et subditi tributis gravari non debent, ultra quam possunt et idonei reperiuntur. 3.
Tributa a sponte dantibus potius capienda quam extorquenda. 4.
Ecclesia ratione praediorum suorum vel hominum tributum ordinarium debet solvere. 5.
Privilegium amittit, qui eo abutitur. 6.

Lex *haec* localis: Imperator cum aliquot pro- 1
vinciis graecis transegerat, ut quaedam pro-
vinciae loco tributi ordinarii dimidiam capita-
tionem solverent, aliae vero tertiam partem,
quia plus solvere se non posse protestatae erant.
Resp. Imperator; Compositionem hanc esse ser-
vandam, nec mittendum esse per aequatorem
seu inspectorem mittendi tributi causa. A capi-
tatione autem ista nec Ecclesias quidem esse
immunes, excepta tantum Thessalonicensi Ec-
clesia, modo Ecclesia ista privilegiata, alios non
privilegiatos in fraudem Fisci non protegat.
Collige: Compositiones Principum cum subditis 2
super quota collectandi a Principe revocari non
debere, quia habent vim legis, *arg. l.* 15. *ff. de*
publican. Everhardus vol. 1. *cons.* 16. *num.* 5.
Klock. de contr. cap. 16. *sect.* 1. *num.* 173.
Item realia onera posse mutari in personalia, 3
item subditos gravari tributis non debere ultra
quam possint et idonei reperiantur; et potius 4
a sponte dantibus capienda, quam extorquen-
da, *Lucas de Penna hic*, quem laudat *Klock.*
de contrib. c. 4. *num.* 41. Item Ecclesiam ra- 5
tione praediorum suorum vel hominum ordina-
rium tributum solvere debere, *Cacheranus dec.*
591. *num.* 21. *Casp. Klock. d. tract. c.* 19. *num.*
235. scilicet de praediis noviter adquisitis. Item 6
privilegium suum amittere, qui eo abutitur,
hic et l. 8. *ff. de SS. Eccles. A. Barbosa lib.* 14.
c. 43. *axiom. ult.*

TITULUS XVII.

De indictionibus.

L. Omnes. 1.

SUMMARIA

Indictio quid sit? num. 1.
Indictio alio nomine vocatur Canon. 2.
Nec ager Ecclesiae nec emphyteuticum Principis, aut ullum aliud praedium ab hoc onere se eximere potest. 3.
Ex munere extraordinario potest fieri ordinarium. 4.
Ecclesia, aliusque privilegio munitus ab ordinariis muneribus non excusatur. 5.
Secus in extraordinariis. 6.

Nomine quae differunt, re etiam differunt, et a nomine rei probabile est argumentum. 7.

1 Indictio nihil aliud est quam tributum, vel annona, aut certa tributi species, quae solvebatur singulis quindecim annis, divisis in tria lustra, hoc est, in tria quinquennia, quorum primo solvebatur certa auri quantitas; secundo solvebatur argentum ad stipendia militibus exsolvenda; tertio aes et ferrum ad armorum reparationem, *Cujac. in Nov.* 149. *cap.* 1. et hunc laudans *Perez. ad hunc tit. num.* 2. et hic agitur de forma indictionis, quamvis postea, cum indictiones essent anniversariae, anni coeperint per indictiones numerari, ut non excederent numerum quindecim annorum. Ante Honorium et Theodosium hae indictiones erant extraordinariae, sub his vero factae sunt ordinariae, adeo,
2 ut etiam indictioni aliud nomen imponeretur et vocaretur *Canon.* Quoniam igitur ab ordinariis nemo praetextu dignitatis se excusare potest,
3 *l.* 4. *tit. pracced.* inde sequitur, nec agrum Ecclesiae, nec emphyteuticum Principis, aut ullum aliud praedium, eximi ab hoc onere. Col-
4 lige: Ex munere extraordinario posse fieri ordinarium ut hic, *Bart. hic, et Jo. de Plat. num.* 2. *Klock. de contribut. cap.* 2. *num.* 99. *Petr. Ant. de Petra de potest. Princ. c.* 4. *num.* 88. *Rosenthal. c.* 5. *concl.* 83. *num.* 7. Deinde Nota:
5 Ecclesiam, aliumque privilegio munitum, ab ordinariis muneribus non excusari, *Casp. Klock.*
6 *cons.* 28. *num.* 155. *vol.* 1. nam privilegium immunitatis simpliciter concessum excusat ab extraordinariis tantum, non ordinariis, *Jo. de Palt. hic num.* 3. *Klock. de contrib. cap.* 16. *sect.* 1. *num.* 49. Notetur: hic plus esse idem cum alio effici quam haberi, *Plat. hic num.* 4.
7 et a nomine rei probabile esse argumentum, et sic quae nomine differunt, re differunt, *Goedd. ad l. mercis* 66. *in fine ff. de V. S.*

L. Particulari. ult.

SUMMARIA

Sensus legis. *num.* 1.
Indictio mature subditis significanda, ut se ad solutionem praeparare possint. 2.
Mos nonnullorum, collectam statim per missos executores postulantium, gravissime taxatur. 3.
De indictionibus, quibus Tabelliones publici utuntur, remissive. 4.

Praefectus praetorio ex officio indicebat Prae- 1
sidibus indictionem, vel functiones publicas, ut Praesides sciant, quid, quantum, et pro qua causa solvendum sit tributum, qui hoc significare debebat provincialibus, antequam terminus solutionis adveniret, ne ex improvisa indictione provinciales damnum incurrerent, nec exactores inferre illis damna possent. Collige: 2
Subitaneam mutationem omnino esse periculosam, ideo indictio mature subditis significanda, ut se ad solutionem possint praeparare, *hic et Nov.* 128. Confer. *Casp. Klock. de contrib. cap.* 18. *num.* 20. Et hic merito taxandus mos illo- 3
rum, qui quotam inferendam statim cum exactoribus mittunt, nulla interposita mora collectandi, et collectam et alimenta tribulantibus militibus coguntur solvere. O tempora! De in- 4
dictionibus quibus Tabelliones publici utuntur Vid. *Felinus c. inter dilectos, num.* 11. *X. de fide instrum. Covar. l.* 1. *resol. cap.* 12. *Card. Tuschus concl.* 90. *lit. I. Wesenb. cons.* 130. *part.* 1. *num.* 124. *Bacchov. in Tr. v.* 2. *d.* 5. *th.* 3. *lit. C.*

TITULUS XVIII.

De superindicto.

L. Nihil. un.

SUMMARIA

Superindictum quid sit? num. 1.
Quinam hoc imponere possit? 2.
Regalibus quatenus accenseatur? 3.
Civitates interdum imponere possunt, etiam sine Principis consensu. 4.
Quid juris apud Hispanos? 5.
Jus hodiernum. 6.
Neque etiam isti, qui dicit, se aliquid superioris jussu facere, credendum, nisi de eo doceatur, ne quidem Cardinali. 7.

1 Superindictum est augmentum indictionis vel contributionis ordinariae, et vel imponitur per modum legis perpetuo valiturae, vel in prae-
2 senti tantum necessitate. Hoc superindictum solus Imperator vel Majestas imponit, nec ipsius Praefecti praetorio literis creditur, quamvis ipsum Principem repraesentet, sed ipsius Principis rescriptum ostendendum est, adeoque nec solemnis, nec extraordinaria superindictio sine speciali mandato Principis fieri potest, *Klock. de contrib. c.* 3. *num.* 130. *et seqq. Rosenthal. de feudis c.* 5. *concl.* 74. quippe Regalibus hoc accensetur, 3
Carpz. lib. 4. *resp.* 70. *num.* 11. scilicet quando pro utilitate Fisci collecta indicitur; secus 4
si universitas aliqua pro sua utilitate et necessitate collectat, quod sine consensu Principis fieri potest, ut tradit *hic Joan. de Platea*, et quidem non tam vi jurisdictionis, quam conventionis inter se initae, *Perez. ad tit. praeced. num.* 12. Sic apud Hispanos permissum est civi- 5
tatibus moderatam collectam imponere, *Garcias de expens. c.* 19. *num.* 64. quam laudat *Perez. d. l. num.* 13. Sed nec Princeps hodie 6
sine consensu ordinum superindictionem imponere potest ob capitulationes, ut pluribus hic prosequitur *Lucas de Penna, et Kloch. d. l. c.* 4. *num.* 22. Collige ex *hac lege:* Etiam non 7
credendum esse ei qui dicit se aliquid facere jussu superioris, nisi de eo doceatur, ne quidem Cardinali, *Menoch. cons.* 246. *num.* 77. *Klock. cons.* 37. *et seqq. vol.* 1.

TITULUS XIX.

De exactoribus tributorum.

L. Ducenarii. 1.

SUMMARIA

1 Ducenarii et centenarii, vel sexagenarii erant agentes in rebus, et exactores tributorum, ita vel a numero debitorum ipsis assignatorum,
2 vel a summa exigenda dicti. Summa *legis*
3 est: Exactores tributorum non debere exigere debitores tributorum, antequam notarius ipsis dederit breves, id est, indices eorum, qui aliquid debent Fisco, et deinde exactionem debent facere remota omni concussione, id est, ne alicui terrore potestatis incusso, illicite ali-
4 quid extorqueant. Collige: Librum in quo nomina debitorum et quid quisque debeat conscripta sunt, omnibus quorum interest, esse ostendendum. Item, negativam probari per in-
5 spectionem scripturae. Item, exactorem non debere recedere ab aestimo, *Klock. d. c.* 18.
6 *num.* 46. et ex iis aestimis probari solutionem, et probari etiam debitum, quando non adlitum, solutionem esse factam, de quo pluribus allegatis prolixe agit *Klock. d. tr. de contrib. c.* 20.
7 *num.* 365. *et multis seqq.* Sed eheu justitiam nostrorum temporum! Nam in permultis catastris debita quidem, sed non soluta consignata videmus, unde merito omnis fides illis esset
8 abroganda. Observa etiam: Contra insolentiam et immisericordiam nostrorum temporum, exactionem publicorum onerum sine concussione
9 fieri debere, et ideo non debere exactorem se acerbum praebere, nec contumeliosum, sed moderatum et cum efficacia benignum, et cum instantia humanum, uti de creditore loquitur *Ulp. in l.* 33. *ff. de usuris, vid. Perez. ad hunc*
10 *tit. num.* 17. Sed contra haec, per ipsos milites insolentiores fieri videmus exactiones.

L. Nemo. 2.

SUMMARIA

Solebant exactores debitores Fisci in carcerem 1
compingere, tormentis excruciare, vel gravi onere illos gravare, ut ea ratione ad solutionem tributorum adigerent, quod hic sub poena prohibet Imperator, et constituit, ut morosi 2
debitores capi quidem, sed sub custodia libera militari haberi debeant; quod si porro in contumacia pergant, ipsorum bona esse distrahenda, non vero in corpora eorum saeviendum. Et hoc pacto proniores fore subditos sperat Imp. ad inferenda tributa pro communi utilitate. Collige: Propter debita neminem debere 3
capi propria auctoritate, quod tamen limitant 4
DD. nisi fugitivus sit et non possit haberi copia judicis, *Joan. de Platea hic num.* 122. Sed 5
auctoritate tamen magistratus contumaces Fisci debitores sub secura custodia collocari, et ita militari custodiae committi posse tradit *M. Ant. Peregr. de jure Fisci lib.* 6. *tit.* 7. *num.* 5. *Carpz. lib.* 4. *resp.* 78. *n.* 5. *C. Klock. cons.* 28. *num.* 467. *vol.* 1. ubi praecedentibus numeris alios modos 6
coercendae contumaciae collectorum recenset. Sed exinde videtur colligendum; I. Debitorem 7
Fisci non posse se liberare cedendo bonis; sed id ex *lege hac* non sequitur, nam si ex distractione bonorum liberatur, ut in *hac lege* habetur, utique magis cessione bonorum, *Bacchov. in Tr. vol.* 2. *d.* 24. *th.* 4. *lit. C.* quamvis in- 8
juriosum sit ita onerare subditos collectis, ut ob eas bonis cedere cogantur, sunt verba *Bacch. d. l.* II. Fiscum a captura personae processum 9
inchoare posse, *Joan. de Plat. hic num.* 15. Vid. *Klock. c.* 18. *num.* 110. *et* 122. *et seqq.* ut tamen non clauso noxiorum hominum carcere, 10
nec molesta aut aspera, sed honesta et libera custodia detineantur, *Peregrinus de jure Fisci l.* 6. *tit.* 7. *num.* 7. et quos refert *Klock. de contrib. d. c.* 18. *num.* 111. Sed attendenda est consuetudo cujusque loci, qua non apparente eligendi jus habet Fiscus, an personam apprehendere scil. masculini sexus, an vero bona occupare et distrahere velit, *Klock. d. l. n.* 22. Collige: III. Judicem a novo tormentorum vel poenarum genere debere abhorrere, *Farin. q.* 38. *n.* 57. *et seq.* IV. Carcerem interdum esse poenam, v. gr. Officialium male in officio suo versantium. V. Potestatem vel Praesidem debere esse sollicitum de suis Officialibus, an bene vel male se gerant.

L. Quoties. 3.

SUMMARIA

Legis *intellectus. num.* 1.
Debitorem duobus obligatum ad fugam instruens et carcere eximens ad quid teneatur? 2. 3.
An negligens custos carceris, cujus culpa debitor evasit, eadem poena teneatur? 4.

1 *Lex haec* vel intelligi potest de eo casu, quando quis Fisco et simul privato patrimonio Principis aliquid debet, vel si privato creditori debeat, ac simul Fisco; qui intellectus est communior: licet prior verbis textus (*ab uno officio etc.*) sit convenientior. Debes igitur aliquid Fisco, et mihi, Fiscus te detinet in libera custodia, juxta *l. praeced.* Titius autem te
2 eximit vel ad fugam te instruit, Quaeritur: *Ad quid teneatur?* Resp. teneri eum non tantum Fisco, sed etiam mihi ad utrumque debitum
3 persolvendum, ex quo collige: Eximentem captum debitorem, ultra poenam arbitrariam, teneri etiam civiliter creditori, ad solutionem debiti, pro quo ereptus captus erat, juncto textu *l. fin. C. de operis libert.* adeo ut videatur fidejussisse pro debitore, *Hippol. de Marsil. sing.* 137. *num.* 1. *Farin. qu.* 32. *num.* 9. *et seqq. Caballus res. crimin.* 8. *num.* 22. *et seqq. Aegid. Boss. tit. de captura num.* 15. Sed hic dicitur, quod utrumque debitum debeat solvere, etiam id, pro quo non est captus; ideoque videtur mihi *haec lex* loqui de debitore privati patrimonii Principis et Fisci. Interim manet generale illud, quod ex *DD.* jam tradidimus. No-
4 tandum tamen, non de negligenti custode, cujus culpa evasit Fisci ac privati debitor, sed de eo, qui violenter eripuit captum debitorem vel exemit, vel ex carcere, vel ex manibus familiae judicis, vel de loco ubi positus erat, hic sermonem esse, ut recte tradit *Angelus Aretinus inter cons. Rilleti crim. tom.* 1. *lib.* 73. *num.* 5.

L. Actores. 5.

SUMMARIA

An officiales Fisci vel conductores bonorum patrimonialium seu privatorum Principis ab annonis praetextu immunitatis se excusare possint? num. 1. 5.
Exemptio unius est aggravatio alterius, quando scilicet collecta imponitur universitati, non quando singulis imponitur. 2.
Jus Principi non est, quempiam in perniciem subditorum oneribus eximere. 3.
Onus in plures distributum facilius expeditur. 4.

1 *Officiales Fisci, vel conductores bonorum patrimonialium seu privatorum Principis, volunt se praetextu immunitatis ab annonis excusare, Quaeritur: *An possint?* Et Resp. quod non, quia exemptio haec in reliquorum gravamen
2 redundaret. Collige I. Exemptionem unius esse aggravationem alterius, quando scil. collecta imponitur simpliciter universitati, non quando singulis imponitur; Et sic jus Principi non esse 3
in perniciem subditorum quempiam oneribus eximere, ut alii onus ejus subeant, *Cravetta cons.* 945. *num.* 3. *et cons.* 851. *num.* 7. quem allegat *Klock. de contrib. c.* 16. *num.* 24. *et num.* 41. Nec unus locus prae alio aggravandus, *Klock. cons.* 28. *num.* 291. *vol.* 1. *Besoldus cons.* 277. *num.* 60. II. Onus distributum in plures facilius 4
expediri, *Roland. a Valle cons.* 66. *num.* 13. *vol.* 1. *Kloch. cons.* 37. *num.* 172. *vol.* 1. III. Of- 5
ficiales Principis ab oneribus realibus et ordinariis non esse immunes, sed bene a personalibus, si per ea ab officii administratione avocentur, *l.* 3. *infr. de can. largit. titul. l.* 21. *ff. de decur.*

L. Apparitores. 5.

SUMMARIA

Apparitores seu ministri tributum exigentes acceptorum et reliquorum principalibus susceptoribus rationem reddere debent, et quid itidem et ex qua causa quotidie sit solutum. num. 1.
Ratio. 2.
Exacta pecunia, statim ad thesaurarios provinciae referri ac consignari nunciarique debet ab executore, quid exactum sit, quidque per latum. 3.
Exactorum rationibus ex scripturis in his, quae officii eorum sunt, credatur. 4.
Ratio. 5.
Libris mercatorum non creditur, nisi causa debiti in iis exprimatur. 6.
Quilibet administrator singulis annis civitatis rationem reddere debet. 7.
Hodie omnes administratores singulis annis se ad reddendas rationes offerunt. 8.

Susceptores vel exactores habebant apparito- 1
res seu ministros, qui per varia discurrebant loca, et tributum exigebant et sollicitabant; hi per *hanc legem* tenentur acceptorum et reliquorum principalibus susceptoribus rationem reddere, quid itidem et ex qua causa quotidie, sit solutum, ut ex eorum instructione et relatione susceptores intelligant, quid solutum, quid prolatum, id est, dilatum vel reliquum sit, ne 2
ipse susceptor per loca diversa cum rei familiaris detrimento discurrere cogatur. Et ideo 3
exacta pecunia statim ad thesaurarios provinciae referri ac consignari debet, nunciarique ab executore, quid exactum sit, quidque perlatum, *hic et l.* 1. *C. de canon. largit. titul. l.* 6. *C. de suscept. etc. Klock. de contrib. c.* 18. *n.* 233. Collige: I. Exactorum rationibus et scripturis 4
in his, quae officii eorum sunt, credendum esse, et ideo requiritur, ut sit de officio eorum et non sit magni praejudicii, *Plat. hic num.* 1. Ratio autem hujus est; quod persona religione 5
juramenti sit obstricta, *Gail. l.* 1. *obs.* 54. *num.* 4. *Carpzov. l.* 3. *resp.* 22. *num.* 20. Et ex *lege hac* vel argumento probatur: Libris mercato- 6
rum non credi, nisi causa debiti in iis exprimatur, *Carpzov. lib.* 3. *resp.* 58. *num.* 10. II. Administratorem quemlibet teneri rationes 7
reddere civitatis quidem singulis annis, *Nov.* 128. *cap.* 16. Quod hodie ordinarium est in 8

omnibus administratoribus etiam qui ecclesiasticis reditibus praepositi, ut scil. singulis annis teneantur offerre se ad rationes reddendas, qua de re *D. Jo. Heeser in tractatu de rationibus reddend. cas.* 1. *per tot. et Carpz. in jurispr. consist. l.* 2. *def.* 316.

L. In fiscalibus. 6.

SUMMARIA

Tributorum erant divisae arcae pro diversitate titulorum. num. 1.
Contra morosos exactor quomodo procedat. 2.
Exactor, cui tributorum exactio commissa, per se neminem compellere potest. 3.
Quomodo hodie fieri soleat exactio? 4.
Opinio Auctoris *circa modum hunc hodiernum.* 5.

1 Sicut diversi tituli tributorum et functionum publicarum erant, ita diversae erant areae; quaedam apud Praefectum praetorio, quaedam
2 apud Procuratorem Caesaris. In quamcumque autem aream functio sit redigenda, opus est, ut exactor contra morosos imploret opem Praesidis, ut hic auctoritatem suam interponat, et
3 morosos ad solutionem compellat. Collige: Eum, cui exactio tributorum commissa, per se compellere neminem posse, *hic et l.* 2. *C. de can. larg.* Et sic executio contra morosos non fiebat per missos apparitores, sed judicem ordinarium, et officium unum potest alterius opem
4 implorare, sed hodie fieri solet per milites tribu-
5 lantes. Expediret per magistratum ordinarium ut id exequerentur; nam multum gravantur collectandi per exequentes milites, ut in *lege seq.*

L. Missi. 7.

SUMMARIA

Quinque legis *partes, et quid in prima dicatur? num.* 1.
Opinatores quinam dicti? 2.
Sanctio poenae. 3.
Instructio Praesidis circa tributorum exactionem. 4.
Poena judicis in exactione tributorum negligentis. 5.
Succurritur Praesidibus, qui pro debitoribus privatis debitum solverunt. 6.
Exactio tributorum militari juri contraria. 7.
Potestas exigendi tributum aliis delegari nequit. 8.
Officialis, qui debitum non exegit, ad solutionem debiti tenetur. 9.
Judex in executionibus consuetudinem loci et antiquam observantiam sequi debet. 10.
Qui privilegiato creditori solvit, in ipsius locum succedit. 11.
Particularis solutio hic fieri potest; et id, quod particulariter solvitur, intra annum accipi debet. 12.
Contra debitores Fisci parata datur executio 13.

1 *Haec lex habet* 5. *partes:* In *princ.* dicitur
2 opinatoribus (qui erant milites, qui sollicitare debebant Praesidem, ut intra annum ad tributorum solutionem compellat provinciales) non esse committendum, ut ipsi tributa exigant, sed exactio per ordinarios exactores, et auctoritate Praesidis fieri debet, ne scilicet milites praesumptione militiae provinciales gravent.
Pars secunda in vers. *Judices itaque,* continet 3
sanctionem poenae. Nam Praeses, qui permittit militibus, ut ipsi exequantur, punitur in duplum; Ministri autem ejus hoc militibus committentes, deportandi; Curiales autem hoc permittentes, ad tempus relegandi. *Tertia pars* 4
in vers. *cum Judicem oporteat,* Praesidem instruit. Debet enim inquirere in personas debitorum, deinde debet curare, ut eorum nomina a notariis diligenter annotentur, postea per suos apparitores vel curiales pro consuetudine loci exigere debet residua, et demum impleto anno milites cum solutione tributorum ad exercitum remittere. *Quarta pars* in vers. *qui si ul-* 5
tra, jubet, ut negligentes de suo solvant, et solutum a debitoribus repetant, imo si opinatores super protactione Praesidis apud Imperatorem conquerantur, ad duplum condemnabitur Praeses, simplo opinatori cedente, poena vero Fisco. *Quinta pars* in vers. *judicibus quoque etc.* 6
subvenit Praesidibus iis, qui pro privatis solverunt, ut ea, quae soluta sunt, nulla obstante dignitate a debitoribus recuperent per exactores, et nomina debitorum Imperatori referant.
Collige: I. Exactionem tributorum militarem 7
esse juri contrariam. II. Potestatem exigendi 8
tributum aliis delegari non posse. III. Officia- 9
lem, qui debitum non exegit, ad solutionem debiti teneri. IV. Judicem in executionibus se- 10
qui debere consuetudinem loci, et antiquam observantiam, *Klock.* multos citans *de contrib. c.* 2. *numm.* 9. 96. *et cons.* 28. *num.* 187. *vol.* 1.
V. Qui privilegiato creditori solvit, in ipsius lo- 11
cum succedit, *hic et l.* 24. §. *ult. ff. de rebus auct. jud. possid.* Vid. *Carpzov. p.* 1. *c.* 28.
def. 134. Collige etiam, particularem solutionem 12
hic fieri posse, et id intra annum accipi debere, quod particulariter solvitur, *Klock. tract. de contrib. cap.* 18. *num.* 223. et contra debi- 13
res Fisci paratam dari executionem, *Colerus de proces. execut. p.* 3. *c.* 2. *num.* 34. Et plures citans *Klock. vol.* 1. *cons.* 28. *num.* 28. *et num.* 450.

L. Si divina domus. ult.

SUMMARIA

Facti species. num. 1.
An Ecclesia, Princeps, vel alius in dignitate constitutus, ab oneribus publicis fundi empti sit immunis? 2.
Onera futura etiam cum re transeunt ad quemcunque possessorem, etiam Ecclesiam vel Principem. 3.
Exemplo illustratur. 4.
Tributa solvere cessans, si per biennium cesset, re tributaria privatur. 5.
Praedia allibrata vel in aestimum redacta, a non solventibus auferri et vendi possunt. 6.
Si ab ipso debitore collectae exigantur, licet ratione certi pretii exolvendae sint, nihilominus tamen Fiscus eas ex aliis ab eodem debitore possessis praediis petere potest. 7.

Fundum meum, qui non probibetur vendi, 1

vendo Ecclesiae vel Principi, non quidem patrocinii causa; (hoc enim prohibitum per *l. un. infr. ut nemo ad suum patrocinium suscipiat rusticanos vel vicos eorum)* sed justo et legi-
2 bus probato titulo; Quaeritur: *An Ecclesia, Princeps, vel alius in dignitate constitutus, ab oneribus publicis sit immunis?* Quod videtur in persona Principis vel Ecclesiae. Sed negatur *hic* per rationem *in l.* 4. *hoc tit.* Imo et hoc additur in *hac lege*, si emptor novus non solverit onera, quod tunc fundus curiae seu officio exactorum, sub quo vici illi sunt, assignandus sit, quod tamen *Bald. et DD. hic* ita intelligunt, quando per biennium quis cessavit solvere exemplo emphyteuseos Ecclesiae, *Auth.*
3 *qui rem C. de SS. Eccles.* Collige: I. Onera futura etiam transire cum re ad quemcumque pos-
4 sessorem, etiam Ecclesiam vel Principem. Si itaque alicui statui imperii accedat comitatus vel baronatus imperii, eum quoque onus collectarum sequi oportet, *Rec. Imp. de anno* 1548. §. *(dieweil.) Gail. lib.* 1. *obs.* 21. *num.* 14. *Klock. de contribut. c.* 17. *num.* 144. II. Collige: Ces- 5
santem solvere tributa, privari re tributaria,
si per biennium cesset; Et ita praedia allibra- 6
ta, vel in aestimum redacta a non solventibus auferri et vendi possunt, *Rol. a Valle cons.* 79. *num.* 2. *Flores Diez de Mena qu.* 21. *num.* 143. *Klock. d. tr. c.* 18. *num.* 54. *Carpzov. lib.* 1. *resp.* 78. *num.* 8. Imo ex textu hoc colligi potest: Si ab ipso debitore collectae exigantur, li- 7
cet ratione certi praedii sint exsolvendae, nihilominus tamen Fiscus eas ex aliis ab eodem debitore possessis praediis petere potest, quia *lex haec* de possessionibus generaliter loquitur, nec ad eas possessiones, ex quibus collecta debetur, commode restringi potest, *Carpzov. d. l. num.* 12. *et seqq.*

TITULUS XX.

De super exactoribus.

L. Un.

SUMMARIA

Exactor tributorum vel executor ultra debitum aliquid exigens quomodo sit puniendus? num. 1.
Geminatio et reiteratio delicti poenam aggravat. 2.
Sensus verbi perseveret. 3.

1 Est constitutio generalis loquens de exactore tributorum, vel executore, quomodo sit puniendus, qui aliquid ultra debitum exigit? et distinguitur, utrum civiliter an criminaliter de hoc quaeratur; si civiliter, punitur exactor in duplum, *hic et l. excellentia* 9. *C. de erogat. militar. annonae.* Vid. *Wes. ad l. Jul. peculatus num.* 8. *in fin.* Si pecunia corruptus, in quadruplum, *l.* 6. *C. de censibus*, vel si potestatem habeat, *Farin. qu.* 173. *num.* 59. Si vero criminaliter, tunc etiam capitis supplicium superexactor incurrit, *Klock. de contribut. c.* 18.
num. 227. Colligunt etiam *DD.* quidam ex *hac* 2
lege: Geminationem et reiterationem delicti poenam aggravare, *Caball. resol. crim.* 1. *cas.* 16. *num.* 39. et hunc laudans *Finckelthaus obs.* 5.
num. 10. et sic verbum ultimum *perseveret* de 3
reiteratione delicti intelligo, cum *Gl. DD. Christin. vol.* 5. *dec.* 19. *num.* 14.

TITULUS XXI.

De capiendis et distrahendis pignoribus tributorum causa.

L. Res. 1. et L. Satis sit. 2.

SUMMARIA

Quomodo contra debitorem Fisci contumacem procedatur? num. 1.
Ratio procedendi. 2.
An etiam fiscus pignora pro tributis distrahere possit? 3.
Quia onus functionum publicarum rei inhaeret, ideo ob cessationem in solvendo reo licite confiscatur. 4.
Exactores collectarum a debitoribus contumacibus auctoritate magistratus pignora capere et distrahere possunt. 5.
An emptor ejusmodi rei a Fisco venditae sit securus? 6.

1 Quod si debitor tributorum sit contumax, Quaeritur: *Quomodo contra eum procedendum?* Et carceri non esse mancipandum, nec excruciandum, dictum in *l.* 2. *supr. de exact.* et *l.* 2.
h. t. habetur ratio, quia per capturam pigno- 2
rum Fisco provideri potest. Potest enim Fiscus bona debitoris etiam non tributaria, scilicet mobilia pro tributis capere, per *l.* 2. *h. t.* Sed
Anne etiam distrahere ea pignora potest Fiscus 3
pro tributis? Et Resp. hic, posse post duos menses scilicet, ut volunt *hic Gl. et DD.* per *l.* 31. *ff. de re judic.* pignora ista distrahi, et postea securum esse emptorem seu possessorem. Collige
I. ex *lege prima*, Quia onus functionum pu- 4
blicarum rei inhaeret, ideo ob cessationem in solvendo res confiscari posse, *Rol. a Valle cons.* 23. *numm.* 3. 4. *et* 8. *l.* 1. *Carpz. l.* 4. *resp.* 87. *num.* 2. *Klock. de contrib. c.* 19. *num.* 558. *Besold. cons.* 234. *num.* 3. Collige II. ex *his duabus* 5
legibus: Exactores collectarum a debitoribus contumacibus pignora licite capere et distrahere,

(auctoritate tamen magistratus) *hic et l.* 1. *C. si propter publ. pensit. et l. edicto C. si adversus Fiscum etc. Dn. Carpz. lib.* 4. *resp.* 78. *n.* 1.
6 *Klock. de contrib. c.* 18. *num.* 41. Et emptorem statim securum esse, nec emptionem ob laesionem rescindi, vel minorem aetatem, *hic et l.* 1. *supr. si propter pensit. publ.* ratio in *l.* 8. *supr. de remiss. pign.* quia facile convelli non debet fides hastae publicae, *Peregr. de jure Fisci l.* 6. *tit.* 4. *num.* 19. *Perez. ad hunc tit. num.* 4.

TITULUS XXII.

De apochis publicis et de descriptionibus curialibus et distributionibus civilibus.

L. Ad inferiorum. 1.

SUMMARIA

Quinque legis *partes, et quid in prima constituatur? num.* 1.
Aestimum sive catastrum quid sit? 2.
Quatenus auctoritatem habeat? 3.
Quid altera parte contineatur? 4.
Quid tertia, quarta et quinta? 5. 6. 7.
Contra potentiores praesumptio militat, quod tenuiores supprimant. 8.
Cessio in potentiorem facta, animo vexandi facta praesumitur. 9.
Catastrum publica auctoritate et auditis partibus est confirmandum, et singulis quadrimestribus revidendum atque examinandum, ne quid ad relevationem divitum et perniciem pauperum pertentetur. 10.
Insinuationes donationum et testamentorum non valent, nisi judex per decretum ob sententiam donationem vel testamentum approbet. 11.
Forma apochae. 12.
Ubi actus certo loco celebrari solet, expressio non requiritur. 13.
Tributorum administratores non finito officio, sed singulis quadrimestribus rationes reddant. 14.
Res semper transfertur cum sua causa. 15.

1 *Lex haec* quinque partes habet: In I. *parte* constituitur, ut aestimum, seu liber censualis,
2 sive catastrum, in quo descriptae sunt facul-
3 tates civium collectandorum, prius auctoritatem non habeat, quam Praesidibus intimatum et ab eis approbatum fuerit, ne scilicet tenuiores nimis alias graventur, aut a potentioribus opprimantur, dum ad horum instantiam uni quid demitur, alteri additur. Et sic aestimum sive catastrum semper a Praeside vel superiori confirmandum, *Christin. v.* 5. *decis.* 20. *num.* 1. *Klock. de contrib. c.* 17. *num.* 50. et in eo aestimo singulorum facultates taxantur secundum aes et libram, *Perez. ad hunc tit. num.* 11. *Carpzov. lib.* 4. *resp.* 72. *num.* 23. In
4 II. *parte* exactoribus necessitas imponitur, accepto auro coronario vel tributo, ut apocham solventi dent, id est, professionem soluti debiti seu tributi. Et talis apocha debet continere nomen solventis, diem, nomen consulis, mensem, et ex qua causa solvatur, et summam seu quantitatem tributi, ut, quid solutum sit, manifesto appareat. Vers. *hoc etiam*, continet 5
III. *partem*, et disponit, ut singulis 4. mensibus exactores mittant ad curiam generales rationes, ut appareat, quid tributorum nomine impositum, quid solutum sit, et quid residuum, ne aliquid de quota divitum adimatur, et pauperibus adscribatur. Vers. *quod et tunc*, IV. con- 6
tinet *partem*, et jubet, ut in his quadrimestribus transmissis mentionem faciant exactores, si aliquis forte curialis bona sua non in Ecclesiam, sed alium transtulerit, Vide *l. pen. C. de SS. Eccles.* nam tunc quarta pars cedit curiae, et hujus quartae mentio debet fieri, nam alias a potentioribus occultari, et oneri tributorum subtrahi posset. *Pars. V. et ultima* poenam con- 7
tinet. Collige: I. contra potentiores militare prae- 8
sumptionem, quod tenuiores supprimant. Jamdiu enim *Salvianus l.* 4. *de provid. Dei*, decernunt, inquit, potentes, quod solvant pauperes, decernit gratia divitum, quod pendat turba miserorum; quid iniquius esse aut indignius potest, quam ut soli sint immunes a debito, qui cunctos faciunt debitores? *Perez. ad hunc tit. num.* 16. *Christin. dec.* 20. *num.* 5. Et sic ces- 9
sio in potentiorem facta praesumitur animo vexandi facta, *Menoch. l.* 3. *praes.* 129. *num.* 36.
II. Catastrum seu aestimum publica auctoritate 10
et auditis partibus esse confirmandum, et singulis quadrimestribus revidendum atque examinandum et peraequandum, ne quid ad relevationem divitum et perniciem pauperum pertentetur, ut tam pauperes quam divites pari revisionis fructu potiantur, *Klock. de contrib. cap.* 18. *num.* 123. *et cons.* 28. *num.* 210. *vol.* 1.
III. Colligunt nonnulli ex prima parte: Insinua- 11
tiones donationum et testamentorum non valere, nisi judex per decretum aut sententiam donationem vel testamentum approbet, quod tamen ex textu non satis probatur, cum hic de contentiosa jurisdictione agatur. Collige IV. 12
quae sit forma apochae: quamvis hodie in apochis tantum debitoris et exactoris nomen, annus, mensis, et dies, nec non causa requiratur. V. Ubi actus certo loco celebrari solet, 13
non requiri loci expressionem, *l.* 59. *ff. de judic. Gail. l.* 1. *obs.* 52. *num.* 13. Ergo si testamentum fiat vel donatio confirmetur, quia haec non requirunt certum locum, omnino facienda est loci mentio, *Cephalus cons.* 622. *num.* 48. *et seqq.* VI. Administratores tributo- 14
rum non finito officio, sed singulis quadrimestribus teneri rationes reddere. VII. Rem trans- 15
ferri semper cum sua causa.

L. Semel. 2.

SUMMARIA

Sensus legis. *num.* 1.
Apocha rite facta plenam liberationem etiam in publicis tribuit. 2.
Ratio. 3.
Apocha solemniter facta realem solutionem supponit et rationum discussionem praecessisse. 4.
Rationibus semel redditis et calculatis ad iterandum calculum urgeri non possum. 5.

1 Apocha per unum officialem rite civi vel provinciali tradita, per alium officialem non est retractanda, nec is, qui apocham habet, ad novam rationum redditionem est adstringendus.
2 Collige, apocham rite factam plenam liberatio-
3 nem tribuere etiam in publicis, ne dispunctae et redditae rationes fiant immortales, *Perez. ad*
4 *hunc tit. num.* 2. et quia apocha solemniter facta et data supponit realem solutionem et rationum discussionem praecessisse, cum non prius solventi detur, quam relata descriptave sit in libris rationum publicarum, *l.* 2. *infra de discuss. Perez. hic num.* 3. Probatur etiam ex
5 *hac lege:* Quod semel rationibus redditis atque calculatis non possim urgeri ad iterandum calculum, nisi dolo redditae sint, de quo *Menoch. lib.* 2. *A. Q. casu* 209. *num.* 37. *et seqq. Christin. d. dec.* 20. *num.* 9. *Carpz. l.* 5. *resp.* 77. *num.* 26. et quos hic citat. Conf. *notata supr. de errore calc.*

L. Quicumque. 3.

SUMMARIA

Facti species. num. 1.
An ex trium cohaerentium annorum datis pro tributo apochis praesumendum sit anterioribus annis etiam me solvisse? 2.
Quaenam ad hanc praesumptionem requirantur? 3.
Obtinet etiam haec lex *in fundo emphiteutico.* 4.
Idem in censuario et colono ac conductore. 5.
An requiratur, ut sint proximi anni, vel an sufficiat, ut post annos tres alii anni intercesserint, in quibus cessatum sit? 6.
Ampliatur hujus legis *decisio.* 7.
Creditores prius antiqua solent exigere debita quam recentiora. 8.
Creditor post triennium minores usuras recipiens sibi praejudicat. 9.
Praesumptio hujus legis *admittit probationem in contrarium.* 10.

1 Lex notabilis est: Petit exactor a me tributum agri, et quidem tributa 20. annorum. Ego excipio, me solvisse omnia tributa, idque docere non possum, produco tamen apochas
2 trium cohaerentium annorum: Quaeritur: *An ex illis praesumendum sit, anterioribus annis etiam me solvisse?* Quod hic Affirm. ex ea ratione; quia verisimile non est, exactores tributorum alias avaros et diligentes, praeteritorum annorum solutionibus neglectis, nullaque adhibita protestatione, aut reservatione, illorum trium annorum solutionem acceptaturos fuisse, *Menoch. lib.* 3. *praesumpt.* 139. *num.* 2. Sed 3
ad hanc praesumptionem requiritur continuitas annorum, *Menoch. d. l. num.* 5. *Perez. hic num.* 9. et diversitas actuum, *Men. d. l. num.* 24. et ut haec solutio probetur apochis non testibus, *Men. d. l. num.* 27. et locum habet *haec* 4
lex etiam in emphyteutico fundo, *Men. d. l. num.* 6. *Mascard. v.* 2. *concl.* 604. *num.* 9. *et seq.* et in censuario et colono ac conductore, 5
Menoch. d. l. numm. 7. 9. *et seqq. Myns. c.* 5. *obs.* 39. *Thesaurus dec.* 114. *num.* 4. *Perez. hic num.* 8. *Finckelthaus. obs.* 115. *num.* 8. Sed 6
requiriturne, ut sint anni proximi; vel sufficitne, ut post annos tres alii anni intercesserint, in quibus cessatum sit? Resp. prius affirmare, et posterius negare *Glossam hic*, et cum ea *Vinc. de Franchis dec.* 137. Verum cum in textu non dicatur de tribus annis conventioni cohaerentibus, sibi videtur generalitas legis nimis restringi juxta tradita *Fachinaci lib.* 13. *cap.* 89. Et locum habet haec decisio etiam in privatis 7
debitoribus, nam pro his militat et dispositio hujus legis, et generalis consuetudo: Quod cre- 8
ditores debita antiqua prius exigant, quam recentiora, *Perez. hic num.* 8. *Alciatus de praesumpt. reg.* 2. *praes.* 26. *num.* 3. et quos refert *Finckelthaus. d. obs.* 115. *num.* 7. Simile est, 9
quod creditor recipiens usuras minores per triennium, sibi praejudicet, *l. adversus* 5. *C. de usuris.* Sed praesumptio *hujus legis* admittit 10
probationem in contrarium, per *hanc l.*

L. Securitatibus. ult.

SUMMARIA

Facti species. num. 1.
An exactor tributorum, conveniens aliquem ad oppositam sibi eamque per apocham probatam exceptionem soluti totius vel partis, replicationem non numeratae pecuniae opponere possit? 2.
Ratio affirmandi. 3.
Negative decidendi ratio. 4.
In publicis functionibus apochae non admittunt exceptionem non numeratae pecuniae. 5.
Idem in procuratore Fisci, rem Fisci vendente et pecuniam se accepisse confitente. 6.
An idem sit, si officialis publicus non sit solvendo? 7.
Si constat, tributa non esse soluta, an ad interesse reus condemnari possit? 8.
In tributis admittitur particularis solutio per tres terminos divisa. 9.

Convenit me exactor nomine tributorum, ego 1
oppono exceptionem soluti totius vel partis, eamque probo per apocham ab exactore mihi datam. Exactor opponit replicationem non nume- 2
ratae pecuniae, Quaeritur: *An possit?* Videtur 3
quod sic, ob *l.* 14. §. 2. *C. de non num. pecun.* Sed negatur hic; ratio est, quia non praesumi- 4
tur officialis prius liberasse debitorem quam accepit tributum, praesertim cum apocha haec scribatur cum magna solemnitate, et si fecit, sibi imputet, et talis exactor ex his pecuniis nullam percipit utilitatem, cum exactas statim restituere debeat, non eis uti, et sic ex hac

ratione *Bartolus* infert, idem esse in quolibet
administrante nomine alieno, *Trentac. lib.* 3.
5 *tit. de solut. resol.* 20. *num.* 20. Collige: I. In
publicis functionibus apochas non admittere
exceptionem non numeratae pecuniae, *Klock.
de contrib. c.* 20. *num.* 377. *Christin. d. dec.* 20.
6 *num.* 7. *et* 8. *Perez. ad hunc tit. num.* 10. Sicut
et procurator Fisci rem Fisci vendens, et confessus
se accepisse pretium, exceptionem non
numeratae pecuniae opponere non potest, *l.* 2.
7 §. 1. *C. de quadr. praescript.* Sed Quaeritur:
An idem sit, si officialis publicus non sit solvendo?
Et videtur dicendum, quod non, per
l. 1. *C. de can. frument. urbis Romae*; nisi constet
de vera numeratione: nam tunc praestaretur
vera et perpetua securitas, *Trentac. dicto
loco.* Sed Quaeritur: *Si constet, tributa non* 8
*esse soluta, an ad interesse possit condemnari
reus?* Et negat id *Perez. ad hunc tit. num.* 13.
II. In tributis admitti particularem solutionem 9
per tres terminos divisam; *hic et l. placuit C.
de collat. fundorum patrim.*

TITULUS XXIII.

De canone largitionalium titulorum.

L. Omnem. 1.

SUMMARIA

Canon largitionalium titulorum quidnam? num. 1.
Quaenam circa illius traditionem et obbligationem observanda? 2.
Functiones publicae statim ad Principis aerarium conferendae sunt, ne diu haereant inter manus exactorum. 3.

1 Canon largitionalium titulorum est, qui ex
more infertur thesauris Principis, ex quibus
Princeps largitiones facit, et qui alias necessi-
2 tati privatae Principis inservit. Iste canon statim
seu illico thesaurario illius provinciae, aut
si ille non praesens, vel non idoneus, vel mortuus,
thesaurario proximae provinciae tradendus,
ne diu inter manus susceptorum haereat
tributum, *l. diu* 7. *C. de suscept.* et quidem
canon ille a Notario est obsignandus, a quo
etiam scribenda apocha, et postea canon cum
brevibus ad aerarium Principis transmittendus.
3 Collige: Functiones publicas statim ad aerarium
Principis esse conferendas, nec haerere debere
diu inter manus exactorum, *Klock. de contrib.
cap.* 18. *num.* 233.

L. Neque. 2.

SUMMARIA

Sensus legis. *num.* 1.
Ejusdem ratio. 2.
Nullus judex propter invidiam aut molestiam causarum cognitionem et decisionem subterfugere debet. 3.
Quilibet in munere publico constitutus officio suo fungi debet per se et non per alium, cujus industria electa non est. 4.
Procurator ad solutionem recipiendam datus debitorem in judicio convenire non potest. 5.

1 Palatini, id est, exactores tributorum per se
ipsos non debent impedire possessores fundorum
tributariorum, sed debent monere magistratum
ordinarium, seu Praesidem, ut hic eos urgeat,
et jubeat inferre tributa. Quod si Praeses ad
declinandam molestiam, hanc curam exigendi
delegaverit palatinis sive exactoribus, non ipse
tantum, sed et officium ejus, id est, adsessores
vicenis auri libris mulctantur. Ratio: ut pa- 2
latinorum rapacitas et avaritia cobiberetur, a
qua vix abstinebant libera sibi relicta manu et
potestate exigendi, *Perez. ad hunc tit. num.* 4.
Unde Colligit *num.* 6. Propter invidiam aut 3
molestiam non debere judices subterfugere causarum
cognitionem et decisionem, et quemlibet 4
in munere publico constitutum debere officio
suo fungi per se et non per alium, cujus non
est electa industria, et gravius etiam si opinatoribus
militibus id delegaverint, *l. missi* 7. *C.
de exact.* Colligunt hinc *DD.* Procuratorem ad 5
recipiendam solutionem datum non posse convenire
debitorem in judicio, sed id ex *hac lege*
vix probatur.

L. Praecepit. 3.

SUMMARIA

Chartularii quinam? num. 1.
A muneribus personalibus aliisque eximuntur. 2.
Ratio. 3.
Notarii ut et omnes officiales publici a muneribus personalibus, per quae in officio impediri possunt, immunes habentur. 4.
Magistratus superior non tantum inferiorum magistratuum subditos contra magistratum defendere, sed etiam inferiorem magistratum punire debet. 5.
Delictum omissionis interdum pari poena cum delicto commissionis plectitur. 6.
Tenor §. 1. *num.* 7.
Praesidi non est licitum titulos fiscales minuere vel permutare vel confundere. 8.
Magistratuum non est, alicujus officium, ad quod semel electus est, minuere vel mutare. 9.

Chartularii erant, qui chartas seu tabulas de- 1
bitorum Fiscalium tractabant et breves praescribebant.
Quamvis autem hi ex cohortalibus, id
est, apparitoribus essent electi, non tamen sicut
caeteri cohortales veredariae necessitati sive
exhibitioni cursus publici, ut nec aliis mune- 2
ribus personalibus sunt adstringendi; ratio, ut 3
ab his necessitatibus liberati suo muneri diligentius
incumbere possint, et additur poena
30. libr. auri imminens Rectori provinciae, et
Comiti Orientis, si eos defendere neglexerint. Col-
lige: I. Notarios camerae, imo et officiales pu- 4
blicos omnes immunes esse a muneribus personalibus,
per quae in officio impedirentur,

5 *hic et l.* 4. *C. de exact.* II. Magistratum superiorem non tantum debere defendere inferiorum magistratuum subditos contra magistratum, sed
6 etiam magistratum inferiorem punire. III. Interdum delictum omissionis pari poena plecti cum delicto commissionis. Conf. *Amadeus de syndic. sub tit. an et quando officialis teneatur de negligentia.*

7 §. *Illud.* Tam nominatio quam defensio susceptorum sive exactorum, et tractatorum seu chartulariorum, non tantum ad Praesides, sed etiam ad superiores magistratus spectet, et fiat ad instantiam palatinorum seu caeterorum exacto-
8 rum; deinde additur, Praesidi licitum non esse minuere titulos fiscales, vel permutare vel confundere, v. gr. si id, quod aerario debetur, arcae praefectoriae vellet inferre, vel contra, quamvis tituli omnes sint fiscales, ideo a chartulariis breves quadrimestres ad Principem tras-
9 mittendae; et additur in fine poena. Collige; Magistratuum non esse alicujus officium, ad quod semel electum est, minuere vel mutare; quamvis *Klock.* etiam hunc textum de minuendis et remittendis tributis videatur intelligere in *Tr. de contrib. cap.* 18. *num.* 231.

L. Praecipimus. ult.

SUMMARIA

Sensus legis. *num.* 1.

A modo collectandi recepto ne quidem ob Principis rescriptum est recedendum, et stylus curiae facit, ut praesumatur contra rescriptum vel privilegium ab eo deflectens. 2.

In collectis semper antiqua consuetudo observetur. 3.

Delegatio indictionis, qua quantitas et modus 1
indictionis continetur, quotannis mittebatur in provincias per Praefectum praetorio; forte igitur evenit, ut minus fuerit injunctum quam hactenus contributum, vel aliqui contribuentes fuerint omissi, vel alias de modo inferendae collectae per incogitantiam fuerit quicquam mutatum; vult hic Imperator, non attendendum esse tenorem rescripti, sed observantiam custodiendam, et sic supplendum esse a Praeside vel etiam superiori magistratu, quod rescripto de-
est, sub poena 20. librarum. Collige: a modo 2
collectandi recepto ne quidem ob rescriptum Principis esse recedendum, et stylum curiae facere, ut praesumatur contra rescriptum vel privilegium ab eo deflectens, *Abbas in cap.* 2. *X. de rescript. Georg. Acac. Enenck. Baro in*
Tr. de privil. l. 1. *cap.* 9. *num.* 4. Et sic in col- 3
lectis consuetudinem antiquam semper observandam esse ex *l. missi supr. de exact. tribut.* et ex *hac lege DD.* passim inferunt, *Gail. lib.* 2. *obs.* 52. *num.* 18. *Flores Diez qu.* 21. *num.* 59. *Klock. de contribut. c.* 2. *num.* 96.

TITULUS XXIV.

Ne operae a collatoribus exigantur.

L. Operarum. un.

SUMMARIA

Provinciales, qui tributa conferre coguntur, ad extraordinaria servitia et operas compelli non debent. num. 1.

Ab ordinariis et consuetis non sunt exempti. 2.

Dominus territorii quoad operarum praestationem haudquaquam intentionem fundatam habet contra subditos, sed eas sibi deberi asserens probare debet. 3.

Debitae operae subditorum multiplicandae non sunt, et iis subveniendum est subditis, qui a dominis suis ad immoderatas operas compelluntur. 4.

1 Provinciales, qui tributa conferre coguntur, ad extraordinaria servitia et operas compelli non debent, quia nemo duplici onere gravandus, *l.* 16. §. 3. *ff. ad Trebell.* exempla in *l. un. C. ne rei militaris comitibus etc.* et *l. un. C. de*
Salgamo hospitibus non praestando etc. Sed ab 2
ordinariis et consuetis exempti non sunt, per *l. ult. tit. seq. et l.* 4. *supr. de annonis et trib.* Col-
lige: I. Dominum territorii quoad operarum 3
praestationem haudquaquam intentionem fundatam habere contra subditos, sed eas sibi deberi asserentem praecise probare debere, ex *hoc textu et l.* 1. *ne rustic. ad ullum obsequium, etc.* communiter probant *DD. Rolandus a Valle cons.* 1. *num.* 152. *vol.* 2. *Natta cons.* 185. *num.* 10. *Klock. de contrib. cap.* 2. *num.* 40. *et cons.* 10. *num.* 739. *et cons.* 26. *num.* 29. *vol.* 1. *Carpz. p.* 2. *cons.*
52. *def.* 1. Collige II. Debitas etiam operas sub- 4
ditorum multiplicandas non esse, et subveniendum esse subditis, qui a Dominis suis ad immoderatas operas compelluntur. Conf. *Carpzov. lib.* 1. *resp.* 53. *Gail. lib.* 1. *obs.* 17. *num.* 3. *et lib.* 2. *obs.* 61. *num.* 13. *Surdus cons.* 83. *num.* 8.

TITULUS XXV.

De immunitate nemini concedenda.

L. His nostrae. 1.

SUMMARIA

Notarius falsum instrumentum immunitatis ab oneribus ordinariis conscribens, flammae supplicium sustinet. num. 1.
Nihil prodest nec attenditur ejusmodi instrumentum. 2.
Ratio hujus poenae. 3.
Intellectus legis. 4.
Exemplum, ubi poena falsi in liberis hominibus est vivicomburium. 5.
Notarius non tantum de falso instrumento convictus, sed et infamia notatus amplius officio notariatus fungi nequit. 6.
Exemptiones a functionibus publicis odiosae, et quantum fieri potest, restringendae sunt. 7.

1 Notarius, qui falsum instrumentum immunitatis ab oneribus ordinariis conscripserit, flam-
2 mae supplicium sustineat, et qui tale exemptionis instrumentum habet, eo non attento,
3 ad inferenda tributa compellendus est. Ratio prioris est: quia talis notarius non tantum falsum committit, sed et contra officium suum facit, et Rempublicam laedit. Ratio posterioris est; quia alias iste ex fraude sua lucrum ca-
4 peret. Et *hanc legem* de tributo ordinario communiter intelligunt, quod scilicet praestatur in signum subjectionis ac recognitionis, de quo etiam accipienda, *l. 1. C. de pasc. publ. et priv. l. 1. C. de censib. et censit. l. fin. C. de praed. et omn. rebus navic. Klock. de contrib. cap. 17. num.* 149. *et cons.* 26. *num.* 14. *ac cons.* 28.
5 *num.* 397. *vol.* 1. Collige: I. Exemplum, ubi poena falsi in liberis hominibus est vivicomburium, propterea quod tabularii isti falsitatem committant, Imperatoris jura sibi usurpent, et utilitatem publicam laedant, *Menoch. lib.* 2. *A,*
6 *Q. casu* 582. *num.* 1. II. Notarium, qui confecit falsum instrumentum, non posse amplius officium suum obire, licet verius sit, notarium non tantum de falso instrumento convictum, sed infamia notatum, non posse officio notariatus fungi, per tradita *Treutl. et ibi Bacchov. disp.* 8. *th.* 8. *lit. C. Covar. apud Hill. lib.* 18. *c.* 6. *lit.*
7 *B.* Colligitur etiam ex *hac lege:* Exemptiones a functionibus publicis, maxime ordinariis, imo et extraordinariis, quas necessitas publica extorsit, odiosas esse, et quantum fieri potest, restringendas: sic enim immunitas data generi et posteritati, non extenditur ad foeminas, *l. 1. §. fin. ff. de jure immun. Dec. ad l. 2. ff. de R. J. num.* 57. *et seq. Petr. Barbosa ad l. quia tale num.* 38. *ff. sol. matr. Perez. ad hunc tit. num.* 16. *et seq.*

L. Per Bithyniam. ult.

SUMMARIA

A collectis ad muros reficiendos vel aggeres, vias, aliaque opera publica nemo se eximere potest. num. 1.
Talia munera sordida non sunt, nec personalia, sed realia. 2.
Ampliatur regula. num. 1. *tradita.* 3.
Ratio legis. 4.
Cives ob imminentem necessitatem inconsuetis collectis onerari possunt. 5.
Non agri tantum aestimandi sunt, sed etiam jumenta ceu instrumenta agrorum. 6.
Limitatur. 7.

Quando muri, aggeres vel viae et similia ope- 1
ra publica sunt reficienda, quorum refectio ad publicam spectat utilitatem, et ad hanc refectionem collecta imponitur, tunc nemo se eximere potest, ita ut pro quantitate fundi et numero jumentorum collecta imponatur. Collige: I. Ta- 2
lia munera non esse sordida, nec personalia, sed realia: et II. Etiam non subditis imponi, 3
ut Ecclesiae, *l. ad instructiones* 7. *C. de SS. Ecclesiis*, et qui alias immunitatem habent, per *l.* 12. *supr. de operibus publ.* Principi, *l. ult. supr. de coll. fund. fisc.* imo etiam forensibus, ut contra *Gailium lib.* 2. *obs.* 52. *num.* 16. pluribus defendit *Klock. cap.* 9. *num.* 63. *et seqq.* et vicinis, si utilitatem ex opere publico sperent. Vide *Klock. d. l. num.* 77. Ratio *legis* est, quia 4
horum refectio tendit ad conservationem omnium possessionum ibi existentium. Colligunt etiam: 5
Cives collectis inconsuetis onerari posse ob imminentem necessitatem, *Besold. cons.* 280. *n.* 54. Ex *hac lege* etiam colligunt, non tantum agros 6
esse aestimandos, sed etiam jumenta ceu agrorum instrumenta, *Joan. de Platea hic*, nisi in 7
ipsa aestimatione agrorum, jumentorum fuerit habita ratio, *Franc. de Clapperiis causa* 36. *qu.* 2. *num.* 1. *et* 2.

TITULUS XXVI.

De conditis in publicis horreis.

L. Omnia. 1.

SUMMARIA

Horrea publica Principum Romanorum. num. 1.
Tria ex lege hac *observanda sunt.* 2.
Tutor aliusque administrator, cujus est vendere fructus, veteres prius debet vendere quam recentes. 3.
An mercatoribus merces corruptas cum incorruptis miscere liceat? 4.
Poena mercatorum, corruptam annonam eo pretio, quo integram vendentium, remissive. 5.
Pessime omnium illi magistratus agunt, qui culpa sua corruptum frumentum eodem pretio vendunt subditis ad id compulsis, quo integrum. 6.
In publica necessitate primores etiam ad frumentum distrahendum compelli possunt. 7.
Ratio. 8.
Imo gratis pauperibus erogare tenentur. 9.

1 Principes Romani habebant publica horrea, in quibus recondebatur frumentum tempore necessitatis, vel ad usum belli erogandum. Sta-
2 tuitur autem hic 1. Ut semper prius vetus frumentum erogetur, quam novum, quia hoc diutius durat: 2. Ut si forte vetus sit corruptum, huic novum admisceri possit, quia corruptum frumentum solum sine querela subditorum vel militum erogari non posset: 3. Huic muneri nobilem, i. e. virtuosum, prudentem, fidelem, recte sibi conscium, et mentis integritate praeditum esse praeficiendum, qui etiam recte mensurare frumentum ejusque quantitatem et qua-
3 litatem possit aestimare. Collige: I. Tutorem, aliumque administratorem, cujus est vendere fructus, veteres prius debere vendere, quam recentes, *Perez. ad hunc tit. num.* 14. *Christin. vol.* 5. *dec.* 22. *num.* 6. *et seq.* cum teneatur caute administrare, et eadem diligentia munus sibi injunctum implere, quam paterfamilias rebus suis ex bona fide praebere debet, *leg.* 33. *ff. de*
4 *admin. tut.* II. Licere mercatori corruptas merces cum incorruptis miscere. Sed hoc non sequitur *Christin. dec.* 22. *num.* 8. Quod enim in frumento hoc Fisco liceat, est ratio specialis, quia quod in horreo publico reconditur, non ob utilitatem aut lucrum ibi reponitur, sed ad salutem subditorum. Iniquum itaque esset, si Fiscus ex negotio, quo non suam, sed civium salutem quaerit, sentiret damnum. Ideo-
5 que *haec lex* minime patrocinatur avaritiae et malitiae mercatorum nonnullorum, qui corruptam annonam vendunt, et quidem eo pretio, quo integra venditur, de quorum poena agit *Menoch. l.* 2. *A. Q. casu* 382. Conf. *Lessius de J. et J. lib.* 2. *cap.* 21. *num.* 82. *Perez.*
6 *ad hunc tit. num.* 7. Pessime omnium autem illi magistratus agunt, qui culpa sua corruptum frumentum eodem pretio vendunt subditis ad id compulsis, quo integrum, *Perez. d. l.* Colligitur: Etiam in publica necessitate primores 7
compelli posse ad frumentum distrahendum, per *l.* 1. §. *cura carnis ff. de off. Praef. urb. Covar. lib.* 3. *resol. c.* 14. *num.* 1. *Gomez. t.* 2. *res. c.* 2. *num.* 51. *Mol. d.* 341. quia frumentum 8
tempore penuriae vendere recusans habetur ac si cives necaret, *Menoch. cons.* 137. *num.* 17. Sed 9
et gratis pauperibus erogare tenentur, *Covar. d. l. num.* 5. *Perez. ad hunc tit. num.* 14.

L. Cum ad. 2.

SUMMARIA

Tenor legis. *num.* 1.
Praeses horrea publica, in quibus frumentum militibus erogandum reconditur, sarta tecta conservari curet. 2.
Poena. 3.
Ratio legis. 4.
Dicta num. 2. *etiam in omnibus aliis administratoribus locum habent.* 5.
Delictum officialis, ex quo publica salus periclitatur, imputatur domino. 6.
Ratio. 7.
Tutores quoque aedificia pupillorum ipsimet inspicere debent. 8.
Poena. 9.

Praeses quamprimum in provinciam venit, 1
horrea publica, in quibus frumentum militibus erogandum recondebatur, inspicere debet, et 2
curare, ut sarta tecta conserventur, ne per pluviam corrumpantur frumenta. Si in hoc ipse 3
vel ejus officiales negligentes fuerint, ab ipso Praeside resarciendum est damnum. Ratio *legis,* 4
ex *praecedente lege* colligitur; nam si militibus corruptum frumentum praebeatur, res saepe ad querelas, interdum et rebellionem devenire solet. Collige I. Idem in aliis omnibus admini- 5
stratoribus, in specie tutoribus, locum habere, *leg.* 22. *vers. ergo et domus etc. supr. de aministr. tut.* et maximam esse negligentiam, aedes sartas tectas non conservare. II. Delictum officialis, 6
ex quo publica salus periclitatur, imputari domino. Nam de se queri et sibi imputari debent, 7
quod parum diligentes homines adhibuerint, et maxime in negotio, quod propriae curae, et inspectioni committitur, *l.* 16. §. 1. *ff. de rei vind. l.* 1. §. 4. *ff. nautae caupones etc.* Ideoque 8
etiam tutores aedificia pupillorum ipsimet inspicere debent, ita ut si neglexerint, damnum 9
teneantur resarcire, *Bart. hic et Perez. ad hunc t. num.* 12.

L. Nulli. ult.

SUMMARIA

Poena ejus, qui frumentum, in publicis horreis reconditum, in suos usus convertit. num. 1.

Ratio. 2.
Administratio quandoque furtum non minuit. 3.

1 Qui frumentum in publicis horreis reconditum in suos usus convertit, is deportationis poenam cum confiscatione omnium bonorum subit,
2 *Excobar. de ratiocin. c.* 42. *num.* 20. Ratio est in necessitate annonae summa, adeo ut ne ad sustentationem quidem Imperialis domus hoc frumentum sit expendendum, *l. un. C. de frumento urbis Constant.* Collige hic exemplum; ubi administratio non minuit furtum, ut alias 3
per *l.* 55. §. 1. *ff. de administr. tut.* Conf. *Carpz. q.* 85. *num.* 5. *et seq.* et quos ibi allegat.

TITULUS XXVIII.

Ut nemini liceat in emptione specierum se excusare; et de munere Sitocomiae.

L. Quoties. un.

SUMMARIA

Sitocomia quale fuerit officium? num. 1.
Nemo invitus ad vendendum compelli potest. 2.
Limitatur h. l. *num.* 3.
An aliquis vel generali sanctione, Imperiali rescripto vel privilegio, vel judicato, se ab hoc onere excusare et defendere possit, quo minus vendere frumentum cogatur? 4.
Immunitas a collectis rite data, ad extraordinaria illa, quae ob publicam et summam necessitatem, et alendum exercitum indicuntur, extendi non debet, sed omnes pro facultatibus suis tenentur. 5.
Recessus Imperii *hac in parte.* 6.
Nec Principis possessiones, nec praedia incorporata Fisco ab illis oneribus, quae pro publica necessitate indicuntur, eximuntur. 7.
Idem in Ecclesiae praediis. 8.
Non novum est nec iniquum, modum commerciis ponere, certisque personis praerogativam in emendo et conducendo tribuere. 9.

1 Sitocomia erat officium curandi et coemendi frumentum, vel oleum, ob publicam necessitatem. Urgente enim necessitate, v. gr., tempore famis, vel ubi exercitus periclitatur ob famem, solebat a Principe extraordinario subsidio pauperibus vel exercitui subveniri, et mit-
2 tebantur per provincias sitocomae, qui frumentum coemebant, et provinciales tenebantur ad
3 vendendum frumentum sitocomis. Quamvis alias nemo invitus ad vendendum compelli possit, *l. invitum* 11. *C. de contrah. empt.* suasit tamen hoc publica utilitas, ut hic possent cogi, *argum. l.* 1. §. *cura carnis* 11. *ff. de offic. Praef. urb.*
4 Sed quaeritur: *An aliquis vel generali sanctione, Imperiali rescripto vel privilegio, vel judicato se ab hoc onere excusare et defendere possit, quo minus vendere frumentum cogatur?* Videtur quod sic, quia in iis, quae a jure exorbitant, extensio facile locum non habet. Sed negatur, tum quia extraordinarium hoc munus est, et tempore necessitatis imponitur, quae legem vincit, tum quia ne ipsa quidem Principis praedia ab hoc munere immunia, per *hanc leg.* Collige: Immunitatem a collectis rite da- 5
tam non extendi debere ad extraordinaria illa, quae ob publicam et summam necessitatem, et alendum exercitum indicuntur, sed omnes teneri pro facultatibus suis; de illis enim tempore privilegii non fuit cogitatum, *Schrad. de feudis p.* 10. *sect.* 1. *num.* 130. *Georg. Acac. Enenck. Baro de privil. lib.* 2. *c.* 5. *n.* 75. Conf. 6
Recess. Imp. an. 1542. §. *Und. dieweil nun dieser Anschlag etc.* item *an.* 1544. §. *und nemlich sollen alle etc.* quod etiam *in aliis Recessibus* repetitum. Vide *Gail. lib.* 2. *observ.* 52. *num.* 26. *Hartm. tit.* 52. *obs.* 6. *Myns. cent.* 4. *obs.* 70. *num.* 6. *Christin. vol.* 5. *dec.* 22. *num.* 12. *Klock. c.* 16. *sect.* 1. *num.* 109. *et sect.* 2. *num.* 97. *et* 99.
Collige etiam: Nec possessiones Principis, nec 7
praedia incorporata Fisco eximi ab illis oneribus, quae pro publica necessitate indicuntur, *hic et l. fin. C. de collat. fund. fisc. l. ad instructiones C. de SS. Eccles. l. rem privatam C. de privil. dom. aug. Klock. de contrib. c.* 9. *num.* 69.
Colligunt, nec Ecclesiae praedia immunitatem 8
habere in iis, quae extra ordinem ob belli necessitatem ordinata sunt, pro communi Clericorum securitate, *Franc. de Clapper. caus.* 96. *q. unic. num.* 2. Collige etiam: nec novum 9
nec iniquum esse, modum commerciis ponere, certisque personis praerogativam in emendo et conducendo tribuere, v. gr. frumenti, ut tantum, v. gr. civibus, non extraneis vendatur, *Dn. Carpz. lib.* 1. *resp.* 59. *num.* 8.

TITULUS XXVIII.

De collatione donatorum vel relevatorum aut translatorum seu adaeratorum.

L. Dispositionem. un.

SUMMARIA

Privilegia provincialium a Principibus olim ipsis tributa. num. 1.
Varie illis derogatur. 2.
Constitutio Imperatoris. 3.
Semel ordinata, temere non sunt mutanda. 4.
Remissionem a praedecessore factam successor mutare non potest. 5.
Licet Princeps aliquem motu proprio a tributis relevet, illud tamen servandum non est, nisi justa ratio suadeat. 6.
Lex consuetudine approbata per rescriptum etiam proprio motu datum non tollitur. 7.
Restringitur haec regula. 8.

1 Principes nonnulla privilegia tribuerant provincialibus, et vel donaverant possessiones detracto canone, vel possessiones parte tributorum relevaverant ex justa causa, vel transtulerant possessiones in aliud jus, seu functionem, vel adaeraverant, id est, praestationem frumentariam seu speciariam in aerariam vel pecunia-
2 riam converterant. Sed postea his privilegiis varie derogatum est, et nonnullis pro libitu auctus est canon, aliis deminutus. Constituit igitur 3
Imper. ut in posterum ea descriptio observetur, quam fecit Antiochus P. P. et ut ei descriptioni posthac nihil adjiceretur, addita haec ratio est: quod talis ordinatio Antiochi jam sit ordinaria, et anniversaria praestatio, quam toties mutari non convenit. Et si aliquid a praedecessoribus donatum, relevatum, adaeratum vel translatum, id non tantum ratione praeteritorum, sed et futurorum onerum firmiter vult observari. Posthac vero nemo suas possessiones relevabit, vel relevationem a Principe petet, nec, licet subreptio desit, relevatione impetrata fruatur, additur in fine poena officio P. P. imponenda. Collige I. Quae semel ordinata sunt, 4
temere mutanda non esse. II. Remissionem a 5
praedecessore factam successorem mutare non posse, *hic et cap.* 2. *X. de transact.* III. Etiamsi 6
Princeps proprio motu aliquem relevet a tributis, non tamen hoc servandum esse, nisi justa ratio hoc suadeat, juxta *leg. forma* 4. §. 1. *ff. de censibus.* Imo legem consuetudine approba- 7
tam non tolli per rescriptum etiam proprio motu datum, *Glos. hic et Georg. Acac. Enenkel. Baro tractat. de privileg. lib.* 1. *cap.* 8. *num.* 64. Sed nimis generalis videtur haec collectio, et 8
ita melius ad hanc speciem restringitur a *Perez. ad hunc tit. num.* 4.

TITULUS XXIX.

De collatione aeris.

L. Aeris. un.

SUMMARIA

Casus legis. *num.* 1.
Quaestio inde deducta: An pro aere aurum proportionabiliter conferri possit? 2.
Ratio dubitandi. 3.
Decidendi ratio. 4.
Collatores, nisi vertatur utilitas publica, in quacumque pecunia currente et proba debitum tributum solvere possunt. 5.
Fisco aliud pro alio solvi potest. 6.
Idem in omni debitore creditoris privati, dummodo non intersit creditoris. 7.
De aurei aestimatione, remissive. 8.

1 Quaedam provinciae aes contribuebant, ut Cyprus; quoniam autem interdum provinciales libentius pretiosius, quam vilius conferebant; forte quia commodius transportatur, ideo quaeritur: *An pro aere aurum proportionabiliter* 2
(quae proportio hic declaratur, scilicet, ut pro 20. libris aeris unus solidus auri praestetur) *possit conferri?* Videtur quod non, quia aliud 3
pro alio solvi nequit, *l.* 2. *ff. de rebus credit.* Sed Aff. idque favore provincialium, et quia inde 4
Fiscus non laeditur, *hic et l. un. infr. de argenti pretio etc.* secus autem, si Fiscus praesente aere jam opus haberet, *arg. l.* 99. *ff. de solut.* Col- 5
lige ergo: Si non vertatur publica utilitas, collatores in quacumque pecunia currente, et proba debitum tributum solvere posse, cum nullum inde damnum Fiscus patiatur, *Platea hic, et Perez. ad hunc tit. num.* 4. Et sic Fisco aliud 6
pro alio solvi posse, quamvis hoc in omni de- 7
bitore privati creditoris dici possit, quoties creditoris non interest, *hic et l. un. infr. de argenti pret. etc.* de quo *Georg. Schultz. in tr. de oblat. c.* 4. *num.* 18. *pag. mihi* 225. De aestimatione 8
aurei, qui hic 20. libris aeris aequiparatur, Vid. *Covar. in tr. de numism.* §. 2. *num.* 4.

TITULUS XXX.

De Discussoribus.

L. Quoties. 1.

SUMMARIA

Duplex discussorum descriptio. num. 1.
Discussor bona alicujus pluris aestimans, quam aestimari debent, illam censuum quantitatem, quae bonorum quantitatem excedit, solvere tenetur. 2.
Ratio. 3.
Idem in aestimatore bonorum pupilli. 4.
Idem in mensore. 5.
Aestimatori onus probandi incumbit, quod aestimatio juste facta sit. 6.
Probatio non gravato, sed discussori imponitur. 7.
Contrarium fovet Perez. 8.

1 Discussores erant officiales, qui vel inquirebant, quinam sint publici debitores, vel potius aestimabant quantitatem patrimonii cujuscunque provincialis, et secundum hanc imponebatur census vel tributum, vel erant disceptores et cognitores rationum Fiscalium ab aliis tractatarum, ut vult *Cujac.* Sed prior descriptio *legi huic* videtur convenientior, quam etiam videtur approbare cum *Rebuffo Christin. vol.* 5. *dec.* 23.
2 *num.* 15. Mea igitur bona aestimavit 10000. cum vix 5000. aestimari debuissent, postea apud Praesidem intra annum ea de re conqueror, juxta *l.* 5. *infr. de censibus*, probo iniquitatem peraequationis, Quaeritur: *Qui illam quantitatem censuum quae excedit bonorum quantitatem, solvere teneatur?* Non certe ego, cujus bona
3 ultra justum valorem sunt aestimata; Sed ipse discussor id solvere tenetur, nam in eo, in quo quis alium vult laedere, ipse puniendus est, per
4 *Nov.* 7. *c.* 5. §. 1. Idem est in aestimatore bonorum pupilli, *l. fin. supr. de magistrat. con-*
5 *veniend.* in mensore, *t. t. ff. si mensor falsum modum etc.* et gravato possessori datur implora-
6 tio officii judicis. Collige etiam: aestimatori incumbere onus probandi, quod aestimatio juste facta, ut in simili exemplo, *l.* 1. §. 13. *ff. de magistrat. conveniend.* atque ita pro magistratu
7 hic non praesumitur. Et sic probatio non gra-
8 vato, sed discussori imponitur, secus quam putat ad *hunc tit. Perez. num.* 6. et ideo recte *Christ. dec.* 28. *num.* 18. probationem discussori seu officiali juxta *hanc legem* imponit.

L. Ne casu. 2.

SUMMARIA

An soluto censu, sed amissa apocha, denuo ad solvendum censum possim compelli? num. 1.
Officiales suas publicas rationes et tabulas ad probandum hoc passu exhibere coguntur. 2.
An debitor, ejusmodi priori apocha amissa, aliam petere possit? 3.
Propter duplicem quietationem bis aliquis solvisse praesumitur. 4.
Si solutio in publicis rationibus scripta non reperitur, aliam quietantiam collator jure petere potest. 5.
Si amissa sunt privilegia, renovatio eorum a superiori peti potest, si aliunde eorum tenor possit probari. 6.
Discussorem collator semper ad exhibitionem publicarum tabularum compellere potest, et in his debita et soluta scribi debent. 7.

Censum solvi Fisco, sed apocham amisi, Quae- 1
ritur: *An denuo ad solvendum censum compelli possim?* In privatis debitis sententia negativa est plana, per *legem* 1. §. 11. *et seqq. supr. de fide instr.* Sed *Quid in his publicis debitis?* Resp. 2
idem esse, si modo aliunde probari possit, adeo ut etiam officiales publicas rationes vel tabulas cogantur exhibere, ut possessores solutionem canonis ex iis possint probare, *hic et leg.* 4. *supr. de fide instrum.* Alii intelligunt, quod de- 3
bitor amissa priori apocha aliam petere non possit, cum sufficiat ipsi, solutionem in publicis tabulis contineri, et ne duas apochas habeat, reperta forte priori. Et secundus hic intellectus videtur verbis *legis* magis aptus esse. Unde col- 4
ligunt *Doctores:* Quod propter duplicem quietationem praesumatur quis bis solvisse, *Bald. et DD. hic, et ex his Lud. Romanus sing.* 553. nam alias collatores seu contribuentes nullam possent captare hinc praedam. Sed si solutio non 5
reperiatur scripta in publicis rationibus, tunc poterit aliam quietantiam jure petere collator, argumento a contrario sensu ducto, in qua tamen altera amissa poterit cessari. Colligunt etiam *DD.* Si privilegia sint amissa, renovatio- 6
nem eorum peti posse a superiori, si eorum tenor aliunde probari possit, *Georg. Acac. Enenck. Baro de priv. lib.* 3. *cap.* 20. *num.* 27. Collige etiam ex utroque intellectu: Collatorem 7
semper posse compellere discussorem ad exhibitionem publicarum tabularum, et in his debere scribi et debita et soluta, quod tamen a nostris non semper observatum multi cum cordolio sunt experti: Sed tales tabulae claudicantes merito nullam fidem merentur.

L. Per singulas. 3.

SUMMARIA

Advocati a discussorum officio se eximere nequeunt. num. 1.
Extenditur. 2.
Limitatur. 3.
Objectio removetur. 4.
Legis hujus *usus hodie exiguus.* 5.

Advocati non possunt se eximere ab officio 1

2 discussorum, quod extenditur hic. 1. ad eos advocatos, qui ipso actu advocaturae munere funguntur: 2. Ad advocatos eos, qui in curia Prae-
3 sidis patrocinantur; Limitatur vero in iis, qui coram Comite Orientis vel aliis superioribus ma-
4 gistratibus perorant. Sed huic obstare videtur *l.* 6. *supr. de advocatis divers. judic.* Sed *Perez. hanc legem* de inferiorum judicum advocatis intelligit, ad *hunc tit. num.* 2. Alii hic de discussione jugerum, illic de discussione operis agi volunt; dici etiam potest, *hanc l.* de subsidiaria constitutione discussorum intelligi, si alii idonei non adsint. Et videmus hodie ad 5
hoc munus non vocari digniores personas, et ideo *hanc legem* non practicari dicit *Christ. d. dec.* 23. *num.* 19.

TITULUS XXXI.

De decurionibus et filiis eorum, et qui decuriones habeantur, et quibus modis a fortuna curiae liberentur.

SUMMARIA

Magistratus civicus in municipiis ex quibusnam constiterit? num. 1

Tria circa hunc ipsum notanda. 2.

Decuriones constitui possunt omnes, qui non prohibentur. 3.

Etiam filiifamilias, modo sint majores 25. annis. 4.

Si delatus hic honor est filio, vivo et volente patre, licet vivo patre nondum administraverit filius, pater ut fidejussor pro eo tenetur. 5.

Idem est, si filio hanc dignitatem accipienti vel expresse vel tacite consentiat. 6.

Dicta restringuntur. 7.

Secus est, si voluerit pater, sed vivo eo honor filio non delatus. 8.

Quando pater ut fidejussor obligatus, ejus etiam haeredes tenentur, licet habeant beneficium excussionis. 9.

Beneficium hoc unde habeant. 10.

Pro emancipato filio pater tacite fidejussisse non videtur. 11.

Limitatur. 12.

Pater ad nominationem filii non consentiens, ut fidejussor non tenetur, nec ob administrationem filii conveniri potest. 13.

Nec uxor pro marito, sive consenserit, sive non. 14.

Quid si uxor pro marito fidejusserit? 15.

Illiterati quoque decuriones esse possunt, modo aliqualem consuetudinum loci peritiam habeant, et facultatibus abundent. 16.

Sic fratres indivisa bona habentes recte sunt decuriones, nec unus pro altero obligatur. 17.

Frater pro fratris administratione, licet indivisa bona habeant, non tenetur. 18.

Limitatur. 19.

Omnium religionum homines decuriones esse possunt. 20.

Casus. 21.

Etiam infames. 22.

Praetextu infamiae se excusans, an sit audiendus? 23.

Infamis, si aliorum copia est, eligi non debet. 24.

Infamibus portae dignitatum non pateant. 25.

Decurio, qui fit infamis, deponi vel suspendi potest. 26.

An quis ob coecitatem decurionatum amittat? 27.

Infames ex inferioris quoque gradus collegiis meritissime ejiciuntur. 28.

Decurionum electio quomodo fiat? 29.

Electus appellare potest. 30.

A tutelae delatione non appellatur. 31.

Ratio. 32.

Qui indebite aliquem in electione decurionis ex odio nominavit, sciens eum excusationem habere, ad omnes expensas ei restituendas tenetur. 33.

Quid si omnes decuriones non convenerint? 34.

Quod major curiae pars effecit, pro eo habetur, ac si omnes id egissent. 35.

Restringitur. 36.

Si quis decurio nominatus, a quo tempore administrationem incipere debeat? 37.

In temporalibus functio a facta nominatione sive electione, et ea a nominato approbata incipit, quamvis confirmatio Superioris sequi debeat. 38.

Secus in Episcopi electione. 39.

Superior sine justa causa confirmationem denegare nequit, quamvis in vitam ejus prius possit inquirere. 40.

Quinam sint eligendi? 41.

Divites pauperioribus caeterisque paribus sunt praeferendi, et cur? 42.

Inter duos decuriones eligendos et albo inscribendos, ille qui liberos habet, orbo praeferendus est. 43.

Restringitur haec regula. 44.

Nemo ob delictum curiae addicatur. 45.

Absurdum est delinquentibus honorem pro praemio tribuere. 46.

Durissima olim decurionum fuit conditio. 47.

Nativitate quinam curiae sint obnoxii? 48.

Tripliciter ampliatur. 49.

Obligationi non praescribitur, si nulla ejus exigendae vel exercendae occasio se offerat. 50.

Nemo ex negligentia jus amittit, nisi id in jure expressum reperiatur. 51.

Reipublicae interest, multos esse viros, qui munera Reipubl. obeant. 52.

Magistrorum liberi viventibus adhuc parentibus immunes sunt ab oneribus curialibus. 53.

Secus illis defunctis. 54.

Si avus decurio, pater vero magister vel miles, nepotes avi conditionem sequuntur, non patris fruuntur privilegio, sicut e contrario, si avus miles et pater decurio, non illius sed hujus conditionem sequuntur. 55.

Si avus et pater conditionis ejusdem, licet pater amittat dignitatem, nepos tamen avi dignitate fruitur. 56.

non potest ut gubernationem continuet, si scil. alii reperiantur idonei. 136.
Imo nec volens continuare potest. 137.
In insignibus civitatibus plures ad munera idonei praesumuntur. 138.
Officium decurionum positive descriptum. 139.
Dignitas superveniens non statim aliquem a jurisdictione ordinaria eximit. 140.
An decuriones ad aliam provinciam trahi vel evocari possint? 141.
Privilegia decurionum. 141. 142. 148. 149.
Assessores judici contra jura agenti resistere debent. 143.
An alterum privilegium etiam in decurionum filiis, et ad quem usque gradum locum habeat? 144.
Decuriones poenis plebejorum subjici non debent, sed si poenae subjiciendi, ad Principem referendum. 145.
Secundum privilegium limitatur. 146.
Quid juris hodie circa hoc privilegium de non torquendo decurione? 147.
Specialia Alexandrinorum decurionum privilegia. 150.
Privilegia collegiis data de iis intelliguntur, qui strenue rem suam agunt. 151.

1 In municipiis Magistratus civicus constabat
Duumviris et Decurionibus. Hi erant quasi Se-
2 natus Municipalis. Illorum autem notanda, tum
1. Constitutio, tum 2. Administratio, seu of-
3 ficium, tum 3. Privilegia; Possunt autem de-
curiones constitui omnes, qui non prohiben-
4 tur, v. gr. filiifamil. ad hoc munus vocari
possunt, *l.* 5. *h. t.* cum in publicis pro patri-
busfam. habeantur, modo majores sint 25. an-
nis, *l. ad rem.* 8. *ff. de muneribus*, licet ex
causa minor etiam possit, *leg.* 11. *ff. de decur.*
5 Quando igitur pater me esse decurionem vo-
luit, et ita vivo et volente patre mihi honor
delatus, licet vivo patre nondum administrave-
6 rim, tenetur pater pro me ut fidejussor. Idem
est, si mihi, hanc dignitatem accipienti, ex-
presse vel tacite consentiat, *l.* 7. §. *fin. ff. de*
decur. nam si taceat pater, licet expresse non
consentiat, pro consentiente tamen habetur,
l. 2. *pr. ff. ad municip.* et sic hic taciturnitas con-
sensum infert, *Enenck. Baro in tr. de privil.*
7 *parentum privil.* 9. *num.* 28. Licet invitus pa-
ter consentire non cogatur, *l. honor.* 14. §. 4.
ff. de muner. et honor. Sed id ad officia au-
ctoritate et utilitate publica est restringendum,
et non habet locum in tutelis, *Petr. Barb. in*
l. si cum dotem 23. §. *transgrediamur num.* 11.
ff. sol. matr. Conf. *Boer. d. dec.* 221. *num.* 10.
8 Secus est si voluisset pater, sed vivo patre
honor mihi non delatus, *l.* 15. *ff. ad municip.*
9 Quando autem pater ut fidejussor obligatus,
etiam ejus haeredes tenentur, licet habeant
Leg. 1 beneficium excussionis, per *l.* 1. *h. t. Boer.*
decis. 221. *num.* 7. *Christin. vol.* 5. *dec.* 24.
10 *num.* 4. non ex beneficio Imp. quod demum
per *Nov.* 4. introductum, sed ex beneficio ge-
nerali, quia omnis, qui pro administratione
officii pro alio fidejubet, Fidejussor indemnita-
tis est, qui non obligatur, nisi excusso prin-
cipali, *l. fin. Cod. de fidejuss. tut.* quia scilicet
damnum Reip. non excusso principali sciri ne-
quit, *Gail. lib.* 2. *obs.* 27. *num.* 33. *Hering. de*
fidejuss. cap. 27. *part.* 1. *num.* 142. *cum seqq.*

Atque haec de filiofamilias intelligenda, nam 11
pro emancipato pater non videtur tacite fide-
jussisse, *Boer. d. dec.* 221. *num.* 8. *Perez. ad*
hunc tit. num. 18. nisi eo fine, ut non tene- 12
retur pater consulto filium emancipare, *l.*
fin. §. 4. *ff. ad municip. Perez. d. l. num.* 9.
Sed si pater ad nominationem filii non con- 13
senserit, non tenetur ut fidejussor, ergo nec
ob administrationem filii conveniri potest, ju- *Leg.* 5
xta *l.* 5. *h. t.* ut nec uxor pro marito, 14
sive consenserit sive non consenserit, per *l.* 11.
h. t. nam etiamsi fidejussisset, paratum tamen 15
beneficium SCti Vellej. licet in debitis primi-
pilaribus pro marito teneatur, per *l. utilitas* 3.
C. de primipil. scil. in dotalibus, non para-
phernalibus, *Petr. Barb. ad l.* 1. *part.* 7.
num. 4. *ff. sol. matr.* Sed in aliis officiis, de
quibus hic, nec quoad dotalia tenebitur. Pos- 16
sunt etiam decuriones esse illiterati, modo ali-
qualem consuetudinum loci peritiam habeant,
per *leg.* 6. *h. t.* et facultatibus abundent, quas *Leg.* 6
in hoc munere magis spectamus quam erudi-
tionem, *Perez. ad hunc tit. num.* 5. Possunt 17
etiam fratres communia seu indivisa bona ha-
bentes esse decuriones, nec unus pro altero
obligatur simul, per *leg.* 7. *h. t.* ex quo col- *Leg.* 7
ligunt *DD.* fratrem pro fratris administratio- 18
ne non teneri, licet indivisa bona habeant,
nisi essent socii omnium bonorum, per *l.* 39. 19
§. 3. *ff. famil. hercis. Perez. ad hunc tit. num.* 12.
et possunt constitui omnium religionum ho- 20
mines, v. gr. judaei, per *l.* 49. *h. t. et leg.* 5. 21
et 10. *C. de judaeis et caelicolis*, ne homini-
bus execrandis contumelioso ambitu immuni-
tatis privilegium praestare videamur, per *l.*
curiales 7. *C. de haeret.* quamvis privilegiorum
capaces non sint, imo nec ullius dignitatis, sed
tantum onerum, *l. fin. supr. de judaeis*, quia 22
et infames esse possunt, per *l.* 12. *h. t.* ubi Quae- *Leg.* 1
stio; *Si quis se praetextu infamiae excusaret,* 23
an sit audiendus? quod Neg. quia infamia poe-
na est, quae immunitatem tribuere non debet,
leg. 7. §. *fin. ff. de interdictis et relegatis*: sed 24
eligendus infamis non est, si aliorum sit copia,
nam infamibus portae dignitatum patere non 25
debent, *l.* 2. *C. de dignit. cap. infamibus de*
R. J. in 6. Imo si decurio fiat infamis, potest 26
deponi vel suspendi, per *leg.* 8. ubi dicitur, *Leg.*
ob coecitatem supervenientem, quia haec ca- 27
su contingit, neminem amittere dignitatem,
cum et coecus judicare possit, *l.* 6. *ff. de ju-*
dic. sed ob infamiam amittere, *l.* 12. *infr. de*
dignitat. Idque eo magis verum est, quod ex 28
aliis etiam inferioris gradus collegiis infames
personae ejiciantur meritissime, Vid. *Carpzov.*
lib. 6. *resp.* 100. Decuriones autem vel libere 29
eliguntur ex incolis, vel nativitate sua curiae
sunt obnoxii. Electio debet fieri convocatis
omnibus decurionibus. Quoties enim decurio
eligendus est, a duumviris decuriones solemni-
ter in curiam convocari debent, et ita nomi-
natio decurionis facienda; quae facta, electio
statim per officialem significanda, sed potest 30
tamen electus appellare, per *leg.* 2. *h. t.* *Leg.*
Perez. hic num. 24. *et num.* 30. *et l.* 4. *et* 7.
C. de appell. Quamvis a delatione tute- 31
lae non appellatur §. 16. *Inst. de exces. tut.*
forte quia nominatio tutoris non fit praevia 32
deliberatione concilii, ut electio decurionis:
qui autem indebite aliquem ex odio nomina- 33
vit, sciens eum excusationem habere, tenetur

ad omnes expensas ei restituendas, *d. l.* 2. *et*
31 *l.* 1. *ff. de excus. mun. Perez. num.* 30. Sed
quid. si omnes decuriones non convenerint?
eg.45 Resp. in *leg.* 45. sufficere, si a duabus partibus tertiis, id est, a majori parte fuerit electus
ne scilicet quod a majori parte ordinis salubriter fuit constitutum, per paucorum absen-
35 tiam debilitetur, *d. l.* 45. quod vero major pars
curiae efficit, pro eo habetur, ac si omnes id
36 egissent, *l. quod major* 19. *ff. ad munic.* modo omnes sint vocati, per *d. l.* 2. *et c.* 28. *X. de elect.* alias, si hoc non factum, non opus est appellatione, per *leg.* 27. *supr. de appell.*
37 (quae est conjuncta *huic legi*) quod si aliqui nominati fuerint decuriones, si hi consentiant nominationi, statim administrationem incipere debent, non expectata confirmatione Superioris, et postea confirmatio peti potest, quam etiam Superior sub poena hic statuta denegare
eg.59 nequit, per *l.* 59. *h. t. Christin. vol.* 5. *dec.* 24.
38 *n.* 33. ex qua Collige: I. In temporalibus incipere functionem a facta nominatione sive electione, et ea a nominato approbata, quamvis confir-
39 matio Superioris sequi debeat, secus est in
40 electione Episcopi, *cap.* 17. *X. de elect.* II. Superiorem sine justa causa confirmationem non posse denegare, quamvis in ejus vitam prius
41 inquirere possit, *c.* 3. *X. de elect.* Eligendi autem sunt dignissimi meritis et facultatibus,
eg.46 juxta *l.* 46. *h. t.* ex qua colligitur: Divites
42 pauperioribus, caeteris paribus, esse praeferendos, ut scilicet Reip. securitas praestetur, *Christin. vol.* 5. *dec.* 21. *num.* 30. et ob divitias splendescit magis dignitas, *Menoch. cons.* 126.
43 *num.* 28. Quando duo decuriones simul eligendi, et albo inscribendi, qui liberos habet orbo
eg. 9 praeferendus est, per *leg.* 9. *h. t. Perez. ad hunc tit. numm.* 18. *et* 31. quod tamen *Marcus*
44 *Mantua sing.* 624. ita declarat, nisi is, qui liberos habeat, multo junior sit illo, qui liberis destitutus est; sed si fere sint aetate aequales, et qui plures habet, alteri praeferendus est, qui pauciores habet. Nam ille majori beneficio
45 Rempub. affecit, per *l.* 6. §. *ult. ff. h. t.* Quia autem interdum officiales ob delictum, a praesidibus curiae addicebantur, prohibet hoc Im-
eg.38 perator *leg.* 38. quia licet sit onus cum labo-
46 re, honor tamen est, et absurdum est delinquentibus honorem pro praemio tribuere; Un-
47 de intelligi potest durissimam fuisse decurionum conditionem, ut ante *hanc legem* poenae loco in hunc ordinem fuerint relati; sed si antea fuerit curialis, et contulerit se ad militiam, tunc retrahi potest, per *d. l.* 38. de
48 quo post. Nativitate illi curiae sunt obnoxii,
eg.35 qui patre decurione nati sunt, *l.* 35. *h. t.* nisi pater sponte munera publica subierit, *l. fin.*
49 *C. de his, qui sponte etc.* Et *d. l.* 35. triplicem continet ampliationem: I. Ut idem sit, licet filius decurionis sit advocatus: quamvis enim advocati habeant immunitatem, *leg.* 6. *C. de advoc. div. judic.* secus tamen est in decurionis filio: II. Ut idem sit, etiamsi alii sint, qui ad munera publica sufficiunt, quod tamen Resp. immunitatem decurionis filiis
50 non concedat. Ex quo colligunt: Obligationi non praescribi, si nulla ejus exigendae vel exer-
51 cendae occasio se offerat, et negligentia jus neminem amittere, nisi id in jure expressum reperiatur, *Bart. in l. solent* §. 1. *ff. de offic. Procons. Jo. Fr. Balthasar. tit.* 9. *resol.*
Bavar. 4. *num.* 1. *in fin.* Et Reip. interest, mul- 52
tos esse viros, qui munera Reip. obeant, *Perez. ad hunc tit. num.* 36. III. Ut idem sit in 53
magistrorum et professorum filiis, nam licet ipsi magistri habeant immunitatem, *l.* 10. §. 2. *ff. de vacat. mun.* et hoc ipsorum liberis competat, dum vivunt parentes, cessat ta- 54
men hoc defunctis parentibus, per *d. l.* 35. si Leg.35
scilicet avus eorum fuerit decurio. Nam si avus 55
decurio, pater vero magister vel miles, quamvis alias jura magis sint proclivia ad liberandum, quam ad obligandum, *l. Arrianus ff. de oblig. et act.* nepotes tamen, non patris privilegio fruuntur, sed avi conditionem sequuntur; sicut e contrario, si avus miles, et pater decurio, non illius, sed hujus conditionem se-
quuntur, per *l.* 27. *h. t.* idque ita contra com- Leg.27
munem regulam favore Reip. placuit. Sed si 56
avus et pater conditionis ejusdem, licet pater amittat dignitatem, nepos tamen avi dignitate fruitur, *l.* 7. *in fin. ff. de senator.* Imo et il- 57
le, qui post patris obitum agnascitur, id est posthumus patri, in onere decurionis succedit
per *l.* 48. *h. t.* qui textus non de mala admi- Leg.48
nistratione, sed successione loquitur; matris 58
conditionem autem filius non sequitur in decurionatu, *l.* 36. cujus haec species: Pater tuus Leg.36
fuit decurio celebrioris urbis, mater vero filia 59
decurionis urbis exiguae, impetras rescriptum, quo tibi potestas conceditur repudiandi honores in patria parentis, et eligendi curiam in patria materna, quod rescriptum negat Imperator valere in *d. l.* 36. adeo, ut nec consuetudo provinciae valeat, cum Juris publici pars sit, filium in honoribus sequi lineam paternam,
l. 10. *ff. de senator.* Collige: I. non valere con- 60
suetudinem, ut quis ex matre nobilis censeatur,
sed hoc mihi non placet; nam privilegia non- 61
nullis concessa novi, ut filii sequantur nobilitatem matris, per tradita *Tiraq. de nobilit. cap.* 19. *num.* 25. Sed Imperator hic prohibet consuetudinem in hac specie facti, si quis ob originem matris leviora velit onera amplecti, et respuere onera majora, quibus ob originem
paternam obstrictus erat. II. Contra legem, 62
quae contrariam consuetudinem probibet, nullam consuetudinem posse introduci, de quo alibi actum fusius, v. gr. in *Auth. navigia supr.*
de furtis. III. Originem maternam non obliga- 63
re filiam curialibus honoribus, per *l.* 44. *h. t.* Leg.44
ubi habetur ratio, quia enim foemina ad di- 64
gnitates habentes administrationem non admittitur, *d. l.* 44. *et l.* 2. *ff. de R. J.* ideo illam
aliis conferre non potest *argum.* Regulae: 65
Nemo plus juris in alium transfert, quam quod
ipse habet. Sed *d. l.* 44. habet in *h. t.* duplicem 66
limitationem: 1. in urbe Antiochena, ubi qui nullius alterius civitatis curiae annexi erant,
matris conditionem sequebantur, *l.* 22. *h. t.* Leg.22
quod *DD.* etiam de illegitimis liberis intelli-
gunt, ex qua *l.* 22. Colligunt: Quamvis con- 67
suetudo non possit legi prohibitoriae derogare, privilegium tamen ei derogare posse; de quo repeto antea dicta. Sed ab *hac l.* et privilegio generali Antiochenae Reip. dato per speciale privilegium excipitur Dorotheus vir illustris, Irenaeus, licet ante dignitatem patris
natus una cum tota posteritate, *l.* 16. *h. t.* Leg.16
ex qua colligunt: Leges speciales etiamsi in cor- 68
pore juris positae sint, non tamen ad alias personas esse extendendas, si de mente Principis

appareat. Caeteri igitur, quorum avus maternus fuit decurio Antiochenus vel Fliensis vel Delphicus, idque ex eorum confessione apparuit, non poterant detrectare munera in Re-
g.62 publ. Antiochena subeunda, per *l.* 62. *h. t.* cujus
69 haec species: Si pater tuus habuit in matrimonio Antiocheni decurionis filiam, et sic potuisset curiae obstringi, sed Respubl. eum non requi-
70 sivit, Quaeritur: *An Respubl. te ad subeunda munera curialia compellere possit?* Videtur quod sic, ob *l.* 35. *h. t.* sed Neg. *hic d. l.* 62. quia hic filius non juri communi obligatus est, sed speciali privilegio, quod facilius tollitur quam jus commune, *l. ejus militis* 34. §. 4. *ff. de milit. testam. Tiraq. in tr. cessante causa etc. limit.* 11. *num. fin. Alphan. coll.* 596. *Platea hic in fin. Menoch. lib.* 6. *praes.* 40. *num.* 13. Col-
71 lige etiam: Patre ad munera non vocato, nec filium vocari posse, *Bart. et Plat. hic in pr. Christin. vol.* 5. *dec.* 15. *num.* 1. et idem esse, si quis confessus vel convictus sit, de quo ali-
72 bi: 2. Limitatio est in filio, cujus pater est decurio, mater vero colona vel inquilina Prin-
g.29 cipis, per *l.* 29. *h. t.* sicut enim in vera servitute filius matrem sequitur, §. 4. *Inst. de jur. person.* ita etiam in servitute impropria, *hic et l.* 12. *infr.* de *Murilegulis etc.* in Adscriptitiis,
73 *l.* 21. *et l. fin. infr. de agric. et censit.* Ratio autem *hujus legis* videtur esse in abjecta Adscriptitiorum conditione, cum glebae adhaeserint et in favore agriculturae, *Perez. ad hunc tit.*
74 *num.* 35. Quando igitur aliqui vel ratione nativitatis, vel domicilii in curiam vocantur, et vocati se occultant, et publica munera detrectant, debent inquiri, et si inventi fuerint, sumptus in requisitione factos debent restitue-
g.20 re, *leg.* 20. *h. t.* ex qua Colligitur: quod is,
75 qui deserit officium suum, licet sit in aliena potestate, resarcire debeat omne damnum Reip. datum, *l.* 21. *pr. ff. ad municipalem, et t. t. C. si tutor non gesserit*, et ideo inquiri debent curiales, ut etiam ex domo Principis extrahendi sint, et hi damna Reip. resarcire te-
g.39 neantur, *l.* 39. *h. t.* Unde probatur, abusum
76 privilegiorum in jure prohibitum et punitum, *Enenck. Baro de privil. l.* 2. *cap.* 6. *num.* 10.
77 et quamvis alias nemo de domo sua extrahi
78 debeat, per *l. nemo* 103. *ff. de R. J.* fallit tamen in decurione, qui ex aedibus suis vel alienis extrahi potest, nam magna et multa onera incumbebant decurionibus ob administrationem praediorum civitatis, exactionem redituum, reparationem aedificiorum, curam ludorum circensium et similia, et qui eos occultat, infamis redditur, et plectitur publicatione
g.31 bonorum, si in occultando perseveret, per *l.* 31. *h. t.* ratio in textu: *quia utilitatem publicam privatis affectibus postponit*, quam *legem DD.* non tantum de decurione originario, sed etiam
g.18 electo intelligunt, *argum. l.* 18. *h. t.* quod si
79 in fuga deprehendatur a curiali aliquo, is, qui curiae munera detrectat, propria auctoritate
80 capi potest, si desit copia judicis, et tunc ad Praesidem ejus loci deducendus, qui, si captivus neget, se esse curiae obnoxium, litem cognoscere et finire debet intra tres menses, sub
g.54 poena sancita per *l.* 54. *h. t.* ex qua Colli-
81 gunt: I. Posse subditum fugitivum a Magistratu suo, aut hominem proprium a domino, filium a patre, uxorem a marito propria auctoritate capi, si desit judicis copia, et postea deduci ad judicem loci, qui tales, quod in fugitivum jus habeant, non tam quid alienum, quam suum detinere videntur, *Perez. ad hunc tit. num.* 48. II. Creditorem posse capere de- 82
bitorem suum cum re debita aufugientem, si desit copia judicis, *hic et l.* 10. *et* 16. *ff. quae in fraudem creditorum etc. Gail. lib.* 1. *obser.* 48. *num.* 14. III. Etiam liberum hominem vindi- 83
cari posse utili actione reali, *l.* 1. §. *per hanc ff. de rei vind.* quod si autem deprehendi non 84
possit decurio, tunc ejus bona possidenda traduntur illi, qui in ejus locum surrogatur, per
l. 18. *h. t.* qui interim fructus lucratur, *argum.* Leg.18
l. Fulcinius 7. §. *ult. ff. quibus ex causis in possess.* quod si autem intra annum (nam 85
post annum ejus bona Fisco addicenda sunt, per *l. fin. princ. ff. de requir. reis, et*
l. 51. *vers. ut ex eorum bonis etc. h. t.* ubi ratio Leg.51
quia sat temporis habent ad purgandam contumaciam) se sistat, restituuntur quidem ipsi bona, sed tunc munus publicum duplicato
tempore gerere cogi potest, per *d. l.* 18. sicut 86
alias ei, qui temporali poenae se per contumaciam subtrahit, duplicari tempus poenae solet, *l. aut damna* 8. §. 7. *ff. de poenis.* Unde colligitur modus procedendi contra contumaces, qui se muneribus publicis (nam generaliter *haec lex* loquitur in fine de omnibus muneribus) subtrahunt: licet originarii non
sint, sed electi. Sed *quid si in militiam se de-* 87
curio contulerit? Resp. in *l.* 17. eum revocan- Leg.17
dum esse, licet in remota provincia militet; nam et tunc revocandi, aut contra bona eo-
rum procedendum, *d. l.* 51. *h. t.* et licet quis Leg.51
per 40. annos militasset, nullam tamen posset praescriptionem opponere. Sed is ac liberi ejus
etiam in militia nati, possent revocari, *l.* 55. Leg.55
h. t. et l. 5. *supr. de praescript.* 30. *ann.* Un-
de probant: eum, qui habet minus legitimum 88
ingressum officii vel dignitatis, nunquam praescribere, *Rol. a Valle cons.* 3. *num.* 25. *vol.* 1. Revocandus etiam est, licet decurio miles fa-
ctus rescriptum immunitatis impetraverit, *l.* 43. Leg.43
h. t. et (quod majus) licet in monasterium 89
se contulerit, non tamen consequitur immu-
nitatem, *l.* 26. *h. t.* imo licet se in Collegium Leg.26
Fabricensium, id est, eorum qui armis fabricandis operabantur, contulisset, non adipiscebatur libertatem, sed qui erat obligatus collegio Fabricensium, non poterat eligi decurio,
l. 32. *h. t.* ex quo colligunt: Ei, qui ad de- Leg.32
clinanda onera publica in certum Collegium 90
privilegiatum se confert, illius Collegii privile-
gia non competere. Sunt tamen quaedam cau- 91
sae, quae immunitatem tribuunt, ut 1. Aetas 55. annorum, *leg.* 11. *ff. de muner. l. ult. infr. qui aetate vel professione se excus.* quamvis in tutelis 70. anni requirantur. Si igitur in publicis 55. anni sufficiunt, magis veniam merebi-
tur aetas 70. annorum, *l.* 10. *h. t.* minor ae- Leg.10
tas 55. annis v. gr. 50. annorum non excusat,
l. 13. *h. t.* Sed si quis 55. annos natus sponte Leg.13
decurionatum acceptaverit, non meretur po- 92
stea excusationem, *l.* 3. *h. t.* quia, beneficio, Leg.
quod quis habet propter majorem aetatem re-
nunciare potest, ex quo collige: Amitti privi- 93
legium: si quis actum privilegio contrarium faciat, *Georg. Acac. Enenck. Baro de privil.*
lib. 3. *cap.* 15. *num.* 4. Excipitur etiam in *l.* 41. Leg.41
talis actus, qui per plures cito expediri potest, et ubi maxime senilis prudentia requiritur,

scilicet in electione decurionum, nam etiam
94 ex *l.* 64. senes ad tales actus vocandi: 2. Nume-
*Leg.*24 rus 12. liberorum, per *l.* 24. *h. t.* nam ratio est in
beneficio, quo pater iste rempubl. affecit, et in
95 onere educandorum liberorum, quamvis in
leg. 5. §. 2. *ff. de jure immun.* sexdecim liberorum,
fiat mentio, id tamen ideo fit, quia in casus
contingentia pater ille fuit 16. liberorum; quam-
vis etiam in *l.* 3. *infr. de his qui num. lib.* li-
berorum 5. fiat mentio, id tamen de officiis pu-
blicis auctoritate, non utilitate, id est, de tu-
telis et curatelis est intelligendum; vel dicen-
dum, numerum 5. liberorum a suscipiendo
munere publico, numerum 12. liberorum e-
tiam a suscepto liberare; quod verbis *hujus*
96 *legis* convenit, sed hoc Quaeritur hic: *Annon
haec l. 24. tantum de personalibus, an vero
etiam de realibus seu patrimonialibus, intelli-
genda?* Et quamvis *Fachin.* priorem senten-
tiam amplectatur, *lib.* 3. *contr.* 49. quae etiam
textui convenientior videtur, posterior tamen
est receptior, per tradita *Tuschi lit. E. concl.*
562. *Thes. dec.* 267. *Gasp. Klock. d. tract. cap.*
13. *sect. per tot.* ubi *num.* 120. id limitat
in iis extraordinariis, quae ob necessitatem
97 publicam indicuntur: 3. Dignitas, non omnis
tamen, nam nullus qualibet praerogativa di-
gnitatis vel militiae fultus a debitis muneribus
*Leg.*28 habetur immunis, per *l.* 28. *h. t.* quia honor
non jubet deponere amorem patriae; atque ex
98 *d. l.* 28. Colligunt: Nobiles non posse detrecta-
re munera publica, si in civitatibus habitent,
99 *arg. Nov.* 15. *cap.* 1. nec excusatur quis, si
per ambitionem illustres etiam dignitates af-
*Leg.*41 fectet, per *l.* 41. quia nihil, quod affectatum est,
100 a muneribus praestat excusationem, §. 5. *Inst.*
101 *de excus. tut.* Imo qui Praesidis officium am-
bit, ut ea ratione se subtrahere possit labori-
bus curiae, non tantum amittit dignitatem
affectatam, sed etiam munera curiae infima
administrare, et sic denuo ad superiora ascen-
*Leg.*50 dere debet, per *l.* 50. *h. t.* idem si fiat Cleri-
102 cus, *l.* 12. *C. de Epis.* Caeterum, illustres di-
gnitates plerumque liberant nexu curiae, quam-
Leg 63 vis leges dissimiliter loquantur, nam in *l.* 63.
§. 1. dicitur generaliter, qui illustrem digni-
tatem habent, liberos esse a nexu curiae una
cum liberis post illustrem dignitatem adeptam
103 susceptis, ex quo colligunt nonnulli: Regis fi-
lium in regno natum majori ante regnum na-
to praeferendum esse; sed de hac quaestione
Vid. *Tiraq. de jur. primogen. q.* 31. *per tot.
et Hugo Grotius de Jur. pacis et belli, l.* 2. *cap.* 7.
num. 28. *Christinaeus vol.* 5. *dec.* 25. *Carpz.
part.* 2. *constit.* 10. *def.* 32. *et lib.* 6. *resp.* 98.
*Leg.*61 Sed in *l.* 61. Zeno distinguit inter Comites re-
104 rum privatarum, et inter Quaestores et Ma-
gistros officiorum ex una, et Praefectum prae-
torio, Consules, Consulares, Magistros militum
et Praefectos urbi ex altera parte, ut hi qui-
dem cum liberis post dignitatem natis liberen-
tur, illi non semper, sed qui ante Zenonis
Imperatoris Constitutionem talem dignitatem
adepti sunt, sed qui imperante Zenone adepti
sunt, non liberentur, ex hac causa, nisi aliam
praerogativam habeant, posse tamen eos per
substitutum munera curiae obire, periculo
tamen suo, quod de illustri dignitate intelli-
gendum; ad alias vero dignitates etiam specta-
biles non est extendendum, nisi speciali quis
*Leg.*60 fruatur privilegio, *l.* 60. *h. t.* Colligunt autem

I. Dignitatem hoc operari, ut qui obstri- *Leg.*
ctus est ad servitia, ut vasallus, propter su- 105
pervenientem dignitatem per substitutum ser-
vire possit. Vide *Rosenthal. cap.* 8. *concl.* 22.
in fin. et concl. seq. II. Dignitates plenissime 106
interpretandas, ne maneat inane nomen ho-
noris, nec fiant elusoriae, sed effectum ali- 107
quem operentur, *Enenckel. Baro de privil. lib.*
2. *cap.* 6. *num.* 1. III. Principem debere subdi- 108
tos in eo statu, in quo reperit, conservare.
Sed sequens *lex* 65. Zenonis *legi* aliquo modo *Leg.*
derogat, et constituit, ut etiam ii, qui impe- 109
rante Zenone, ante tamen Constitutionem *il-
lam* 64. fuerunt electi comites etc. cum libe-
ris suis a curia liberentur, nec obesse iis, si
Constitutioni Zenonis aliquandiu paruerint; ra-
tio mutationis est, quia non debuit Zeno prae-
teritis, sed futuris negotiis formam dare, *Enen-
ckel. Baro de privil. lib.* 3. *cap.* 20. *num.* 2.
nec eos, qui jam liberati erant, curiae iterum
subjicere; ex cujus *legis fin.* Colligunt: Leges, 110
quae de privilegiis concedendis loquuntur in
dubio statim vigorem suum habere, secus in 111
aliis, *Nov.* 66. *Romanus consil.* 330. *Panorm.
in c. cognoscentes X. de constit. num.* 7. *Chri-
stin. vol.* 2. *dec.* 26. *num.* 1. *Enenckel. Baro
de privil. lib.* 2. *cap.* 6. *num.* 25. Demum in 112
l. fin. Justinianus recenset 12. dignitates, *L. f*
quae a curia liberant, reliquis omnibus
repudiatis. IV. A curia liberat etiam speciale 113
privilegium Principis, adeo ut si quis contra-
veniat, sacrilegii crimen incurrat, per *l.* 63. *Leg.*
princ. h. t. ratio *in l.* 5. *C. de div. rescr.* si
scilicet illud rescriptum ob certam justam
causam emanavit, v. gr. summam paupertatem,
morbum, egregia merita, et alia; nam si per
subreptionem et obreptionem emendicatum, non
valet per *l.* 19. quod praesumitur, si causa non *Leg.*
appareat, ubi continetur ampliatio, etiamsi con-
sensus civium concurrat. Nam talia decreta
civium essent ambitiosa, per *l. ambitiosa* 4. *ff.
de decretis ab ord. fac.* Unde solent probare: 114
Immunitatem concessam alicui, ex qua univer-
sitas oneratur in oneribus, quae publica ne-
cessitas extorsit, non valere, nisi Princeps ra-
tam illius sibi detractam velit, *Caspar. Klock.
de contribut. cap.* 16. *sect.* 1. *num.* 34. *et vol.*
1. *cons.* 28. *num.* 386. *Carpz. lib.* 4. *resp.* 75.
num. 8. *et num.* 19. *Enenckel. Baro de privil.
lib.* 1. *cap.* 6. *num.* 16. Imo etiamsi alias non
sit origine curialis, sed per rem judicatam
decurio electus, rescriptum tamen Principis
ipsi nihil opitulatur, *per l.* 37. *h. t.* Unde ex hoc *Leg.*
aliisque textibus probatur: Imperatores rescri- 115
pta sua legibus et juribus positivis subjecisse,
Enenckel. Baro de privileg. lib. 1. *cap.* 8. *n.* 67.
nisi scilicet adsit causa justa, super qua nec 116
Collegium decurionum, *d. l.* 19. nec ipse Prae-
ses cognoscit, *l.* 14. *h. t.* Sed si qua forte causa *Leg.*
occurrat, ob quam aliquis relevandus, ea ad Prin-
cipem referenda. Unde apparet, si Praeses per 117
decretum aliquem excusatum pronunciet vel
indignum, hoc non praestare immunitatem,
per *l.* 13. quia ultra administrationis suae tem- *Leg.*
pus Praeses interdicere nemini potest per de- 118
cretum, per *l. fin. ff. de poenis*, secus autem 119
est, si per sententiam definitivam causa cogni-
ta quid statueret, *l.* 1. *ff. de postulando.* Mor- 120
bus sane pedum excusationem non praestat
juxta *d. l.* 13. nisi sit perpetuus, adeo ut pro- 121
prias res administrare quis non possit, *l. pen.* *L. p*

122 supr. qui morbo etc. Officium decurionum
quod concernit, describitur id partim negative
in hoc titulo, partim positive. Negative I. Quod
abstinere debeant ab onerum alienorum admini-
eg.34 stratione juxta l. 34. h. t. tum, quia procura-
tio negotiorum, extrajudicialium scilicet, vile
officium est, et decurionem dehonestat, tum
quia ipsum in officii administratione impedit,
123 unde nec conducere aliena bona potest, l. 30.
supr. locati, l. 2. §. 1. ff. de admin. rer. ad civ. nec
124 pro iis qui conduxerunt, fidejubere potest, d.
125 l. 30. Et propter easdem rationes prohibetur esse
eg.15 tabularius, in l. 15. h. t. et 2. infr. de tabular.
126 quamvis tabularii possint creari decuriones,
sed postea notarii officio fungi non possunt,
127 l. 21. supr. de falso. Collige: Uni plura officia
facile committenda non esse, per l. 1. §. fin.
ff. de collect. l. 17. §. 3. et 4. ff. ad municip.
cap. 15. X. de praebend. Riminaldus jun.
cons. 467. num. 80. Card. Tuscus concl. 97.
lit. O. Perez. ad tit. 19. Cod. lib. 12. num. 5.
128 II. Duumvir non magis ac decurio extra fi-
nes territorii sui uti potestate sua non debet,
eg.53 l. 53. h. t. Ratio in l. fin. ff. de jurisdict.
129 III. Non potest decurio vel duumvir sine licentia
Praesidis aulam Imperatoris accedere, nec in
propriis nec in Reipubl. causis sub poena, per
g.16 l. 16. h. t. quod ideo procul dubio placuit,
130 ne decuriones vagarentur, aut Praesides du-
131 rante officio calumniarentur. Cui simile est,
quod Clericus peregrinans semper formatas seu
commendatitias sui Episcopi habere debeat,
c. pen. et fin. dist. 71. l. 22. §. 2. C. de Episc.
132 et Cler. nisi ad Pontificem proficiscatur, C. un.
133 X. de Clericis peregrin. IV. Non potest cogi
decurio, ut noviter creatus solvat debita a prae-
decessore contracta, nec potest conveniri, si
praedecessor susceptorem minus idoneum con-
g.23 stituit, l. 23. h. t. licet alias praedecessor ipse
134 teneatur, l. 2. C. de suscept. sed praeterita ta-
men seu restantia debita fiscalia non debet ne-
135 gligere, l. 3. C. de suscept. Collige: Succes-
sorem in dignitate non teneri ad debita prae-
decessoris, Vid. Carpzov. part. 2. constit.
29. def. 21. const. 45. def. 7. Klock. cap. 8.
136 num. 50. de contribut. Nec cogi potest is, qui
semel decurionis officio functus est, ut con-
tinuet gubernationem, si scilicet alii reperian-
g.52 tur idonei, per l. 52. h. t. Imo ne potest qui-
137 dem volens continuare, ne gravis sit civibus,
l. un. supr. de ambitu. Sed in defectum alio-
rum potest compelli, l. 14. §. fin. ff. de minor.
138 Collige: In insignibus civitatibus praesumi plu-
139 res esse idoneos ad munera. Positive describi-
tur officium, 1. quod decurionum officium sit,
g.41 Reipubl. consilia suggerere, l. 41. h. t. Et 2. nomi-
ne Reipubl. agere in judicio pro utilitate pu-
g.30 blica, pro tributis et similibus, per l. 30. h. t.
quod cum Gl. DD. intelligunt, quod etiam
unus decurio in solidum agere vel excipere
possit, exemplo tutorum, l. 1. supr. si unus
ex pluribus etc. quamvis tutius sit syndicum
constituere, l. 3. et 6. ff. quod cujusque
universit. nom. Debent 3. mandata Praesi-
dum exequi, et iisdem parere, licet Comiti-
vam dignitatem sint adepti sub poena 5. libb.
g 47 auri, et amittendi honoris, per l. 47. h. t. Col-
lige: Dignitatem supervenientem non statim 140
eximere aliquem a jurisdictione ordinaria. Sed 141
ita sunt sub potestate Praesidum decuriones,
ut tamen non possint ultra terminos civitatis
trahi vel evocari, l. 25. h. t. nam hoc privilegium Leg.2
decurionum primum est, ut ad aliam provin-
ciam trahi non possint, per Nov. 45. in
proem. et habent beneficium primae instantiae,
l. 1. C. de decur. urbis Romae, nisi causa
legationis, l. 16. h. t. Privilegium 2. est, quod Leg.1
tormentis subjici non possint, per l. 33. h. t. adeo 142
ut Praeses contrafaciens 20. libris auri et in-
famia, officiales ejus 50. libris mulctentur, per
d. l. 33. quia scilicet tormentis non nisi viles Leg.3
personae subjiciuntur. Ex qua l. 33. colligen-
dum: Adssessores debere judici suo resistere, 143
si videant ipsum contra jura agere, alias pu-
niendi sunt. Et hoc privilegium locum etiam 144
habet in filiis decurionum, neque ad tertium
gradum, l. 11. supr. de quaestion. saltem adopti-
vis, l. 4. h. t. nam etiam per hos sugillaretur Leg.
aestimatio parentis, ex qua ratione ad paren-
tes idem privilegium extendunt DD. Farin. in
pract. crim. qu. 41. num. 60. nec debent de- 145
curiones poenis plebejorum subjici, sed si poe-
nae subjiciendi, ad Principem referendum,
l. 9. §. 11. et l. 27. §. 1. ff. de poenis. Unde
etiam tortura non indicenda, nisi consulto
Principe, de qua observantia, quando nobili-
bus dictitanda tortura testatur Carpz. pract.
crim. qu. 118. num. 93. et seq. Sed privilegium 146
id de non torquendo decurione limitatur, ni-
si in officio suo delinquat, ita ut pecuniam
publicam dilapidasse dicatur, vel si iniquus sit
descriptionum arbiter, vel extorserit aliquid a
civibus per concussionem aut superindictionem
fecerit, nam eo casu plumbatarum ictibus
subjici potest, per l. 40. h. t. quod procul du- Leg.4
bio minus ignominiosum, vel tormenti, vel,
ut alii volunt, poenarum genus fuit. Sed ho- 147
die, praesertim in atrocioribus, hoc privilegium
de non torquendo decurione non observari
testatur Farin. d. qu. 41. n. 69. Conf. Carpz. pract.
crim. qu. 118. n. 87. Tertium privil. quod immuni- 148
tatem habeant decuriones a muneribus extraor-
dinariis personalibus, quoniam satis est, si civi-
tatum munera per eos congrue compleantur,
l. 21. h. t. Licet provinciales omnes a militi- Leg.2
bus injuria ulla affici non debeant, praecipue 149
tamen tuti debent esse decuriones, ne a tri-
buno etiam, aut duce, ulla injuria reali affi-
ciantur, aut constringantur sub poena 10. li-
brarum auri, per l. 42. h. t. In specie autem 150
Alexandrinis decurionibus haec privilegia tri-
buuntur: 1. Ut decurio muneribus omnibus
expletis Comitivam adipiscatur dignitatem, l. 56. Leg.56
h. t. Ut 2. pecuniariis tantum poenis a P. P.
praesente curia eorum affici possint, l. 57. Leg.57
Ut 3. qui per 30. annos functi sunt civilibus
in curia muneribus, postea etiam deposito mu-
nere a muneribus personalibus debeant esse
immunes, si modo non negligenter, nec sce-
lerate, aut defunctorie, sed strenue in eo of-
ficio sint versati, per l. 58. h. t. Collige: Pri- Leg.58
vilegia data collegiis, de iis intelligi, qui stre- 151
nue rem suam agunt. Hoc si observaretur,
paucis privilegia competerent.

TITULUS XXXII.

Si servus aut libertus ad decurionatum adspiraverit.

L. Si libertus. I.

SUMMARIA

Libertinus an et quatenus ad honores et decurionatum adspirare possit? num. 1.
Hodie omnes libertini jus natalium salvo patronatus jure habent, et ergo honoribus fungi possunt. 2.
Incapax ad dignitatem adspirans extra ordinem punitur. 3.

1 Libertinus non potest ad honores, et sic neque ad decurionatum adspirare, nisi 1. jus aureorum anuulorum impetraverit, ubi quis ingenuus fiebat ratione honorum, non ratione patroni, aut 2. primaevis natalibus fuerit restitutus, qua ratione plenam ingenuitatem consequebatur; contra faciens libertus removetur a dignitate cum infamia, et extra ordinem punitur, *hic et l. un. supr. ad L. Viscelliam*, ubi excipiuntur alia munera personalia, quae non habent admi-
2 nistrationem et dignitatem. Sed ex *Nov.* 78. hodie omnes libertini habent jus natalium salvo jure patronatus, et ergo honoribus fungi pos-
3 sunt, *Perez. ad hunc tit. num.* 3. Collige: Extra ordinem puniri qui cum sit incapax, ad dignitatem adspiraverit. Vid. *Menoch. lib.* 2. *arb. qu. cent.* 5. *qu.* 402.

L. Praeses. ult.

SUMMARIA

Facti species. num. 1.
An servus decurio et aedilis factus a dignitate sit repellendus, et dominae restituendus, et qua poena afficiendus? 2.
Qui inhabilem se scit, ut eligatur, pati non debet. 3.
An et quatenus conditionem suam manifestare debeat? 4.
Nemo occultam infamiam prodere, nec positioni turpitudinem continenti respondere tenetur. 5.
Ordo cum incapacem eligit, capacem eum declarare non potest. 6.
Secus in Principe et populo. 7.
Ratio. 8.

Oricinae servus in provincia decurio factus est 1
et aedilis, Quaeritur: *An a dignitate repellen-* 2
dus, et dominae restituendus, et qua poena afficiendus? Resp. ad 1. affirm. Quia aedilis esse nequit, imo omnia per eum gesta sunt irrita, nisi ob utilitatem publicam sustineantur, ob *l. Barbarius* 3. *ff. de offic. Praetor.* Ad 2. si sciens conditionem suam id fecit extra ordinem, gravius tamen liberto puniendus est, quod curiae dignitatem servili macula violaverit; si errans, forte quia mater ab omnibus libera habita erat, effugiet poenam, sed dominae tamen restituendus. Collige: Eum, qui scit se inhabilem, non 3
debere pati, ut eligatur, per *l.* 4. §. 1. *et seq. ff. de re militari.* Sed debet manifestare condi- 4
tionem suam, *Christin. v.* 5. *decis.* 28. *num.* 5. scilicet si ipsum impedimentum natura inhabilem reddat ad munus obeundum. Sed si non red- 5
dat, non puto teneri occultam infamiam propalare, quia nemo occultam infamiam prodere, sicut etiam nemo positioni turpitudinem continenti respondere tenetur, *Christin. d. l. num.* 6. *et Perez. ad hunc tit. num.* 8. Collige 6
etiam: Ordinem, cum incapacem eligit, illum non posse declarare capacem, secus in Princi- 7
pe et populo, *d. l. Barbarius.* Nam hujus ratio 8
decidendi non tantum in utilitate partium, sed etiam in eo, quod populus potuerit dispensare et libertatem concedere, *Pacianus de probat. lib.* 2. *cap.* 21. *Farin. qu.* 155. *part.* 5. Quod si vero Princeps inhabilem ad officium promoveat, et inhabilitatem scivit, aut ejus in literis mentionem faciat, aut alias scivisse probetur, dispensasse videtur, *Menoch. lib.* 2. *praes.* 20.

TITULUS XXXIII.

De Praediis Decurionum sine decreto non alienandis.

L. Si quis. I.

SUMMARIA

Decuriones immobilia sua vel mancipia rustica sine judicis decreto alienare non poterant. num. 1.
Ratio. 2.
In omni emptione, quae decretum requirit, opus est ut causae specialiter et sigillatim judici exponantur et probentur, et judex de iis cognoscat, alias decretum est subreptitium. 3.
Judicis auctoritas et consensus mens, fraudis et laesionis praesumptionem excludit, et quae in judiciis gesta sunt, bona fide gesta praesumuntur. 4.
An remedium l. 2. C. de rescind. vend. *in venditione facta ex decreto judicis locum habeat?* 5.

Qui per interpositam personam contrahit, fraudis praesumptione non caret. 6.
Nisi probabilis causa appareat. 7.
Per interpositam personam contrahere licet. 8.
Ubi contractus est nullus, et contra formam a lege scriptam factus, emptor fructus non lucratur. 9.

1 Decuriones, bona sua immobilia, vel mancipia rustica, sine judicis decreto non poterant
2 alienare: Ratio; Ut Respub. eo ditiores haberet administratores, et ne patrimonii dissipatione ad munera civilia redderentur minus idonei, *DD. hic et Christin. dec.* 28. *num.* 9. *vol.* 5. Debebat autem decurio causas alienationis venditionem urgentes in specie et sigillatim Praesidi enarrare, et probare, et sic consensum seu decretum impetrare; quod si non fiat, venditio est nulla, et fundus restituitur venditori cum fructibus nec recipit emptor pretium, quod, ut *Gloss. et DD.* communiter volunt, cedit Fisco, *arg. l. pen. C. de resc. vend. l. fin. C. de litigiosis.* Et commendat utilitatem hujus formae alienationis, quod ea observata nemo de fraude aut laesione conqueri habeat necesse. Collige:
3 I. In omni emptione, quae decretum requirit, opus esse, ut causae specialiter et sigillatim judici exponantur et probentur, et judex de iis cognoscat, alias decretum esse subreptitium, *hic et l.* 5. §. 14. *ff. de rebus eorum qui sub tutel. etc. Papon. tit.* 13. *lib.* 1. *arest.* 61. *et seq.* quem refert *Christin. vol.* 5. *dec.* 28. *num.* 16.
4 II. Judicis auctoritatem et consensum excludere praesumptionem metus, fraudis, et laesionis, et quae in judiciis gesta sunt, praesumi
5 bona fide gesta. Unde *DD.* quos recenset *Ant. Gabrielius tit. de vendit. concl.* 1. *num.* 57. *Fachin. lib.* 3. *controv.* 620. *Carpzov. l.* 4. *resp.* 1. *et Christ. vol.* 5. *dec.* 28. *num.* 13. putant remedium *leg.* 2. *C. de rescind. vendit.* in venditione facta ex decreto judicis non habere locum. Sed nulla inest argumento consequentia: ergo non praesumitur laesio. Ergo si laesio vel dolus liquido probari potest, non corrigitur. Et ex hac lege tantum hoc probatur: venditorem allegare hoc casu non posse, se vel metu coactum, vel insidiis emptoris circumventum vendidisse: sed nullum verbum de laesione ultra dimidiam, quod scilicet de illo conqueri non possit, sunt verba *Fachinaei lib.* 2. *cap.* 20. *quaest.* 2. Ideoque contraria sententia esse receptior, *Gomez. tit.* 2. *resol. cap.* 2. *num.* 23. *Molina de J. et J. d.* 344. *num.* 13. *Alex. Trentac. tit. de empt. resol.* 3. *num.* 5. *Carpzov. p.* 2. *const.* 34. *num.* 13. *Pinell. ad d. l.* 2. *p.* 2. *c.* 2. *num.* 18. *Fachin. Christin. dd. ll. et Perez. h.*
6 *t. num.* 6. III. Non carere fraudis praesumptione eum, qui per interpositam personam con-
7 trahit, nisi probabilis causa appareat. Sed hoc
8 habet locum, si alia concurrant, nam licitum est per interpositam personam contrahere, *l.* 46. *ff. de haered. inst. Tusch. concl.* 257. *n.* 38.
9 Item: ubi contractus est nullus et contra formam a lege scriptam factus, emptor fructus non lucratur, *l.* 1. *in fin. supr. de fide et jure hast. Christin. d. dec.* 28. *num.* 14.

L. Nec venditio. 2.

SUMMARIA

An bona vel immobilia vel mobilia, vel nomina curiae jure haereditario acquisita, distrahi debeant, et ad quid pecunia inde redacta impendatur? num. 1.
Respublica vel curia jure minorum utitur, etiam in solutione debitae pecuniae. 2.
In conductionibus praediorum civitatis ditiores aliis sunt praeferendi. 3.
Pecunia ex venditione praedii civitatis redacta ad coemptionem alterius praedii convertenda est. 4.

Quando curia haereditario jure acquirit bona 1
vel mobilia vel immobilia vel nomina, tunc bona distrahi non debent, nec debitor liberari, nisi decreto curiae interveniente, et pecunia inde redacta in comparationem praediorum converti debet, quae praedia locanda sunt tali conductori, qui vel per se idoneus satis sit et dives, vel fidejussoribus cautionem praestet, quae omnia ad salutem Reip. tendunt. Collige: I. Rem- 2
publ. vel curiam jure minorum uti, etiam in solutionem debitae pecuniae. Conf. §. 2. *Inst. quibus alienare licet, l.* 25. *C. de admin. tut.* II. In conductionibus praediorum civitatis ditio- 3
res aliis esse praeferendos. III. Pecuniam ex 4
venditione praedii civitatis redactam ad coemptionem alterius praedii esse convertendam.

L. Curiales. ult.

SUMMARIA

Duae legis *partes. num.* 1.
Decretum in venditione tantum, non in donatione nec permutatione requiritur. 2.
Ratio. 3.
Exceptio in l. 4. C. de natur. lib. *num.* 4.
In donatione quoque decretum per Nov. 38. *requiritur.* 5.
Imo donatio ne quidem cum decreto valet. 6.
Contrahentibus hac in parte consulitur. 7.
Ubi pretii fit mentio, venditio praesumitur. 8.
Venditionis prohibitio stricte est accipienda, nec ad alios contractus extendenda. 9.
Nisi eadem militet ratio. 10.
Ampliatur. 11.
Jus hodiernum. 12.

Haec lex iterum agit de praediis non curiae, 1
sed decurionum, et habet duas partes: *Prima* est, cum in *l.* 1. dictum, emptorem pretium amittere; hinc colligit Imperator in *hac lege:* Decretum requiri tantum in venditione, non 2
in donatione, nec permutatione. Illius ratio est, 3
quia facilius vendimus, quam donamus; hujus ratio est, quia permutando non facile dissipamus bona: Sed exceptio est in *l.* 4. *C. de nat. lib.* 4
Donell. l. 9. *c.* 10. *lit. Aa.* Sed per *Nov.* 38. 5
etiam in donatione requiritur decretum, imo

6 in *Nov.* 87. donatio ne quidem cum decreto
7 valet. In *secunda parte* contrahentibus consulit, quando enim decretum interponendum erat, tunc solebat ex breviculo legi, et aliquid pro scriptura exceptori dari oportebat, nec non ad ludos theatrales. Sed Imperator vult decretum fieri sine damno aut impendio ullo; adeoque viva voce consensu curiae et sententia judicis competentis interponendum est decretum.
8 Collige: I. Ubi mentio fit pretii, quod tunc praesumatur venditio, Vid. *Menoch. lib.* 3. *praesumpt.* 74. *Socinus reg.* 116. *Christin. d. dec.*
9 *num.* 19. II. Prohibitionem venditionis stricte esse accipiendam, nec ad alios contractus extendendam, nisi ratio eadem militet, v. gr. in venditione prohibita per testatorem, *Vincent. Fusar. de fideicom. qu.* 695. *num.* 1. *et seq.* Sed 10
quando non est eadem ratio, contrarium verum est. Idque in omnibus locum habet, quo- 11
tiescumque aliquid de venditione disponitur, quod generali regulae et juri communi alias repugnat, *Christin. d. dec.* 28. *num.* 18. Sed hodie decuriones nostri habent liberam potestatem alienandi bona sua immobilia, *Gloss. et DD. hic Christin. d. dec.* 28. *in fine*, *Perez. ad hunc tit. num. fin.* Sed in praediis curiae 12
aliud, nam et hodie haec indistincte alienari non possunt, de quo alibi.

TITULUS XXXIV.

Quando et quibus quarta pars debetur ex bonis decurionum, et de modo distributionis eorum.

L. Si decurionum. 1.

SUMMARIA

Quomodo curiali de juri civili succedatur? num. 1.
Statuta illa, quibus ex bonis defuncti transferendis certa pars publico datur, iniqua non sunt. 2.
Ampliatur. 3.
Recessus Imperii. 4.
Observantia fori nostri. 5.
Ex decurionum nostrorum haereditatibus nulla pars Fisco debetur. 6.
Nisi haereditates alio transferendae sint. 7.

1 Decedenti curiali si succedat jure civili vel praetorio non filius, sed extraneus ex asse, tunc quartam debet restituere curiae, si vero plures succedant, singuli quartam illam pro rata conferunt. Quod ita in commodum Rerumpubl. introductum, nec adeo privatis, qui lucrativum
2 titulum habent, damnosum. Collige: Non iniqua esse statuta, quibus ex bonis defuncti transfe-
3 rendis certa pars publico datur; praesertim si non successerint liberi, neque pro alienigenis habeantur illi, qui sub eodem Principe, sed sub alio judice immediato vivunt, *Dauth. de testamentis* §. 69. *Gail. lib.* 2. *obs.* 36. *num.* 10. *Rauchbar. p.* 1. *qu.* 15. *num.* 5. *et* 6. *Klock. de contrib. c.* 1. *num.* 247. et non obscure talia
4 statuta approbantur in *Rec. Imp. de anno* 1584.
5 *(und will)* Apud nos sane quindena etiam a liberis solvitur, quod tamen duriusculum videtur, sed est ita statutum. Vid. *Scheplitz de*
6 *consuet. Brand. p.* 3. *tit.* 8. §. 1. Sane ex decurionum nostrorum haereditatibus, nulla pars
7 debetur Fisco, nisi haereditates alio sint transferendae.

L. Meminimus. 2.

SUMMARIA

Tres legis partes. num. 1.
An ex singulis rebus haec quarta sumenda? 2.
Ratio decidendi. 3.
In dividendis haereditatibus, si partes convenire nequeant, non est indulgendum eorum malitiae qui singulas res ex invidia dividere volunt, sed sorti res demandanda. 4.
Communionis incommoda sunt, naturale vitium esse negligi, quod communiter possidetur, et multos se nihil habere opinari, quando totum non habent, et alios pati suam rem corrumpi, dum alienae invident. 5.
Curia portionem sibi debitam propria auctoritate occupare non potest. 6.
Qualiter fieri debeat divisio bonorum immobilium et mobilium, nec non nominum? 7.
Si inventarium perfectum exhibetur, an juramento opus sit. 8.
Receptum hoc in quibusdam Germaniae civitatibus. 9.
Recessus Imperii *hac in parte.* 10.
Credulitatis juramentum hoc casu sufficit. 11.
Durum et inhumanum est, ad publicationem rerum familiarium compelli, et paupertatis detegere vilitatem, vel divitias invidiae exponere. 12.
Inquisitio rei furtivae in aedibus non diffamatis ob jam allegatam rationem facile concedi non debet. 13.
An elocata filia a fratribus inventarium petere possit, ut sciat annon in dote constituta laesa sit? 14.
Casus aliquot, in quibus quarta curiae non debetur. 15.
Si puellae legatum relictum, si huic vel illi nupserit, an triennium ad deliberandum concessum sit, et postea si penes ipsam stetit, ne nubat, an audiatur? 16.
Hodie in nonnullis casibus sexus foemininus deterioris conditionis est. 17.

Haec lex tres partes habet. I. Quaeritur: *An* 1
ex singulis rebus haec quarta sumenda? Resp. 2
quod non, sed ex toto corpore, ratio in textu; 3
ne totae dilacerentur facultates, et sic etiam communio necessaria esset inter curiam et haeredem, quae est odiosa, ergo haeres dividat haereditatem in quatuor partes; et sorti res committenda, an curia quadrantem suum, an

vero haeres suum dodrantem eligere debeat:
4 ex qua parte Colligendum: 1. In dividendis hae-
reditatibus, si partes convenire nequeant, non
indulgendum esse malitiae eorum, qui singulas
res volunt dividere ex invidia, sed sorti rem
esse demandandam, *Lucas de Penna hic, Carpz.
p.* 3. *constit.* 15. *def.* 1. *Pruckman. vol.* 2. *cons.*
20. *num.* 52. Conf. *Dn. Mevius ad Jus Lubec. l.*
2. *t.* 2. *art.* 5. *num.* 31. *Tiraq. de primogen.*
5 *quaest.* 17. *opin.* 1. Collige: 2. Communionis in-
commoda, naturale scilicet vitium esse negligi,
quod communiter possidetur, et multos se nihil
habere opinari, quando totum non habent, et
alios pati suam rem corrumpi, dum invident
alienae; Et sic communia plerumque neglectui
habere notat *Auctor axiom. Barb. locuplet.
lib.* 3. *cap.* 32. *axiom.* 3. Conf. *Donell. lib.* 9.
6 *cap.* 11. Curiam non debere portionem sibi de-
7 bitam propria auctoritate occupare. II. Pars:
Qualiter debeat fieri divisio bonorum immobi-
lium et mobilium, nec non nominum. Nam re-
rum immobilium (quia scil. haec latere non
possunt) aestimatio et divisio fiat praesentibus
curialibus, in mobilibus vero, ne vel pompa
vel vilitas rei familiaris denudetur, statur jura-
mento haeredum quoad aestimationem, si no-
lint jurare, omnia subjicienda sunt oculis.
Quod nomina attinet, cautiones sunt prae-
ferendae, et si successores pretium nominum
pro quarta parte solvere curiae nolint, nomina
inter successores et curiam pro dodrante et
quadrante dividenda, et e contrario, curia pro
quadrante agnoscit aes alienum et haeres pro
8 dodrante. Collige: Si inventarium perfectum
exhibeatur, non opus esse juramento, quia aut
instrumentum aut juramentum requiritur, *Car-
pzov. p.* 3. *const.* 33. *def.* 8. et quos ibi citat,
et *lib.* 6. *resp.* 61. *num.* 17. Sed nobis id alibi
visum dubium: circa quantitatem mobilium
9 standum esse juramento haeredis. Et hunc mo-
dum in quibusdam civitatibus Germaniae rece-
ptum esse testatur *Klock. de contribut. c.* 11.
num. 61. et probat *Jo. Boterus in Ill. Polit.
lib.* 7. *c.* 7. *Florez. Diez de Mena quaest.* 21.
10 *num.* 58. qui etiam in *Recessibus Imperii de
anno* 1544. *et* 1595. confirmatus, *Carpzov. lib.*
4. *resp.* 74. *num.* 11. *et seq.* ubi tamen *num.* 13.
11 recte monet, sufficere, si de credulitate jure-
tur, ne conscientiae nimis constringantur. No-
12 tetur etiam ex *hac parte* secunda: Durum et inhu-
manum esse, compelli ad publicationem rerum
familiarium et paupertatis detegere vilitatem, vel
13 invidiae exponere divitias, ex qua ratione no-
lunt ordinarie facile inquisitionem rei furtivae
in aedibus concedere non diffamatis, *Castr.
Salyc. et Sich. ad l.* 2. *C. de serv. fugit.* et tu-
tor ob hanc causam potest omittere inventa-
14 rium, *Perez. hic num.* 8. Sed quaeritur: Si elo-
cata filia a fratribus an possit petere inventa-
rium, ut sciat, an non in dote constituta laesa
sit? Quod affirmandum videbatur per *hanc le-
gem.* Sed vid. *Cephalus l.* 2. *cons.* 165. *num.* 37.
usque ad finem, et Guido Papae quaest. 351.
15 III. Pars in §. 1. refert casus, in quibus quarta
curiae non debetur, ut 1. Quando filius, ne-
pos, pronepos succedit curiali: 2. Si filia, ne-
ptis, proneptis curiali nubat: 3. Si mater cu-
riali nupta filio curiali succedat: 4. Si curialis
ejusdem civitatis succedat curiali. Sed circa
filiam et neptem distinguitur, utrum sit eloca-
ta curiali, et tunc nulla debetur quarta an ve-
ro sit virgo aut vidua, et tunc in impuberibus
pubertas, in puberibus triennium est expectan-
dum, utrum sit nuptura curiali vel non, etc.
cujus ratio, quia curia in filio adquirit decurio-
nem, quod non est in filia, ergo gravanda est
per detractionem quartae, nisi nupta sit curiali.
Colligunt: I. Si puellae relictum legatum, si 16
huic vel illi nupserit, concessum esse triennium
ad deliberandum, et postea si penes ipsam ste-
tit, ne nubat, non esse audiendam, *Grassus
§. legatum qu.* 46. *num.* 18. *Simon. de Praetis
de interp. ult. vol. lib.* 4. *int.* 1. *dub.* 9. *num.*
26. *Menoch. lib.* 4. *praes.* 149. Quae est recepta
sententia teste *Card. Mant. de interpret. ult.
vol. lib.* 11. *tit.* 18. *num.* 23. Sed de ea senten-
tia dubitare licet ob *leg.* 91. *in fine ff. de con-
dit. et demonstr.* ubi dicitur, tempus hujus
conditionis esse infinitum. Ideoque *lex haec* 2.
intra suos terminos coercenda, nec generaliter
contra *textum* clarum intelligenda, *Mantica d.
l. Vasq. lib.* 3. *q.* 44. *num.* 13. quos laudat et
sequitur *Franc. de Barry de success. lib.* 17.
tit. 15. *num.* 11. II. Hodie etiam in nonnullis 17
casibus foemininum sexum deterioris conditio-
nis esse, *hic et l.* 9. *ff. de statu homin.*

L. Si quis. ult.

SUMMARIA

Quinque legis partes. num. 1.
Quando quis decedit relicta sobole masculini et foeminini generis, tum soboles mascula integram omnium bonorum quartam non computatis sororibus habere debet. 2.
Si decurio relictis filiabus decedit, quarum una decurioni nupta, caeterae non, tunc curia quartam detrahet ex caeterarum filiarum portionibus, sed ex ejus, quae decurioni nupta, portione nihil detrahit. 3.
Si filio minus quarta est relictum, suppleri debet. 4.
Quod lex dat, hominis dispositio minuere non potest. 5.
Exemplis declaratur. 6.
Si curialis moritur relicto filio, nepote vel avo, qui ex privilegio vel dignitate a nexibus curiae liberentur, tunc curia quartam suam integram habere debet. 7.
Qui propter religionem vel ordinem succedere nequit, partem non facit caeteris liberis. 8.

Habet *quinque partes:* I. Sententia haec est: Quan- 1
do quis decessit relicta sobole masculini et foe- 2
minini generis, tum soboles mascula debet ha-
bere integram quartam omnium bonorum, non
computatis sororibus. II. Pars in vers. *adhuc* 3
sancimus, hoc vult; Si decurio decedat filiabus
relictis, quarum una decurioni nupta, caeterae
non, tunc curia quartam detrahet ex caete-
rarum filiarum portionibus, sed ex ejus, quae
decurioni nupta portione nihil detrahit, cum
per maritum portet onera curiae. III. Pars in 4
vers. *Sed si quid minus:* scilicet si filio decurio-
ni minus quarta sit relictum, quod tunc illud
suppleri debeat, adeoque haec quarta minui
nequit. Collige: Quod lex dat, hominis disposi- 5
tione minui vel deminui non posse, exemplo 6
legitimae liberorum, *l.* 8. *et* 32. *C. de inoff.
testam.* et portionis conjugi ex bonis defuncti

debitae, nam hac conjux privari nequit, *Wesenb. in* ꝟ. *unde vir et uxor, et cons.* 87. *num.* 9. *Kohl. de success. conjug. p.* 2. *num.* 86. *Pist. p.* 1. *q.* 31. *num.* 7. *Carpzov. p.* 3. *concl.* 7. *def.*
7 4. *et* 8. IV. Pars in vers. *nullo obstaculo:* scilicet si curialis moriatur, relicto filio, nepote, vel avo, qui ex privilegio vel dignitate liberentur a nexibus curiae, quod tunc curia debeat
8 habere quartam suam integram. Collige: Eum qui propter religionem vel ordinem succedere nequit, non facere partem caeteris liberis, *arg. hujus vers. et l.* 1. §. 8. *ff. de bon. possess. contra tab. l.* 4. §. 2. *ff. de bonis libert. Gail. lib.* 2. *obs.* 122. *in fin. Boer. dec.* 101. *Petra de fidecomm. q.* 15. *num.* 145. *Barry de success. lib.* 16. *tit.* 2. *num.* 6. In V. et ultima parte Imp. generaliter colligit, quae antea specialiter dicta sunt.

TITULUS XXXV.

De imponenda lucrativa descriptione.

L. Descriptionis. un.

SUMMARIA

Decurione res suas immobiles lucrativo titulo in alium transferente, possessor 4. siliquas curiae solvere tenebatur. num. 1.
Quidnam fuerit siliqua? 2.
Ex quibus rebus et a quibus personis solvantur hae siliquae? 3.
Si ex statuto collecta vel certa gabella ex donationibus solvenda, inter ascendentes et descendentes id locum non habet. 4.
Donatarius emphyteuseos ad laudemium tenetur, nisi sit filius. 5.
Omnia statuta generalia de solvenda parte haereditatis ad Fiscum, exceptionem in filio habent. 6.
Quindena nostra a liberis etiam solvitur. 7.
Duo ejusdem rei emphyteutae irrequisito domino partes suas invicem vendere possunt. 8.
Limitatur. 9.
Vasallus sine consensu domini feudum in remotiorem agnatum, nullo tamen praeterito, transferre potest. 10.
Quinam tituli sint lucrativi? 11.
An et quatenus dos possit esse titulus lucrativus? 12.
Matrimonium tot tantisque difficultatibus oppressum adventitiis ponderibus non est cumulandum. 13.
Quid si res titulo lucrativo ad curialem semel pervenerit, et postea titulo oneroso ad alium veniat, an novus possessor ad istam gabellam teneatur? 14.
In contributionum et aestimii publici materia actio datur ei ad interesse, qui ignorans ab altero deceptus est. 15.
Si titulo oneroso in alium fundus a decurione translatus, licet novus possessor titulo lucrativo illum denuo in tertium transferat, non tamen fundus ista gabella oneratur. 16.
Ex primo titulo res et eventus judicatur. 17.
Possessio judicatur secundum titulum preambulum et primaevum. 18.
Si res per se ad haeredem non transiens, semel ad haeredem primum transierit, transit etiam ad caeteros haeredes. 19.
Res non alienabilis semel alienabilis facta, perpetuo talis manet. 20.

1 Quando decurio res suas immobiles in alium transferebat lucrativo titulo universali vel singulari, tunc possessor solvere tenebatur curiae 4. siliquas. Erat autem siliqua vicesima pars 2
solidi, *Perez. hic num.* 1. Vid. *Covarr. de vet. numism. collat. cap.* 3. *num.* 10. et hac de re agit
lex in tribus partibus: I. Pars Quaestionem tra- 3
ctat; *Ex quibus rebus et a quibus personis solvantur hae siliquae?* Resp. ex immobilibus, non vero ex rebus mobilibus, nec datur, si quid donatum descendentibus vel ascendentibus, quia in istis personis magis videtur esse solutio debiti, quam donatio, cum filio debeatur haereditas paterna, *l. in suis ff. de lib. et posth.* nec debentur, si curialis alii curiali ejusdem civitatis donet, cum enim personae conditio non mutetur, nec status rei immutandus, sic nec solvuntur ab Ecclesia, *l. pen. supr. de SS. Ec-*
cles. Collige 1. Si ex statuto collecta vel gabel- 4
la certa ex donationibus solvenda, id locum non habere inter ascendentes et descendentes, quia
hic proprie lucrum non est; sic donatarius 5
emphyteuseos tenetur ad laudemium, nisi sit filius. Vide *Carpzov. part.* 2. *constit.* 39. *def.*
21. Et omnia statuta generalia de solvenda par- 6
te haereditatis ad Fiscum, exceptionem habent in filio, ut *Riminaldus vol.* 1. *cons.* 15. *et seq. et in tot. consil.* Sed id locum habet in du-
bio, nam quindena nostra a liberis etiam sol- 7
vitur, ut dixi supra ex *Scheplitz p.* 3. *t.* 8. §. 1.
Collige 2. Emphyteutas duos ejusdem rei posse 8
partes suas irrequisito domino sibi invicem ven-
dere, quia conditio personae non mutatur. Sed hoc 9
forte sine dispositione procedet, si illi duo sint haeredes, nam tunc quia inter eos jus accrescendi erit, et sic alienatio fieri potest. Idem concederem in re donata et in emphyteusin concessa a Principe, secus autem ubi duobus a principio, et non a Principe res data, quod *Card. Mant. de tac. et amb. convent. lib.* 22. *tit.* 28. *num.* 45. probare nititur ex *l.* 11. §. 1. *ff. de duobus reis, l.* 1. *C. si plures una sen-*
tent. condemn. Collige 3. Vasallum sine consensu 10
domini feudum in remotiorem agnatum nullo tamen praeterito transferri posse. Vid. *Rosenth.*
cap. 9. *concl.* 52. *num.* 12. II. Quaeritur: in 11
vers. *lucrativas etc. quinam tituli sint lucrativi?* Resp. haereditatis, legati, fideicommissi, dona-
tionis mortis causa, vel inter vivos. E contra- 12
rio lucrativus titulus non est dotis, cum detur ad portanda onera matrimonii, licet conventum, ut eam post mortem uxoris lucretur maritus. Sed respectu uxoris, pro qua constituitur dos, potest esse lucrativus titulus, *l. fin.* §. 1. *ff. quae in fraudem cred.* sic nec lucrativus ti-

tulus est donationis ante nuptias. Collige 1. Quinam tituli sint lucrativi, Conf. *DD. hic et De-*
13 *cius in l.* 33. *de R. J.* Collige 2. Matrimonium tot tantisque difficultatibus oppressum, adventitiis ponderibus cumulandum non esse, et neminem duplici onere gravandum, *l.* 2. §. 4. *ff. ad l. Rhod. A. Barbos. l.* 13. *cap.* 22. *axiom.* 7. In
14 III. parte quaeritur: *Quid si res titulo lucrativo ad curialem semel pervenerit, et postea titulo oneroso ad alium veniat, an novus possessor teneatur ad istam gabellam?* Et Resp. in vers. *res vero quae etc.* quod sic, nam principium translationis rei attendendum est, quod est lucrativum. Cujus rei aequitatem tripliciter probat: 1. Quia res semel illo onere affecta cum onere semper transfertur, *l. is cui opus* 23. *ff. de novi operis nunciat. A. Barbos. lib.* 17. *c.* 40. *axiom.* 12. Et 2. imputet sibi, qui talem rem oneratam emit, aut si ignorat, habet actionem ad interesse contra venditorem, unde pro-
15 bant, in materia contributionum et aestimii publici actionem dari ad interesse ei, qui ignorans ab altero deceptus est, *Wesenb. cons.* 103. *num.* 26. *et Klock. de contrib. c.* 19. *num.* 353: Et 3. cum in contrario casu contraria sit decisio. Nam si titulo oneroso in alium fundus a decu- 16
rione translatus, licet novus possessor titulo lucrativo illum denuo in tertium transferat, non tamen gravatur fundus ista gabella, cum immunis ad primum pervenerit. Ex quo Colligunt: 17
Ex primo titulo rem et eventum judicari, *Cravetta cons.* 111. *num.* 18. *Klock. de contribut. c.* 17. *num.* 28. et possessio judicatur secundum 18
titulum praeambulum et primaevum, *hic et l.* 2. *C. de adquir. possess. Rosenthal. de feud. c.* 6. *concl.* 80. *num. fin. Casp. Klock. cons.* 41. *num.* 333. *vol.* 2. Et si res per se ad haeredem 19
non transiens semel ad haeredem primum transierit, transire etiam ad caeteros haeredes, *l. videamus* 17. *ff. quod metus causa, Vasq. p.* 1. *controvers. lib.* 3. *cap.* 96. Res non alienabilis, si semel alienabilis facta, perpetuo talis manet, *arg. l.* 38. §. 5. *ff. de legat.* 3. *Menoch. lib.* 1. *A. Q. cas.* 54. *n.* 34. *Vinc. Fusar. de substitut. q.* 352. *num.* 19.

TITULUS XXXVI.

De praebendo salario.

L. Nulli. un.

SUMMARIA

Decuriones officiales Reipubl. eligere poterant. num. 1.
An non electo officiali salarium promittere possint? 2.
Dato officio solitum quoque salarium promissum praesumitur. 3.
Speciali Principis mandato ad salarium constituendum opus est. 4.
Ratio. 5.
Salarium nemini extra ordinem constitui, imo nec inconsulto Principe ob tenuitatem pretii et laboris magnitudinem augeri potest. 6.

1 Decuriones poterant eligere officiales Reipubl.
2 *l.* 2. *supr. de decurion.* Quaeritur ergo: *An non electo officiali salarium promittere possint?* Quod negatur, *hic et l.* 4. *ff. de decret. ab ord. fac.* nisi professoribus et medicis, atque adeo in causa favorabili vel pro consuetudine salarium promissum sit, *d. l.* 4. nam dato of- 3
ficio praesumitur solitum salarium promissum, *arg. l. licet, et l. excepto* 18. *C. de locat. Bocr. in singul. titul. praes.* 44. *num.* 28. *Aug. Berous vol.* 3. *consil.* 15. *num.* 4. *et seqq.* idque in omnibus officiis ordinariis videtur dicendum per tradita *Menoch. cons.* 228. *num.* 29. Alias 4
certe speciali mandato Principis opus est ad salarium constituendum, ne ex publico ambitio- 5
nis causa immodicum constituant salarium, cum de alieno homines soleant esse liberaliores, *Perez. ad hunc tit. num.* 1. Collige: Salarium 6
nemini extra ordinem constitui posse, imo nec augeri inconsulto Principe ob tenuitatem pretii et laboris magnitudinem, *Menoch. lib.* 2. *A. Q. casu* 514. *num.* 12. *et seq. Christin. vol.* 5. *dec.* 30. *num.* 3.

TITULUS XXXVII.

Si Curialis relicta civitate rus habitare maluerit.

L. Curiales. un.

SUMMARIA

An decurio relicta civitate rus se conferre, et ibi agrum emere ac colere possit? num. 1.
Civitas majores expensas quam vita rustica requirit. 2.
Domicilium mutare cuilibet licitum. 3.
Limitatur. 4.
Impius est, qui patriam negligit et deserit. 5.
Diris is devovendus est, qui patriam ex professo vel insidiis oppugnat. 6.
Clericus non residens beneficio privatur. 7.
Decurio patriae redditus duplicato tempore patriae inservire tenetur. 8.

Quaeritur: *An decurio relicta civitate rus se* 1
conferre, et ibi agrum emere ac colere possit?
Quia majores expensas civitas requirit, quam 2
vita rustica, quod ideo in formando catastro observandum esse dicit *Menoch. cons.* 1144.

3 *num.* 69. *et seq.* Videtur quod sic, cum domicilium mutare cuilibet sit licitum, *l.* 31. *ff. ad*
4 *munic.* Sed aliud est, si quis officii ratione certo collegio sit adstrictus, *hic et l.* 1. *ff. de de-*
5 *cur. et l.* 26. *supr. cod. tit.* quia impius est, qui patriam negligit et deserit, *Cravetta cons.* 697. *num.* 7. *Thomas Merckelbach. inter consil. Klock.*
6 *vol.* 1. *cons.* 39. *n.* 389. Et multo magis diris devovendus, qui eam ex professo, vel insidiis oppugnat, et ideo *Glossa* hunc crudelem appellat, *Decian. consil.* 48. *num.* 14. *vol.* 3. *cons.* 82. *num.* 15. *vol.* 5. quem refert *Merckelbach. d. l. num.* 390. Imo fundus ille, quem colit, confiscatur per *hanc legem.* Sic Clericus non 7
residens privatur beneficio, *c.* 6. *et* 8. *X. de Cler. non resid.* et decurio redditus patriae te- 8
netur duplicato tempore inservire patriae, *l.* 18. *supr. de decur.*

TITULUS XXXVIII.

De municipibus et originariis.

L. Cum te. 1.

SUMMARIA

Municipes quotuplices sint? num. 1.
Quid originarii, quid voluntarii? 2.
An v. gr. origine Biblius, Berytensis incolatu utrobique munera sustinere cogatur? 3.
Quid si quis eodem tempore utrobique vocetur? 4.
Accommodatur haec lex *ad agricolas et rusticos nostros, qui ad servitia magistratui debita eludenda alio se conferunt.* 5.
Si quis duplex domicilium habet, utrobique ad munera et contributiones tenetur. 6.

1 Municipes sunt vel originarii, qui vel nativi-
2 tate vel adoptione ex civitate aliqua sunt oriundi, *l.* 7. *t. seq. l.* 1. *ff. ad munic.* vel voluntarii, *l.* 3. *C. de iis qui sponte publ. mun.* quos facit allectio vel incolatus, *d. l.* 7. *tit. seq. l.* 22.
3 §. 2. *ff. ad munic.* Sic potest quis esse Biblius origine, Berytensis incolatu; Quaeritur: *An utrobique munera cogatur sustinere?* Resp. quod sic, per *hanc l. et d. l.* 22. §. 2. *et l.* 29. *ff. d. t.* verum non simul, *l.* 17. §. 4. *ff. d. t.* Sed
4 quid *si quis eodem tempore utrobique vocetur?* Resp. Originem esse praeferendam, *d.* §. 4. alias qui prior tempore prior jure, *arg. d.* §. 4.
5 Potest *haec lex* accomodari ad agricolas et rusticos nostros, qui ad servitia magistratui debi-
6 ta eludenda alio se conferunt. Colligitur: Si quis duplex domicilium habeat, utrobique teneri ad munera et contributiones, *Klock. de contribut. c.* 2. *num.* 8.

L. Si ut proponis. 2.

SUMMARIA

Manumissio facit civem, et libertus originem manumissoris adipiscitur. num. 1.
Ratione incolatus alibi etiam domicilium constituere potest. 2.
An libertus ejus, qui ipsum testamento manumitti jussit, patriam nanciscatur, an vero haeredis, qui ipsum manumisit? 3.

1 Municeps vel civis aliquis efficitur manumissione, ita ut libertus adipiscatur originem manumissoris, *l.* 1. *ff. h. t. l.* 7. *tit. seq.* quia ille quasi progenuit eum, cum antea jure civili nihil esset, *l.* 32. *ff. de R. J.* quamvis etiam ratione in- 2
colatus alibi possit domicilium constituere, *d. l.* 22. §. 2. *ff. h. tit.* Sed quaeritur: *An libertus ejus* 3
qui ipsum testamento jussit manumitti, patriam nanciscatur, an vero haeredis, qui ipsum manumisit? Videtur prius, si initium velimus respicere, sed placet Imperatori posterius adeo ut hic causa proxima attendatur, et cui per fideicommissum est relicta libertas, alias est haeredis libertus; nisi ob contumaciam haeredis, decreto Judicis pronuncietur liber.

L. Filios. 3.

SUMMARIA

Filius munerum ratione patris originem, et unde pater oriundus est, sequitur. num. 1.
Non matris, nisi sit spurius. 2.
An et tunc originem patris sequatur, si filius in civitate nascatur, in quam mater cum patre transiit, et ubi animum commorandi et habitandi non habuit? 3.
Perezius *notatur.* 4.
Ex alia quam munerum causa, incola alterius urbis fieri potest. 5.
Objectio diluitur. 6.
Locus domicilii accidentalis forum jurisdictionis tribuit et munera, locus originis tantum munera, non jurisdictionem. 7.
Nisi ibi reperiatur. 8.
Origo in eo praerogativam prae domicilio habet, quod pro origine praesumatur, donec probetur contrarium, alibi constitutum esse domicilium. 9.
Ratio. 10.
De foro originis, remissive. 11.
Originalis domicilii effectus hodie sublatus est. 12.

Filius sequitur ratione munerum originem pa- 1
tris, scilicet unde pater est oriundus, non ubi habitavit, *l.* 6. *pr. ff. h. t.* nam alias ex saepius mutata habitatione patris originem etiam mutaret filius. Sed matris conditionem non sequi- 2
tur, nisi sit spurius, *l.* 1. §. *fin. ff. h. t.*, ratione originis, *hic et l.* 44. *supr. de decur.* Sed quaeritur hic, *An et tunc sequatur originem* 3
patris, si filius nascatur in civitate, in quam transiit mater cum patre, et ubi animum commorandi et habitandi non habuit? Quod per *hanc legem* affirmamus, nam dicitur hic filium

etiam in loco originis maternae natum, non tamen esse originarium municipem ibidem. Ex qua hoc affirmant *Afflict. dec.* 384. *num.* 4. *Christin. vol.* 5. *dec.* 33. *Caevall. q.* 458. *Sanchez de matrim. lib.* 3. *disp.* 23. *num.* 3. quicquid
4 quid in contrarium disputet *Perezius ad hunc*
5 *tit. num.* 4. Ex alia tamen causa incola alterius urbis fieri potest, scilicet domicilio suo, nec
6 obstat *l. provinciales* 190. *ff. de V. S.* quae non de honoribus et muneribus, sed de foro competenti agit, ut recte *Goedd. ad illam legem.*
7 Nam locus domicilii accidentalis tribuit forum jurisdictionis et munera, locus originis tantum
8 munera, non jurisdictionem, nisi ibi reperiatur, *DD. in l. assumptio* §. 1. *ff. h. t. Afflict. d. dec.* 384. *num.* 6. *Gail. l.* 2. *obs.* 36. *num.* 1.
9 *Christin. vol.* 5. *dec.* 31. *num.* 14. Colligunt etiam ex *hac lege* 3. *DD.* originem in eo habere praerogativam prae domicilio, quod pro origine praesumatur, donec probetur contrarium, ali-
10 bi constitutum esse domicilium, quia accidens naturale praesertim praesumitur in eodem statu perstare, *Dn. Carpzov. lib.* 2. *resp.* 21. *num.* 14. *et lib.* 6. *resp.* 40. *num.* 16. *Mascard. concl.* 535. *per tot. Christin. vol.* 5. *dec.* 31. *num.* 12.
11 *et seq.* Vid. quae de originis foro habet *Petr. Barb. ad l. haeres absens* §. *proinde ff. de jud. et ubi etc. per tot. praesertim num.* 8.
12 Sed hodie originalis domicilii effectus generali consuetudine est sublatus, *Paurmeister. lib.* 2. *de jurisdict. c.* 8. *num.* 38. *Zanger. de exc. p.* 2. *c.* 1. *num.* 75. *Vult. ad l.* 2. *C. de jurisdict. num.* 23. *Gail. lib.* 2. *obs.* 36. *num.* 7. *et* 10. Ideoque plura de domicilio originis dicere hic non vacat.

L. Origine. 4.

SUMMARIA

Habitationis domicilium quilibet sua voluntate mutare potest, secus quam originarium. num. 1.
Ratio. 2.
Originarius alibi domicilium suum transferens jus originis retinet, nec domicilio originis renunciare potest. 3.
Restringitur. 4.
Hodie domicilium e loco originis in alium transferens civis esse desinit. 5.

1 Domicilium habitationis quis sua voluntate mutare potest, sed non originarium, nam hoc 2
est immutabile, quia naturale est, per *l. hanc et l.* 6. *ff. eod.* Unde Colligunt *Doctores:* 3
Originarium si alio domicilium suum transferat, jus originis quod immutabile est, retinere, neque domicilio originis renunciare posse, *Gail. lib.* 2. *obs.* 36. *num.* 5. *Surdus dec.* 330. *num.* 5. *Carpzov. d. lib.* 2. *resp.* 21. *num.* 8. *et lib.* 6. *resp.* 40. *num.* 16. *Klock. de contribut. c.* 11. *num.* 127. scilicet ratione munerum suc- 4
cessionis, *Christin. d. dec.* 81. *num.* 9. non ratione jurisdictionis, nisi ibi reperiatur, *Zang. d. c.* 1. *num.* 68. *et seq.* Sed hodie transferens 5
domicilium e loco originis in alium locum civis esse desinit, ut dictum ad *l. praeced. in fine.*

L. Si quis. ult.

SUMMARIA

Rescripto licet jus domicilii alio transferendi quis impetraverit, neque tamen hoc ipsi ad evitanda curiae munera in loco originis prodest, sed utroque loco munera sustinere cogitur. num. 1.
Hodie libere quis a loco originis recedere potest. 2.
Civis alio transferens domicilium, de consuetudine hodierna de omnibus suis bonis certam pecuniae summam civitati pensitare cogitur. 3.
Limitatur. 4.

Si quis impetrato etiam rescripto obtinuerit, 1
ut domicilium alio transferre liceat, hoc tamen ipsi non prodest ad evitanda munera curiae in loco originis, sed utroque loco sustinere cogitur munera, quamvis origo praeferatur, cum concurrunt, ut in *d. l.* 1. dictum. Quamvis au- 2
tem hodie libere quis possit a loco originis recedere, *Gail. d. obs.* 36. *num.* 7. *Perez. ad hunc tit. num.* 19. in multis tamen civitatibus impe- 3
rialibus receptum est, ut civis volens deserere civitatem, et alio transferre domicilium, cogatur de omnibus bonis suis certam pecuniae summam ei civitati pensitare, quod vulgo vocant *Nachsteur*, vel *Abzug*, *Gail. d. obs.* 36. *num.* 10. *Wehn. obs. pract.* verbo: *Nachsteur etc. Christin. dec.* 31. *num.* 16. modo discessio non sit neces- 4
saria, sed voluntaria, *Koppen. dec.* 11. *num.* 15. *et seqq.*

TITULUS XXXIX.

De incolis et ubi quis domicilium habere videtur, et de his, qui studiorum causa in aliena civitate degunt.

L. Non tibi. 2.

SUMMARIA

Facti species. num. 1.
Quaestio inde deducta. 2.
Ratio dubitandi. 3.
Incolatus est mutabilis. 4.
Translato domicilio novi ejus cessant effectus. 5.
Praeventio ratione jurisdictionis etiam, et munerum personalium et realium in eo, qui discessit, locum habet. 6.

Habitavi Beryti et ibi honorem suscepi et im- 1
plevi, postea domicilium Biblum transfero,

translato domicilio Berytenses ad sua munera
2 me revocare volunt, Quaeritur: *An possint?*
3 Ratio dubitandi in *l.* 1. *tit. praeced.* Sed Negatur,
quia origo immutabilis est, *l. pen. tit. praeced.*
4 sed incolatus non, qui in domicilii constitutione consistit, *l. pupillus* 239. §. 2. *ff. de V. S.* sed domicilii constitutio est voluntatis, *l.* 31. *ff. h. t.* Aliud autem si antea fuisset vocatus ad
5 novos honores. Collige I. Translato domicilio ejus effectus novos cessare, *Gail. lib.* 2. *obs.* 36.
6 *num.* 7. II. Praeventionem etiam ratione jurisdictionis et munerum personalium et realium locum habere in eo qui discessit.

L. Nec ipsi. 2.

SUMMARIA

Casus legis. *num.* 1.
Ad domicilium alicubi constituendum animus consistendi requiritur, ut sedem ibi fixam quis constituat. 2.
An alii etiam actus requirantur, ex quibus de animo perpetuo ibi permanendi constare possit? 3.
In dubio, an quis per decennium domicilium constituisse censeatur? 4. 6.
Cui usui futurus sit lapsus 10. *annorum, si alia argumenta constituti domicilii probanda?* 5.
Sententia Auctoris *de decennio.* 6.
Studiosus intra decennium in jus civium transiens privilegia ipso jure amittit, et civitatis oneribus subjicitur. 7.
Animus revertendi facit, ut quis semper in loco mansisse videatur. 8.
Ex decennio animus perpetuo commorandi praesumitur. 9.

1 Crispus cum parente, qui frequenter filium inviserat, ad munera vocabatur Laodiceae ob incolatum. Crispus se excusat ex causa, quod
2 domicilium ibi non constituerit. Nam ad domicilium constituendum requiritur animus consistendi, ut sedem ibi fixam quis constituat, non si ad tempus, legationis, mercatus, studiorum causa, quis ibi commoretur. Videatur *Don. lib.* 17. *c.* 12. Sed Crispus dicit, studiorum causa se ibi morari. Resp. Imperator, Crispum non recte vocari, si modo non per mendacium asserat, se literis vacare, sed addit limitationem, nisi 10. annis transactis ibi sedem suam consti-
3 tuerit. Sed Quaeritur: *Anne alii actus requirantur, ex quibus de animo perpetuo ibi permanendi constare possit?* Affirm. *Hillig. in Don. d. c.* 12. *lit. E.* et ibi allegati, nec non *Goedd. in l.* 190. *ff. de V. S. Zang. de except. p.* 2. *c.* 1. *num.* 49. *et seq. Carpzov. lib.* 52. *resp.* 22. *num.* 7. *et lib.* 6. *resp.* 38. *num.* 31. *Menoch.*
4 *lib.* 2. *A. Q. casu* 86. *num.* 22. Quamvis nonnulli hic velint, in dubio censeri per decennium domicilium aliquem constituisse, *Wesenb. in* ~~~ *hoc loco num.* 7. *Carpanus ad stat. Mediol. p.* 1. *c.* 311. *num.* 55. qui tamen Officialem excipit, nisi aliunde appareat, ipsum adhuc studiorum causa ibidem commorari; nam tunc ne 20. quidem annis constitueret domicilium, *Zang. p.* 2. *c.* 1. *num.* 51. *Menoch. lib.* 2. *cas.* 86. *num.* 6. *et seq.* Sed apparet ex allegatis, priorem sententiam esse receptiorem, nam requiritur hic ad adipiscendum domicilium, ut post decem annos ibi sedem sibi constituerit. Sed Quaeritur: *Cui usui futurus sit lapsus* 10. *annorum, si alia argumenta constituti domicilii probanda?* Et ideo nescio, annon posterior pos- 5
sit defendi sententia ita temperata, ut ex lapsu 6
10. annorum in dubio quis praesumatur elegisse domicilium, cum absurdum videatur, ultra 10. annos studiorum causa alicubi versari, nisi manifesto appareat, adhuc animum studendi et revertendi aliquem habere, *Menoch. d. casu* 86. *num.* 17. *et Petr. Barb. ad l. haeres absens* 19. §. *fin. num.* 103. *et seqq.* nam si constaret, quod non habeat animum ibi manendi, nullo tempore videtur ibi loco studii domicilium constituere, *Barb. d. l. num.* 105. E contrario si studio- 7
sus intra decennium in jus civium transeat, privilegia ipso jure amittit, et subjicitur oneribus civitatis, *Christin. vol.* 1. *dec.* 16. *num.* 19. *et seqq. Wammes. cons.* 20. quem citat *Christin. d. l. et Perez. ad hunc tit. num.* 4. Collige:
I. Animum revertendi facere, ut quis semper 8
in loco mansisse videatur, *c. relatum X. de Cler. non resid.* II. Ex decennio praesumi animum 9
perpetuo commorandi.

L. Est verum. 3.

SUMMARIA

Sensus legis. *num.* 1.
Ejusdem ratio. 2.
Sola habitatio non facit incolam, nec aliquem adstringit ad subeunda munera personalia vel ad gerendos honores. 3.
Limitatur. 4.
Forenses alicubi commorantes ad collectas compelli nequeunt. 5.

Si quis alicubi commoretur, si non possit pro- 1
bari, eum habere animum perpetuo ibi consistendi, non potest dici incola, nec potest ad munera subeunda compelli. Ratio in *l. praeced.* 2
et per *l.* 27. §. 1. *ff. ad municip.* Collige: so- 3
lam habitationem incolam non facere, nec adstringere aliquem ad subeunda munera personalia, vel ad gerendos honores, nisi ibi 4
majorem partem bonorum habeat. Ergo commoratio sola id non praestabit, nisi habeat adminicula, *Cothmann. vol.* 2. *cons.* 73. *num.* 88. *Perez. ad hunc tit. num.* 5. Forenses alicubi com- 5
morantes ad collectas etiam compelli non posse. Vide *Klock. c.* 13. *num.* 1. *et seqq.*

L. Cum neque. 4.

SUMMARIA

An ex possessione domus vel agri alicubi domicilii constitutio praesumenda, et sic ad munera compelli vel ibidem conveniri quis possit? num. 1.
Ratio decidendi. 2.
Extensio. 3.
Ob bona situata in hoc territorio forensi collecta imponi non potest. 4.
Aliud in oneribus realibus. 5.
Ratio differentiae. 6.
Observantia fori aliud docet. 7.

1 Possideo alicubi domos vel agros: Quaeritur: *An ibidem domicilium constituerim, et sic ad munera compelli vel ibidem conveniri possim?*
2 Et resp. quod non, quia sola domus possessio domicilium non facit, *l.* 17. §. 13. *ff. ad municip. Menoch. lib.* 6. *praesumpt.* 42. *num.* 14. *Mascard. concl.* 535. *num.* 22. *Carpz. lib.* 2. *resp.* 22. nam domus possessio facti est, domicilii constitutio juris, *Matt. Steph. lib.* 1. *de*
3 *jurisd. c.* 28. *num.* 31. quod in *hac lege* extenditur, licet ex haereditate decurionis pervene-
4 rit fundus. Collige: ob bona situata in hoc territorio forensi collectam imponi non posse, (*R. A. zu Speyer* anno 1542. §. *Dieweil aber etlich.* et §. *Damit auch solcher Ordnung.* et anno 1544.
5 *Damit nun solcher Ordnung.*) Sed aliud in oneribus realibus. Nam collectae principaliter
6 personis propter res indicuntur, tributa vero rebus primario, et hanc differentiam agnoscunt *Berojus cons.* 150. *num.* 12. *vol.* 3. *Gail. lib.* 2. *obs.* 52. *num.* 13. *Klock. de contribut. cap.* 13. *num.* 1. *et seq. et cap.* 1. *num.* 3. *et cap.* 20.
7 *num.* 355. *Besold. cons.* 280. *num.* 2. Sed si observantiam consulamus, nihil frequentius est collectas imponi etiam forensibus praedia hic habentibus, ut potius imponantur ipsi rei, quae subjecta reputatur, quam personae, *Hartm. lib.* 2. *obs. tit. de censibus* 9. *obs.* 5. *num.* 7. et ex eo *Besold. d. cons. num.* 45.

L. Si in patria. 5.

SUMMARIA

Ratione incolatus muneribus aliquis subjicitur, ubi domicilium fixit. num. 1.
An maritus in patria uxoris habitans ibi domicilium constituisse videatur? 2.
Ratio dubitandi. 3.
Decidendi ratio. 4.
Subditus aliquis per domicilium ibi contractum constituitur. 5.

1 Ratione incolatus aliquis muneribus subjicitur,
2 ubi domicilium fixit, sed Quaeritur: *Si in patria uxoris habites, an etiam ibi domicilium fixisse videaris?* Ubi ratio dubitandi videtur es-
3 se: Quod absurdum videatur maritum sequi forum uxoris, *arg. l. exigere* 65. *ff. de judic.*
4 *et l. ult. h. tit.* Sed ratio decidendi in *l.* 31. *ff.*
5 *ad municip.* Collige: subditum aliquem constitui per domicilium ibidem contractum, *Klock. de contrib. cap.* 20. *num.* 348. *Gail. lib.* 2. *obs.* 36. *num.* 3. *Dn. Carpzov. lib.* 2. *resp.* 21. *num.* 5. *et lib.* 6. *resp.* 40. *num.* 1.

L. Privilegio. 6.

SUMMARIA

Ratione bonorum quae quis alicubi possidet, munera publica non sortitur. num. 1.
Nisi civitas habeat aliquod privilegium. 2.
Per privilegium civitas hoc jus impetrare potest, ut ad collectas etiam forenses compellat. 3.

Ratione originis vel incolatus aliquis alicubi 1
munera publica sortitur, non ratione bonorum, quae ibi possidet, per *l.* 4. *h. t.* nisi habeat ci- 2
vitas privilegium aliquod. Collige: Per privile- 3
gium impetrare posse civitatem hoc jus, ut ad collectas etiam forenses compellat. Vid. *Mynsing. c.* 5. *obs.* 22. *Rosenthal. de feudis cap.* 5. *concl.* 82. *in fin. et Klock. d. cap.* 13. *num.* 13.

L. Cives. 7.

SUMMARIA

Tres legis partes, et quaenam? num. 1.
Civis aliquis quot modis constituatur. 2.
Incola fit domicilii constitutione. 3.
Quando quis domicilium constituisse videatur? 4. 6.
An ad constitutionem domicilii utrumque requiratur, scilicet ut quis habitationem alicubi constituerit et simul majorem bonorum partem ibi habeat? 5.
Domicilium non mutatum videtur, quando quis a loco redeundi animo proficiscitur. 7.

Tres habet partes: In 1. definit civem, in 2. in- 1
colam, et in 3. domicilii constitutionem definit. I. Civem definit; quod constituatur 1. vel 2
origine, de qua in *tit. praeced.* vel 2. manumissione, de qua *l.* 2. *tit. praeced.* vel 3. allectione, id est, electione forensis in magistratum, de qua *l. penult.* §. *fin. ff. de jure immunit.* vel potius expressa receptione civis; et 4. adoptione, qua filius adoptivus parentis adoptivi patriam nanciscitur, quamdiu est in adoptivi familia, *l.* 15. §. *ult. et seq. et l.* 17. §. 9. *ff. ad municip.* II. Incola autem fit domicilii constitu- 3
tione, *l.* 1. *h. t.* III. Resp. hic domicilium tunc 4
constitui, quando quis alicubi larem, id est, habitationem fixam constituit; Videatur *Zang. d. c.* 1. *num.* 22 *et seq.* atque inde non discessurus, si nihil avocet, aut ubi maximam partem bonorum habet, aut ubi assidue versatur, *hic et l.* 2. *C. ubi Senatores etc. Colerus de proc. p.* 2. *c.* 1. *num.* 32. *et Klock. de contrib. c.* 14. *l.* 2. *num.* 6. *Carpzov. lib.* 2. *resp.* 23. *num.* 3. *et lib.* 6. *resp.* 38. *num.* 19. *et part.* 3. *jurisprud. const.* 12. *dec.* 18. *et const.* 38. *def.* 18. nam si solam domum quis possideat, domicilium non videtur constitutum, *l.* 4. *h. t.* Sed quaeritur: *An utrumque* 5
requiratur, scilicet, ut quis habitationem alicubi constituerit, et simul majorem partem bonorum ibidem habeat? Quod videtur negandum, nam alterutrum sufficit, ut vult *Joan. de Platea hic num.* 5. *et Menoch. lib.* 2. *casu* 86. *num.* 18. *et seq. et Zang. de exc. p.* 2. 1. *num.* 39. per *d. l.* 2. *C. ubi Senatores*, ubi alternativa. Et hic ea membra copulata sunt, quia in facti specie ea conjuncta fuerunt, *Zang. d. l. num.* 42. Collige: I. domicilium alicubi contractum prae- 6
sumi, si aut assidue ibi versetur, de quo *Zang. d. l. num.* 31. aut habitationem consistendi animo instituerit, aut majorem partem bonorum ibidem habeat, *Zang. d. l. num.* 25. II. Non vi- 7
deri domicilium mutatum, si quis a loco proficiscatur redeundi animo. Quae domicilii mutatio cum facti sit, probari debet, *Menoch. lib.* 6. *praes.* 42. *num.* 12. *et Masc. concl.* 534.

L. Senatores. 8.

SUMMARIA

Ex conditione personae et dignitate nonnunquam quis domicilium nanciscitur, si ob eam ibi commorari necesse habeat. num. 1. 3.
Exemplis declaratur. 2.

1 Nonnunquam ex conditione personarum et dignitate quis domicilium alicubi nanciscitur, si ob
2 eam ibi commorari necesse habeat, ut Senator Romanus Romae domicilium habet, per *hanc legem*, licet liberum commeatum, id est, ubi velit, commorandi arbitrium impetraverit, *l.* 22. *§. pen. ff. ad municip.* Ea ratione Clericos habere domicilium volunt in loco, ubi beneficium requirit residentiam, *Pauermeist. lib.* 1. *de jurisd. c.* 7. *num.* 30. *Hillig. in Don. lib.* 17. *c.*
3 12. *lit. I.* Collige: Ex collatione dignitatis quem sortiri forum.

L. Mulieres. ult.

SUMMARIA

Mulieres ex maritorum persona dignitatem et forum sortiuntur. num. 1. 4.
Quando haec ipsa perdant? 2.
De quanam muliere lex loquatur? 3.
Vidua privilegia mariti retinet et forum ejus sortitur, etiam quod maritus ex privilegio habuerit. 5.
Privilegium marito concessum durat etiam in persona uxoris, quamdiu vidua manet. 6.
Luxoriosa vita ea privilegia perdit. 7.

Mulieres ex persona maritorum suorum sor- 1
tiuntur dignitatem et forum, quae omnia per- 2
dunt per secundas nuptias, quando inferioris dignitatis marito nubunt. Sed *haec lex* de vera 3
et ad domum mariti ducta seu nupta muliere loquitur, et hoc explicat *Zang. d. c.* 1. *num.* 56. *et seq.* Collige: I. Uxorem in loco mariti suum 4
censeri habere domicilium, *hic et l. Imperatores* 38. *§.* 3. *ff. ad municip. Carpzov. lib.* 6. *resp.* 38. *num.* 7. *Besold. cons.* 151. *num.* 79. II. Viduam retinere privilegia mariti et sortiri 5
ejus forum, etiam quod maritus ex privilegio habuerit, ex *l. pen. infr. de Fabricens. Vinc. de Franchis dec.* 363. *num.* 2. *et seq. Carpzov. l.* 2. *resp.* 24. *num.* 18. Et privilegium marito 6
concessum durat etiam in persona uxoris, quamdiu vidua manet, *hic et l. foeminae ff. de Senat. l. mulieres C. de dignit. Tiraq. de nobilit. c.* 18. *num.* 5. *P. Barb. in l. quia tale* 14. *num.* 23. *ff. sol. matrim. Klock. cons.* 64. *num.* 6. *vol.* 2. Sed luxuriosa vita ea privilegia perdit, 7
Dec. l. 4. *tract. crim. c.* 8. *num.* 4.

TITULUS XL.

De muneribus et honoribus non continuandis inter patrem et filium, et de intervallis.

L. Sicut honores. 1.

SUMMARIA

An si pater duumviratu vel alio munere publico per annum functus sit, filiusfam. statim ad idem munus vocari possit? num. 1.
Ratio decidendi. 2.
Limitatur. 3.
Pater et filius consiliarii in eodem Senatu esse possunt, sed non in eodem munere. 4.
Curia est seminarium honorum et munerum. 5.
An vacatio muneris semel gesti patri competens etiam competat filio? 6.
Ratio affirmandi. 7.
Negative decidendi ratio. 8.
Exceptio. 9.
Casus. 10.
Quaestio inde deducta. 11.
Ratio decidendi. 12.
Mandata de iis saltem intelliguntur, quae jure fieri possunt. 13.
Impuberes, qui sine administratione sunt, ad honores possunt promoveri. 14.
An et in quantum pro iis fidejussor teneatur? 15.

1 Quaeritur hic: I. *An, si pater duumviratu vel alio munere publico per annum functus sit, filiusfamilias statim ad idem munus vocari possit?* Resp. quod non, nam munera et honores 2
nemo continuare debet, aut repetere, nisi si 3
idonei non existant, *l.* 52. *supr. de decur. l.* 14. *§. pen. et ult. ff. de muner.* ergo nec inter patrem et filium continuandi honores, quia pro una persona habentur, *l. ult. C. de impub. substit.* Sed aliud in emancipatis, *l.* 3. *infr. de filiisfam. et quemadm. pater etc.* Collige 1. ex textu: Patrem 4
et filium consiliarios in eodem senatu esse posse sed non in eodem munere, per *hanc leg.* 1. *et l.* 3. *infr. de filiisfam.* Et 2. Curiam esse 5
seminarium honorum et munerum. II. Cum ille, qui semel gessit munus v. gr. duumviratum, certi temporis vacationem a muneribus sive intervallum habeat, ut *l. seq.* dicitur, Quaeritur: *An talis vacatio patri competens, etiam* 6
filio competat? Videtur quod sic, ex ratione 7
Quaestionis primae, sed Neg. *Christin. vol.* 5. 8
dec. 3. *num.* 3. *Perez. ad hunc tit. num.* 9. quia cum filius non senserit onus, nec etiam debet habere commodum temporis, per *leg.* 10. *ff. de R. J.* Sed hoc exceptionem habet in muneribus, 9
quae cum sumptu fiunt, *leg.* 6. *ff. de legation.* III. Proponitur casus: Septimii filius adhuc infans 10
adscribitur in ordinem decurionum, forte ob egregiam indolem, aut claram stirpem, ut progressum annorum expectare non oporteat; pa-

11 ter pro filio fidejussit, Quaeritur ergo: *An pater pro filio onera interim ex fidejussione illa*
12 *ferre debeat?* Resp. *hic et l.* 21. §. 6. *ff. ad municip.* quod non, cujus *haec lex* pars est. *Perez. ad hunc tit. num.* 4. *Christin. vol.* 5. *dec.* 39. *num.* 4. quia pater videtur consensum suum accommodasse et fidejussisse pro filio in iis, quae filio mandari possunt, et cum ad legitimam aetatem pervenerit, scilicet 25. aetatis annuum, *leg.* 8. *ff. de muner. et honor. Christin.*
13 *vol.* 5. *dec.* 39. *num.* 4. Collige: I. Mandata de iis saltem intelligi, quae jure fieri possunt.
14 II. Impuberes posse promoveri ad honores, qui sine administratione sunt, nec interim pro iis
15 teneri fidejussorem, et fidejussorem tantum teneri pro eo, quod principali injungi potest, ne durius ipso obligetur, §. 5. *Inst. de fidejuss.*

L. Ab honoribus. 2.

SUMMARIA

Duumviratu per annum functus, per quinquennium ab eodem officio vacationem habet. num. 1.
Ab alio munere per triennium. 2.
Legatione functus transmarina saltem per biennium habet vacationem. 3.
An huic beneficio renunciari possit in muneribus, quae sine sumptu expediuntur? 4.

1 Qui duumviratu per annum functus est, ab eodem officio, quod semel gessit, vacationem
2 habet per quinquennium, ab alio vero munere
3 per triennium. Sed legatione functus, transmarina scilicet, per *leg.* 3. *C. de legat.* per biennium saltem vacationem habet, quia hic in alio relevatur, dum numerus trium liberorum excusationem praebet, *l.* 1. *infr. de legat.* Sed Quaeritur: *An huic beneficio renunciari possit in muneribus, quae sine sumptu expediuntur?* Et negat 4
Joan. de Plat. ad praeced. l. num. 1. *Perez. ad hunc tit. num.* 13. *per l. un. supr. de ambitu.*

L. Intervalla. ult.

SUMMARIA

Vacatio fratris ab officio, licet bona communia possideant, fratri non competit num. 1.
Limitatur. 2.
Ratio regulae. 3.
An idem in sociis? 4.

Frater meus gesto officio, licet habeat vacationem, ea tamen vacatio non competit mihi, 1
licet communia bona possideamus, nisi alii sint 2
idonei, qui nondum sunt munere publico gravati. Ratio prioris est in quaestione secunda 3
legis primae. Et idem esse in sociis volunt *Br.* 4
et Jo. de Platea. Notat *hic Glossa;* Eadem immunitate et privilegio eodem gaudere omnium bonorum socios, propter unius socii vel fratris privilegium, *Natta cons.* 65. *num.* 2. et quos pro *hac Glossa* allegat *Klock. de contrib. cap.* 15. *num.* 31. Sed haec sententia merito displicet *Klock. d. l. et Speculatori*, quem ipse allegat. Nec id de fratribus licet simul habitantibus dici potest, nisi simul sint omnium bonorum socii, nam ex cohabitantia probatur societas omnium bonorum, *Michalorius de fratribus l.* 2. *cap. num.* 7.

TITULUS XLI.

De muneribus patrimoniorum.

L. Civilia. 1.

SUMMARIA

Eodem modo, quo munera personalia secundum ordinem et gradatim deferenda, etiam in deferendis patrimoniorum muneribus omnia ordine et secundum facultates civium imponenda sunt. num. 1.
In tantum collectam quis ferre debet, quantum fert suae possessionis modus. 2.
Collecta augmentum et deminutionem recipit. 3.

1 Quemadmodum munera personalia gradatim, et secundum ordinem deferenda, *l. ut gradatim* 11. *et l.* 14. §. 5. *ff. de mun. et honor.* ita etiam in deferendis muneribus patrimoniorum omnia ordine imponenda, et secundum facultates civium, *hic et l. fin. supr. de annon. et tribut.* et videndum, an par sit ferendis sumptibus, *l. fin.*
2 *tit. seq.* Collige: In tantum aliquem ferre debere collectam, quantum fert modus suae possessionis, *Klock. cap.* 11. *num.* 97. *Myns. cent.* 5. *obs.* 22. *Schurfius cent.* 1. *cons.* 44. *num.* 11. *et Besoldus cons.* 233. *num.* 102. *Dn. Carpzov.*
3 *lib.* 4. *resp.* 72. *num.* 23. et ideo augmentum et deminutionem collecta recipit, *Besold. cons.* 277. *num.* 38.

LL. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. et ult.

SUMMARIA

Acceptio muneris h. l. *ejusque definitio. num.* 1.
Quotuplex? 2.
Munerum realium descriptio. 3.
Superindicta tam ordinaria quam extraordinaria onera patrimonii sunt et ab omnibus agnoscenda. 4.
Ampliatur. 5.
Immunitas ab oneribus ordinariis et extraordinariis concessa ad eas collectas non extenditur, quae ratione belli et necessitatis publicae exiguntur. 6.
Nec ad jus hospitationis militum, et cur? 7.
Immunitas a muneribus patrimonialibus et ita ab hospitandi onere, speciali rescripto indiget. 8.
Professoribus hoc munus est remissum. 9.
Equos publicos alendi onus sumptibus nim. propriis, reale onus est. 10.
Quid si judex munus, quod personale erat, rea-

le pronunciaverit, et pars gravata non appellaverit, an sententia valeat? 11.
Ratio dubitandi. 12.
Decidendi. 13.
Qui non appellat, sententiam approbat. 14.
Privati interdum ob publicam necessitatem, ut equos publicos alant, compelli possunt. 15.
Alia tria munerum realium genera recensentur. 16.
Decaprotia quid sit? 17.
An ab omnibus munera illa patrimonialia sustinenda sint? 18.
Ratio decidendi. 19.
Ampliatio. 20. 22. 23.
An mulieres ab his oneribus sint immunes? 21.
Philosophi armorum gestationem non affectant, et cur? 24.
Philosophi ab aliis patrimonii oneribus, quae molestiam aliquam et impedimentum professionis continent, merito eximuntur. 25.
Doctor juris minor 25. *annis restitutionem in integrum non meretur.* 26.
Ratio. 27.

1 Munus hic pro onere sumitur, et definitur
in *l. munus* 214. *ff. de V. S.* quod sit onus, quod
necessario obimus lege, more, imperiove ejus,
2 qui jubendi habet necessitatem. Et est vel personale,
vel reale, vel mixtum; qua de re videatur
Wesenb. in π. de muneribus num. 2. *et
seqq. Kloch. de contrib. cap.* 2. *num.* 8. *et multis
seqq. et Georgius Mundius in praeloquio tract.
de muneribus, Christinaeus vol.* 5. *dec.* 39. *num.*
3 8. *seqq.* Munera realia seu patrimonialia, de
quibus *hoc titulo* agitur, sunt quae sumptibus
patrimonii et damnis administrantis expediun-
Leg. 1 tur, per *l.* 1. §. 3. *in fin. l. fin.* §. *patrimoniorum*
18. *ff. h. t. de mun. et l.* 7. *h. t. in fine.*
4 Quod exemplis in *hoc tit.* declaratur. Sic superindicta
non tantum ordinaria, sed etiam extraordinaria
sunt onera patrimonii, per *l. fin. h. t.*
ubi ea ab omnibus agnoscenda esse dicitur,
quo facilius obsequiis publicis pareatur, nec
5 levatio horum, illorum sit onus, adeo ut nec
Ecclesia eximatur, *l. neminem C. de SS.
Eccles.* vel alias privilegiati, *l. fin.* 22. *ff. h. t.*
6 Ex qua probant; Immunitatem alicui concessam
ab oneribus ordinariis et extraordinariis, non
extendendam esse ad eas collectas, quae ratione
belli et necessitatis publicae exiguntur, de
quo casu ab initio probabiliter non fuit cogitatum,
Auctor in l. 6. *ff. de vac. et excus. mun.
num.* 2. *Thesaurus dec.* 134. *num.* 10. *Gail. lib.*
2. *obs.* 52. *num.* 26. *et* 28. et quos allegat *Klock.
de contrib. c.* 14. *num.* 60. *Carpzov. lib.* 4. *resp.* 71.
7 *num.* 9. *et resp.* 75. *num.* 15. Sic onus hospita-
Leg. 3 tionibus militum est onus reale, per *l.* 3. *h. t.
Klock. de contrib. c.* 15. *num* 107. adeoque nec
simpliciter data immunitate munerum quis ab
onere hospitationis eximitur, *d. l.* 3. *et l.* 9. *C.
de Metat. Georg. Mundius d. tr. c.* 2. *num.* 47.
8 Sed immunitas a muneribus patrimonialibus,
et ita ab onere hospitandi, speciali indiget rescripto,
Klock. vol. 1. *cons.* 21. *num.* 6. *in tr.
de contribut. cap.* 15. *num.* 118. *et c.* 16. *sect.*
1. *num.* 49. *Christin. vol.* 5. *dec.* 41. *num.* 1.
9 *Myns. c.* 4. *obs.* 70. Sed professoribus hoc munus
remissum est, per *leg.* 10. §. 2. *ff. de vacat.
mun. l. fin. infr. de profess. et medicis.* Sic
10 onus reale est onus alendi equos curiales vel
Leg. 4 publicos, per *leg.* 4. *h. t.* si id expediatur, sum-
ptibus propriis, secus si publicis, per *l. fin.* §.
3. *ff. h. t.* Sed quid si judex munus personale, 11
quod erat, pronunciavit esse reale, et pars
gravata non appellavit, Quaeritur: *An sententia
valeat?* Videtur quod non, quia error ju- 12
ris expressus est in sententia, *leg.* 1. §. 2. *ff.
quae sententia sine appellat. rescind.* Sed Resp. 13
in *d. l.* 4. sententiam valere, cum nihil contra
jus constitutum prolatum sit, cum possit fieri
in facto, ut idem munus diverso respectu personale
vel reale munus sit. Collige: I. Qui non 14
appellat, approbare sententiam, *hic et leg.* 3.
supr. quomodo et quando judex. II. Posse inter- 15
dum privatos ob publicam necessitatem compelli,
ut equos publicos alant. In *leg.* 8. alia tria 16
genera recensentur munerum realium, scilicet
1. Protostasia, id est, onus tenendi primum locum:
2. Sacerdotium, id est, onus curandi
ludos publicos propriis sumptibus: 3. Decapro- 17
tia, id est, decem-primatus, per quem intelligi
potest munus conferendi tributa propriis
sumptibus, qui sumptus Reipubl. causa fiebant.
A quibus autem munera illa patrimonialia sunt 18
sustinenda? Resp. in *leg.* 2. *et fin.* ab omnibus
ea sustinenda esse, quia non personae indicun- 19
tur, sed rebus et possessoribus, quod non tantum
in ordinariis verum est, *l. omnes omnino*
5. *supr. de annonis*, sed etiam extraordinariis 20
illis, quae ob publicam necessitatem indicuntur,
*l. fin. C. de immunit. nemini conced. l.
ad instructionem C. de SS. Eccles. l. fin. h. t.*
adeoque licet quis immunitatem munerum consecutus
fuerit, a personalibus tamen tantum
immunis est, non realibus, *l.* 3. *h. t.* adeoque Leg.
nec mulieres excusantur, *l.* 9. *h. t.* quae alias Leg.
a personalibus vacationem habent, *l.* 2. *ff. de* 21
R. J. nisi personale munus proprie sexui huic
conveniat, *l.* 5. *infr. qui num. lib.* Et ita nec 22
senilis aetas nec juvenilis hic excusationem tri-
buit, *l.* 5. *et* 7. *h. t.* nec numerus liberorum, LL. 5
l. 5. *h. t.* quinque scilicet, qui alias a personalibus
excusant, *l. fin. infr. qui num. lib.* licet 12.
liberos a patrimonialibus aliquem excusare
communiter receptum sit, ut dictum supra ad
l. 24. *de decur. Klock. de contribut. cap.* 13.
num. 83. nec professio ab his realibus eximit, 23
scilicet ab ordinariis et extraordinariis, quae
non nisi sumptum, non aliam molestiam exigunt,
per *l. professio* 6. *h. tit.* praesertim cum Leg.
veri philosophi pecuniam contemnant, et ideo
ejus retinendae cupidine fictam adservationem
detegant, *leg.* 8. §. 4. *ff. de vacat. mun.* nec
debent cum aliorum damno locupletari, quamvis
d. l. professio odium philosophiae redoleat,
Klock. de contribut. cap. 15. *num.* 116. *ex qua
lege Dn. Thabor. in armamentario c.* 3. §. 14.
concludit, philosophos armorum gestationem 24
non affectare, cum hoc desiderium a professione
eorum discrepet. Sed ab aliis patrimonii 25
oneribus, quae etiam molestiam aliquam et impedimentum
professionis continent, merito eximuntur,
per *l. medicos* 6. *et l. fin. infr. de
profess. et medic. Auctor in l.* 8. *ff. h. t. num.* 2.
Colligunt: Doctorem juris minorem 25. annis 26
non mereri restitutionem in integrum, cum 27
petitio ejus cum professione pugnet, *arg. hujus
legis*, quae est communis sententia, teste *Sfortia
Oddo de restitut. in integr. p.* 1. *q.* 23. *art.* 7.
quae procedit potissimum in puncto juris, *Oddo
d. l. num.* 31. Confer. notata *ad tit. de muneribus
in Pandectis.*

TITULUS XLII.

Quemadmodum civilia munera indicuntur.

L. Cum te. 1.

SUMMARIA

Facti species ejusque decisio. num. 1.
Nemo in duobus Collegiis esse potest. 2.
In officiis deferendis praeventioni locus est. 3.

1 Felicianus ad munus exhibendarum angariarum electus erat, sed appellat ad Praesidem provinciae, et allegat se patriae suae obstrictum, et jam antea alii officio obligatum, et hunc audiendum respondet Imperator, cum nemo ad plura officia, nisi necessitas cogat, cogendus
2 sit, *l.* 6. *infr. de execut.* et nemo in duobus Collegiis esse possit, *l.* 1. §. 2. *ff. de colleg. l. comperimus C. de proximis sacr. scrin. Alex. in l. apud Julianum* §. *tempestivum num.* 4. *ff. ad SC. Trebell. Petr. Greg. l.* 25. *cap.* 32. *num.* 16. *Matth. Steph. de jurisdict. lib.* 2. *p.* 2. *cap.* 6. *in fin. Perez. ad hunc tit. num. final.* Collige:
3 In officiis deferendis locum esse praeventioni.

L. Majoribus. 2.

SUMMARIA

Majori dignitate vel digniori munere functus ad minores dignitates compelli nequit. num. 1.
Rationes. 2.
Nemo compelli potest, ut minorem dignitatem cum majori commutet. 3.

1 Qui majori dignitate, vel munere digniori functus est, ad minores dignitates postea com-
2 pelli non potest, tum quia injuria afficeretur, tum quia muneribus minoribus functus est, antequam ad majores dignitates accederet, *l.* 11. *pr. et l.* 14. §. 5. *ff de mun.* cum procul dubio non per saltum, sed gradatim adscenderit.
3 Collige: Neminem cogi posse, ut minorem dignitatem cum majori commutet, *hic et c.* 1. *X. de translat. Episc.* Conf. *Perez. ad tit. de muner. et honor. num.* 2. *Christin. vol.* 5. *decis.* 24. *num.* 14.

L. Cum te. 3.

SUMMARIA

Omnibus officiis în aliqua urbe functus immunitatem habet ab oneribus. num. 1.
Nisi alii idonei deficiant. 2.
Necessitas omnem immunitatem tollit. 3.

Qui in aliqua urbe omnibus officiis functus 1
est, immunitatem habet ab oneribus, *hic et leg.* 52. *supr. de decur.* nisi deficiant alii ido- 2
nei, *hic et d. l.* 14. §. *ult. ff. de mun. et honor.* quia necessitas omnem immunitatem tollit, 3
Klock. c. 19. *num.* 529.

L. Ultra modum. ult.

SUMMARIA

Facti species. num. 1.
Quaestio inde deducta. 2.
In muneribus deferendis facultates etiam attendendae sunt, an ferendis sumptibus sint pares. 3.
Subditi proportionabiliter collectandi sunt, ne alii gravius, alii levius censitentur. 4.

Praeses me ad munera publica vocat, cum 1
tamen facultates meae tot ferendis in dignitate sumptibus vix pares sint, cum interim aliis parcat, Quaeritur: *An hoc possit?* Resp. neg. 2
Aequalitatem enim debet observare non tantum ob juris civilis formam, quae aequalitatem amat, *l.* 12. §. *ult. C. de prox. sacr. scrin. l.* 7. *C. de annonis.* Vid. *Dynus ad c.* 12. *de R. J. lib.* 6. *num.* 3. *Nov.* 92. *pr.* sed etiam quia alias Praeses censuram, id est, syndicatum meretur. Collige: In muneribus deferendis etiam faculta- 3
tes esse attendendas, an ferendis sumptibus sint pares, *hic et l.* 1. nam debet eligi idoneus quoad mores non tantum, sed etiam sufficiens quoad facultates. Colligere solent ex *hac aliisque* 4
legibus commune illud praeceptum de subditis proportionabiliter collectandis, ne alii gravius, alii levius censitentur, *Carpzov. lib.* 4. *resp.* 72. *num.* 9. *et num.* 23. *Besold. cons.* 277. *num.* 56. *et seqq. Klock. cons.* 28. *num.* 192. *vol.* 1.

TITULUS XLIII.

De his, qui sponte publica munera subeunt.

L. Veterani. 1. et L. Qui publici. 2.

SUMMARIA

A muneribus publicis immunes, et tamen ea sponte suscipientes, an sibi praejudicent, et privilegio renuncient? num. 1.
Deciditur per distinctionem. 2.
Privilegio actu contrario renunciatur. 3.
Varie limitatur. 4.
An unico actu contrario privilegia amittantur? 5.
Protestatione facta, contrario facto privilegium non amittitur. 6.

Qui habent immunitatem a muneribus publi- 1
cis, ut veterani, de quibus supra, si sponte

suscipiant munus publicum, Quaeritur: *An sibi*
2 *praejudicent, et privilegio renuncient?* Distinguitur in *his legibus* inter decurionatum et alia munera specialia. Si decurionatum suscipit, privilegio suo praejudicat, etiam quoad alia munera, quia decurionatus est quoddam generale officium, ex quo officiales alii eliguntur: ergo nisi protestetur de non renunciando, non retinet privilegium, *DD. in leg.* 1. *h. t. et Gail. lib.* 2. *obs.* 60. *num.* 12. Sed aliud in aliis officiis, ubi quidem beneficio renunciant quoad hoc munus susceptum, non quoad alia, nec quoad idem munus, si postea ad idem vocen-
3 tur, *leg.* 2. *h. t.* Collige: I. Actu contrario privilegio renunciari, *leg.* 30. *ff. de minor. leg.* 48. §. 1. *ff. de rit. nupt. leg.* 2. *C. de jure domin. impetr. leg.* 3. *C. de decur. cap.* 6. *X. de privileg. l.* 39. §. 1. *ff. de judic. c.* 8. *X. de constit. Klock. vol.* 1. *cons.* 20. *num.* 151. et quos ibi allegat; quod *Georg. Acac. Enenckelius Baro* exemplis declarat in *tract. de privil. lib.* 3. *cap.* 15. *num.* 5. *Klock. de contribut. cap.* 16. *sect.* 1.
4 *num.* 207. Nisi 1. protestetur de non renunciando, *l.* 1. *h. t. Trentac. lib.* 1. *de rescrip. resp.* 10. *num.* 7. Aut 2. adsint conjecturae, talem non renunciasse suo privilegio, sed jure communi tantum uti voluisse, cum in dubio non praesumenda sit renunciatio, ut in *l. voluntariae* 12. *C. de excus. tut. leg.* 3 *ff. de testament. mil. l.* 97. *ff. de acquir. haered. Enenckel. d. l. num.* 9. *Klock. d. cap.* 16. *sect.* 1. *num.* 108. *Trentac. lib.* 1. *tit. de rescript. res.* 10. *num.* 6. Aut 3. privilegium habeat annexam clausulam annullativam, cassatoriam aut irritantem, quo casu nulla conventione amittitur, *Enenckel. d. l. num.* 12. *Gail. observ.* 60. *num.* 12. Aut 4. factum non sit directo contrarium privilegio, *Gail. d. l. num.* 10. Aut 5. privilegium sit generale et factum contrarium speciale, nam tunc non toti privilegio, sed illi speciei renunciatum videtur, *Tiber. Decianus cons.* 43. *num.* 29.
5 *vol.* 3. *Klock. d. l. num.* 209. Sed Quaeritur: *An unico actu contrario privilegia amittantur?* Et quamvis *Gloss.* distinguat inter privilegia odiosa et favorabilia, melius tamen distinguitur, utrum res illa, de qua privilegium loquitur, sit iterabilis et habeat effectum successivum, an non, ut illo casu, unico actu non renuncietur, hoc vero casu omnino, *Jo. de Platea* in *l.* 2. *h. t.num.* 1. *Gail. d. l. num.* 11. quam quaestionem pluribus tractant *Enenckelius Baro d. l. num.* 14. *et seq. Klock. dicto cons.* 20. *num.* 254. *Trentacinq. lib.* 1. *tit. de rescript. resol.* 10. *num.* 3. *et per tot.* Conf. etiam,
6 *Dalnerus de renunc. c.* 3. II. Protestatione facta, contrario facto privilegium non amitti, *l.* 1. *h. t.* atque adeo protestationem contrariam facto, ab eo non semper vinci, quando scilicet ex protestantis voluntate mera dependet, *l.* 22. *pr. ff. de legat.* 3. *l.* 20. §. 1. *ff. de adquir. haered. Mart. Nigr. tract. de protest.* in voce *Denunciatio*, *num.* 116. *et seqq. Jo. de Plat. in l.* 1. *h. t. num.* 2.

L. Qui conditioni. 3.

SUMMARIA

Qui nec ratione originis nec incolatus obnoxius est, ad munera alicubi suscipienda cogi nequit. num. 1.
Quid si sponte quaedam munera susceperit? 2.
Actus voluntarius ulterius non extendendus, quam ex eo de necessitate inferatur. 3.
Privilegiati etiam, quando administrant, ad reddendas rationes tenentur. 4.
Restringitur. 5.

Qui neque ratione originis neque incolatus 1
obnoxius est, nec cogi potest ad munera alicubi suscipienda; si sponte suscipiat quaedam mu- 2
nera, non ideo se vel posteros suos, nec bona sua ratione quartae curiae obligat, quamvis ad rationes reddendas, si pecunias publicas dispensaverit, ut quilibet alius administrator adstringatur, quod si vero omnibus muneribus sit functus, pater civitatis, id est, discussor pecuniae publicae et operum publicorum, vel secundum alios, curator Reip. si velit, constitui potest. Collige 1. Actum voluntarium ulterius non exten- 3
dendum, quam eo de necessitate inferatur, *Klock. cons.* 51. *vol.* 1. *num.* 369. Vid. *Perez. ad hunc tit. num.* 9. *et* 19. II. Privilegiatos 4
etiam, quando administrant bona, teneri ad rationes reddendas, sed tantum de iis, quae ad 5
manus eorum pervenerunt, non aliis. Vid. *Pruckm. vol.* 1. *cons.* 3. *num.* 30.

L. Eos. ult.

SUMMARIA

Si quis curiae non obnoxius, tamen sponte se isti obtulerit, an liberi et bona ejus ratione quartae curiae sint obnoxia? num. 1.
Constitutionis hujus *ratio.* 2.
Declaratio. 3.
Simplici remissione facta, ea quae ex alio capite debentur, remissa non videntur. 4.
Exemplo declaratur. 5.
Is qui Reipubl. aliquid debet, ejus administrator esse non prohibetur. 6.
Filius naturalis curiae oblatus, cum tota potestate et facultatibus ratione quartae curiae redditur obnoxius. 7.
Cur? 8.

Habet duas partes: *In prima* casus hic pro- 1
ponitur; Titius, qui curiae non est obnoxius, sponte se offert et obligat curiae, Quaeritur: *An etiam liberi ejus et bona ejus ratione quartae sint obnoxia curiae?* Resp. quod non, filii enim, sive de hoc protestatus fuerit Titius, sive non, sive ante conditionem curialem patris, sive postnati liberi sunt a conditione curiali, et bona etiam eorum sunt libera, adeo ut successores Titii etiam extranei et non curiales quartam curiae non debeant. Rationem *Constitutio-* 2
nis ipse addit Imperator, ut homines ad munera curiae obeunda invitentur, sicut filii ad paterna obsequia, *leg.* 35. §. 1. *C. de inoffic. testam.* et ei, qui sponte aliquid facit, plus favendum, quam qui coactus, *l. un. supr. de his qui se deferunt, l. quisquis* 5. §. *fin. C. ad leg. Jul. Majest.* Sed additur declaratio, si Titius ex eo forte, 3
quod curiali successerit, quartam Reipubl. debeat, vel ex administratione Reipubl. sit obnoxius, ad debita illa restituenda Titii haeredes omnino tenentur. Unde colligitur: I. Simplici remissio- 4
ne facta, non videri remissa ea, quae ex alio

5 capite debentur: sic licet tutori remittatur necessitas rationum reddendarum, non tamen remissa videtur actio ad reliqua vel dolo gesta,
6 *l.* 9. *et* 20. §. 1. *ff. de lib. legat.* II. Eum, qui Reipubl. aliquid debet, ejus administratorem esse non prohiberi. Vid. *leg.* 6. §. 1. *ff. de muneribus. Secunda pars* loquitur de patre, qui filium naturalem offert curiae, nam is cum tota 7
posteritate et facultatibus, ratione quartae de qua supra, curiae redditur obnoxius: ratio est, 6
quia sufficit, hunc legitimum reddi per hanc obligationem.

TITULUS XLIV.

De his qui a Principe vacationem acceperunt.

L. Nullus. un.

SUMMARIA

Decurio a quonam vacationem temporariam, et quatenus impetrare debeat? num. 1.
Vacatio a lege concessa rata est, et in hac judicis declaratione opus. 2.
Vacatio duplex. 3.
Ad vacationem gratiosam tria requiruntur. 4.
Ad Principem superiorem non recognoscentem indubie jus immunitatem a collectis dandi pertinet. 5.
Extenditur ad Principes Imperii. 6.

1 Decurio a curia vel Praeside vacationem temporariam impetrare non debet, *hic et l.* 14. *et l.* 19. *supr. de decur.* sed tantum a Principe, idque ex justis probatisque causis, nam alias 2
non erunt, qui publica munera obirent. Sed si vacatio a lege concedatur, haec rata est, et in hac declaratione opus est judicis, *l.* 1. *in pr. ff. de vacat. mun.* Collige: I. Duplicem esse 3
vacationem, aliam gratiosam, de qua hic, aliam certa lege expressam. II. Ad vacationem lege 4
certa non expressam, seu gratiosam impetrandam, tria requiri, 1. ut concedatur a Principe: 2. ex causa rationabili et ita causa cognita: et 3. ad tempus. Et sic Colligitur: Ad Prin- 5
cipem superiorem non recognoscentem indubie pertinere jus dandi immunitatem a collectis, ex probabili tamen causa, *Rosenthal. de feud. cap.* 5. *concl.* 85. *num.* 1. *Natta cons.* 525. *num.* 3. quod etiam de Principibus Imperii infallibi- 6
liter statuendum per allegata *Klockii de contrib. cap.* 16. *sect.* 1. *num.* 12.

TITULUS XLV.

De vacatione publici muneris.

L. Muneris publici un.

SUMMARIA

Si alicui vacatio gratiosa a Principe datur a muneribus publicis, an etiam ab ordinariis vacationem habeat? num. 2.
Munera personalia sunt duplicia. 2.
Vacatio et immunitas ab honoribus et munere Magistratus non liberat. 3.
Duo vacationum genera. 4.
Is etiam, qui immunitatem cum habeat, ad munera publica vocatur, appellare tenetur. 5.

1 Vacatio gratiosa, cui datur a Principe, a muneribus publicis, Quaeritur, *An etiam vacationem habeat ab ordinariis* v. gr. ne Magistratus fiat, quae a lege scilicet indicta sunt. Et quamvis videatur dicendum, quod sic, ob *l. penult. ff. de constitut. Princip.* contrarium tamen hic dicitur, quia haec extensio tenderet in praejudicium Reipubl. *hic et leg.* 8. §. 3. *ff. eodem, et l.* 12. *ff. de muneribus.* Collige: I. Munera per- 2
sonalia alia esse ordinaria, quae certa lege deferuntur, v. gr. Magistratus, alia extraordinaria, quae ex improviso imperio Magistratus deferuntur, v. gr. cura reficiendi vias publicas, *d. l.* 12. Ideoque vacatio et immunitas non li- 3
berat ab honoribus et munere Magistratus, *leg.* 12. *ff. de muner. et honor. Mundius de muner. cap.* 1. *num.* 50. *et seq.* II. Duo esse genera vaca- 4
tionis, unum plenius, et alterum exiguius juxta *l.* 13. §. 1. *h. t. Wesenb. in* ꝑ. *h. t. num.* 4. Collige: 5
etiam eum, qui immunitatem cum habeat, et vocetur ad munera publica, teneri appellare, alias adquiescere teneri, *hic et l.* 4. *C. de appellat. Enenckel. Baro de privil. lib.* 2. *cap.* 6. *num.* 15.

TITULUS XLVI.

De decretis decurionum super immunitate quibusdam concedenda.

L. Exceptis. 1. et L. Ordinis. 2.

SUMMARIA

Decurionum ordo quatenus decreta super Reipubl. negotiis facere possit? num. 1.
Exemplum. 2.
Decreta ambitiosa, quibus aliquid liquidi ad Remp. pertinens remittitur sive in realibus sive in personalibus ipso jure nulla sunt. 3.

1 Decurionum ordo decreta quidem facere potest super negotiis Reip. *tot. tit. ff. de decr. ab ord. fac.* modo ea non sint ambitiosa, *leg.* 4. *d. t. et l.* 2. *h. t.* ad captandam auram popularem directa, v. gr. si jura Reipubl. vellet re- 2
mittere, *d. l.* 4. cujus exemplum hic est in *l.* 1. si vellet immunitatem a muneribus publicis concedere; nisi professoribus et medicis dent immunitatem, *d. l.* 1. cum etiam jure communi habeant immunitatem, haec tantum executioni a decurionibus traditur. Collige: Decreta am- 3
bitiosa, quibus aliquid liquidi ad Rempublicam pertinens remittitur sive in realibus, sive in personalibus, esse ipso jure nulla, *arg. l. Praeses* 12. *C. de transact. Jo. Guttierez. de tutel. p.* 2. *c.* 6. *num.* 2. *Petr. Greg. lib.* 38. *synt. cap.* 14. *num.* 3.

TITULUS XLVII.

De excusationibus munerum.

SUMMARIA

Quinam a muneribus publicis ob dignitatem excusationem habere soleant? numm. 1. 2. 5. 6. 27. 29.
Major dignitas circa prioris dignitatis privilegia nemini facit praejudicium. 3.
Privilegium uni personae concessum, iis etiam concessum videtur, sine quibus persona illa eo privilegio frui nequit. 4.
Quaenam distinctio inter privilegium speciale uni tantum personae indultum, et generale, quod pluribus ejusdem generis communiter indulgetur? 7.
Interdum a natura ipsius rei privilegium immunitatis in dubio personale censetur, non reale. 8.
Objectio removetur. 9.
Privilegium corpori vel dignitati datum reale est et ad successores transit. 10.
Notarius Principis nobilis censetur. 11.
A quibus muneribus dictae dignitates liberent. 12.
An omnes earum personarum in dignitate positarum possessiones a sordidis immunitatem habeant? 13.
Privilegiatus etiam ad sordida munera realia tenetur, si alieno nomine possidet. 14.
An immunitas illa a sordidis muneribus ad haeredes transeat? 15.
An personae illae in dignitate constitutae tamdiu tantum immunitate fruantur, quamdiu munere illo funguntur? 16.
Ratio affirmandi. 17.
Negative decidendi ratio. 18.
Aliud in beneficio circa dispositionem bonorum. 19.
Aliud etiam in immunitate, quae non propter dignitatem sed officium datur. 20.
An etiam praedia Principis propria vel emphyteutica a sordidis sint immunia? 21.
Praedia Principis propria ab extraordinariis muneribus libera sunt. 22.
Nemo duplici onere gravari potest. 23.
Exemplo vasalli declaratur. 24.
Emphyteutae etiam Ecclesiae, quae paria cum Fisco privilegia habent, a muneribus extraordinariis sunt immunes. 25.
Procuratores Caesaris praetextu officii immunitatem a muneribus nullam habent. 26.
Quinam ob negotiationem a muneribus personalibus eximantur? 27.
Restringitur. 28.
Quinam provincialibus indicere, et qui exigere possit? 30.
Collectam imponere est de reservatis Principis et regalibus. 31.
Mitius ille, qui delinquenti per negligentiam consentit, punitur, quam qui ipse delinquit. 32.
Aliud si ope et consilio adjuvet. 33.
Quaenam personae ab his muneribus nullam excusationem habeant, licet praetendant? 34. 36. 39.
Hydraulae quinam? 35.
Immunitas, quae principali tribuitur, procuratori statim competit. 37.
Objectio diluitur. 38.
Turpiter dati nulla est repetitio. 40.

Non omnes munera publica subire tenentur, 1
sed habent quidam excusationem, quidam vero immunitatem praetendunt, sed non habent. Excusationem habent quidam ob dignitatem: Sic ob dignitatem eximuntur a personalibus muneribus Protectores, qui protegendo corpori Principis praepositi erant; et Praepositi, id est, praepositi *Laborum*, qui protectores erant, et simul praepositi magno illi vexillo, quod in formam crucis formatum a Constantino Imperatore, de quibus agitur in *lib.* 12. *Cod. tit. de domest.*

2 *et protect. et de praepos. labor.* Sic etiam immu-
nitatem meruerunt ii, qui praesunt scrinio
Principis seu Protonotarii, seu Magistri scri-
niorum et Memoriales; item qui praesunt exem-
plis seu Notarii, et qui praesunt signandis re-
Leg. 11 sponsis Principis, seu Referendarii, per *l.* 11.
h. tit. quam immunitatem retinent, licet ad
majores honores postea evehantur, per *h. l.*
3 Collige : Majorem dignitatem circa prioris di-
gnitatis privilegia nemini praejudicium fa-
cere, per *l.* 3. *infr. de dignit. l.* 3. *infr.*
de silentiar. l. fin. C. de praepos. agent.
in reb. Bart. in l. 13. §. 1. *ff. de op. no-*
vi nunt. Enenckelius Baro de privil. lib. 2.
cap. 5. *num.* 3. Et vers. *item eos, etc. dictae*
4 *legis* 11. Colligitur: Etiam privilegium uni per-
sonae concessum iis etiam concessum videri,
sine quibus persona illa frui privilegio eo ne-
quit, et sic ad comites ejus extendendum, *l.* 41.
ff. de excus. tut. Boer. dec. 213. *num.* 6. *Enenckel.*
Baro d. tr. de privil. p. 2. *cap.* 4. *num.* 100. *et*
5 *seqq.* Sic etiam omnes personae illustres exem-
L. ult. ptae sunt, per *l. ult. h. t.* Titulo autem hoc su-
premo decorabantur Praefecti Praetorio et Urbi,
quaestores, magistri militum, magistri officio-
rum et omnes, qui in maximis dignitatibus
Leg. 12 constituti sunt, per *l.* 12. *h. t.* Comites de con-
6 sistorio, Principis cubicularii, Principis excu-
bicularius, *d. l.* 11. et qui simili in dignitate sunt,
l. 12. *in fin.* item rhetores et grammatici, nec
non caeteri professores theologiae, juris et me-
dicinae, ut et advocati, per *d. l.* 12. *et Klock.*
de contrib. cap. 15. *num.* 25. plures textus *DD.*
citans. Qui autem ex palatinis vel agentibus in
rebus privilegium praetendunt, probare debent
non tantum privilegium, sed etiam id corpori
datum esse, per *d. l.* 12. *vers. caeteros autem.*
7 Unde I. Colligitur distinctio inter privilegium
speciale uni tantum personae indultum, et ge-
nerale, quod pluribus ejusdem generis com-
muniter indulgetur, *Enenckel. Baro de privil.*
l. 2. *cap.* 1. *num.* 4. II. Inter privilegium reale
et personale, de qua distinctione post alios *Dn.*
8 *Richter. dec.* 4. III. Interdum a natura ipsius
rei privilegium immunitatis in dubio censeri
personale, non reale, *Menoch. l.* 3. *praesumpt.*
9 103. *num.* 35. licet in thesi in dubio privilegia
sint realia, per tradita *Menoch. d. l. num.* 29.
qua de re etiam videatur *Enenck. d. tr. de pri-*
10 *vil. l.* 2. *c.* 4. *num.* 55. *et seqq.* Notetur etiam,
privilegium datum corpori vel dignitati esse
reale, et transire ad successores, *c. pen. X. de*
11 *inst. Menoch. d. praes. num.* 24. Demum colli-
ge ex *hac l.* 12. licet notariatus officium non
sit adeo illustre, notarium tamen Principis no-
bilem censeri, *Auctor supr. in l.* 4. *C. de advoc.*
divers. judic. num. 4. *et* 5. *Rom. sing.* 814.
Tiraq. de nob. c. 30. *num.* 9. *Carpan. ad stat.*
12 *Mediol. p.* 1. *c.* 41. *num.* 44. Sed *A quibus mu-*
neribus dignitates hae liberant? Resp. primo a
Leg. 2 muneribus personalibus, *l.* 2. *h. t.* deinde etiam
a muneribus patrimonialibus, sed extraordina-
riis et sordidis muneribus tantum, per *l. ult.*
quae autem sordida sint, dicitur in *d. l.* 12. ut
1. conficiendi pollinis cura, id est, subtilissimae
farinae praeparatio: 2. Panis excoctio: 3. Pistri-
ni ductio: 4. Paraveredorum, id est, equorum
rhedas trahentium praebitio: 4. Parangariarum
praestatio, ubi tamen excipitur casus necessita-
tis, si ad Rheticum vel Illyricum limitem expe-
ditio suscipiatur: 6. Operae artificum: 7. Calcis
coctio: 8. Lignorum et tabularum, carbonis vel
armorum praestatio: 9. Publicarum vel sacra-
rum aedium refectio. Secus est in murorum et
pontium refectione, *l. ad instructiones* 7. *C.*
de SS. Eccles. 10. Capitalis et temonis exhibitio,
de quo videatur *Calvisius in diction. Temonaria*
functio: 11. Praestatio sumptuum, quae fieri
debet allectis, id est, qui a Principe negotii
publici causa evocantur, et legatis, qui ad Prin-
cipem mittuntur. Sed quaeritur in vers. *hoc ta-*
men d. l. 12. *An omnes earum personarum in di-* 13
gnitate positarum possessiones ab sordidis immu-
nitatem habeant? Et Resp. quod sic, si dignitatem
eam sustineant proprio nomine, vel si proprio
nomine non alieno fundum possideant. Collige: 14
Privilegiatum etiam ad sordida teneri munera
realia, si alieno nomine possideat; ratio est,
quia non nobilis hoc casu, sed dominus colle-
ctatur. Quaeritur: *An immunitas illa a sordidis* 15
muneribus ad haeredes transeat? Et videtur
quod sic, quia est reale privilegium; sed nega-
tur in *l.* 13. quia non possessionibus datum est, *Leg.*
sed personis: privilegia autem, quae personae
cohaerent, cum persona desinunt, nec ad hae-
redem transeunt, *l. privilegia* 196. *ff. de R. J. l.*
exceptiones 7. *ff. de except. Enenckel. Baro de*
priv. lib. 2. *cap.* 4. *num.* 46. *Michael ab Aguierre*
p. 2. *apol. num.* 3. *c.* 4. *inter consilia Besoldi,*
vol. 1. Realia privilegia dicuntur non ratione
successorum in bonis, sed ratione successorum
in dignitate. Sordidum autem munus non est,
cui utilitas adhaeret: alias omnes sordida mu-
nera exercere dicerentur, qui pro salario la-
borant, *Menoch. cons.* 729. *num.* 16. Sed privi-
legia non dignitati, sed bonis vel causis vel ci-
vitati data ad haeredes transeunt, qua de re
Menoch. d. praesumpt. 103. *Enenckelius d. l.*
Perez. ad hunc tit. num. 4. Sed Quaeritur: 16
An personae illae in dignitate constitutae tam-
diu tantum immunitate fruantur, quamdiu mu-
nere illo funguntur? Videtur quod sic, quia 17
cessante causa cessat effectus; sed Resp. nega- 18
tive, imo ad vitam fruuntur, per *l.* 14. *h. t.* *Leg.*
Perez. ad hunc tit. 29. *num.* 13. *et ad tit. de*
privileg. eorum etc. l. 12. *tit.* 29. *num.* 9. Sed 19
aliud in beneficio circa dispositionem bonorum,
per *l.* 21. *ff. de mil. test.* aliud etiam in im- 20
munitate, quae non propter dignitatem, sed
officium datur, *l.* 5. §. 3. *ff. de jure immun.*
Sed quid de praediis Principis propriis vel 21
emphyteuticis, *An etiam ea a sordidis immu-*
nia? Resp. omnino, per *l.* 10. *et pen.* ubi ad- *Leg.*
ditur poena; ratio est non tantum quia Impe-
rator omnium dignitatum fons, sed quia fundi
res privatae Principis. Praeterea annonarias fun-
ctiones seu ordinarias praestationes etiam au-
rariam pensitant, ex qua nihil demitur, ergo
non est iniquum privilegium, quod ab extraor-
dinariis et sordidis eximantur, *d. l.* 10. *et pen.*
nec igitur pari conditione sunt quam caetera.
Collige ex *his duabus legibus:* I. Praedia pro- 22
pria Principis extraordinariis muneribus esse
libera, *Besoldus cons.* 233. *num.* 99. *et allegata*
Klock. vol. 1. *cons.* 28. *num.* 183. II. Notetur: 23
Neminem posse duplici onere gravari, unde
nobiles vasalli, quia de praediis a domino ac- 24
ceptis tenentur servitia praestare, immunes
sunt ab oneribus extraordinariis extra casum
necessitatis, *Carpzovius lib.* 4. *resp.* 70. *cap.* 9.
Colligunt etiam nonnulli ex *his legibus:* Etiam 25
emphyteutas Ecclesiae, quae paria habent cum

Fisco privilegia, immunes esse a muneribus
extraordinariis, *DD. cit. a Menoch. lib.* 2.
A. Q. casu 562. *num.* 25. *et seqq.* quod ad sor-
26 dida restringit *Menoch. d. l. num.* 23. Procu-
ratores sane Caesaris praetextu officii immuni-
Leg. 1 tatem a muneribus nullam habent, *l.* 1. *h. t.*
27 Ob negotiationem eximuntur a muneribus per-
sonalibus illi, qui negotiatione sua Principi de-
serviunt, ut vestiarii qui vestes vendunt, lin-
teones, id est, linteaminum textores, purpura-
rii et parthicarii, id est, parthicarum pellium
Leg. 7 venditores, per *l.* 7. *h. t.* qui annonam urbis
advehunt, et navicularii qui annonam urbis
adjuvant, quamdiu sunt in hoc actu, per *l.* 5.
§. 3. *ff. de jure immunit.* ubi ratio, quod eo-
rum pericula remuneranda et hortanda prae-
miis, et Reip. serviunt, dum annonae serviunt.
28 Quod tamen in honoribus deferendis, non ante
delatis locum habet, *d. l.* 5. §. 7. atque id hoc
loco *Glossa et DD.* de muneribus etiam patri-
monialibus extraordinariis, quae non summa
29 necessitas inducit, intelligunt. Et demum qui-
libet se excusandi potestatem habet, quando
munera realia non a Principe, sed a judicibus
30 inferioribus sunt indicta. Nam nullus judex or-
dinarius vel delegatus indicere potest aliquid
provincialibus, sed exigit tantum quae a Prin-
cipe indicta sunt. Ideo si necessitas praesens
extraordinariam exactionem requirit, judex hoc
P. P. referre debet, et hic Principi, et judex
contrafaciens in quadruplum exacti, negligens
Leg. 9 vero in simplum condemnandus est, per *l.*
31 *placet.* 9. *h. t.* Unde colligitur: I. Collectam
imponere esse de reservatis Principis et rega-
libus, *Klock. de contrib. cap.* 3. *num.* 136. *Dn.
Carpzovius lib.* 4. *resp.* 70. *num.* 10. *et seqq.*
32 II. Mitius puniri eum, qui consentit delinquen-
ti, per negligentiam scilicet, quam qui ipse
delinquit. Sed aliud, si ope et consilio adjuvet, 33
§. 11. *Inst. de oblig. quae ex delicto.* Sed alii ex- 34
cusationem praetendunt, et tamen nullam in
jure habent, ut *l.* 3. *h. t.* nam licet tutelae tres Leg.
diversae, a tutela nova excusent, §. 5. *Inst. de
excus. tut.* a munere tamen publ. quod aucto-
ritate et utilitate tale est, non excusant, *d. l.* 3.
quia publica utilitas privatae praeponderat, *l.
un.* §. 14. *C. de caduc. toll.* Igitur notetur: Mu-
nera publica utilitate tutelis esse favorabiliora.
Nec excusantur hydraulae, per quos aquaedu- 35
ctionum artifices intelligunt. Sed ita pugnat
l. pen. §. *universos C. de aquaeduct.* nam alii
de aquaeportatoribus, alii musicos intelligunt,
quod ultimum non improbabile, nam ὕδραυλις
musicum instrumentum, et ὑδραύλης, qui tali
instrumento utitur. Et quamvis ii, qui Reipubl. 36
causa absunt, excusationem habeant a muneri-
bus publicis, §. 2. *Inst. de excus. tut.* hanc ta-
men immunitatem non habent eorum procu-
ratores et defensores, *l.* 5. *h. t.* in his causa Leg.
cessat, scilicet absentia. Nota: Immunitatem, 37
quae principali tribuitur, non competere statim
Procuratori. Nec habent immunitatem venato- 38
res, *l.* 6. cui tamen in *l. ult. de jur. immun.* Leg.
contradici videtur, nisi ibi venatores exercituum
intelligamus, aut munera tantum personalia.
Demum: Nec excusandi sunt, qui ne fungi mu- 39
neribus publicis teneantur, pecuniam offerunt,
l. 9. *h. t.* quia exemplo perniciosum est, mu- Leg.
nera pretio taxari, imo qui coepit solvere pe-
cuniam promissam, aut coepit opus publicum
efficere, is pecuniam totam solvere, et opus
publicum absolvere tenetur, et tamen officium
publicum suscipere cogitur, nec datum repe-
tit, *l.* 16. *ff. de muner. et l.* 12. *ff. de pollicit.*
cum turpiter dati repetitio nulla sit, *l.* 2. *C.* 40
de condict. ob turpem causam.

TITULUS XLVIII.

De quibus muneribus vel praestationibus nemini liceat se excusare.

SUMMARIA

Duo sunt munerum ac praestationum genera, a quibus nemo excusatur. num. 1. 4. 5.
Munera ad expeditionem necessaria quaenam? 2.
Quod de uno loco exempli causa dicitur, id ad alia similia extendi potest. 3.
Cura frumenti comparandi personale munus est, et excusationes admittit. 6.

1 Duo munerum et praestationum genera sunt,
a quibus nemo excusatur, etiam alias privile-
giatus. I. Expeditio Principis pro salute Impe-
rii, de qua in *l.* 1. *et* 2. suscepta, ubi omnes te-
neantur praestare operas et nullum valet privi-
legium, *l.* 1. *h. t. et l. un. supr. ut nemini liceat
in empt. etc.* nec habetur ratio idoneitatis
personae, sed a summis ad imos, a nobilibus
ad ultimos decurrit sarcina, *d. l.* 1. *Klock. de
contrib. cap.* 11. *num.* 97. *Besold. cons.* 277.
num. 60. nec excusantur praedia Principis aut
Augustae, vel Ecclesiae, nec ullum exemptio-
nis privilegium, *l.* 2. *h. t. l.* 1. *C. de SS. Eccles.
l. un supr. ut nemini etc. Klock. de contrib.
cap.* 12. *num.* 212. Munera autem ad expeditio- 2
nem necessaria sunt: 1. Comparationes et trans-
vectiones specierum, id est, frugum et annona-
rum, *l.* 1. *h. t.* Et 2. angariarum, parangaria-
rum et plaustrorum exhibitio, *l.* 2. *h. t.* et hoc
exemplo expeditionis Illyricanae declaratur in
l. 1. unde Colligitur: Quod de uno loco exem- 3
pli causa dicitur, id ad alia similia extendi pos-
se, quia exempla non arctant regulam, *l.* 18.
*ff. de damno infect. Tiraeus in l. si unquam
verb. liberis num.* 37. *C. de revoc. donat.* Sic 4
etiam in realibus muneribus, quae ob salutem
imperii expediuntur, nulla habetur ratio ido-
neitatis personae, sed tam pauperes quam di-
vites teneantur, etiamsi quis habeat immunita-
tem a contributionibus bellicis et omnibus ser-
vitiis; in Principis tamen expeditione haec im-
munitas cessat, per *has leges*, et tradita *Ro-
senthalii de feudis cap.* 5. *concl.* 72. *in fin.* Et
sic ubi hostes regnum invaserunt, ad eos ex-
pellendos potest Princeps subditis suis praeci-

pere, ut se ad bellum sequantur, et nobiles suis expensis militent, quando Princeps tantum non habet, ut militibus stipendia solvat, *Cabedo dec.* 44. et hunc allegans *Perez. ad hunc tit. num.* 6. II. Genus causarum est, quae concernunt necessitatem summam urbis alicujus aut provinciae; sic a constructione murorum et viarum nemo se potest excusare, *l. ad instructiones supr. de SS. Eccles.* nec a comparatione frugum in publicis horreis recondendarum, in *l. ult.* idem est in portus, aquae ductus, et murorum instauratione, *l. ad portus* 7. *supr. de operibus publ.* Sed haec de muneribus realibus, nam cura frumenti comparandi est personale munus, et admittit excusationes, *leg.* 3. §. 12. *ff. de muneribus.*

TITULUS XLIX.

Qui aetate vel professione se excusant.

L. Cum vos. 1. et L. Cum filios. 2.

SUMMARIA

An studiosi ad munera publica personalia ex Academia in patriam vocati parere teneantur? num. 1.
Ratio affirmandi. 2.
Negative decidendi ratio. 3.
Duplex limitatio. 4.
An excusatione hoc loco opus, cum ne volens quidem minor admittatur? 5.
Major studiorum favor est quam munerum publicorum et multo magis privatorum. 6.
Faber impediens studia a Magistratu expelli potest. 7.
A patrimonialibus studiosi non liberantur. 8.
Restringitur. 9.
Privilegia a publica utilitate conferri requiritur. 10.

1 Avocabatur nonnulli studiosi ex academia Berythensi, ut in patria sua munera personalia publica capesserent, Quaeritur: *An parere te-*
2 *neantur?* Videtur quod sic, quia patriae utilitas privatis anteferenda, *l. un.* §. 14. *supr. de*
3 *caduc. toll.* Sed in *utraque lege* negatur, quia laudanda species est eruditionis, et non minus Reipubl. interest, eos a studiis non avocari. Sed
4 additur duplex limitatio. 1. Nisi 25. aetatis annum excesserint, *l.* 1. *et* 2. *h. t.* Et 2. nisi civium alio-
5 rum sit inopia, *l.* 2. Sed quid opus excusatione, cum ne volens quidem minor admittatur? per *l. ad rempubl.* 8. *ff. de munerib.* Resp. *has leges* de muneribus publicis intelligendas esse, quae non requirunt animi consilium et pruden-
tiam perfectam. Collige: I. Majorem esse favo- 6
rem studiorum, quam munerum publicorum, et multo magis privatorum. Et hinc concludi- 7
tur traditio *DD.* quod faber impediens studia a Magistratu possit expelli. II. A patrimoniali- 8
bus studiosos non liberari, per *l.* 2. si scilicet 9
patresfamilias sint, nam si sub potestate sint, alias non collectantur. III. Privilegia conferri 10
requiritur a publica utilitate, *Enenckel. Baro de privil. lib.* 1. *cap.* 12. *num.* 31.

L. Manifesti juris est. ult.

SUMMARIA

Aetas 55. annorum a muneribus auctoritate et utilitate publicis excusationem praestat. num. 1.
Ampliatur. 2.
Conciliatio aliarum legum cum hae nostra. 3.

Aetas 55. annorum a muneribus auctoritate 1
et utilitate publicis praestat excusationem, mul- 2
to magis aetas major. Sed in *l.* 2. §. 1. *ff. de* 3
vacat. et excus. mun. et l. 2. §. 6. *in fin. ff. de decur.* dicuntur sufficere 55. anni. Ideoque inter personalia munera, quae labore et mera corporis opera expedienda, et alia distinguendum, vel pro 55. legendum 70. cum *Cujac.* Vid. *Bacchov. in Treutl. vol.* 2. *dec.* 9. *th.* 2. *lit. C. Dn. Carpz. lib.* 5. *resp.* 96. *num.* 17. *et seq. Perez. ad hunc tit. in princ.*

TITULUS L.

Qui morbo se excusant.

L. Si ea 1. et L. Cum. 2.

SUMMARIA

Coecitas et surditas a muneribus personalibus excusant, et quandoque etiam a collectis. num. 1.
Idem in surdo et muto. 2.
Ampliatur regula. 3.
Coecus judex in certa causa dari potest. 4.

Coecitas per *leg.* 1. surditas in *leg.* 2. a mu- 1
neribus personalibus excusationem praestant, et interdum etiam a collectis, *cap. licet X. de censibus.* Idem in surdo vel muto, *arg. l. un.* 2
supr. qui morbo etc. Perez. ad hunc tit. n. 2. et hae infirmitates etiam liberant ab officio 3
suscepto per *l. post susceptam* 40. *ff. de excus. tut.* Sed honorem semel quaesitum non adimunt, *leg.* 8. *supr. de decurion.* et coecus judex dari 4
potest in certa causa, *l.* 8. *ff. de judic.*

L. Podagrae. 3.

SUMMARIA

An et quatenus podagrae morbus excuset? num. 1.
Debilitas corporis a muneribus corpore implendis excusat. 2.

1 Podagrae morbus non excusat, *hic et l.* 13. *supr. de decur.* nisi is propriis rebus administrandis aliquem inhabilem reddat, §. 7. *Inst. de excus. tut. l.* 10. §. *ult. cum duabus ll. seqq. ff. eod. tit. Carpz. d. lib.* 5. *resp.* 90. *num.* 6.
2 Sed si corpore implenda sint munera, debilitas corporis excusat, *l.* 2. §. *pen. ff. de vacat. mun.* qua in parte arbitrium judicis non excluditur, *Menoch. lib.* 2. *A. Q. casu* 6. *num.* 8. *et seq.*

L. Casus. ult.

SUMMARIA

Casus vel morbus patris filio excusationem non praestat. num. 1.
Ratio. 2.

Casus vel morbus patris filio nullam praestat 1
excusationem, quia filius in publicis pro patre- 2
famil. habetur, *l.* 75. *et seq. ff. de jud.* Proprio nomine ipse ad munera vocatur, nec igitur patris morbus ipsum excusabit.

TITULUS LI.

De his, qui numero liberorum vel paupertate excusationem meruerunt.

SUMMARIA

Duae novae causae a muneribus excusantes, et quaenam? num. 1. 9.
Quinam parentes excusentur? 2.
Quinam liberi excusationem praestent? 3.
An ipsi liberi, si majorennes sint, munera publica agnoscere teneantur? 4.
An immunitas patri et liberis data etiam liberis mortuo patre competat? 5.
A quibus muneribus quinque liberi excusent? 6.
Numerus duodecim liberorum ab omnibus muneribus, etiam patrimonialibus liberat. 7.
Restringitur haec regula. 8.
Qui creditoribus bona sua dat in solutum, ratione bonorum amplius non tenetur. 9.
Limitatur. 10.
Pauper quinam dicendus, remissive? 11.

1 Duae in his titulis novae causae habentur excusantes a muneribus. *Prima* est numerus quinque
2 liberorum, ubi quadruplex quaestio: 1. *Qui parentes excusentur?* Et resp. in *leg.* 5. etiam foeminis hanc excusationem competere, ratione munerum sexui huic congruentium. Unde patet, liberos emancipatos etiam parentibus prodesse, quia mater in potestate liberos non ha-
3 bet. 2. *Qui liberi excusationem praestent?* Et Resp. omnes legitimos et naturales simul, sive primi sive ulterioris gradus, ut nepotes, si in locum parentum succedant, per *l.* 3. *h. t.* quod de nepotibus ex filio, non filia intelligunt, *arg. princ. Inst. de excus. tut.* et cujuscumque sexus, *l. ult. pr. h. t.* Sed excipiuntur filii ab hostibus capti, per *l.* 2. cum tamen mortuus in acie prosit, per *d. l. pr.* forte quod gloriosius sit in acie occumbere, quam capi. Adoptivi vero excluduntur, *l.* 2. §. 2. *ff. de vacat. mun. Thes.*
4 *dec.* 267. *num.* 12. Quaeritur 3. *Annon ipsi liberi, si majorennes sint, teneantur agnoscere munera publica?* Quod aff. *l. ult.* Unde colligitur, talem patri, non tamen sibi prodesse, unde dubia redditur decisio *Guid. Papae* 389. quam probat *Perez. ad hunc tit. num.* 7. *et Menoch. cons.* 486. *num.* 1. *et seqq.* quod im- 5
munitas patri et liberis data, etiam liberis mortuo patre competat, cum patribus propter liberos, non tamen ipsis liberis detur haec immunitas, *Socinus cons.* 48. *vol.* 3. *Thes. d. decis.* 267. *num.* 11. *Aeg. Thomatus de collect.* §. *Medici vero n.* 11. Quaeritur: 4. *A quibus muneribus* 6
quinque *liberi excusent?* Et resp. in *leg.* 1. non excusare ab honoribus et oneribus iis cohaerentibus, licet ab oneribus tantum excuset, *leg.* 2. §. 1. *ff. de vacat. Joan. a Sande l.* 6. *dec. Fris. tit.* 10. *dec.* 1. *Perez. hic n.* 2. Numerus autem duodecim 7
liberorum ab omnibus etiam patrimonialibus liberat, juxta tradita *Thes. d. dec.* 267. *num.* 4. *Tusch. lit. C. concl.* 562. *Klock. d. tr. cap.* 13. *sect.* 3. Quamvis probabilis videatur *leg.* 34. *C.* 8
d. decur. de muneribus personalibus tantum loqui, *Fachin. l.* 3. *contr.* 49. *Altera causa* est 9
paupertas, quae eximit a muneribus personalibus, *l. ult. in fin.* et realibus *l.* 4. *h. t. Rec. Imp. de anno* 1594. §. *und nachdem diese ansehnliche de anno* 1595. §. *und dass der Unterhanen etc.* Quamvis ipse sit causa paupertatis, ut quia donavit filio emancipato facultates omnes, *d. l.* 4. et sic qui creditoribus in solutum dat bona sua, amplius ratione bonorum non tenetur, *Klock. de tr. cap.* 17. *num.* 148. modo non in fraudem Reipubl. ea alienatio fiat, 10
et consulto, *l. fin.* §. 1. *ff. ad municip.* Sed excusatio paupertatis temporaria est, *leg.* 4. §. 1. *ff. de minor. l.* 10. §. 3. *ff. de vacat.* Quis autem 11
pauper dicendus, de eo *Klock. cap.* 13. *num.* 73. *et Mundius de muner. cap.* 6. *num.* 350. *et seqq. Gail. lib.* 1. *obs.* 142. *num.* 8. *Wehner. in observat.* in voce *Armuth.*

TITULUS LII.

De professoribus et medicis.

L. Cum te medicum. 1. et L. Nec intra. 5.

SUMMARIA

Casus legis *ejusque decisio. num.* 1.
Qui Reipubl. causa abest a muneribus civilibus quamdiu ex ea causa abest, immunis habetur. 2.
Medicis privilegium extra militiam non competit, nisi in statuto sint numero. 3.
Immunitates nonnullis personis, ut medicis et professoribus, etiam a decurionibus dari possunt. 4.

1 Quidam se medicum dicens, et quidem legionis secundae, dicebat se esse immunem a muneribus civilibus. Resp. Imperator ita esse, quamdiu in exercitu occupatus est, nam domum reversus non habet immunitatem, nisi 1. contineatur numero medicorum statuto, *l.* 1. *h. t.* Et nisi 2. immunitas ei specialiter a decurionibus
2 datat si per *l.* 5. *h. t.* Collige: I. Eum, qui Reipub. causa abest, immunem esse a muneribus civi-
3 libus quamdiu ex ea causa abest. II. Medicis non competere privilegium extra militiam, nisi in
4 statuto sint numero. III. Immunitates nonnullis personis, ut medicis et professoribus etiam a decurionibus dari posse, quia lex permittit.

L. Grammaticos. 2.

SUMMARIA

Decreto ordinis vel collegii aliquis pro idoneo habitus et professionem nactus sed minus idoneus postea repertus, an reprobari possit? num. 1.
Ratio dubitandi. 2.
Decidendi. 3.
Semel promotus doctor insignibus privari potest. 4.

1 Decreto ordinis decurionum vel collegii aliquis pro idoneo habitus, professionem nactus est, si postea minus idoneus reperiatur ad docendum, Quaeritur: *An reprobari possit?* Videtur
2 quod non, quia semel probatus reprobari non
3 debet, *leg.* 9. *ff. de neg. gest* Sed affirm. idque favore publico, ne inidonei praeceptores juventuti, aut imperiti medici civibus obtrudan-
4 tur. Collige: Semel promotum doctorem insignibus privari posse, *Klock. de contrib. cap.* 15. *num.* 81. *Casp. Thes. l.* 1. *q.* 99. *Perez. ad hunc tit. num.* 6.

L. Poetae. 3. et L. Oratione. 4.

SUMMARIUM

Quinam ex literatis, et quatenus immunitatem non habeant?

Non omnes literati habent immunitatem, v. gr. arithmetici *in l.* 4. nec poetae *in l.* 3. adeoque nec geometrae ac mensores terrarum. Sed haec intelligenda sunt de his, qui has artes exercent vel docent, nec professionem in universitate gerunt: Aut dicendum, tunc temporis poetas et arithmeticos in minori pretio fuisse, *Perez. ad hunc tit. num.* 27. Conf. *Hill. in Donell. lib.* 3. *c.* 9. *lit. O.* aut contraria consuetudine quoad professores harum artium *his legibus* derogari.

L. Medicos. 6.

SUMMARIA

Medici, praecipue qui Principis valetudinem curant, nec non grammatici, legum aliarumque bonarum literarum professores, quaenam habeant privilegia? numm. 1. 6. 8.
Extenditur primum privilegium. 2. 5.
Legum doctores et graduati ab omnibus personalibus et extraordinariis oneribus, quibus collectae personis pro rebus impositae, immunes esse censentur. 3.
Discrimen inter professorum bona intra et extra civitatem. 4.
Legum et medicinae doctores pro debito capi non debent. 7.
An privilegium hoc professorum, quod salaria eis solvi debeant, nec isti ob paupertatem corpore luant, doctores etiam actu non legentes, sed vel in aula vel judiciis sententiam juris exercentes, complectatur? 9.

Lex haec medicis, praecipue qui Principis va- 1
letudinem curant, nec non grammaticis, legum aliarumque bonarum literarum professoribus dat I. Immunitatem a muneribus personalibus et realibus, quod extenditur 1. ad uxo- 2
res et liberos eorum, unde probatur privilegio mariti etiam uxorum potiri, *Enenckelius Baro de privil. lib.* 2. *cap.* 4. *num.* 76. Extenditur 2. ad bona eorum, quae in civitate possident. Unde col- 3
ligitur: legum doctores et graduatos ab omnibus personalibus et extraordinariis oneribus, quibus collectae personis pro rebus impositae, censentur immunes esse, et in eum finem *hanc legem* semper allegari tradit *Klock. d. tr. c.* 15. *num.* 6. Unde ex *hac lege* potest colligi discri- 4
men inter professorum bona intra et extra civitatem. Ob domos, in quibus habitant, non 5
tenentur ad onera personalia vel realia, nisi

forte non ipsi tantum inhabitent, sed etiam conclavia aliis locaverint, tunc enim aequum est, de his lucris solemnia praestari. De praediis autem extra portam tenentur ad onera realia. Sed quid si onera excedant fructus? Tunc praestaret praedia deserere inculta, et deploranda iniquitas temporum, nec dici potest, quod collectae sint onera fructuum: 3. Exemplo hospitationis militum declaratur, quia hoc personalem vexationem continet, *Antonius Fa-*
6 *ber in Cod. lib.* 9. *tit.* 29. *def.* 26. *num.* 5. *Klock. cap.* 17. *num.* 239. II. Jubet, ut a nemine in judicium inviti trahantur, nec in persona capiantur, sed possint per procuratores comparere, cum debeant intendere lecturae suae, *arg. l. placet* 17. *supr. de Episc. et Cler.* et domi jurant, *Donell. lib.* 24. *cap.* 22. *et*
7 *ibi Hillig.* Exinde *hic Glossa* probat: Legum et medicinae doctores non debere capi pro debito, *Matthesilan. sing.* 59. *Jo. Bapt. Caccialup. de debit. susp. qu.* 5. *princ. num.* 9.
8 *Menoch. lib.* 1. *A. Q.* 88. *num.* 7. III. Salaria eis promissa exsolvi jubet, quo diligentius suo officio fungantur, nec doctor ob paupertatem in corpore luat, *Hillig. in Donell. lib.* 23. *cap.* 2.
9 *p.* 1033. Sed Quaeritur: 1. *An hoc privilegium etiam complectatur doctores actu non legentes, sed vel in aula vel judiciis scientiam juris exercentes?* et affirmativa exemplo medicorum placuit *DD.* communiter, *Natta cons.* 65. *num.* 1. *lib.* 1. *Guttierez. lib.* 1. *quaest. pract. civil.* 21. *et seq. Cothman. cons. acad.* 14. et quos cumulat *Caspar Klock. d. tr. c.* 15. *num.* 13. *et seq.* Qu. 2. *An haec privilegia etiam competant licentiatis?* Quod quamvis neget *Menoch. cent.* 4. *cas.* 379. *num.* 13. affirmativa tamen aequior est, quam defendit *Klock. d. l. num.* 27. Qu. 3. *An idem in bullatis Doctoribus?* Quod affirm. *Matth. Steph. lib.* 2. *de jurisd. p.* 1. *c.* 6. *membr.* 1. *num.* 74. *et seq.* quod *Klock. d. c.* 15. *num.* 78. declarat, si praevio examine sint creati, quod forte praesumendum. Qu. 4. *An doctores etiam a tributis ordinariis exempti sint?* Quod negat *Thoming. dec.* 55. quem multis refutat *Klock. num.* 101. *et seq.* quia hic expresse de rebus, quas in civitate possident, agitur. Qu. 5. *Quid in collectis supervenientis belli?* Resp. Si summa necessitas, ratione bonorum eos collectari posse, per tradita *Klock. d. c.* 15. *num.* 94.

L. Magistros. 7.

SUMMARIA

De quibusnam haec lex *agat? num.* 1.
Professorum ac praeceptorum requisita. 2. 3. 4.
Modus eligendi professorem. 5.
Morum probitas scientiae et facundiae in magistro et literato longe praeferenda. 6.
In magistrorum electionibus si dissentientia vota sunt, optimorum et peritiorum suffragia caeteris sunt praeferenda. 7.
Seniorum vota in collegio de consuetudine non praeferuntur. 8.
Si quis a Comite Palatino praecedente examine a multis JCtis instituto promotus est, pro vero doctore habeatur, alias non. 9.

1 Agit 1. de requisitis professorum et praeceptorum: 2. Quomodo eligendi. Requisita sunt
tria: 1. Morum probitas, *hic et l. un. infr. de* 2
prof. urb. Constant. l. 1. *infr. de praepos. agent. in reb.* cum non tantum verbo solo, sed etiam conversatione gubernare subjectos debeant, et totius semetipsum imitatorem virtutis ostendere, testemque doctrinae bonam conversationem
habere, per *c. Valentinianus* 3. *dist.* 63. Requir. 2. 3
scientia, quae per examen exploranda est, cum docere alios non debeat, qui ipse docendus est,
Nov. 123. *c.* 1. §. 2. Et 3. facundia, cum qua con- 4
juncta esse debet interpretandi subtilitas copiaque disserendi, quamvis ii, qui veraciores, disertioribus praeferendi, *c. sedulo* 12. *dist.* 38.
Modus eligendi hic est: Quod non repente ad hoc 5
munus prosilire debeant, sed 1. debeant examen subire ordinis liberatorum: 2. debeant ab iis sub juramento digni judicari, *l. nemini* 11. §. 1. *C. de advoc. divers. judic.* et 3. debeant a curialibus eligi, ita, ut optimorum consensus suffi-
ciat. Collige: I. Morum probitatem, scientiae 6
et facundiae longe esse in magistro et literato praeferendam, et immorigeratum doctorem promoveri non debere, *L. Roman. sing.* 139. *in fin.*
II. In electionibus magistrorum, si dissentien- 7
tia sint vota, optimorum et peritiorum suffragia caeteris esse praeferenda, et sic sequeretur,
seniorum in collegio vota esse praeferenda, sed 8
hoc non observatur. Ex *hac lege* 7. etiam col-
ligit *Klock. d. tr. c.* 14. *num.* 78. si quis a co- 9
mite Palatino praecedente examine a multis JCtis instituto promotus sit, pro vero doctore habendus, alias non.

L. Reddatur. 8.

SUMMARIA

Philosophi, ab Ordine non examinati, et ab optimis probati, nullam a muneribus immunitatem habent. num. 1.
Ratio. 2.
Literati fortitudine doctrinae ad ferendos fortunae casus instructi esse debent. 3.
Philosophiae nomen secundum excellentiam practicae philosophiae tribuitur. 4.

Philosophi, si non sint ab Ordine examinati, 1
et ab optimis probati, immunitatem nullam a muneribus habent, quia non nomen philoso-
phum, sed scientia facit, de qua ordo philoso- 2
phorum testari potest; additur ratio, quia philosophi vim fortunae seu casus adversos se ferre paratos esse profitentur. Colligunt *DD.* I. Li- 3
teratos fortitudine doctrinae esse debere instru-
ctos ad ferendos fortunae casus. II. Philosophiae 4
nomen secundum excellentiam practicae philosophiae tribui.

L. Archiatri. 9.

SUMMARIA

Medici salaria a Republ. accipientes omnes curare tenentur, nec cum aegrotis pacisci, nec alium contractum firmiter celebrare possunt. num. 1.
Ratio. 2.
Venditio ab aegroto et medico facta licet aeger ultra dimidium non sit laesus rescindi potest. 3.

Limitatur. 4.
Moribus nostris quid obtineat? 5.
Quid si aliquis cum medico de certo honorario recuperatae salutis paciscatur, et denuo incidat in eundem morbum, an eodem honorario medicus aegrotum curare debeat? 6.
Medicus ob negatum vel dilatum honorarium aegrotum praesertim divitem, deserere non debet. 7.
An medicus ideo, quod aegrotus empyrico vel agyrta quodam usus est, suam opem et curam ipsi denegare possit? 8.

1 Medici, qui salarium accipiunt a Republ. tam divites quam pauperes curare tenentur, nec possunt pacisci cum aegrotis, per *hanc l.* nec
2 alium contractum firmiter celebrare, cum concussio et metus in aegroto praesumatur, *l.* 3.
3 *ff. de extraord. cognit.* Colligunt exinde: Venditionem ab aegroto et medico factam, licet ultra dimidium laesus non sit aeger, rescindi posse, *Fachin. lib.* 2. *quaest.* 25. *Pinell. in l.* 2.
4 *pr. c.* 2. *num.* 33. *C. de rescind. vendit.* Sed post recuperatam sanitatem, medicus potest accipere praemium obsequii, licet salarium ex publico habeat, per *hanc l.* An autem ante recuperatam sanitatem, disputat *Speckhan. cent.* 1.
5 *q.* 26. Nostris sane moribus licebit quandocun-
6 que honorare medicum. Sed quid si nostrorum aliquis paciscatur cum medico de certo honorario recuperatae salutis, si denuo inciderit in eundem morbum, an eodem honorario medicus curare debeat aegrotum? Resp. quod sic, quia ex recidiva colligitur non esse perfecte sanatum morbum, et idem morbus continuatus videtur, *Perez. hic num.* 15. qui *num.* 18. tradit, medicum posse petere remunerationem etiam mor-
7 tuo aegroto, et medicum non debere ob negatum vel dilatum honorarium aegrotum, prae-
8 sertim divitem, deserere. Nec debet medicus denegare suam opem et curam, quod aegrotus prius empyrico vel agyrta quodam usus sit, licet nonnulli id probent; male tamen. Quia nulla ex causa homini periclitanti consilium denegandum est, etiam sceleratissimo. Denique male faciunt medici, si periculum et mortis praesagia aegrotum celent, nec admoneant de venando medico animae.

L. Si quis. 10.

SUMMARIA

Mortuo collega ex medicorum vel professorum Collegio, quinam in ejus locum et a quibuscunque surrogari et recipi debeat, et quem obtineat locum? num. 1.
Medicae docturae gradum in academia consecutus, non est admittendus, nisi sub aliquo celebri Archiatro artem exercuerit. 2.

1 Mortuo collega quicunque vult in ejus locum surrogari et recipi in Collegium medicorum, vel etiam professorum: I. A senioribus, praesertim vero a septem collegis idoneus judicari debet, et debet mortuo succedere non in loco vel gradu, sed numero: id est, ultimum locum obtinere debet, ut is gradu caeteros antecedat, quem stipendia meliora vel labor prolixior fecit anteire, *l.* 2. *supr. de offic. mag. offic. l. fin. infr. de tyron.* et *l. comperimus* 13. *C. de proximis sacr. scrin.* Et sic semper ille, qui surrogatus est, cedit antiquioribus, licet ille, cui surrogatus est, sit inter primos, *Georg. Acac. Enenck. Baro de privil. lib.* 2. *cap.* 4. *num.* 25.
Ex hac lege posset colligi, eum, qui medicae 2
docturae gradum in academia consecutus est, non esse tamen admittendum, nisi sub aliquo celebri Archiatro artem exercuerit, *Perez. ad h. t. num.* 21.

L. Grammaticos. ult.

SUMMARIA

Privilegia archiatrorum, qui in palatio militarunt. num. 1. 6.
Extenduntur haec privilegia ad omnes artium liberalium professores. 2.
Qui honeste dimittuntur, testimoniales accipere debent. 3.
Duobus casibus immunitas parentum ad liberos transit. 4.
Exceptio secundi casus est in decurione. 5.
Munus hospitandi judicis et militis hic aequiparantur. 7.
An nobilitas per medicinam obfuscari statuatur? 8.

Imperatores antehac archiatris, qui in palatio 1
militarunt, tribuerunt immunitatem ab omnibus muneribus personalibus municipiorum et curiarum, imo etiam realibus, et in specie ab hospitatione militum; id hoc loco etiam ad conjuges eorum et liberos, imo etiam ad pro- 2
fessores liberalium artium omnes extendunt.
Collige: I. Qui honeste dimittuntur, accipere de- 3
bere testimoniales, id est epistolas honorariae missionis, *hic et l.* 7. *supr. de fide instrum.* II. Duo- 4
bus casibus immunitatem parentum transire ad liberos: 1. Si ea genti vel posteritati data, *l.* 10. *ff. de senat.* et 2. Si propter artem ac professionem data, quae liberis patre vivente tantum prosunt. Sed habet hoc secundum membrum 5
exceptionem in decurionibus, *l.* 27. *et* 35. *C. de decur.* Si autem per necessitatem vel casum quis immunis sit, hoc cum liberis non communicatur, *l. fin. supr. qui morbo etc. l.* 2. §. 8. *ff. de vacat.*
Collige: I. Ab omni functione liberari medicos, 6
qui in sacro palatio militarunt, caeterosque professores, et sic etiam ab oneribus, *Klock. de contribut. cap.* 15. *num.* 108. II. Collige: Hos etiam honeste missos eadem immunitate gaudere. III. Munus hospitandi judicis et militis hic ae- 7
quiparari, *Klock. vol.* 1. *cons.* 21. *num.* 29. IV. Cum hic archiatris Comitiva dignitas attributa legatur, pessime judicant, illis qui me- 8
dicam artem exercent, nobilitatem non convenire, et nobilitatem per medicinam obfuscari putant, quos remitto ad ea quae habet *Tiraq. de nobilitat. c.* 31.

TITULUS LIII.

De Athletis.

L. Athletis. un.

SUMMARIA

Athletae quatenus immunitatem a muneribus personalibus habeant? num. 1.
Examen doctorum trinum esse oportet, et unicum eruditionis specimen non sufficit. 2.
Ratio. 3.

1 Athletae habent immunitatem a muneribus personalibus tantum, *arg. l.* 3. *supr. de mun. patrim.* Sed tria requiruntur: 1. Ut talis per omnem aetatem se exercuerit: 2. Ut ter bene steterit, et quidem semel in veteri vel nova Roma: 3. Ut sine collusione adversarii victoriam ter reportaverit. Unde colligunt: Examen tri- 2
num oportere esse Doctorum, et non sufficere unicum eruditionis specimen, cum aliquis casu 3
magis quam peritia semel respondere bene possit, *Perez. ad hunc tit. num.* 8. Imo experientia docet, posse aliquem alio tempore promptius et alacrius respondere, cum ex praesenti dispositione humorum in corpore nostro saepe alteretur animus, ideoque facile aliquis ex uno examine repulsam ferre posset, si animi aegritudine vel sequiori corporis dispositione prima vice non bene respondisset.

TITULUS LIV.

De his qui non impletis stipendiis Sacramento soluti sunt.

SUMMARIA

Missio militum triplex. num. 1.
Ignominiosa missio quidnam, et ejus effectus? 2.
Causaria, quid, et ejus effectus? 3.
Licet quis ex honesta causa ex officio dimittatur, non tamen inde fruitur iisdem privilegiis, quibus illi, qui de causa militia missi sunt, fruuntur. 4.
Quid missio honesta? 5.
Favores regulariter quidem ampliari debent, interdum tamen restringuntur, quando alias privilegii conditorisque sententia subverteretur. 6.

1 Missio militum est vel ignominiosa, vel causaria, vel honesta, vel quae fit, quod militiam elegerit ad evitanda munera publica, *Auctor*
2 *in l.* 2. *ff. de his qui not. infam. num.* 1. Ignominiosa est, quando quis ob delictum sacramento solvitur, et talis ab honoribus arcetur, sed munera civilia quae dignitatem non habent, subire compellitur, per *l.* 1. *h. t.* cum poena non debeat esse praemium, *l.* 12. *supr. de decur. l. un. infr. de infam.* quamvis sacra-
3 mento liberetur, *d. l.* 1. Causaria est, quae ante tempus, justa aliqua ex causa datur, v. gr. ob aetatem vel aliud impedimentum, et huc referri potest quarta species, quae habetur in allegata *l.* 2. §. 2. vers. *est et quartum ff. de his qui not. infam.* et hi missi habent immunitatem etiam ab honoribus; sed alia privilegia veteranorum, de quibus in *tit. ff. et C. de veteranis lib.* 12. *tit.* 47. *et l.* 5. *supr. de poen.* sibi arrogare non possunt. Unde colligitur: I. Li- 4
cet quis ex honesta causa ex officio dimittatur, non tamen frui iisdem privilegiis, quibus illi, qui de causa militia missi sunt, fruuntur, *l.* 4. *infr. de princ. agent. in reb.* II. Causariam missionem etiam honestam vocari, quatenus inhonestae opponitur. Honesta missio est, quae 5
emeritis stipendiis, legitimoque tempore (20. annorum) expleto datur, per *l. ult. et l.* 9. *supr. quando provocare non est necesse.* Sed hoc de iis, qui in legione vel vexillatione, non qui in cohorte militarunt, intelligendum, per *l. fin. h. t.* ubi non male cohors praetoria Praesidi pro servitiis assignata intelligi potest. Colligimus ex *hac* 6
lege ultima: Favores quidem regulariter ampliari debere, interdum tamen restringi, quando alias privilegii conditorisque sententia subverteretur, *Georg. Acac. Enenckelius de privil. lib.* 2. *c.* 1. *num.* 141.

TITULUS LV.

Quibus muneribus excusantur hi, qui post impletam militiam vel advocationem per provincias suis commodis vacantes commorantur, et de privilegiis eorum, et de conductoribus vectigalium Fisci.

L. Non alios. un.

SUMMARIA

Titulus praesens est bimembris, et de posteriori membro hic agitur. num. 1.
Legis *sensus.* 2.
Rationes. 3.
Causam habens a privilegiato, ejus privilegio non utitur, licet hypotheca transeat in secundum conductorem. 4.
Jus vendendi praedia singulorum ob vectigalia non soluta competens principali conductori, conductoris conductori non competit. 5.

1 Quamvis bimembris titulus sit, et prius membrum de his, qui militiam vel advocationem impleverunt, de iis tamen legem non amplius habemus, licet *Cujacius* restituerit, quae tamen fidem in foro non invenit; de posteriori igitur membro, scilicet de conductione vectigalium Fisci, extat *lex*, cujus hic est sensus: Illi, qui 2
primo et principaliter a Fisco conduxerunt vectigalia, immunitatem habent a publicis muneribus et honoribus, non autem, qui secundo ab his conduxerunt. Primi ratio est, ne eorum 3
facultates minuantur, quae Fisco obligata sunt, *l.* 5. §. 10. *ff. de jure immun.* Secundi ratio est, quia primus conductor obligatus est Fisco, et secundus conductor conduxit periculo primi conductoris, idem de colonis praediorum patrimonialium Principis, *d. l.* 5. §. 11. Secus in colonis praediorum fiscalium, *l.* 8. *supr. de excus. tut.* Unde colligitur: Habentem causam a privi- 4
legiato, ejus privilegio non uti, licet hypotheca transeat in secundum conductorem, *l.* 11. §. 5. *ff. de pign. act.* Ex *hac lege* hic colligunt *Platea* 5
num. 2. *et Perez. ad hunc tit. num.* 6. Jus vendendi praedia singulorum ob vectigalia non soluta competens principali conductori, per *l.* 52. *ff. de act. empt.* non competere conductoris conductori.

TITULUS LVI.

De libertinis.

L. Conditio. un.

SUMMARIA

An libertini a muneribus publicis sint immunes? num. 1.
Ratio affirmandi. 2.
Negative decidendi ratio. 3.
Objectio tacita removetur. 4.

1 Quaeritur: *An libertini immunes sint a muneribus publicis?* Videtur quod sic, quia patrono- 2
rum negotia curare necesse habent. Sed nega- 3
tur hic, quia obligatio illa, qua patronis obstricti sunt, non praejudicat publico, quinimo et in loco originis patroni, et domicilio suo munera publica agnoscere tenentur, *l.* 37. §. 1. *ff. ad municip.* Et quamvis senatorum liberti, qui patro- 4
norum negotia gerunt, immunitatem habeant, *l.* 17. *pr. et* §. 1. *ff. ad municip.* id tamen tantum de uno senatoris liberto intelligendum, *l.* 31. *Cod. de excus. tut. P. Montan. de tutel. cap.* 35. *reg.* 1. *num.* 33.

TITULUS LVII.

De infamibus.

L. Infames. un.

SUMMARIA

Infamibus dignitatum portae clausae sunt. num. 1.
Dignitas etiam quaesita et nobilitas ipsis adimitur. 2.
An infamis a muneribus publicis liberetur? 3.
An notarius esse possit? 4.
An de moribus hodiernis ad ulla munera infames admitti soleant? 5.

Infamibus personis clausae sunt portae digni- 1
tatum, *l.* 2. *C. de dignit.* quin et dignitas quae- 2

sita eis adimitur, *l.* 8. *supr. de decur. l.* 12. *C. de dignit.* et nobilitas, *l.* 2. *C. de secundis nupt. l.* 8. *C. ad L. Jul. de vi publ. l. pen. infr. pr. C. de dignit.* licet dignitas annexa non sit adeo
3 magna, *Besoldus cons.* 118. *num.* 16. Sed a muneribus publicis, quae sine dignitate sunt, non liberatur infamis, cum poena praemium conferre non debeat, *l.* 12. *supr. de decur.* cum et antea adquisita dignitas tollatur infamia quoad privilegia, non quoad onera, *Freherus lib.* 3. *de existim. cap.* 25. *num.* 13. *Tiraq. de nobilit. cap.* 24. *Hillig. in Donell. lib.* 18. *cap.* 6. *lit. B.*
4 Sed Quaeritur: *An infamis notarius esse possit?* Quod limitate affirm. *Wesenbec. in π. de his qui not. infam. num.* 8. Sed melius indistincte negat *Covar. in pr. q. c.* 19. *num.* 5. citatus ab *Hillig. d. l.* pro qua sententia facit *Constitutio Von Notarien zu Sölln.* §. *Erstlich. Bacchov. ad Treutl. vol.* 1. *d.* 8. *th. fin. lit. D. Hahnius ad Wesenb. π. tit. de his qui not. etc. num.* 8. *Caspar Manzius ad tit. de his qui not inf. num.* 237.
Et cum nostris moribus muneribus semper videatur dignitas inesse, dubito, an infames ad ulla munera, nisi quae plane contempta et vilia sunt, admitti debeant; Sed in penuria aliorum admitti posse, et infames ipsos se propterea eximere non posse, nullum est dubium per *hanc legem.* 5

TITULUS LVIII.

De reis postulatis.

L. Reos. un.

SUMMARIA

Reorum postulatorum conditio. num. 1.
Intellectus hujus legis. 2.

1 Qui in numerum reorum relati, pendente processu criminali retinent suas dignitates, ne ante sententiam condementur, sed novos adspirare honores prohibentur, *hic et l.* 17. §. 12. *ff. ad municip.* ob periculum amittendae existimationis, et quia suspecta ejus fides, *l.* 20. *ff. de testibus*, nisi culpa judicis vel accusatoris ultra tempus statutum, scilicet hodie biennium, *l. ult. C. ut intra certum tempus quaest. etc.* in processu sine sua culpa steterit, *leg.* 21. §. 5. *ff. ad municip. l.* 7. *ff. de muner.* Et quamvis, *Perez. Aballus decis.* 2
crim. 12. *num.* 3. maxime casum *legis* in iis admittat, qui ob malam administrationem officii accusati sunt, malo tamen generaliter *hanc legem* intelligere. Conf. *Christin. vol.* 5. *dec.* 52. *num.* 9.

TITULUS LIX.

De his, qui in exilium dati, vel ab ordine moti sunt.

L. Quibus. 1.

SUMMARIA

Facti species. num. 1.
Quaestio inde deducta. 2.
Ratio dubitandi. 3.
Decidendi. 4.
Infamia duplex. 5.
Temporalis quaenam? 6.
Perpetua quaenam? 7.
Distinctionis fundamentum. 8.

1 Cuidam advocatura interdicta ad tempus, vel ordine decurionum ad tempus quis motus est
2 ob delictum, Quaeritur: *An poena sublata,*
3 *etiam infamia cesset?* Videtur quod non, ob
4 *l.* 6. *ff. de his qui not. infam.* Sed Affirm. quia tacite in his causis terminus non tantum poenae sed etiam infamiae statutus videtur, per
5 *l.* 3. §. 1. *ff. de decur.* Unde Collige: Infamiam quandam esse perpetuam, aliam temporalem,
6 et ea est, quando judex vel delicto graviorem imponit poenam, quo casu transigere videtur de existimatione, per *l.* 15. *pr. ff. ad municip. l.* 13. §. *pen. ff. de his qui not. infam.* vel aliquem ad tempus ab advocatura arcet; vel ordine movet, *d. l.* 3. §. 1. *et l.* 8. §. 1. *de postul.* per- 7
petua vero regulariter. Seu distinguendum est, an infamia irrogetur ex causa vel crimine, quod per se famosum est, et tunc infamia est perpetua; an vero judex infamiam irroget ex crimine extraordinario, et tunc finita poena finitur etiam turpitudo vel infamia, quamvis etiam poenae habitam fuisse rationem in *hac lege* videatur, ubi si quis ordine motus sit ad tempus vel in exilium ad tempus missus, non adeo distinguitur, quo ex crimine quis ordine motus;
Prior distinctio probatur ex *l.* 5. *ff. de decur.* 8
Posterior ex *l.* 8. *ff. de postulando.* Vid. *Wesenb. in π. tit. de his qui not. infam. num.* 8. *Jul. Pac. cent.* 2. *quaest.* 20. *Donell. et ibi Hillig. lib.* 18. *litt. HH. Bacch. ad ff. tit. de his qui not. infam. Caspar. Manzius ad d. t. num.* 19. *et seqq. Perez. ad hunc tit. num.* 5. *cap.* 2. *Ant. Matt. ad lib.* 48. *ff. tit.* 18. *c.* 1. *num.* 6.

L. Ad tempus. 2.

SUMMARIUM

An decurio, qui ad tempus relegatus est, reversus locum suum capessere et ad alios honores adspirare possit?

Decurio qui ad tempus relegatus est, *An reversus potest locum suum capessere et ad alios honores adspirare?* Utrumque videtur negandum, per *d. l.* 6. Sed hic prius tantum affirmatur, posterius negatur, nisi tempus relegationis duplicatum expectaverit, *hic et l.* 15. *pr. ff. ad municip.* Sed circa prius distinguendum ex *l.* 2. *pr. et* §. 1. *ff. de decur.* utrum ei interim alius surrogatus, et tunc expectare ipsum oportet vacantiam novam, an non, quo casu veterem locum, per novam electionem, non ipso jure, obtinebit. Ordine autem motus non relegatus veterem locum vacantem obtinet, non item relegatus, *d. l.* 2. §. 1.

TITULUS LX.

De filiisfamilias et quemadmodum pro his pater teneatur.

L. Patrem. 1.

SUMMARIA

Pater pro filio emancipato ad munus publicum vocato obligari nequit, et cur? num. 1.
Tacens licet, ut hic, impedire non possit, pro consentiente tamen habetur. 2.
Tacens in judicio saepissime pro consentiente habetur. 3.
Exemplis declaratur. 4.

1 Filius meus emancipatus ad munus publicum vocatur, me non contradicente, puto me non obligari pro filio ob duas rationes: 1. Quia emancipatus est: 2. Quia expresse non consensi. Resp. Imperator, me non quidem teneri, sed non ob secundam rationem, sed primam. Nam pater filio emancipato ad munus publicum vocato licet consentiat, non tamen pro eo videtur fidejussisse, nisi eum in fraudem Reipubl. emancipaverit. Sed si filiusfamil. esset, tunc licet non expresse consentiam, taciturnitas tamen pro consensu et fidejussione hic habetur, idque favore Reipubl. sicut filia sciens a patre repeti dotem, nec contradicens, pro consentiente ha-
2 betur, *l.* 2. §. 1. *ff. sol. matr.* Collige hic: Tacentem, licet impedire non possit, ut hic, pro consentiente tamen haberi contra communem distinctionem *DD. in c. qui tacet* 43. *de R. J. lib.* 6. *et l. qui tacet* 185. *ff. de R. J.* quod hic fit favore Reipubl. *Christin. vol.* 5. *dec.* 53. *num.* 2.
3 *et seqq.* Adde, quod in judicio tacens saepissime habeatur pro consentiente, cujus exempla plurima congessit *Menoch. lib.* 2. *praesumpt.* 46.
4 Ex *hac lege* colligitur etiam, si pater sciat et patiatur, ut dos filio emancipato detur, non teneri ipsum fidejussorio nomine. Nec tenetur pater, si tacens patiatur filio emancipato tutelam imponi, quia si silentium patris in officio auctoritate et utilitate publico patrem non obligat, multo minus id fiet in officio utilitate privato, *Petr. Barb. ad l. si cum dotem* 23. §. *transgrediamur num.* 10. *ff. sol. matrim.*

L. Cum appellasse. 2.

SUMMARIA

Pater filio ad munus publicum vocato non contradicens pro eo tenetur, nec appellatio necessaria. num. 1.
Quid si pater nomine proprio appellaverit, an tunc pro filio teneatur? 2.
Ratio dubitandi. 3.
Decidendi. 4.
Limitatur. 5.
Qui nomine suo vel ratione sui interesse appellat, causam illam facit suam, et sic succumbens pro filio tenetur. 6.
Textus obstantes removentur. 7.

Si filius meus ad munus publicum vocetur, 1
satis est, me non contradicere, ut pro eodem obliger, *l. praeced.* Appellatio vero necessaria non est, per *l. ult.* Sed quid si appellavero non 2
quidem nomine filii, quod possem tamen, *l.* 35. *ff. de procur.* sed nomine proprio; Quaeritur, *An tunc tenear pro filio?* Videtur quod non, quia 3
appellare plus est, quam contradicere. Sed Af- 4
firm. quia ita quasi meam causam facio. Sed 5
secus est, si appellationem illam deseram, nam tunc idem est, ac si non appellassem, et sic appellatio deserta praecedentem contradictionem non tollet, *l.* 6. §. *pen. ff. de decur.* Collige: 6
Eum qui appellat nomine suo, vel ratione sui interesse, causam illam facere suam, et sic, si succumbat, tenetur pro filio, si non appellasset, non teneretur, si tantum contradixisset, quia appellavit et succubuit, tenetur; Et sic appellatio reddit conditionem ejus deteriorem. Sed videntur textus duo in jure reperiri in hoc 7
puncto contrarii; *hic* enim dicitur parentem appellantem, si succumbat, in solidum teneri, in *l.* 6. §. 4. *ff. de decur.* tantum peculiotenus. Responderi potest: 1. *Hic* patrem suo nomine ob suum interesse appellasse, *illic* nomine filii; vel 2. *Illic* a nominatione filii in decurionem appellasse patrem, *hic* vero ab impositione alterius oneris, nam decurionibus variae curae publicae imponi solebant. Vid. *Pac. cent.* 7. *q.* 77. *et Perez. ad hunc tit. num.* 7. Sed mihi arridet magis prior.

L. Si hi. 3.

SUMMARIA

Pater et filiusfamil. vel duo ejusdem patris filiifam. ad principatus sive aliud patrimoniale munus vocari nequeunt. num. 1.

Secus si filii emancipati. 2.
Munera patrimonialia filiisfam. non indicuntur. 3.
Secus in personalibus. 4.

1 Pater et filiusfam. vel duo filiifam. ejusdem patris, non possunt vocari ad munus protostasiae, id est, principatus munus, sive aliud mu-
2 nus patrimoniale, secus si filii emancipati, quia illi unam familiam et sic unum patrimonium
3 non habent. Collige: Munera patrimonialia filiisfam. non indici. Nam protostasia est munus patrimoniale, *l.* 8. *supr. de muner. patrim.* et
4 ad personalia munera possunt vocari, modo non sit continuatio honorum, *supr. de mun. non contin.*

L. Sine periculo. ult.

SUMMARIA

Filium meum ad curatelam operis publici vel furiosi nominans, ut fidejussor tenetur. num. 1.
Quando parens consensisse videatur, et an tacite consenserit, si scivit et non contradixit? 2.

Qui nominavit filium meum ad curatelam 1
operis publici vel furiosi, ille tenetur ut fidejussor, licet Magistratus sit, non ego, nisi consentiam expresse vel tacite. Sed quaeritur: *Quan-* 2
do videatur consensisse pater, Et *annon tacite consensit, si scivit et non contradixit?* Resp. ita esse, si ad curam operis publici nominatus sit, per *leg.* 1. *h. t.* Sed si ad curatelam furiosi nominatus sit, expresso consensu opus est patris, cum principalis favor Reipublicae cesset. Sed si pater consenserit, ut filius fieret decurio, consequenter etiam consentit tacite, ut fieret curator vel tutor. Nam ex corpore decurionum nominabantur ad officia publica. Ergo si pater consensit in antecedens, decurionatum scilicet, consensit etiam in consequens. Si autem expresse consensit in tutelam filiofam. collatam, tunc distingui solet inter dativam et testamentariam tutelam; In dativam si consensit, tenetur in solidum pater, si in testamentariam, tantum peculiotenus, vel de in rem verso, *arg. l.* 7. *ff. de tutel.* et *l. Lucius* 21. *ff. de admin. tut. Hier. Verius in rep. rubr. de verb. oblig. num.* 190. *Jul. Pacius cent.* 5. *q.* 76. *Petr. Barbosa in l. si cum dotem* 23. §. *transgrediamur, num.* 8. *ff. sol. matrim.*

TITULUS LXI.

De periculis successorum parentis.

L. Si de proprio. un.

SUMMARIA

Casus legis. *num.* 1.
Quaestio inde deducta. 2.
Ratio dubitandi. 3.
Decidendi. 4.
Quae ob dignitatem non transmissibilem, v. gr. episcopatus, doctoratus et similia, volente parente, expenduntur vel promittuntur, conferenda non sunt, sed ab omnibus haeredibus exsolvenda. 5. 6.

1 Pater consenserat, ut filius Asiarches seu sacerdos, id est, curator ludorum et certaminum, quae in honorem deorum stercoreorum fiebant, crearetur; pater tenetur ad sumptus ob istum
2 honorem faciendos, sed Quaeritur: *An mortuo parente haeredes ejus hoc onere teneantur?* Et
3 videtur quod non, quia solius commodum filii
4 concernit haec dignitas. Sed Resp. quod sic, quia dignitas haec non est haereditaria, nec vendibilis, ut militia, *l.* 30. §. 2. *C. de inoff. testam.* et deinde non sua voluntate, sed patris, filius accepit honorem, et sic nec conferre tenetur, *l.* 1. §. 16. *ff. de collat.* Et sic non tantum filius, qui sacerdotium meruit, obligatur pro sua portione, sed omnes patris haeredes,
Collige, Quae ob dignitatem non transmissi- 5
bilem v. gr. episcopatus, doctoratus et similia volente patre, expenduntur, vel promittuntur, non esse conferenda, sed ab omnibus haeredibus exsolvenda, per *d. l.* 30. §. 2. *et h. l. Ant. Gomez. ad l. Tauri num.* 21. *et* 22. *Covar. l.* 3. *resolut. c.* 19. *num.* 4. *et seq. Molina de J. et J. tr.* 2. *d.* 241. *num.* 8. *Fr. Barry de success. lib.* 14. *tit.* 4. *num.* 16. *Perez. ad hunc tit. num.* 5. Sed interpretes hic, *Schepl. p.* 3. *consuet. March. tit.* 3. *num.* 19. solent hunc
textum generalius intelligere hoc modo: Quod 6
haeredes patris ejus, qui, ut filio munus imponeretur, consensit, teneantur pro portionibus haereditariis pro filio ad munus electo, modo filius in vita patris tale munus gerere coeperit, *l.* 1. *supr. de decur. l.* 21. §. 2. *ff. ad municip. l.* 15. *ff. de muner. et honor. Perez. ad hunc tit. num.* 1. Et sic si pater voluit filium fieri sacerdotem, debet filio providere de titulo, sed si hoc in vita non potuit, facere haeredes ejus pro patre tenentur, *ex Luca de Penna et Jo. de Platea, Perez. h. t. num.* 3.

TITULUS LXII.

De mulieribus, in quo loco munera sexui congruentia vel honores agnoscant.

L. Eam. un.

SUMMARIA

Mulieres ad quaedam munera vocari possunt. num. 1.
Personalia in mariti loco agnoscere tenentur. 2.
In mariti domicilio dos erigi debet. 3.
Excipitur Roma. 4.
Patrimonialia ibi, ubi bona possidet, agnoscere debet. 5.
Restringitur. 6.
Mares et foeminae extra casus in jure notatos ad imparia judicari non debent. 7.
De quibusnam mulieribus hic agatur? 8.
Mulieres in nonnullis criminibus, quae occulte et inter mulieres patrari solent, denunciatrices esse possunt. 9.

1 Mulieres ad munera vocari possunt quaedam, quae sexui congruunt, *l. pen. supr. de his, qui*
2 *num. liberor.* tam personalia quam realia. Sed personalia coguntur agnoscere in loco mariti,
3 non originis suae, *l. ult. supr. de incolis*, sicut etiam in domicilio mariti dos debet exigi, et secundum consuetudines domicilii mariti, licet contractus dotis in domicilio uxoris fuerit cele-
4 bratus, *l. exigere* 65. *ff. de judic.* Excipitur autem hic Roma; tum quia ibi alias copia mulierum, tum quia communis patria omnium civium imperii romanorum; sed patrimonialia 5
agnoscere tenetur ibi, ubi bona possidet, scilicet si indicantur rebus, ut tributa; nam si per- 6
sonis propter res ut collectae, quae tantum personae imponuntur, vel capitatio, imponerentur in loco domicilii mariti, quia patrimonialia onera extraordinaria regulariter non nisi subditis propter bona etiam alibi sita indicuntur, *Gail. l.* 2. *obs.* 52. *num.* 13. *Myns. l.* 5. *obs.* 52. *Besoldus cons.* 280. *num.* 2. *Caspar. Klock. cons.* 28. *num.* 350. *et in tr. de contribut. c.* 11. *num.* 17. qui plures allegant. Refectionis tamen gratia impositas collectas forensibus indici posse tradit *Klock. d. tr. c.* 9. *num.* 63. Alibi ergo collecta seu onera extraordinaria, et alibi tributa pro eodem praedio exigentur, *Klock. d. tr. c.* 17. *num.* 201. Colligitur etiam ex *hac lege:* 7
Mares et foeminas extra casus in jure notatos ad imparia judicari non debere, *Klock. d. tr. c.* 13. *num.* 104. Agitur autem hic de mulieri- 8
bus legitime nuptis, nam caeterae manent sub eo judice, unde oriundae, *l.* 37. §. 2. *ff. ad municip. Perez. ad hunc tit. num.* 2. In 9
nonnullis etiam criminibus, quae occulte et inter mulieres patrari solent, ut suppositi partus et abortus etc. denunciatrices esse possunt, per tradita *hic Luc. de Penna et Jo. de Platea, Perez. hic num.* 8.

TITULUS LXIII.

De legationibus.

L. Pater. 1.

SUMMARIA

Legatio quidnam? num. 1.
Quinam ab hoc munere sint immunes? 2.

1 Legatio est munus eorum, qui ad Reipubl. ne-
2 gotia expedienda peregre mittuntur, et ab hoc munere immunes sunt, qui ab aliis muneribus publicis immunitatem habent. In specie vero, quamvis alias 5. liberi tantum excusent, hic 3. liberi immunitatem tribuunt, *Klock. d. tr. cap.* 13. *num.* 81. *Paul. Mont. in tr. de tutel. c.* 35. *num.* 47. quia legati non tantum in publicis negotiis occupati sunt, sed etiam a familia sua peregrinari coguntur.

L. Cum vos. 2.

SUMMARIA

Facti species. num. 1.
Duplex inde deducta quaestio, 2.
Legatus legationem non implens, sponte pecuniam ob id acceptam non collegis, sed Reipubl. restituere tenetur. 3.

Tres sunt constituti syndici Reipubl. et pro 1
defendenda ea ad Principem missi. Tertio datur pecunia ex publico, sed hic deserta legatione pecuniam in usus privatos convertit, Quae- 2
ritur: I. *An duo illi superstites ad pecuniam sibi restituendam civiliter convenire possint tertium?* Et II. *An etiam criminaliter?* Circa primum distinguitur, utrum pecuniam illam publicam proprio nomine acceperit tertius, an vero eo fine, ut advocatis seu syndicis pro la-

bore daretur; sin prius, duo illi tertium convenire non possunt, cum eorum nihil intersit; sed Reipub. est restituenda pecunia, modo non necessaria sit desertio, ubi legativum retinetur, *l.* 10. *in fin. h. t.* Sin posterius, convenire possunt tertium, cum eorum jam intersit, *hic et l. un. infr. sumptus injuncti muner.* licet alias cessatio unius alteri non noceat, *l.* 2. §. 2. *ff. h. t.* Ad posterius Resp. aff. et desertor legationis extra ordinem a Prae-
3 side puniri debet. Collige: Legatum, qui non implet legationem, sponte teneri restituere pecuniam ob id acceptam, non collegis, sed Reipubl.

L. Transmarina. 3.

SUMMARIA

Legatione perfuncti, biennii vacationem a muneribus personalibus habent. num. 1.
Ratio immunitatis. 2.
Restrictio. 3.
Finis hujus privilegii. 4.
Excusationem habens ab actu, qui facile expediri potest, non excusatur. 5.

1 Qui legatione perfuncti sunt, biennii vacationem habent a muneribus personalibus, per *l.* 2. *supr. de muner. et honor. non contin.*
2 *et l.* 8. §. 1. *ff. h. t.* Ratio immunitatis est, ut intra illud biennium possint peragere ea, quae durante legatione in propriis neglexerunt, quia durante legatione nihil poterant in propriis agere, nisi persequerentur suam aut suorum injuriam, *l.* 8. §. *ult. et seqq. ll. ff. h. t.* Ideo etiam damna in legatione accepta ipsis restituebantur, per tradita *Vinc. de Franchis dec.* 146. *Cravettae cons.* 525. *Schneidw.* §. *rursus Inst.*
3 *de act. num.* 60. Sed id ad transmarinam seu
4 longinquam legationem hic restringitur. Causa interpretationis est finis hujus privilegii, qui est, ut iis, qui Reipublicae causa propria negligere coguntur, auxilium praestetur, quod in iis qui de proximo absunt, locum non habet, *Georg. Acac. Enenckel. Baro de privil. lib.* 2. *c.* 3. *num.* 51. *et d. l.* 2. *c.* 6. *num.* 4. *Perez.*
5 *ad h. t. num* 25. Collige: Eum, qui habet excusationem, non excusari ab actu, qui facile potest expediri.

L. Universi. 4.

SUMMARIA

Praesides, Proconsules et eorum Comites, aliique in l. 11. supr. de excus. mun. *recensiti, a muneribus personalibus, etiam finito officio, immunitatem habent. num.* 1.
Restringitur. 2.
Laboribus, et non ambitione nec suffragiis, dignitates acquirere oportet. 3.
Quaedam proprio motu tributa non nocent, sed prosunt; sed si ad postulationem concessa, nocent non prosunt. 4.
Omnis affectatio odiosa. 5.
Qui impetravit dignitatem, et functus postea est legatione ex nova causa, omnino ad biennium immunitatem habet. 6.
Privilegia illa semper plenius interpretanda, quae a proprio concedentis motu profecta sunt, quam quae ad preces supplicantis dantur. 7.

Praesides, Proconsules et eorum Comites, alii- 1
que, qui enumerantur in *l.* 11. *supr. de excus. mun.* habent immunitatem a muneribus personalibus, etiam finito officio, *l.* 14. *d. t.* sed 2
utrumque intelligendum per *hanc l.* si proprio motu Princeps iis talem dignitatem contulerit, non si precibus et suffragiis impetraverint. Nam 3
laboribus, et non ambitione, nec suffragiis oportet dignitates acquirere, *l.* 1. *infr. de Princ. agent. in reb. l.* 13. *infr. de re militar.* Collige: Quaedam proprio motu tributa non 4
nocent, sed prosunt; sed si ad postulationem concessa, nocent non prosunt, *l.* 3. *pr. ff. quod quisq. juris etc. l.* 2. *supr. de bonis vac. l.* 1. *supr. de pet. bon. subl.* et affectatum non relevat, §. *item* 3. *Inst. de excus.* Et omnis affectatio 5
odiosa. Sed si is, qui impetravit dignitatem, 6
functus postea sit legatione, ex nova causa, omnino habebit immunitatem ad biennium, per *hanc l. et l. praeced.* quia haec est nova causa, *Coepolla lib.* 3. *cons.* 23. Collige ex *hac* 7
lege: Semper plenius interpretanda illa privilegia, quae a proprio concedentis motu profecta sunt, quam quae ad preces supplicantis dantur, *Georg. Enenckel. Baro de privil. l.* 2. *c.* 4. *num.* 22.

L. Si quod. 5.

SUMMARIA

Civitas super his, quae communem utilitatem concernunt, per legatos ad Principem quaedam referre volens, quanam forma id faciat? num. 1.
Provinciales sine convocatione Praesidis convenire non debent. 2.
Praeses impedire non debet, quo minus provinciales legatos ad Principem mittant. 3.
Quid si civitas vel universitas contra Praesides suos vel rectores querimoniam ad Principem referre velit? 4.
In publicis solus Praeses non refert ut in privatis. 5.

Civitas vel provincia super his, quae commu- 1
nem utilitatem concernunt, vult quaedam per legatos ad Principem referre, qua forma id faciendum *hac lege* praescribitur. Nam 1. Praeses debet omnes, qui jus suffragiorum habent, solemniter convocare: 2. Hi debent in loco publico convenire: 3. Praeses de his nihil decernet, sed deliberandum proponendumque est convocatis: 4. Id quod majori parti placuit, referendum est ad Praefectum Praetorio, quod si hic expedire non possit, 5. Ab hoc remittendum est ad Principem. Collige: I. Provinciales 2
sine convocatione Praesidis convenire non debere. II. Praesidem non debere impedire quo 3
minus provinciales legatos ad Principem mittant. Sed quid si civitas vel universitas contra 4
praesides suos vel rectores querimoniam ad Principem referre velint? Resp. etiam tunc ad Praesidem id referendum; nam antequam accusetur

superior vel officialis apud Principem, praemonendus est Praeses, *c. cum dilectus* 20. *X. de*
5 *accusat.* III. In publicis, Praesidem solum non referre, ut in privatis, *l.* 1. *supr. de relat.* Vid. *Tholos. lib.* 18. *syntagm. cap.* 19.

L. Quoties. ult.

SUMMARIA

Dicta precedentis legis *ad hypothesin transferuntur. num.* 1.

Majorem conveniendi libertatem Alexandrini habuerunt, quam alii. 2.

In colligendo numero votorum absentium, legitime tamen vocatorum et aegrotorum, ratio non habetur. 3.

Haec lex praecedentem transfert ad hypo- 1
thesin seu civitatem Alexandrinam: Quando enim haec vult consulere Principem, omnes curiales civitatis, exceptis infirmis et absentibus, in loco publico convenire debent, et quae majoris partis consensu decreta sunt, insinuanda sunt Augustali Praefecto, qui quasi Praeses Aegipti est, deinde P. P. et sic tandem ad Principem. Causa procul dubio, ut Princeps alias districtus nimiis relationibus non oneraretur. Collige: I. Majo- 2
rem libertatem conveniendi habuisse Alexandrinos quam alios. II. In colligendo numero voto- 3
rum absentium, legitime tamen vocatorum et aegrotorum non haberi rationem.

TITULUS LXIV.

De excusationibus artificum.

L. Artifices. 1. et L. Mechanicos. 2.

SUMMARIA

Quinam artifices immunitatem a muneribus personalibus habere soleant? num. 1.

Locus studiorum a tumultibus vacuus esse debet. 2.

Scholasticus fabrum sibi obstrepentem ex vicinia expellere potest. 3.

Alios docens se ipsum simul docet. 4.

Par studium in discentibus et docentibus esse debet, licet non par sit privilegium. 5.

Immunitas a muneribus ad discentes extendenda non est. 6.

Restringitur. 7.

Privilegium, quod donatio facta filio literato ob studia irrevocabiliter valeat, non tantum in doctore, sed etiam studioso locum habet. 8.

Artifices a magistratu, ut in sua arte alios instruant, compelli possunt. 9.

1 Artifices in *lege* 1. *et lege* 2. enumerati, quorum officia describit *Gothofredus hic, et Perez. ad hunc tit. num.* 8. habent immunitatem a muneribus personalibus, cum ad discendas docendasque artes otium requiratur, atque ideo plures artibus his informari Reipubl. intersit. Colligunt inde: Locum studiorum debere esse 2
a tumultibus vacuum, *hic et l. un. infr. in fin. C. de stud. lib.* Et ideo scholasticum posse expel- 3
lere ex vicinia fabrum sibi obstrepentem statuunt *Menoch. lib.* 2. *A. Q. casu* 217. *per tot. et DD. ad l.* 1. *ff. sol. matr.* quos recenset et sequitur *P. Barbosa ad dict. leg.* 1. *part.* 7. *num.* 53. *et seqq. Perez. hic num.* 7. qui alios docet, se ipsum simul docere, et par 4
studium in discentibus et docentibus esse de- 5
bet, licet non par sit privilegium, potissimum si privilegia publico commodo contraria; et im- 6
munitatem a muneribus non esse extendendam ad discentes tradit *hic Perez. d. num.* 7. Quod 7
de muneribus realibus concedo, sed de personalibus nego, si munus id impediat discentem, et illum ab exercitio artis abstrahat: aliter sentit *P. Barb. ad d. part.* 7. *leg.* 1. *num.* 66. *et* 57. cum eadem sit ratio. Sic privilegium, quod donatio 8
facta filio literato ob studia valeat irrevocabiliter, non tantum in doctore, sed etiam in studioso locum habet, *Garcias de expens. c.* 4. *num.* 8. Collige etiam: Artifices compelli posse 9
a magistratu, ut in sua arte alios instruant, *Perez. hic num.* 10. quod notandum contra eos invidos homines, qui insigniter in arte aliqua singulari versati, nolunt alios docere, qui tamen ad id compelli possunt.

TITULUS LXV.

De potioribus ad munera nominandis.

L. Si ipse. un.

SUMMARIA

An vocatus ad munus Reipubl. personale et alium se magis idoneum reperiri opponens, audiendus sit? num. 1.

Exceptio. 2.

Dignior, et magis idoneus ad munus aliquod eligendus est, et qui hoc neglexit, non quidem praeterito, sed Reipublicae atque Ecclesiae, cui damnum, negligendo idoneiorem, intulit, tenetur. 3.

Vocor ad munus Reipubl. personale, quia for- 1
te ordo me tangit; oppono, alium reperiri me

magis idoneum, Quaeritur: *An audiendus sim?* Resp. quod sic, quia non tam ordo quam idoneitas in muneribus personalibus est attendenda, *l.* 11. §. 1. *ff. de mun. et honor.* et *l.* 4. §. 5. *ff. de legation.* ubi dicitur ordine quemlibet legatione fungi debere, et non compellendum esse munere legationis fungi, quam si priores functi sunt: Sed si legatio de prioribus viris desideret personas, idoneiorem posse eligi, *Perez.*
2 *ad hunc tit. num.* 2. Sed hoc habet in nonnullis praestationibus exceptionem, per *l.* 1. *supr. de quibus muner. nemini etc.* Probatur etiam 3
ex *hac lege:* Digniorem et magis idoneum esse eligendum ad munus aliquod, et qui hoc neglexerit, tenetur non quidem praeterito, sed Reipublicae atque Ecclesiae, cui damnum, negligendo idoneiorem, intulit, *arg. c. licet ergo* 15. *c.* 8. *q.* 1. *Joan. Guttierez lib.* 2. *can. quaest. cap.* 11. *num.* 1. *et seqq.* Conf. *Covar. in c. peccatum p.* 2. §. 7. *num.* 6. *Molina de jure primogen. lib.* 2. *c.* 5. *num.* 46. *et seqq.* quem citat *hic Perez. num.* 5.

TITULUS LXVI.

Si propter inimicitias creatio facta sit.

L. Si propter. un.

SUMMARIA

Inimicitia causa tutori nominato satis justa est, qua se excusare ab hoc onere possit. num. 1.
Idem in eo, qui ad officium publicum nominatur. 2.
Ratio. 3.
Alios quoque actus annullat inimicitia. 4.

1 Sicut inimicitia, si sit causa, cur sim nominatus tutor, mihi praebet justam causam re-
2 cusandi tutelam, §. 9. *Inst. de excus.* ita etiam si sit causa, cur a quodam ad officium publicum sim nominatus, per *hanc l.* ubi ratio, 3
quia nec ex inimicitia nec amicitia, sed ob qualitatem personae munera deferenda, et ut in tutelis semel inimicus qui est, talis mansisse praesumitur, nisi ex conjecturis contrarium appareat, *Schneid. et Heig. ad d.* §. ita et *hic*, et ut *ibi* non distinguitur, unde sit orta inimicitia, *Hillig. in Donell. lib.* 3. *c.* 9. ita nec *hic*, licet in testamentis secus, et *utrobique* ex inimicitia praesumitur nominatio facta, si ab inimico facta, *arg. l.* 3. *pr. ff. de testibus.* Sic ini- 4
micitia alios actus etiam annullat, ut laudum arbitri, *l.* 33. §. 14. *ff. de arb.* judicium judicis ordinarii, *l.* 9. *in fin. pr. ff. de lib. causa*, et officium procuratoris, *l.* 21. *ff. de procur.*

TITULUS LXVII.

De sumptuum recuperatione.

L. Muneribus. un.

SUMMARIA

Quatenus quis ad munus publicum nominatus ad sumptus sibi restituendos nominantem convenire possit? num. 1.
Nominato ad officium appellante nominatores citari debent. 2.
Ratio. 3.

1 Quod si per calumniam quis me nominet ad munus publicum, cum tamen habeam excusationem in jure notorie fundatam, cum convenire possum ad sumptus mihi restituendos, quos in causa appellationis impendi, *hic et l.* 2. *in fin. supr. de decur.* scilicet si de calumniandi animo appareat, *l.* 1. §. 1. *ff. de vac. mun.* Nam licet alias quis calumniandi animo, temere tamen litiget, ad expensas restituendas teneatur, hic tamen secus, quia sic absterrerentur a nominatione ad officia publica, si sine calumnia ad restituendas expensas errans teneretur. Et ideo si nominatus ad officium ap- 2
pellat, debent citari nominatores, quia eorum 3
interest, ne condemnentur in expensas, *Christin. vol.* 5. *dec.* 51. *num.* 26. scilicet ut possint nominati calumniae suspicionem elidere, juxta practicam *legis primae C. de calumniat.* Et sic victus etiam hoc casu in expensas condemnabitur, de qua regula in thesi alibi, *Covar. pr. q.* 27. *Lucas de Penna hic, et Asin. in pr.* §. 32. *cap.* 2. *ampl.* 1. et quos allegat *Hillig. in Don. lib.* 26. *c.* 3. *lit. H.*

TITULUS LXVIII.

Si post creationem quis decesserit.

L. Si ante diem. un.

SUMMARIA

An delato alicui munere publico, haeres ejus pro defuncto munus suscipere vel interesse Reipubl. praestare teneatur? num. 1.
Omnis honor morte finitur. 2.

1 Delatum Titio est ante calendas Januarii munus publicum, sed ante tempus officii inchoandi moritur, Quaeritur: *An ejus haeres teneatur pro defuncto munus suscipere vel interesse Reipubl. praestare?* Resp. Neg. quia honor omnis 2
morte finitur, *l.* 29. *supr. si pendente appellatione mors intervenerit.* Sed hoc intelligendum, nisi ipse defunctus in mora, quo minus munus gereret, fuerit, et interim Respubl. detrimentum acceperit, nam hoc casu haeres appellationem prosequi tenetur, ut appareat cui incumbat illius temporis, quo cessatum est, periculum administrationis, per *l.* 1. *et seq. ff. si tutor vel curator magistratus creatus appell. arg. l.* 15. *supr. de excus. tut. Perez. ad hunc tit. num.* 1. *Christinaeus d. dec.* 54. *num.* 28.

TITULUS LXIX.

De tabulariis, scribis, logographis et censualibus.

L. Nulli. 1. et L. Boethos. ult.

SUMMARIA

Tabularii et logographi quinam? num. 1.
Hi ipsi ad officium publicum derelicta sua arte adspirare nequeunt, sed reducuntur intra quinquennium. 2.
Officium notariorum publicum est, et notarius invitus ad instrumentum faciendum cogi potest. 3.
Officium notariorum non est dignitas, sed vile officium. 4.
Obligatio patris se alicui corpori obligantis, filium quoque obnoxium facit collegio. 5.
Pater qui fit proprius homo alicujus, liberos quoque suos obligat. 6.
An notarii transsumptum probet sine protocollo? 7.
An Clericus possit esse notarius? 8.

1 Tabularii, ut et logographi in rationibus describendis occupati, qui instrumentis publicis, vel censibus, vel rationibus publicis describen-
2 dis praesunt, suam artem derelinquere non possunt, et ad officium aliquod publicum seu dignitatem adspirare, sed intra quinquennium revocari possunt, et reduci ad professionem suam, ne alias quaestioni falsi se subtrahere
3 possint, *l.* 21. *C. de falsis.* Collige: I. Officium notariorum esse publicum, et notarium invitum cogi posse ad instrumentum conficiendum, *Menoch. de A. J. Q. casu* 369. *in fin.*
4 II. Officium notariorum non esse dignitatem, sed vile officium, *Boer. dec.* 222. *num.* 8. *Ber-*
5 *lich. dec.* 27. *num.* 2. III. Obligationem patris, se alicui corpori obligantis, filium etiam obnoxium facere collegio, *l.* 17. *supr. de decur.*
6 et exinde ac ex *l. fin. h. t.* probari posset, patrem, qui proprius homo fit alicujus, obligare quoque liberos suos. Caeterum an notarii trans- 7
sumptum probet sine protocollo, item an Cle- 8
ricus possit esse notarius, docet *Auctor ad rubr. et l.* 1. *ff. de fide instr. num.* 3. *et* 4.

L. Quicunque. 2.

SUMMARIA

Decurio tabularii privilegiis fungi nequit. num. 1.
Alias privilegiis decurionum privatur, et tamen quoad onera, decurio manet. 2.
Decurio non torquetur, nec poenis plebejorum subjicitur. 3.
Nisi fiat notarius. 4.
Doctor juris notarius esse nequit, nec notarii munere antea suscepto post dignitatem adeptam fungi. 5.
Aliter sentit Berlichius. 6.

Decurio non potest fungi officio tabularii, *hic* 1
et l. 15. *supr. de decur.* Sed si voluerit officio 2
notarii fungi, privilegiis decurionum privabitur: Quantum ad onera vero attinet, decurio manet, *l.* 21. *supr. ad L. Corn. de fals.* Quoniam igitur de- 3
curio non torquetur, nec poenis plebejorum subjicitur, *l.* 33. *supr. de decur.* ideo amittit 4
hoc privilegium, si notarius fiat, et si de instrumenti fide quaeratur, potest torqueri, *d. l.* 21. quae procul dubio ratio est prohibitionis in *hac l.* ut et aliis in delictis, per *hanc l.* Unde 5
aliquis inferre posset, nec doctorem juris notarium esse posse, nec notarii munere antea suscepto post dignitatem adeptam fungi. Sed 6
post *Bl. et Castr.* contrarium tuetur *Berlich. part.* 1. *d. dec.* 27. Verum, dici tamen posset, utut doctor juris possit notariatus officium exer-

cere, cum periculo tamen id facere, si instrumentum falsum arguatur; et ex *hac lege* posset inferri, non liberari ipsum a quaestione in controversia de falso, quod tamen nunc in medio relinquo.

L. Generali lege. 3

SUMMARIA

Tabularii olim servi erant publici. num. 1.
Hodie servus non fit notarius. 2.
Quid si servus permittente domino tabellionis munus exerceat? 3.
An etiam acta coram putativo notario valeant? 4.
Formalia instrumenti notarii sunt decem et quaenam? 5.
Indictio et annus Imperatoris per annum Christi supplentur. 6.

1 Olim tabularii erant servi publici, per *l. ult.*
2 *supr. de serv. Reipubl.* Sed *hac lege* Imperatores prohibent, ne servus fiat notarius, ratio in
3 *l. in his officiis* 136. *ff. de R. J.* Si autem permittente domino servus tabellionis munus exercet, dominus Reipubl. vel privato ad interesse obligatur, servus verberatus Fisco acquiratur, Conf. *Fachin. l.* 11. *c.* 86. Sed hic dubitari posset: *Anne etiam acta coram putativo* 4
notario valeant? Quod affirm. *Caevall. quaest.* 386. *per l. Barbarius ff. de off. Praetor.* et limitat *Mascard. v.* 2. *concl.* 689. *num.* 50. si vitium sit non in forma creationis, sed vitium in materia, scilicet persona notarii, ut si esset servus. Ergo si quis nunquam fuerit creatus notarius, vel creatus quidem, sed non ab eo, qui jus creandi habuit, si habeatur communiter pro notario, instrumenta ejus fidem non habebunt, quia falsum committit, *l. eos §. fin. ff. ad legem Cornel. de fals. Pacinnus de probat. lib.* 2. *cap.* 21. *Farinac. qu.* 155. *part.* 5. Sed si quis a Comite Palatino fuerit creatus, vel a Principe, sed hic in persona sit vitium, tunc obtinet decisio *leg. Barbarius*, *Farinac. d. l. num.* 91.
Formalia instrumenti notarii haec decem sunt: 5
1. Invocatio Nominis Divini: 2. Annus Domini: 3. Indictio: 4. Dies: 5. Nomen Imperatoris: 6. Locus: 7. Res gesta: 8. Testes: 9. Tabellionis nomen: 10. Ejusdem signum, de quibus requisitis *Gilken. ad rubr. Cod. de fide instrument. num.* 5. *et multis seqq. Camill. Borell. lib.* 9. *tom.* 2. *dec. tit.* 18. *Christin. d. dec.* 54. *num.* 37. *et seq. Wesenb. ad tit. de fide instrum. num.* 5.
Indictio tamen, et annus Imperatoris supplentur, 6
per annum Christi. Vid. *Tuschus conclus.* 90. *lit. I. Felinus in c. inter dilectos num.* 11. *de fide instrum. Wesenb. p.* 3. *cons.* 130. *p.* 1. *num.* 121.

TITULUS LXX.

De susceptoribus, praepositis et arcariis.

L. Susceptores. 1.

SUMMARIA

Susceptores quinam? num. 1.
An mora susceptoris, tributum sibi oblatum ex frivola causa accipere recusantis, offerenti noceat, ita ut fundus, si tributum non solutum reperiatur, in commissum cadat? 2.
In privatis sola oblatio non liberat, bene tamen in publicis. 3.
Si debitores functionum publicarum susceptoribus obtulerunt, et illi eas acceptare recusarunt, debitores ex hac nuda reali oblatione plenam liberationem consequantur, susceptores vero Fisco ad duplum tenentur. 4.
Si per solventem non stat, quo minus solvat, a poena legali et conventionali liberatur, non vero statim ab ipsa obligatione. 5.
Limitatur haec regula. 6.

1 Susceptores sunt, qui annonis et tributis recipiendis sunt praepositi; Susceptori igitur tributum vel annonam offero, hic recusat ex causa frivola (forte ut mihi damnum accessat,)
2 accipere, Quaeritur: *Utrum mora illius mihi noceat, ita ut fundus, si tributum non reperiatur solutum, in commissum cadat, per l. fin. supr. de exact. tribut.?* Resp. Quod non, si publice coram testibus desuper protestatus fuerim, me non esse in mora, tunc enim liberor, quasi solvissem; sed quia Fiscus damnum ferre non debet, id a susceptore in duplum restituendum, *Klock. de contrib. c.* 18. *num.* 233. et poena ipsi judici imminet, si in susceptore exigendo negligens fuerit. Collige: I. In privatis 3
quidem solam oblationem non liberare, *l.* 9. *C. de solut.* sed bene in publicis per *hanc l.* Unde ex *hac lege* colligunt *Doctores:* Si debitores 4
functionum publicarum susceptoribus obtulerint, et illi eas acceptare recusaverint, debitores ex hac nuda reali oblatione plenam liberationem consequi, susceptores vero Fisco ad duplum teneri, *Donell. lib.* 16. *c.* 13. *post lit. G. Zang. de except. p.* 3. *c.* 3. *num.* 151. *Coll. Arg. tit. de solut. th.* 29. *num.* 2. et hos allegans *Georg. Schultz. in tr. de oblat. cap.* 6. *num.* 2. vers. *excipiuntur tamen etc.* Conf. *Carpz. lib.* 5. *resp.* 99. *num.* 3. II. Quod si non stet per sol- 5
ventem, quo minus quis solvat, liberatur a poena legali et conventionali, non vero statim ab ipsa obligatione, *Neguz. de pign. part.* 3. *membr.* 3. *p.* 3. *num.* 2. *Arnold. de Reiger. in thes. juris* vers. *oblat. num.* 8. *et Georg. Schultz. d. c.* 6. *num.* 15. *et seq.* nisi in publicis ut hic, aut 6
nisi alias sequatur amissio rei debitae sine debitoris culpa, *l.* 72. *ff. de solut.* ubi dicitur, oblato debito et postea amisso, vel ipso jure liberari debitorem vel ope exceptionis; Illud intelligunt de b. f. judiciis, hoc de stricti juris, *Zang. de exc. d. c.* 2. *num.* 137. *et seqq. Schultz. d. c.* 6. *num.* 13. licet illud inter privilegia dotis referat *Petr. Barb. p.* 1. *rubr. ff. sol. matr. num.* 33. *et in l. si mora num.* 12. *d.* 1.

L. Juxta. 2.

SUMMARIA

Nominatores, qui aliquem ad officium publicum nominarunt, pro nominato fidejussisse videntur, et pro eo tenentur. numm. 1. 2.
An nominator interim a susceptore aliquid emere possit? 3.

1 Nominatores, qui aliquem ad officium publicum nominarunt, fidejussisse videntur pro no-
2 minato, et pro eo tenentur, *l.* 2. *ff. de fidejuss. tut. per l.* 4. *supr. de Magistrat. conven. l.* 8. *h. t.* et idem igitur in nominatoribus suscepto-
3 rum, *d. l.* 8. Sed *potest ne interim nominator emere a susceptore aliquid?* Quod videtur; sed negatur hic ob specialem rationem, ne scilicet, qui idoneum susceptorem praestare debet, ab eo emendo quo minus sit idoneus, efficiat, quod videtur ad omnes nominatores officialium publicorum pertinere, quod scilicet nominatores non possint eorum bona frugifera emere, nam Reip. expedit, ut administratores bonorum Fisci, tanquam primo conveniendi habeant praedia, *Christin. v.* 5. *dec.* 57. *num.* 4. Et igitur nominator ipse occasionem praebere non debet, ut nominatus bonis labatur, *Perez. ad hunc tit. num.* 7.

L. Susceptores. 3.

SUMMARIA

Susceptoris munus est annuum. num. 1.
An susceptore omnia hujus anni tributa et debita non exigente, ejus successor teneatur? 2.
Ratio dubitandi. 3.
Decidendi. 4.
Successor in officio administrationis quamvis pro antecessore non teneatur, ad residua tamen praecedentis temporis exigenda tenetur. 5.
Idem in rectoribus academiarum observatur. 6.

1 Quia susceptorum munus erat annuum, per *l. seq.* ideoque susceptor hujus anni omnia tribu-
2 ta et debita publica exigere non poterat, Quae-
3 ritur igitur, *An successor teneatur?* Videtur
4 quod non, ob *l.* 23. *supr. de decur.* sed Affirm. quia prioris officium est finitum, et ideo successor etiam praeteriti anni debita et residua
5 exigere tenetur. Collige: Successorem in officio administrationis, quamvis pro antecessore non teneatur, teneri tamen ad residua praecedentis
6 temporis exigenda, quod etiam in rectoribus academiarum ita observatur, ut rector mulctas a praedecessore indictas exigat. Conf. *Petr. Barbosa ad l. divortio §. si vir. num.* 50. *et seq. ff. sol. matr.*

L. Neminem. 4.

SUMMARIA

Susceptor finito anno rationes reddere tenetur, et ante has redditas in officio retineri, vel ad aliud promoveri nequit. numm. 1. 4. 5.
Singulorum horum rationes. 2.
Dicta regula quatenus vera sit? 3.

Officium susceptorum erat annuum, et finito 1
anno tenebantur rationem reddere, et ante rationes redditas non potest susceptor in officio retineri, vel ad aliud promoveri; Primi ratio 2
est haec in textu, ne ob continuatum officium facultas detur vexandi provinciales. Secundi ratio, ut si male versatus in officio, statim possit damnum resarciri, *Klock. de aerario lib.* 2. *c.* 128. *num.* 6. Tertii ratio erit, nam aut bonus fuit, aut malus administrator: si illud, contra justitiam pugnaret, si magis gravetur: si hoc, imprudentia esset eundem eligere. Collige: 3
I. Haec vera esse in omni administratore pecuniarum publicarum temporario. II. Eundem diu 4
in eodem officio detinendum non esse: et III. Ali- 5
quem ad reddendas rationes universas, non nisi finito anno teneri.

L. Quotiescunque. 5.

SUMMARIA

Quotnam solidi libram auri conficiant? num. 1.
In testamentis et contractibus quando incerta nummi aestimatio, in dubio de minori quantitate verba intelligenda sunt. 2.
Secus quando verba a jure proferuntur. 3.
De solidi aestimatione, remissive. 4.

Quantitatem solidi hic determinat in materia 1
collectarum, ut scilicet 72. solidi conficiant libram auri. Notant ex *hac lege:* Quamvis alias 2
in testamentis et contractibus, quando incerta nummi aestimatio, in dubio de minori quantitate intelligenda sint verba, per *l.* 75. *ff. de legat.* 3. *l. semper* 35. *ff. de R. J. Card. Molin. de contr. usur. num.* 746. *Card. Mantic. lib.* 6. *de conject. ult. vol. Franc. Barry de success. lib.* 9. *tit.* 4. *num.* 16. secus autem esse, quando ver- 3
ba a jure proferuntur, *Jo. de Platea hic.* Con- 4
feratur de solidi aestimatione *Covar. de vet. numismat. cap.* 3. *num.* 3.

L. Frumenta. 6.

SUMMARIA

Apochis ob frumentum illatum privatis datis, quantitas frumenti inferenda est. num. 1.
In horreum publicum non nisi fiscale frumentum inferatur. 2.

Apochis, quae ob frumentum illatum privatis 1
dantur, inferenda quantitas frumenti; et in hor- 2
reum publicum non nisi frumentum fiscale inferendum.

L. Diu. 7.

Est explicata supr. in l. 1. C. de canone largit. titul.

L. Exactores. 8.

SUMMARIA

Exactores et susceptores quomodo et a quonam creentur? numm. 1. 3.
Nominatores in subsidium pro administratione susceptorum tenentur. 2.
Decuriones quoque acta habent. 4.
Graviter is peccat, qui indignum nominat vel ad officium eligit. 5.
Urbi invitae a Praeside officiales obtrudi non debent, ut nec Episcopus. 6.

1 Ordo curiae creat solemniter et convocatis decurionibus susceptores seu exactores, et eorum nomina, ut et eorum, a quibus ad istud officium illi nominati sunt, Praesidi insinuat,
2 et isti nominatores in subsidium tenentur pro
3 administratione susceptorum, per *l.* 2. *h. t.* Sed susceptores redituum privatorum vel patrimonialium Principis creantur a procuratore Cae-
4 saris, *l.* 9. *supr. de jure Fisci.* Collige: I. De-
5 curionibus etiam esse acta. II. Valde peccare eum, qui indignum nominat vel eligit ad officium, *c. miramur* 5. *dist.* 61. Videantur *DD. allegati supr. ad legem un. C. de potioribus ad*
6 *munera etc.* III. Non debere urbi invitae a Praeside obtrudi officiales, ut nec Episcopum, *c. nullus invitis* 13. *d. dist.* 61.

L. Modios. 9.

SUMMARIA

Tenor legis. *num.* 1.
Quota pars fructuum susceptoribus danda? 2.
Reditus ii magis onerandi sunt, qui sunt voluptatis, quam qui necessitatis. 3.
Ad Principem spectat, pondera et mensuras inferioribus praescribere. 4.
Inferior formam et pondus ex archetypo Principis desumere obstrictus est. 5.
Mevius *contradicere videtur.* 6.

1 In singulis stationibus et civitatibus mensurae ac pondera aenea vel lapidea publice collocanda, ne quid supra modum debitum a collato-
2 ribus exigatur, et determinatur hic quota pars fructuum susceptoribus danda, scilicet frumenti quinquagesima, hordei quadragesima, vini et lardi vicesima, quamvis in Armenia ob longinquitatem et sumptus faciendos inferendis tribu-
3 tis plus exigatur velut mantissa. Collige: Eos reditus magis esse onerandos, qui sunt voluptatis et superfluitatis, quam qui sunt necessitatis, ut hic. Nam hic de vino et lardo vicesima, et ita plus accipitur, de frumento demum quinquagesima, quod utinam in gabellis et accisis, quae mercibus imponi solent, observaretur! Po-
4 tissimum vero colligunt *Doctores* ex *hac lege:* Ad Principem spectare, pondera et mensuras
5 inferioribus praescribere, et inferiorem formam et pondus ex archetypo Principis desumere obstrictum esse, *Klock. de contrib. cap.* 1. *num.* 272. *et in tr. de aerario p.* 2. *c.* 17. *num.* 2. *Christoph. Besold. cons.* 233. *num.* 31. *Andr. Knichen. de jure superioritat. cap.* 4. *num.* 287. *et seq.* licet contradicere videatur *Dn. Mevius ad Jus* 6
Lubec. lib. 4. *tit.* 12. *art.* 1. *num.* 26. qui tamen in fine addit *num.* 27. nihil contra consuetudinem regionis faciendum esse.

L. Susceptores. 10.

SUMMARIA

Verba legis. *num.* 1.
In aestimo universali faciendo singulorum civium praesentia non requiritur. 2.
Bene tamen, si in specie aestimi reformatio petatur. 3.
Ad aestimi confectionem syndicus civitatis etiam citari debet. 4.

Susceptores tributorum in singulis civitatibus 1
coram defensoribus civitatum, qui quasi tribuni plebis sunt, debent singulorum civium bona describere, et quantitatem tributi, quod singuli inferre debent, et illud aestimum Praesidi insinuandum, *l.* 1. *supr. de apochis publ. etc.* idque in cautelam civium, ne ultra facultates quid exigatur. Collige: In aestimo faciendo uni- 2
versali, non requiri singulorum praesentiam; Sed bene si in specie aestimi reformatio peta- 3
tur, *arg. l.* 3. *supr. fin. regund.* Colligunt etiam, 4
ad aestimi confectionem citari debere syndicum civitatis, *Horat. Carpan. ad stat. Mediol. p.* 2. *cap.* 221. *num.* 11. *Mart. Laudens de jure Fisci q.* 167.

L. Securitates. 11.

SUMMARIA

Facti species. num. 1.
Apocha publica contra susceptorem probat, nec ille exceptionem non numeratae pecuniae *opponere potest.* 2.

Dederat susceptor mihi apocham, in qua fa- 1
tetur, me vicesimas vini solvisse, juxta formam *l.* 1. *supr. de apoch. publ. et l.* 9. *h. t.* postea cum in publico (nam in publico administratorum rationes reddendae sunt) producerem apocham, opponit exceptionem *non numeratae pecuniae*, juxta *l.* 14. §. 2. *C. de non num.* Sed Resp. 2
Apocham publicam omnino contra susceptorem probare, nec illum audiri debere, sed omnino inter accepta referendam esse quantitatem vini in apocha descriptam, licet postea apocha sit amissa, per *l.* 2. *supr. de discussoribus.* Vid. notata ad *l. fin. supr. de apochis etc.*

L. Si aliquid. 12.

SUMMARIA

Qui semel in officio susceptoris vel tabularii fraudem commisit, ad idem officium postea admitti nequit, et cur? num. 1.
Ampliatur. 2.
Notarius falsum in officio committens, vel super contractu vetito falsum instrumentum con-

ficiens, officium notariatus, si ejus criminis convictus est, amplius exercere non potest. 3.
Objectio tacita removetur. 4.
Rescripta elicita contra leges obreptitia praesumuntur. 5.
Limitatur. 6.

1 Qui in officio susceptoris vel tabularii fraudem commisit, non potest ad idem officium postea admitti, ob regulam: Qui semel malus etc. etsi
2 rescriptum Principis obtinuerit, quia hoc praesumitur obreptitium, Conf. *Farinac. quaest.* 19.
3 *num.* 47. Collige: I. Notarium, si falsum in officio committat, vel super contractu vetito instrumentum conficiat, non posse amplius exercere officium notariatus, si ejus criminis sit convictus. Nam licet praeterita non statim praesumantur falsa, in futurum tamen alia facere impeditur, cum ejus fides vacillet, a qua dependet omnis auctoritas instrumenti, *Jason. in l. si ex falsis C. de transact. in fin. Alciatus reg. 2. praes. 9. ad fin.* et hos allegantes *Perez. ad tit. Cod. de tabulariis num. 9. Wesenb. in tit. de his, qui not. infam. num. 8. Marq.*
4 *Freherus de infam. c. 25. num.* 10. Quamvis autem alias infamem notariatus munere fungi non posse dicat *Covar. p. q. 19. num.* 5. quam sententiam etiam supra probavi ad *l. un. C. de infam.* negari tamen nequit, hunc gradum infamiae, si quis ob falsum instrumentum condemnatus sit, magis pugnare cum munere decurionatus, quam ullam aliam famae notam.
5 II. Rescripta contra leges elicita praesumi ob-
6 reptitia, nisi adsit clausula ex certa scientia, de quo supra in *tit. si contra jus vel util. public.*

L. Duos. 13.

SUMMARIA

Susceptorum seu numerariorum, praeter tabularios et susceptores civitatum, in singulis provinciis constitutorum officium. num. 1.
Ea, quae sui officii non sunt, nemo attingere, vel alienis se immiscere non debet. 2.

1 Praeter tabularios et susceptores civitatum, in singulis provinciis susceptores seu numerarii constituebantur, quorum unus largitionales titulos, alter arcae Praefectorum Praetorio rationes tractare debet: horum officia non debent turbari, inserta hic poena, ne promiscuis actibus officia turbentur, *l. 23. C. de test.* Col-
2 lige: Neminem debere attingere ea, quae sui officii non sunt, vel alienis se immiscere, *c. 1. et 2. X. de Clerico non ordinato.*

L. Humilioribus. 14.

SUMMARIA

Decurionum privilegium. num. 1.
Provinciales interdum vestes militares conferre tenentur. 2.
Qui sentit commodum salarii, onus laboris etiam sentire debet. 3.

Decurionibus officia humiliora vel munera ex- 1
traordinaria imponi non debent, *l. 21. et 34. supr. de decur.* ne scilicet a publicis muneribus avocentur, id quod hic exemplo declaratur susceptionis vestium militarium, quam ipsos decuriones obire aequum non est, sed aequius est, ut ipsi milites cohortales et qui sunt in officio proconsulari vestium susceptionem gerant, cum hi commoda sentient, et melius qualitatem vestium explorare possint, nisi decuriones militent, aut militaverint publici muneris evitandi gratia. Collige: Provinciales interdum 2
conferre teneri vestes militares, *tot. tit. infr. de militari veste lib.* 12. et qui sentit commo- 3
dum salarii, debet etiam sentire onus laboris, *Lucas de Penna hic et Jo. de Platea num.* 2.

L. Aurum. ult.

SUMMARIA

Solutio auri et argenti a civibus vel collatoribus susceptori fieri debet. num. 1.
Si recusat susceptor suscipere, collator liberatur. 2.
Damnum ex iniquis ponderibus privato illatum a Praeside et ejus officio restitui debet. 3.
Magistratus ob iniqua pondera laeso in subsidium tenetur. 4.
Restringitur. 5.
Magistratus licet jurisdictionem habeat, alia tamen pondera aut mensuras constituere nequit. 6.
Poena. 7. 8.
Quod a Praesidibus ad Principem ex illatis mittitur, ad Comitem rerum privatarum deferendum est. 9.

I. Solutio auri vel argenti a collatoribus vel 1
civibus debet fieri susceptori, cujus officium est suscipere tributa, nam si recuset susceptor, 2
collator liberatur, *l. 1. h. t.* II. Si quod vero 3
damnum privatus ex iniquis ponderibus sentiat, id a Praeside et ejus officio restitui debere. Unde colligitur: Magistratum ob iniqua pondera 4
in subsidium laesis obligari, si scilicet sciente 5
et connivente eo iniqua pondera habeantur; ex quo apparet, Magistratum, licet jurisdictionem 6
habeat, non posse tamen alia pondera aut mensuras constituere, ut supra dictum ad *l. 9. h. t.* alias convictus falsi ponderis usurpati aut men- 7
surae ad duplum tenetur, *l. 6. §. 2. ff. de extraord. crimin. l. pen. §. 1. ff. ad l. Corn. de fals.* Sed 8
si criminaliter conveniatur, locum habebit fustigatio aut alia poena arbitraria, *Wesenb. in π. de falsis num. 12. Schneidw. in §. item lex Cornelia n. 10. Inst. de publ. jud.* quos allegat *Dn. Mevius ad Jus Lubec. lib. 4. t. 12. art. 1. num.* 8. III. Quod a Praesidibus ad Principem 9
ex illatis mittitur, ad Comitem rerum privatarum deferendum est.

TITULUS LXXI.

De ponderatoribus et auri illatione.

L. Aurum. 1.

SUMMARIA

Sensus legis. *num.* 1.
Si aurum debetur, pondus vel pecunia solvi potest. 2.

1 Debens aurum potest solvere vel in solidis, vel in massa, dummodo aequo libramine id
2 ponderetur. Collige: Si aurum debeatur, pondus vel pecuniam solvi posse, *arg. l.* 9. *et* 19. *ff. de auro et argent. leg. Carpzov. part.* 2. *const.* 29. *def.* 1. *Thoming. decis.* 19.

L. Quoties. 2.

SUMMARIA

Tenor legis. *num.* 1.
In rebus ad professionem alicujus artificis pertinentibus standum est decisioni hujus artificis. 2.
An horum sententia in rem judicatam transeat? 3.
Limitatur regula num. 2. *data.* 4.

Quando est quaestio de probitate auri vel argenti solvendi, standum est decisioni ponderatoris publici in civitatibus constituti, qui ob peritiam suam falli non poterit, ob probitatem 1
alios non fallet. Collige: In rebus ad professionem alienjus artificis pertinentibus, standum esse decisioni hujus artificis, ut aurifabri, medici, obstetricis, chirurgi et similium. Quamvis 2
autem horum sententiam nunquam in rem judicatam transire dicat *Wesenb. in* π. *tit. si mensor falsum modum etc.* verius tamen est contrarium, per *Nov.* 7. *c.* 3. *Carpzov. part.* 1. *const.* 26. *def.* 1. *Berlich. p.* 1. *concl.* 59. *num.* 35. nisi res certitudinem non admittat, *arg. c.* 14. *X. de probat. Carpzov. d. l. def.* 5. Quamvis autem 3
aestimationi hujus ponderatoris standum sit, intelligendum tamen hoc est, si in aliqua re certitudo esse potest, quando tamen veritas est occulta, et decisio utrinque periculosa, praesertim in causa criminali, v. gr. super lethalitatem vulneris, potest aliorum doctorum sententia semper requiri, *Carpzov. d. p.* 1. *const.* 26. *def.* 5. Nam potest ad aliorum peritorum judicium provocari, *Gomez. t.* 2. *cap.* 9. *in fin. et Garcias de expensis cap.* 24. et hos referens *Perez. ad hunc tit. num.* 5. 4

TITULUS LXXII.

De auri publici persecutoribus.

L. Auri. un.

SUMMARIA

Persecutores quomodo constituendi? num. 1.
Nonnulla his facere prohibentur. 2.
Exactores pecunias in alias formas mutare, ob propriam utilitatem cambire, aut in suos usus convertere non debent. 3.
Quid si de facto aliquid ex publica pecunia mercati fuerint? 4.
Limitatur regula num. 3. *tradita quoad tertium ejus membrum.* 5.
An susceptor vel Magistratus inferior ob non soluta tributa usuram vel interesse petere possit? 6.
Apud nos quid obtineat? 7.

1 In transmissionem auri sacrarum largitionum persecutores constituebantur, sed non sine persecutoria, id est, praecepto Comitis sacrarum
2 largitionum. Sed hoc negligebatur tripliciter; quidam persecutores se ingerebant absque Comitis praecepto, quidam habebant praeceptum, sed aurum publicum invertebant, et in suos usus convertebant; quidam plane excoquebant, id est, in aliam massam transfundebant abusi lege 1. *tit. praeced.* quae de collatoribus, non susceptoribus loquitur, *Perez. ad h. t. num.* 2. Sed hoc omne hic prohibetur, quia hoc aurum publicum publicis, non privatis debet inservire usibus, et debet statim ad Comitem mitti, *l. un. in fin. C. de off. com. sacr. larg. l. diu* 7. *supr. de suscept.* Collige: Exactores pecunias in alias 3
formas mutare vel cambire ob propriam utilitatem non debere. Nec debent pecuniam pu- 4
blicam interim in suos usus convertere, et si de facto ex pecunia publica aliquid mercati fuerint, vel ex frumento publico, lucrum eis auferri debet, et communitati applicari, *Bart. hic et Jo. de Platea, Ripa de peste cap.* 6. *de remed. ad conservandam ubertatem num.* 17. *Steph. Gratianus tom.* 2. *discept. for. c.* 301. *in fin. Klock. de contrib. cap.* 18. *num.* 239. *et seq. Flores Diez. qu.* 21. *num.* 162. quia pecunia ista semper debet esse parata ad usus publicos, per *l.* 2. *Cod. de frum. urbis Constantinopol. l.* 2. §. 4. *ff. de administr. rerum ad civit. pertin. Ripa d. l. Klock. et Perez. hic num.* 2. Si tamen essent exactores, qui se 5
obligarent ad certum tempus ad pecuniam inferendam Reipublicae, eos interim pecunia illa uti posse putat *Ripa d. l.* Sed *potestne susce-* 6

pior vel Magistratus inferior ob non soluta tributa usuram vel interesse petere? Resp. Non puto, per tradita *Molin. d.* 313. *num.* 1. *et seqq.* Namque aut potuit collator solvere et Magistratus ipse est in culpa, quod non exegerit, aut propter paupertatem non potuit, et non potest juste ad interesse condemnari, quia impossibilitas a morae poena liberat. Sane apud nos ob 7
tributa aut collectas non solutas usura vel interesse non debetur.

TITULUS LXXIII.

De his, quae ex publica collatione illata sunt, non usurpandis.

SUMMARIA

Non ipsis tantum judicibus, sed et susceptoribus et procuratoribus prohibetur, ne pecuniam fiscalem aut publicum aurum mutuo accipiant. num. 1.
Ratio. 2.
Poena. 3.
Limitatur regula. 4.
Venditio et permutatio frumenti publici est prohibita. 5.
Pecunia publica ad alios usus publicos licet necessarios transferenda non est. 6.
Poena judicis pecuniam publicam dolose subtrahentis, aut congruo tempore non solventis. 7.
Susceptor, si usus fuerit pecunia, ad usuras quoque tenetur. 8.

1 Supra *tit.* 6. *hujus libri* prohibitum, ne pecunia fiscalis a judicibus mutuo alicui detur, vel usurpanda concedatur, hic idem ipsis non tantum judicibus, sed et susceptoribus et persecutoribus prohibetur, ne mutuo accipiant sive pecuniam fiscalem aut publicum aurum, quae largitionibus sacris vel arcae praefectorum, *l.* 1. *et* 2. *h. t.* sive quae aerario privato Principis
2 inferuntur, *l. fin. h. t.* ratio ex iis pendet, quae *supr. tit.* 6. *et tit. praeced.* dicta. Nam pecuniam eam semper paratam esse oportet, et omne, quod a collatoribus est solutum, sacris thesauris inferendum, *l.* 1. *supr. de can. largit. tit.* ad- 3
ditur poena *in l. fin. et l. fin. d. t.* 6. Et limi- 4
tatio in *l.* 2. nisi concessam sibi potestatem a sublimium potestatum jussione acceperit. Exinde sequitur, 1. et venditionem et permuta- 5
tionem frumenti publici esse prohibitam, nec posse officialem unum in collega talem contractum etiam palam celebrare, licet alias in tutoribus id fieri possit, *l.* 5. *ff. de auct. tut.* Sequitur 2. nec pecuniam publicam ad alios 6
usus publicos, licet necessarios, transferendam esse. Distinguunt autem hic, utrum Judex tem- 7
pore administrationis publicas pecunias subtraxerit, eo fine, ut nunquam ad dominum pervenirent, an vero residuam et confessam pecuniam haud congruo tempore solverit. Nam ille peculatum committit, et exactor id committens tenetur in duplum, *l.* 7. *supr. de exact.* hic vero amplius tertia parte, quam debet, punitur, *l.* 4. §. 5. *ff. de pecul.* Conf. *Besoldus cons.* 141. *Berlich. concl.* 57 *part.* 5. *Pingizer. qu.* 47. quos laudat *Klock. de contribut. cap.* 18. *num.* 212. *et seqq.* Ad usuras etiam susceptorem te- 8
neri, si usus fuerit pecunia, exemplo depositarii, mandatarii, tutoris, negotiorum gestoris et sim. probat *hic Perez. num.* 6.

TITULUS LXXIV.

De auro coronario.

L. Ad collationem. ult.

SUMMARIA

Aurum coronarium quid fuerit? num. 1.
Nemo ad hoc solvendum compelli debet. 2.
Limitatur. 3.
Consuetudo in imponendis oneribus etiam contra juris regulas operatur. 4.
In contributionibus semper antiqua observantia attendenda est. 5.
Praestationes annuae, quae benevolentiae causa a subditis praestantur, longa consuetudine et praescriptione firmantur et justum inducunt titulum, ut in futurum praestari debeant. 6.
Modo domini probare possint, subditos non per vim compulsos ea praestitisse, et fuerit praescriptio immemorialis probata. 7.
Jus collectandi forenses immemoriali praescriptione acquiritur. 8.

Aurum coronarium erat vel coronae aureae, 1
quae Imperatoribus ob honorem triumphi mittebantur, vel quod ob coronam vel statuam Principis conflandum pendebatur, vel quod civitates novis Imperatoribus coronarum specie mittebant, vel quod in coronis aureis a decurionibus ob res prospere gestas Principi donabatur, de quo *hic Cujac. Perez. etc. Petr. Gregor. lib.* 3. *Syntagm. c.* 7. *num.* 5. *Renat. Choppius de dom. lib.* 1. *cap.* 9. *num.* 7. et hoc referens *Klock. d. tr. c.* 1. *num.* 108. et ad hoc 2
solvendum nemo debet compelli, nisi ex con- 3
suetudine, qualis inter judaeos, *l.* 17. *supr. de judaeis.* Unde colligitur: Consuetudinem in im- 4
ponendis oneribus operari etiam contra regulas juris, et ita in contributionibus antiquam obser- 5

vantiam semper attendendam esse ex hoc textu, et *d. l. 7. supr. de exactor. et l. 1. C. de superind.* probant *DD.* quos magno numero ad-
6 ducit *Klock. d. tr. c. 2. num.* 96. Deinde videmus praestationes annuas, quae benevolentiae causa a subditis praestantur, longa consuetudine et praescriptione firmari, et titulum justum
6 inducere, ut in futurum praestari debeant, modo domini probare possint, subditos non per vim compulsos ea praestitisse, et fuerit praescriptio immemorialis probata. Vid. *Covar. in c. possessor p. 2. §. 4. num. 1. Jo. Guttierez. lib. 1. pr. qu.* 92. ubi tamen probationem spontaneae voluntatis necessariam non esse tradit *Perez. hic num. 6. et seqq.* Sicut etiam jus col- 8
lectandi forenses praescriptione immemoriali acquiri volunt *Flores Diez. q. 21. num. 100. Pet. Gilken. ad Auth. quas actiones cap. 10. num. 30. C. de SS. Eccles.* et hos laudans *Klock. de contribut. c. 13. num.* 42.

TITULUS LXXV.

De Irenarchis.

L. Irenarchae. un.

SUMMARIA

Irenarcha quinam, et ejus officium? num. 1.
Quomodo eligendi? 2.
Subditi, si scandalum metuitur, an ad concordiam cogi possint? 3.

1 Irenarcha est 1. Qui disciplinae publicae et moribus corrigendis praeficiebatur, *l. fin. §. 7. ff. de muner. et honor.* Et 2. qui facinorosos deferebat, et puniendos ad Praesidem cum elogio remittebat, *l. 6. pr. ff. de cust. reorum*, atque horum officium erat judicem criminalem informare, *l. 6. §. 3. ff. ad SC. Turpill.* et tales a decu- 2
rionibus nominandi, a Praesidibus confirmandi. Collige; Subditos ad concordiam cogi posse, si 3
scandalum metuatur, *hic et l. 13. §. 3. ff. de usufr. Wesemb. in π. tit. de infam. num.* 5. licet regulariter contrarium verum sit. Vid. *Carpz. part. 1. jurispr. const. 1. def. 11. et lib. 2. resp. 51. num.* 20.

TITULUS LXXVI.

De argenti pretio, quod thesauris infertur.

L. Jubemus. un.

SUMMARIA

Pro argento sacris largitionibus inferendo aurum inferri potest. num. 1.
Quanti pro libra argenti. 2.
Quoties de eodem pecuniae genere restituendo inter debitorem et creditorem non convenit, pecunia in alio quoque genere recte offerri et solvi potest. 3.
Nisi creditor damnum inde sit passurus. 4.

1 Pro argento sacris largitionibus inferendo, aurum inferri potest, scilicet pro libra argen- 2
ti 5. solidi; ratio allegata *supr. tit. 29. de collat. aeris.* Quamvis vero hoc in gratiam provincialium constitutum videri possit; *DD.* tamen communiter sentiunt, et inter alios textus ex hoc colligunt: Quoties de eodem pecuniae genere 3
restituendo inter debitorem et creditorem non convenit, pecuniam in alio quoque genere recte offerri et solvi posse, *hic et l. 65. §. 1. ff. de V. O. Zanger. de except. p. 3. cap. 1. num. 63. Fachin. lib. 2. controvers. c. 50. Georg. Schultz. de oblat. cap. 4. num. 18. vers. posteriori casu, Carpz. p. 2. c. 29. d. 2. et lib. 5. resp.* 95. qui 4
omnes tamen limitant, nisi creditor damnum inde sit passurus.

FINIS LIBRI DECIMI

LIBER XI.

CODICIS

TITULUS I.

De naviculariis seu naucleris publicas species transportantibus, et de tollenda lustralis auri collatione.

SUMMARIA

Rubrica bimembris. num. 1.
Navicularii vel naucleri quinam? 2.
Lustralis auri descriptio. 3.

1 Rubrica bimembris est: Navicularii vel naucle-
2 ri sunt qui vehendas per mare species suscipiunt, ut annonam, ligna et similia, et horum certum corpus erat, *l.* 1. *ff. quod cujuscumq.*
3 *univers. l.* 5. §. *ult. ff. de jure immun.* Lustrale aurum fuit, quod a Constantino negotiatoribus et artem inhonestam tractantibus singulis lustris imponebatur, quod per aliquam constitutionem fuit abolitum, quae desideratur, cujus summam hic ex *Contio et Cujacio* recenset *Godofr.*

L. Nullam vim. 1.

SUMMARIA

Naviculariorum privilegium. num. 1.
Ratio. 2.
Cura rei frumentariae inter alias Principi praecipua esse debet. 3.
Exemplum est in Principibus Venetorum. 4.
Navicularii nec ob delictum antea commissum, nec ob sententiam in civilibus latam, aut ob instrumentum aliquod obligationis, teneri debent. 5.
Ratio. 6.
Nauclerus de annonis publicis nullum vectigal solvit. 7.
Quomodo securitas veniendi data intelligitur? 8.

1 Navicularii, qui annonas transportandas suscipiunt, vel alias species Augusto debitas, immunitatem habent caeterorum munerum, et huic tantum functioni naviculariae obnoxii sunt, et plenam debent habere securitatem, dum abeunt vel redeunt, ne ullam vim, injuriam, aut incommodum ullum patiantur, poena con-
2 tra facienti 10. librarum auri imminente; ratio *legis,* ut et multarum aliarum sequentium, est sita in utilitate et necessitate Reipubl. ut plures alliciantur ad hoc collegium, ne Respubl. aut urbs fame laboret. Nam cura rei frumentariae 3
inter alias praecipua debet esse Principi, unde hanc curam ex tribus capitibus in Principum 4
Venetorum jurisjurandi formula comprehensis praecipuam esse refert *Thuanus lib.* 16. Collige 5
ex *hac l.* I. Navicularios non debere ob delictum antea commissum detineri, multo minus ob sententiam in civilibus latam, aut ob instrumentum aliquod obligationis, cum privata ce- 6
dant publicis. II. Nauclerum de annonis publi- 7
cis vectigal non solvere, *hic et l.* 9. §. 7. *ff. de public.* III. Illi, cui data est securitas veniendi, 8
datam intelligi securitatem abeundi, cum secure venire non possit, qui secure recedere non potest, *arg. l.* 4. §. 3. *ff. de legat. DD. hic, Felinus, et Abbas in cap. ult. X. de treuga et pace, et Menoch. lib.* 2. *A. J. Q. casu* 336. *num.* 11. *et seq. Carpz. pr. crim. qu.* 112. *num.* 7. *Georg. Acac. Enenck. Baro de priv. lib.* 2. *c.* 4. *num.* 98. *Gail. lib.* 2. *obs.* 52. *num.* 5. *Myns. cent.* 1. *obs.* 82.

L. Comperimus. 2.

SUMMARIA

Navicularii ex suscepta publica annona negotiari non debent. num. 1.
Intra annum eam publico, acceptis apochis, inferre jubentur. 2.
Qui officiali ad id constituto annonam publicam vel aliam collationem tradit, de ejus negligentia non tenetur. 3.
Secus si non idoneo commiserit. 4.
Transvectores non debent ex suscepta annona negotiari. 5.

Navicularii ex suscepta annona publica nego- 1
tiari non debent, cum ob laborem suum aliis commoditatibus fruantur, sed intra annum eam 2
publico inferre jubentur, acceptis securitatibus, id est, apochis, quae continere debent diem traditionis, quas intra secundum annum refer-

re iis debent, a quibus annonam susceperunt,
ut iis constare possit naviculariorum fides et
3 diligentia. Collige: I. Qui officiali ad id consti-
tuto annonam publicam vel aliam collationem
4 tradit, de ejus negligentia non teneri, secus si
non idoneo commisisset, *l. 20. ff. commod.*
5 *Plat. hic:* II. Transvectores non debere ex su-
scepta annona negotiari, vel suum commodum
petere, *t. t. C. de his, quae ex publica colla-
tione illata sunt non usurpandis.*

L. Ab his. 3.

SUMMARIA

Poena ejus, qui res alienas rapit. num. 1.
*Eorum poena, qui naviculariis aliquid diri-
piunt. 2.*
Duo singularia circa hanc poenam observanda. 3.
*Naucleri nullam vim sustinere nec concussionem
perpeti debent. 4.*

1 Qui res alienas rapit, intra annum poenam
quadrupli incurrit, cui tamen inest simplum,
post annum vero ad simplum tantum obligatur,
2 *pr. Inst. de vi bon. rapt.* Sed hic constituitur,
ut ii, qui naviculariis quid diripuerunt, non
tantum rem restituere teneantur, sed etiam ad
quadruplum teneantur, non inspecto spatio an-
nuo, nam speciale quid hic contineri, et titu-
3 lus et verba *legis* arguunt. Sed sic duo singula-
ria hic haberentur ideoque controversus hic ar-
ticulus: 1. *An simplum hic insit quadruplo?*
De quo *Christin. v. 5. dec. 60. num. 6. et seqq.*
Perez. ad hunc tit. num. 10. Et 2. *An post annum
in quadruplum teneatur?* In quo posset dubita-
ri, quia textus hic de in rapina depreheusis
4 loquitur. Collige etiam, naucleros nullam vim
debere sustinere, nec concussionem perpeti, et
ideo pro eis danda mandata sine clausula, *Fri-
dericus de interdict. tit. 6. num. 46. et seqq.*

L. Cum navarchorum. 4.

SUMMARIA

Facti species. num. 1.
*Qui in opere publico expediendo casu aliquo
impediuntur, per alios sumptu publico adju-
vari debent. 2.*
*Ob publicae utilitatis causam ad locandum na-
ves aliquis compelli potest. 3.*

1 Anthemius P. P. Orientis cum cerneret navi-
cularios in conquirendis navibus Orientis adeo
occupatos esse, ut suo tempore frumentum af-
ferri Romam non posset, naves conducebat a
mercatoribus Alexandrinis et aliis, pro merce-
de eis data immunitate tributorum, et eo, quod
dicitur Φιλικὸν, id est, amicabile seu cha-
ritativum, hoc factum laudat hic Imperator,
et ut in posterum simili in casu hoc observetur,
2 jubet. Collige: I. Eos, qui in opere publico ex-
pediendo casu aliquo impediuntur, per alios
sumptu publico debere adjuvari, *Perez. ad hunc
tit num. 21. Christin. d. dec. 60. num. 18. et seqq.*
et II. Ob causam publicae utilitatis, aliquem ad 3
locandum, naves praesertim, posse compelli,
quod exemplis quotidianis probatur.

L. Qui Fiscales. 5.

SUMMARIA

*Navicularius, qui sponte terminum navigationis
declinat, devia littora legit, ac frumentum
publicum distrahit, capite plectitur. num. 1.*
Ratio hujus rigoris. 2.
Limitatur regula. 3.
*Qui a recta via deflectit securitatis et conductus
privilegiis indignum se reddit. 4.*
*Qui viae rectae non insistunt, suspecti haben-
tur. 5.*

Navicularius, qui sponte declinat terminum 1
navigationis, devia littora legit, ac frumentum
publicum distrahit, capite plectitur. Ratio rigo- 2
ris hujus, quod isto delicto fame plurimi inte-
rire possint, et suspectum se reddit, ideoque
tenetur de omni casu subsecuto, *Nic. Boer.
decis. 178. num. 32. Cravetta cons. 115. num. 5.
Stracha de nautis p. 3. num. 6.* nisi probabilem 3
habeat causam devitandi rectam viam, v. gr. ut
evitaret pericula piratarum, ut reficeret navem,
vel ut conservaret jus suum, quia vectigal erat
illicitum, ubi fraudare non putat esse peccatum,
vel si publicani sint harpyae etc. *Stracha d. l.
num. 6. et seqq. Perez. ad hunc tit. num. 3.*
Collige: I. Eum, qui a recta via deflectit, se-
curitatis et conductus privilegiis indignum se 4
reddere, *Rosenthal. de feudis cap. 5. concl. 22.
lit. B. Gail. lib. 2. obs. 64. num. 11. Myns. cap. 5.
observ. 70. num. 4.* et II. Eos, qui viae rectae 5
non insistunt, se suspectos reddere, *Stracha
d. l. Christin. dec. 61. num. 11. vol. 5.* Conf.
Marquardus de mercat. l. 2. c. 10. num. 15.

L. Judices. ult.

SUMMARIA

*Poena naviculariorum et naucleri congruum na-
vigationis tempus non observantium. num. 1.*
*Si prosperior flatus invitat, et nautae sine
causa in portu permanent, de sequiori even-
tu subsecuto tenentur. 2.*
*In delicto hoc totum collegium propter pauco-
rum negligentiam punitur. 3.*
*An jus repressaliarum ex hoc loco probari pos-
sit? 4.*

Si congruum tempus navigationis sit, et ta- 1
men navicularii praetextu hyemis in portubus
immorentur, connivente Praeside aut munici-
piis, aut corporatis, id est, collegiis navicula-
riorum, Praesidis aut municipum ac corpora-
torum bona sunt confiscanda, naucleri vero
deportandi, idque propter summam annonae
necessitatem. Collige: I. Si prosperior flatus in- 3
vitet, et nautae sine causa in portu perma-
neant, teneri eos de sequiore eventu subsecu-
to, *Stracha d. tr. de nautis p. 3. num. 5.* nam
multiplex culpa a nauta vel navarcho in tem-
pore committi potest, de quo *Marquardus* de

mercaturis l. 2. *d. cap.* 10. *num.* 23. *et seqq.*
3 II. In delicto hoc tantum collegium puniri propter paucorum negligentiam, quae tamen cum convenientia omnium concurrit. Sed hoc mirum, quod etiam municipes hic puniantur; Unde vult *Christin. d. dec.* 61. *num.* 17. pro- 4
bare jus repressaliarum, de quo alibi. Sed procul dubio culpa aliqua municipum hic praesupponitur, quae tam gravi poena ob summam annonae necessitatem plectitur.

TITULUS II.

De praediis et omnibus rebus naviculariorum.

L. Domum. 1.

SUMMARIA

Naviculariorum res functionibus navicularii sunt obnoxiae. num. 1.
Extenditur hoc ipsum. 2.
Praedia Principis oneribus publicis gravata, ab oneribus quae pro publica necessitate indicuntur, eximi non debent. 3.
Princeps, ad quem bona confiscata pervenerunt, pro functionibus publicis tenetur. 4.
Ditiones Imperatoris tanquam privati in censum Imperii hodie relatae sunt. 5.
Exactor pro onere uni praedio incumbente, emptorem in aliis bonis molestare nequit. 8.
Onus certae rei tributum caetera ejusdem possessoris bona afficit, sed ea libera manent. 9.
Onera et tributa non juxta valorem et pretium rei, sed juxta emolumentum et utilitatem solvenda sunt. 10.
Quando is, qui bonis cessit, conventus est, et beneficium competentiae opponit, non ad valorem rei, sed ad emolumentum est respiciendum. 11.
Cives ad aedificandas vel reficiendas aedes ob decorem civitatis compelli possunt. 12.
Possessor hypothecaria actione conventus se liberare potest, si offerat pretium rei obligatae, quod erat tempore contractus. 13.
Qui melioramenta in re fecit, et convenitur ab aliquo creditore actione hypothecaria, pro dicta re liberanda ab hypotheca debitum creditori solvere non tenetur, sed tantum aestimationem hypothecae seu rei, demptis meliorationibus. 14.

1 Res naviculariorum erant naviculariis functionibus obnoxiae, adeo ut quilibet successor seu possessor pro modo successionis illam functio-
2 nem teneretur agnoscere, quod hic extenditur etiam ad Principem, si ille naviculario succedat, quod etiam in aliis muneribus obtinet, *l.* 8. *supr. de. exact. trib. l. un. supr. ut nemini liceat in empt. etc.* ubi notata hic repetenda:
3 Collige igitur: Praedia Principis oneribus publicis gravata non eximi ab oneribus, quae pro publica necessitate indicuntur, *Klock. de contrib. cap.* 9. *num.* 69. *Georg. Enenckel. Baro de privil.*
4 *lib.* 1. *cap.* 8. *num.* 81. et sic Princeps tenetur, ad quem bona confiscata pervenerunt, pro functionibus publicis, *Perez. ad hunc tit. num.* 2.
5 *Christin. dec.* 62. *num.* 5. *vol.* 5. Hinc etiam hodie ditiones Imperatoris tanquam privati in censum Imperii sunt relatae, *R. I. de anno* 1512. §. *darauff haben wir. Knichen de Saxon. non provocand. jure*, verbo *Ducum cap.* 2. *num.* 2. et hunc referens *Klock. d. c.* 9. *num.* 70.

L. In his. 2.

SUMMARIA

Navicularius fundos suos vendere non prohibetur. num. 1.
Emptor navicularii onera recipiat. 2.
Restringitur. 3.
Si quis emit domum navicularii in aestimatione canonis navarchici non aedium splendor, sed utilitas attendenda est, quanti scil. contractus venditionis tempore locari potuerit. 4.
Rei obnoxiae vel obligatae licita est alienatio, sed cum onere. 5.
Nemini distractio rei suae prohibenda est, nisi fiat prohibitio secundum quid. 6.
Onus, quod rei incumbit, ad personam possessoris non transit. 7.

Navicularius non prohibetur fundos suos ven- 1
dere, sed qui a naviculario emit fundum, pro 2
modo fundi empti agnoscit onera navicularii venditoris, res enim transit cum onere, per *l. praeced.* sed emptor non ideo fit navicularius, 3
nec caetera ejus bona, quae antea habuit, huic oneri subjiciuntur, sed canonem navicularium tantum solvit, et cum quidem non integrum, quem praestitit navicularius, sed pro quantitate rei emptae. In secunda parte vers. *domus* 4
vero, disponit si quis domus naviculariorum emat, in aestimatione canonis navarchici non attendendum esse aedium splendorem, sed utilitatem, quanti scilicet contractus venditionis tempore locari poterant, nec habetur augmenti ratio, licet pluris postea locari potuerit. Colli- 5
ge: I. Rei obnoxiae vel obligatae licitam esse alienationem, sed cum onere, *l. alienatio* 67. *ff. de contrah. empt.* II. Nemini distractionem 6
rei suae prohibendam esse, nisi prohibitio secundum quid fiat, ut in *l. dudum* 14. *C. de contrah. empt. l.* 34. §. 1. *ff. de empt.* III. Onus, 7
quod rei incumbit, non afficere personam possessoris, *arg. hujus l. et l.* 19. *et seq. ff. pro socio.* Et sic exactor pro onere incumbente uni prae- 8
dio, non potest molestare emptorem in aliis bonis, *Dn. Carpzov. lib.* 4. *resp.* 78. *num.* 11. Et sic etiam annui reditus non nisi ratione rei possessae a tertio possessore actione hypothecaria exiguntur, *Dn. Carpz. lib.* 5. *resp.* 89. IV. Onus 9
illud certae rei tributum non afficere caetera bona ejusdem possessoris, sed ea manere libera. V. Onera et tributa non esse solvenda juxta 10
valorem et pretium rei, sed juxta emolumentum et utilitatem, *Thomatus de collectis* §. *retentae num.* 9. *Klock. de contrib. cap.* 11. *num.*

100. *et cap.* 17. *num.* 39. *et num.* 136. *Cravetta cons.* 497. *num.* 5. *Natta cons.* 280. *num.* 6.
11 *Carpzov. lib.* 14. *resp.* 72. *num.* 26. VI. Quando is, qui bonis cessit, conventus est, et opponit beneficium competentiae, non ad valorem rei, sed emolumentum esse respiciendum, *Boer.*
12 *decis.* 89. *num.* 7. VII. Compelli posse cives ad aedificandas vel reficiendas aedes ob decorem civitatis, per *l.* 8. *supr. de aedif. priv.* nam ex magnitudine et pulchritudine aedium colligitur magnanimitas civium, ut *hic Bart. et Doring.*
13 in voce *aedes num.* 82. IX. Possessorem, si conveniatur hypothecaria actione, se liberare posse, si offerat pretium rei obligatae, quod erat tempore contractus, *Covar. l.* 1. *var. resol.* c. 8. *num.* 3. *Vinc. de Franchis dec.* 38. *num.* 2.
14 Et qui fecit melioramenta in re, si conveniatur actione hypothecaria ab aliquo creditore, non tenetur pro liberanda dicta re ab hypotheca solvere debitum creditori, sed tantum aestimationem hypothecae seu rei, demptis meliorationibus, et sic habeat jus offerendi antiquam aestimationem, ut *arg. hujus legis* concludit *Neguz. de pign. mem.* 4. *part.* 5. *num.* 21. *Garcias de expens. cap.* 18. *num.* 78. *et seq.* Conf. *Morotius in tr. de jure offerendi num.* 8. *et seqq.*

L. Hi qui. ult.

SUMMARIA

Casus legis. *num.* 1.
Quaestio inde deducta: An pactum in venditione domus de veteri canone agnoscendo procedat? 2.
Ratio negative decidendi. 3.
Pactum illud, ut emptor veterem venditoris canonem agnoscat, Principi non praejudicat, sed emptori regressus ad venditorem datur. 4.
Semper res cum onere transit. 5.

Vendiderat mihi navicularius domum hac lege, ut non ego, sed ipse veterem fundi opinionem, id est, canonem navarchicum, censum vel professionem agnosceret, Quaeritur: 2
An hoc pactum procedat? Quod Neg. Ratio in 3
l. 1. *C. sine censu vel reliquis etc. et l.* 11. *supr. de pactis.* Sed onera haec agnoscere debet possessor novus, non attenta conventione partium contraria, sed si emptor non sit solvendo, tum onus navicularium recurrit ad venditorem, ut damnis fiscalibus ab ipso consulatur, cum is sibi imputare debeat, quod idoneus fiat emptor, cum casum hunc praevidere non potuerit. Col- 4
lige: Illud pactum non praejudicare Principi, sed tamen emptori dari regressum ad venditorem, *arg. l.* 25. *ff. de pactis.* Colligunt etiam, *DD.* ex *hac lege:* Rem transire semper cum 5
suo onere, *Tiraq. de nobilitat. cap.* 20. *num.* 171. *Klock. de contrib. cap.* 14. *sect.* 1. *num.* 17. *et vol.* 1. *cons.* 28. *num.* 375.

TITULUS III.

De navibus non excusandis.

L. Multi. 1.

SUMMARIA

Privatis naves maritimas habere licet. num. 1.
Necessitate publica urgente privati cogi possunt naves commodare Reipubl. 2.
Quid si quis Principis insignia navi imposuerit, ut ita necessitati publicae navem suam subtraheret? 3.
Nulla privilegia vel dignitates necessitati publicae obesse debent. 4.
Publica utilitas privatae est praeponenda. 5.
Privilegia universitatibus concessa plus favoris habent quam quae personis concessa. 6.
Ob publicam necessitatem et utilitatem privata beneficia suspendi solent. 7.
Facilius tolluntur privilegia, quae privatis competunt, quam quae publico. 8.
Tempore belli nec nobiles in civitate degentes ab excubiis excusantur. 9.

1 Privatis naves maritimas habere licet, sed si
2 necessitas publica urgeat, transvehendae forte annonae publicae, cogi possunt privati, ut na-
3 ves Reip. commodent: sed forte nonnemo insignia Principis et titulos navi suae imposuerat, ut ita necessitati publicae navem suam subtraheret. Resp. hanc navem confiscandam esse, sicut idem in aedibus, *l.* 1. *supr. ut nemo privatus titulos etc.* Sed hoc casu magister navis tenebitur mercatoribus, per tradita *Stracha de naut. p.* 3. *num.* 23. Collige: Nulla privilegia 4
vel dignitates necessitati publicae obesse debere, *l.* 10. *supr. de annon. Klock. de contrib.* c. 9. *num.* 65. *et cap.* 14. *num.* 61. *sect.* 1. et publicam utilitatem praeponendam esse priva- 5
tae, cum haec in illa includatur, *Klock. de contrib. c.* 19. *num.* 479. Et ideo universitatibus 6
concessa privilegia plus favoris habent, quam quae personis concessa, et ob publicam neces- 7
sitatem et utilitatem privata beneficia suspendi solent, *Georg. Acac. Eneck. Baro de privil. lib.* 2. *cap.* 5. *num.* 74. Et facilius tolluntur pri- 8
vilegia, quae privatis competunt, quam quae publico, *Eneck. d. tr. l.* 3. *c.* 6. *num.* 46. Et 9
tempore belli nec nobiles in civitate degentes ab excubiis excusari his diebus in Facultate respondimus.

L. Jubemus. 2.

SUMMARIA

Precedentis legis *extensio. num.* 1.
Nulla navis duorum millium modiorum capax a felici publicarum specierum transvectione excusatur. 2.
Ampliatur. 3.

Praelati culpa Ecclesiae praejudicat, quando poena in lege statuta Praelati personae non convenit. 4.
In potestate Principis situm est, privilegiis in detrimentum Reipubl. datis vel aliis conventionibus publico noxiis derogare. 5.

1 Extensio *legis praecedentis* est: Nullam navem
2 duorum millium modiorum capacem a felici embola, id est, transvectione publicarum specierum excusari, etiamsi navis sit Ecclesiae vel personae alicujus in summa dignitate constitutae, licet etiam speciale privilegium aut rescri- 3
ptum in contrarium proferatur, ratio *in textu et tot. tit. supr. si contra jus vel util. publ.* et si navis subtracta huic oneri fuerit, publicanda est. Collige: Praelati culpam praejudicare Ec- 4
clesiae, quando poena in lege statuta Praelati personae non convenit, qua de re *DD. in l. jubemus* 10. *C. de SS. Eccles.* quae eadem est cum *hac l.* Colligunt exinde: In potestate Prin- 5
cipis esse situm, privilegiis in detrimentum Reip. datis vel aliis conventionibus publico noxiis derogare, *Petr. Ant. de Petra de potest. Principis c.* 24. *Besold. cons.* 276. *num.* 44. *et seq.*

TITULUS IV.

Ne quid oneri publico imponatur.

L. Oneri publico. un.

SUMMARIA

Navi annona publica gravatae sarcinam privatam coacto ad id nauclero imponens periculum naufragii sustinet, et secuto casu ad indemnitatem Fisco praestandam obligatur. num. 1.
Criminaliter quoque puniri potest, et cur? 2.
Casus fortuitus, quem culpa praecessit, praestari debet. 3.
Objectio tacita removetur. 4.
Exemplum datur regulae. 5.

1 Qui navi annona publica onustae privatam sarcinam imponit, coacto ad id nauclero, non tantum periculum naufragii sustinet, et secuto casu ad indemnitatem Fisco praestandam obligatur, sed etiam criminaliter potest puniri, li- 2
cet non sequatur casus naufragii, quia scilicet dupliciter contra leges egit: 1. abusu navis publicae: 2. coactione naucleri. Collige: Fortuitum 3
casum praestari, si hunc culpa praecessit, *l.* 13. *ff. locati.* Quamvis enim culpa talis esse 4
debeat, quae casui causam dedit, et ita casus acciderit propter culpam, per *l. fin. ff. ad l. Rhod.* ibi *Castr. Stracha de naut. p.* 4. *n.* 2. hic tamen praesumitur talis culpa, quia ma- 5
gister navis praesumitur oneris in navis ferendis habere notitiam optimam, et quia contra magistri voluntatem onerata, passa est naufragium, haec culpa causam dedisse casui praesumitur.

TITULUS V.

De naufragiis.

L. Si quando. 1.

SUMMARIA

Res in naufragio ad littus delatae Fisco non debentur. num. 1.
Ratio. 2.
Improba et contraria consuetudo hac in parte sublata est ab Imp. Friderico. 3.
In Gallia quodammodo adhuc observatur. 4.
Idem in Hispania. 5.
Navis vi tempestatis in portum delata vectigal solitum ibi non solvit. 6.
Qui ob hostium metum ad aliquam urbem confugiunt, ad vectigal non tenentur. 7.

1 Ex rebus, quae erant in nave naufragium passa, si quaedam ad littus deferantur, nihil
2 debetur Fisco, quia ex aliena calamitate non debet compendium facere, nec debet afflicto addi afflictio, *l.* 28. *C. de episc. aud. et can.* 2. *c.* 7. *q.* 1.
3 Et quamvis consuetudo improba invaluerit postea, ut res naufragae ad littus delatae domino territorii addicantur, ea tamen ab Imp. Friderico in totum sublata in *Auth. navigia C. de furtis,* et Carolo V. *in Const. crim. art.* 218. *Hill. in Donell. lib.* 4. *c.* 13. *lit. C. et lib.* 15. *c.* 29. *lit. R.* licet in Gallia, male tamen, quodammodo ali- 4
ter observetur, teste *Bodino lib.* 1. *de Republ. c.* 10. *num.* 171. *P. Greg. de Republ. c.* 1. *n.* 29. Idem in Hispania barbarus inexcusabilis et ir- 5
rationabilis iste mos; Sed Vid. *Gail. lib.* 1. *obs.* 18. *Covar. in c. peccatum de R. J. l.* 6. *p.* 2. §. 1. *num.* 1. *Andr. Knichen. de Sax. non provocandi jure* verbis, *Ducum Sax. num.* 138. *Pruckm. cons.* 2. *num.* 185. *vol.* 1. *Mind. de interdict. tit.* 5. *num.* 41. *et seq. Klock. de aerario lib.* 2. *cap.* 114. *num.* 6. *et seq.* Collige 6
ex textu: Navem vi tempestatis delatam in portum, ibi non solvere vectigal solitum, *arg. h. l. et l. pen. ac ult.* §. 8. *ff. de publican. Rosenthal. de feud. c.* 5. *num.* 31. Unde colligit 7
Henr. Klock. vol. 4. *dist. Basil.* 5. *th.* 61. eos, qui ob hostium metum ad aliquam urbem confugiunt, non teneri ad vectigal, *Farin. q.* 175. *num.* 44.

L. Si quis. 2.

SUMMARIA

Navicularius publicas vehens species non praestat casum naufragii. num. 1.
Restringitur. 2.
Specialis hic casus, ubi instantia annua est, licet alias sit triennalis. 3.
Casus fortuitus probandus statim in loco ubi contigit, probari potest etiam altera parte ob longinquitatem itineris non citata. 4.
Hoc examen fidem rei facit coram Judice legitimo in casu praecipue naufragii. 5.
Casus naufragii tantum a Magistro navis probandus est, non quod culpa abfuerit, siquidem hanc ille praebet, qui eam allegat. 6.
Probationes per testes, quae alias nonnisi lite contestata admittuntur, hic etiam ante litis contestationem ad perpetuam rei memoriam recipiuntur. 7.

1 Navicularius, qui publicas species vehit, nau-
2 fragii casum non praestat, si modo contestetur
casum apud Praesidem Provinciae, prope quem
naufragium factum, intra annum, et probet,
et Praeses hoc referat ad Praefectum Praetorio.
3 Unde colligitur: I. Hic esse specialem casum,
ubi instantia annua est, licet alias sit trienna-
4 lis, *l. properandum C. de judic.* II. Quando pro-
bandus est casus fortuitus, eum statim in loco
ubi contigit, probari posse, etiam altera parte,
contra quam probatio fit, ob longinquitatem
5 itineris non citata, et hoc examen fidem facit
rei coram judice legitimo in casu praecipue
naufragii, *Hippol. de Marsil. sing.* 21. *num.* 2.
Stracha de nautis p. 2. *num.* 7. et ex *hac l.*
id probat *Masc. vol.* 1. *conclus.* 272. *num.* 1.
et seqq. Perez. ad hunc tit. num. 7. Collige.
6 III. Casum naufragii esse tantum probandum
a Magistro navis, non vero culpam adfuisse,
nam culpa probanda est ab eo, qui eam al-
legat, post alios *Stracha de nautis d. p.* 2.
7 *num.* 6. Ex *hac lege* etiam colligitur IV. Pro-
bationes per testes, qui talia nonnisi lite con-
testata admittuntur, hic etiam ante litis con-
testationem recipi, ad perpetuam rei memo-
riam, *Perez. ad hunc tit. num.* 6. *Christin.
dec.* 65. *num.* 2.

L. Quoties. 3.

SUMMARIA

Duae legis *partes. num.* 1.
Examen super naufragio quomodo instituendum? 2.
Quodnam tempus navigationi et subvehendae annonae pubblicae idoneum? 3.
Mersa navi cum omnibus nautis alii navicularii de naufragio conqueri possunt ac debent. 4.
Quotnam testes et an omnes, qui interfuerunt in inquisitione, examinentur? 5.
Mors alicujus testimonio liberorum ejus probari potest. 6.
Qui tempore minus idoneo species transvehendas suscipit, de casu secuto omnino obligatur. 7.
Consuetudines civitatum maritimarum hac in parte observandae sunt. 8.
Ea, quae per domesticos melius sciri possunt, per domesticos optime probantur. 9.
Per unicum quoque testem concurrentibus adminiculis naufragium vel mors potest probari. 10.

Duae legis partes, in I. describitur examen 1
super naufragio instituendum, nam opus erit 2
tantum duos vel tres nautas examinare juxta *l.*
12. *ff. de test.* et praecipue a magistris navium
veritas exquirenda est. Quod si vero omnes una
cum nave mersi sint, veritas a mortuorum li-
beris exquirenda est, ut ii de parentum obitu,
si quid habeant, vel de mercibus navi imposi-
tis exponant. In II. parte, tempus idoneum na- 3
vigationi subvehendae annonae publicae expo-
nitur, scilicet aestivum a kalendis aprilis ad kal.
octobr. Collige: I. Mersa navi cum omnibus nau- 4
tis alios navicularios de naufragio conqueri pos-
se et debere. II. In inquisitione non necesse es- 5
se, ut omnes, qui interfuerunt, examinentur,
sed duo tantum vel tres, et ii qui notitiam prae
aliis habere creduntur, quia testium numerus
refrenandus, *c.* 37. *X. de testibus.* III. Mortem 6
alicujus, testimonio liberorum ejus probari pos-
se. Conf. *Mascard. vol.* 2. *concl.* 1075. *et seq.
et Enenckelius Baro de privil. par. et lib. priv.*
17. *num.* 21. IV. Qui tempore minus idoneo seu 7
hyberno species transvehendo suscipit, de casu
secuto omnino obligari, *Stracha de nautis p.*
3. *num.* 2. *et seq.* ubi tamen ad consuetudinem 8
potius attendendum esse dicit, nam quaedam
civitates maritimae hoc tempus non observant,
et si nauta pro consuetudine ex portu solvat,
et naufragium patiatur, non puto eum teneri,
licet hyemali tempore solvat, *Coepolla de S.
R. P. c.* 29. *num.* 5. *Stracha d. l. num.* 2. V. Ea 9
quae per domesticos melius sciri possunt, per
domesticos optime probari, *Farinac. de testibus
qu.* 55. *num.* 37. *Mascard. in d. concl.* 272. *num.*
15. et ubi res de sua natura est difficilis pro-
bationis, etiam inhabiles testes admittuntur,
Rota Gen. decis. 36. *num.* 5 Imo etiam per uni- 10
cum testem, concurrentibus adminiculis posse
probari naufragium vel mortem putat *Perez
ad hunc tit. num.* 10. qui allegat *Wammes
cent.* 4. *cons.* 24.

L. Pro his. 4.

SUMMARIA

Facti species. num. 1.
Quaestio inde deducta. 2.
Ratio negative decidendi. 3.
Casus, qui in persona susceptoris, si forte aufugiat, aut in rebus collatis contingit, collatori non imputatur. 4.
Senatores a muneribus realibus non excusantur. 5.

Solveram tributum vel annonam susceptori, 1
hic naufragium patitur, Quaeritur: *An denuo* 2
ad solvendum compelli possim? Videbatur non-
nemini quod sic, quia in utilitatem Fisci non
pervenit; sed Neg. quia enim susceptores a Re- 3
publ. constituuntur, ideoque illi, qui ipsis sol-
vunt, liberationem consequuntur, utcunque res
casu postea pereat, si modo solemniter ea so-

lutio facta sit, *l.* 2. *supr. de conven. Fisci debit.*
4 Collige: I. Casum, qui in persona susceptoris (si forte aufugiat) aut in rebus collatis contingit, non imputari collatori, *Klock. de contrib. cap.* 18. *num.* 226. *Perez ad hunc tit. num.* 16.
5 *Christin. dec.* 66. *num.* 1. *et seq. vol.* 5. II. Nec Senatores excusari a muneribus realibus.

L. De submersis. 5.

SUMMARIA

De naufragii causa summario processu cognosci debet. num. 1. 3.
Ratio. 2.
Annus proponendae hujus querelae spatium est, sed finiendae biennium 4.
Causa summaria libellum non requirit. 5.
Clausula levato velo *processum summarium significat.* 6.

1 De causa naufragii, *levato velo*, id est, summario processu cognoscendum est, ita ut ii, qui diripuisse aliquid sunt convicti, mulcta, remo-
2 tione et proscriptione possint puniri; ratio est, ne peregrini diu hac lite detineantur, et ipsis afflictio addatur, quod fieret, si in aliam regionem ejecti prolixa lite detinerentur, *Perez ad hunc tit. num.* 9. Quod si per judicem steterit, quo minus intra biennium lis finiatur, Navicularius, qui ob culpam suam conveniebatur, quidem ob lapsum instantiae absolvendus est, sed damni pars dimidia a Judice seu Praeside, altera ab officialibus ejus restituenda est.
Collige: I. Causam naufragii, atque ob similem 3
rationem etiam direptionis in loco peregrino esse summariam, *Maranta p.* 6. *Spec. tit. de inquisit. num.* 146. Conf. *Zang de exc. part.* 1. *c.* 1. *num.* 60. *in fin.* II. Annum esse spatium pro- 4
ponendae hujus querelae juxta *l.* 2. *h. t.* sed finiendae biennium, juxta *hanc l.* 5. III. Causam 5
summariam libellum non requirere, *Zang. d. tr. p.* 1. *c.* 2. *num.* 14. IV. Nota: Clausulam 6
levato velo significare processum summarium, *Carpan. ad Stat. Mediol. p.* 1. *c.* 47. *num.* 26. Conf. *Marta de clausul. p.* 1. *clausul.* 180.

L. Super. ult.

SUMMARIUM

Sensus legis.

Si naviculariorum culpa navigandi opportunitate transacta, ex annona publica aliquid tempestate maris perierit, periculum ad naviculariorum corpus pertinebit, non ad Fiscum, multo minus ad eos, qui annonam contulerunt; sed si sine culpa quid periit, a Fisco debet accepto ferri nec navicularii periculo cedere. Cur autem corpus teneatur, est ratio, quia sicut uno sine haerede mortuo, totum corpus naviculariorum succedit, *l.* 1. *C. de haereditat. decur. navicul.* ita aequum est, ut ex unius culpa totum corpus teneatur, *arg. l.* 10. *ff. de R. J.* Id tamen de corpore illo naviculariorum, non aliis intelligendum, *Perez ad hunc tit. num.* 17. *et* 18.

TITULUS VI.

De metallariis et metallis et procuratoribus metallorum.

L. Perpensa 1.

SUMMARIA

Metallarii quinam? num. 1.
Quilibet hoc vitae genus eligere potest, sed non nisi cum duplici onere. 2.
Subditus extra casum necessitatis ad vendendum aliquid Principi compelli nequit. 3.
Statutum illud, quo uni in vendendo praerogativa conceditur, irrationabile non est. 4.
Idem in illo, quod frumentum in aliqua Provincia natum prius civibus illius Provinciae vendendum statuit, quam ad exteros transportetur. 5.

1 Metallarii sunt effossores auri, aliorumque metallorum, nec non lapidum. Hi vel sponte sua hoc vitae genus eligebant, vel in ea conditione nati erant: ad illud cuilibet *hac lege*
2 panditur aditus, sed cum duplici onere, 1. Ut ex balluca, id est, auro nuper effosso et impuro octo scrupulos Fisco solvat, quos nonnulli facere putant tertiam partem, et 2. reliquum retineat, sed Fisco vendat. Illud placuit, quia argenti fodinae inter regalia numerantur, *tit. Feud. Quae sint regalia. Rosenthal. de Feudis concl.* 80. hoc vero favore Fisci placuit, nec igitur ad consequentiam, v. gr. ad usufructuarium extendendum est, *arg. l.* 14. *C. de contrah. vend. Harpr. ad* §. 2. *Inst. de usufr. num.* 53. alias enim subditus ad vendendum Principi 3
compelli non potest extra casum necessitatis, per tradita *Carpzov. part.* 2. *const.* 33. *def.* 6. *et const.* 51. *def.* 10. Vid. *Socinus reg.* 530. In- 4
terim talia statuta, quibus uni praerogativa conceditur, irrationabilia non sunt, *DD. hic et Carpzov. lib.* 1. *resp.* 19. *num.* 9. Et ex eo etiam 5
non est iniquum statutum, frumentum in aliqua provincia natum prius civibus illius provinciae vendendum esse, quam ad exteros transportetur, *Perez ad hunc tit. num.* 4. *Tiraq. de retr. consang.* §. 1. *gl.* 18. *num.* 2. Sed Conf. *Covar. lib.* 3. *resol. cap.* 14. *num.* 6.

L. Ob metallicum. 2.

SUMMARIA

Quot unciis libra ballucae aestimetur? num. 1.
Mensurae ex consuetudine regionis judicandae sunt. 2.

1 In *hac lege* tantum definitur, quot unciis libra ballucae, id est, auri nuper reperti et impuri aestimetur, scilicet 14. cum alias puri auri sive obryzi libra aestimetur 12. unciis. Sed canon metallicus hic non definitur, nam canon
2 hic pro diversitate locorum variat. Collige, Mensuras judicandas esse ex consuetudine regionis, *hic et l.* 71. *ff. de contrah. empt.*

L. Cuncti. 3.

SUMMARIA

De quonam lex *loquatur? num.* 1.
Fossum marmoris metallum cujusnam sit? 2.
Alia thesauri, alia metalli ratio, et in quonam differant? 3.
An metalli fodinae integrae Principi aut Fisco acquirantur? 4.
Consuetudo Germaniae hac in parte. 5.
Fodinae metallicae sub utilitatibus feudi non continentur. 6.

1 *Lex haec* non de auro, sed de lapidis seu
2 marmoris metallo loquitur; hoc quando e locis privatis eruitur, decima una domino fundi pro damno, *Afflict. dec.* 321. *num.* 5. altera Fisco debetur, reliquum sibi retinet fossor pro labore. Igitur in loco publico si quis fodiat, duas decimas dabit Fisco; si in loco suo, una tan-
3 tum Fisco debebitur decima. Collige: Aliam esse rationem thesauri et aliam metalli, ille in alieno data opera quaeri non debet, *l. un. supr. de thesaur.* metallum posse, *l.* 3. *et* 6. *h. t.* tum quod thesaurus casu, metalla et marmor magno labore eruantur, tum quod ex thesauro
4 nihil debeatur Fisco. Collige quoque: Metalli fodinas integras Principi aut Fisco non acquiri, sed privatorum manere et possideri posse, licet decimam Principi vel aliam portionem solvere teneantur, *Schneidew. de feud. p.* 2. *num.* 105. *Rosenthal. de feud. cap.* 5. *concl.* 98. *num.* 1. *et seqq. Afflict. dec.* 321. *num.* 5. *Christin. decis.* 67. *num.* 12. et quos allegat *Heig. p.* 1. *qu.* 13. *num.* 28. licet ipse contra disputet, et *Klock.*
5 *de aerario lib.* 2. *cap.* 27. *num.* 14. licet de consuetudine Germaniae absque Imperatoris, vel ejus qui de fodinis investitus est, consensu nemini, ne in suo quidem fundo metalla praesertim nobilia fodere licere plerique statuant, *Schneid. d. l. Knichen. de Sax. non provoc. jure* verbo, *Ducum, cap.* 5. *num.* 109. *Coler. dec.* 89. et quos allegat *Klock. d. c. num.* 15. *Carpzov. p.* 2. *jurispr. for. const.* 53. *def.* 1. *P. Heig. qu.* 13. *num.* 30. *Wesemb. p.* 1. *cons.* 60. *num.* 1.
6 Ideoque non continentur fodinae metallicae sub utilitatibus feudi, *Dn. Struvius in syntagm. feud. cap.* 6. §. 26. *num.* 6. Fodinae metallicae imperfectae apud nonnullos privatis acquiruntur, de quo *Struvius d. l. num.* 7.

L. Cum Procuratores. 4.

SUMMARIA

Quinam ad colligendum canonem electus fuerit, et ejus conditio? num. 1.
Non omnis metus hostilis excusat. 2.

Ad colligendum canonem metallicum eligeba- 1
tur a curialibus alicujus municipii eorum periculo procurator metallorum, qui obtentu hostilis metus, aut indeptae novae dignitatis subtrahere se huic muneri non debet, cum Reipubl. expediat, cum prius munere suo defungi, et rationes reddere debere. Collige: Non omnem 2
metum hostilem excusare.

L. Per annos. 5.

SUMMARIA

Aurileguli quam partem Fisco intulerint? num. 1.
An et quatenus capitationes sint sublatae? 2.

Aurileguli, id est, fossores et collectores, non 1
tantum partem quotitativam inferebant Fisco per *l.* 1. *h. t.* sed etiam pro numero capitum, singulis annis, pro quolibet capite fossorum dabantur Fisco 7. scrupuli. Collige: Licet capi- 2
tationes sint sublatae per *l. un. infr. de capitatione civium censibus eximenda*, non tamen sunt sublatae, in quibus habetur respectus ad certum artis aut negotiationis lucrosae genus. Sicut etiam homines proprii passim locorum solent pendere certum tributum pro capitibus singulis, *Klock. de contribut. cap.* 1. *num.* 250. Similis fuit capitatio possessoribus agrorum indicta, *Klock. d. tr. c.* 17. *num.* 167.

L. Quosdam. 6.

SUMMARIA

An et quatenus in alieno loco marmor effodere liceat? num. 1.
Fodiendi metalli et marmoris causa aliorum praedium ob publicam utilitatem ingredi licet. 2.
Sub alienis aedibus cum earum periculo nec nitrum quaeri debet. 3.

Quamvis in alieno fundo marmor effodere li- 1
ceat, domino loci praestito solatio et obtento, id est, decima, per *l.* 3. *h. t.* non tamen id licet sub aedificiis, ne actis cuniculis corruant; nam facta potestas fodiendi, intelligenda ita est, ut fiat sine alterius detrimento, *l.* 2. §. 10. *et* 13. *ff. Ne quid in loco publico*, *l.* 24. §. *ult. ff. de damno infecto.* Collige: I. Fodiendi metalli et 2
marmoris causa ingredi licere aliorum praedium ob publicam utilitatem, *l.* 6. *infr. de aquaeductu*, *Christin. dec.* 67. *num.* 7. *et* 9. *vol.* 5. contra regulam in *leg.* 3. *ff. de acquirendo rerum domin.* Imputet enim sibi dominus, quod neglexerit in suo fundo metalla et lapides quaerere. Et ideo ob publicam utilitatem juste Prin-

ceps permittere potest, ut ea investiget, et in publicum usum extrahat, *Peregrin. de Jure Fisci lib.* 4. *tit.* 2. *in fine. Rosenthal. de feudis cap.* 5. *concl.* 90. *num.* 1. *et* 2. *Farin. q.* 101. *num.* 50. *et Petr. Barbos. in l. divortio* §. *si vir num.* 21. *et seq. ff. soluto matrim. Bocerus*
3 *de regal. c.* 3. *num.* 167. II. Sub alienis aedibus cum earum periculo nec nitrum quaeri debere; ideoque nec hoc a Principe concedi debere, *Afflict. d. dec.* 321. *num.* 6. qua de re reversales literae Principum in provinciis habentur.

L. Metallarii. ult.

SUMMARIA

Metallariorum natalibus talium et adscriptorum conditio. num. 1.
An et quanam praescriptione se subtrahere possint? 2.
Exercitium paternum filios adstringit. 3.
Vasallus vel rusticus alienus etiam ex Principis domo ad pristinam conditionem auctoritate judiciali revocari potest. 4.

Qui conditione natalium metallarii sunt vel metallariae, vel alias ad metallum fodiendum sunt adscripti, huic vitae generi, vel fugam arripiendo, vel aliud vitae genus eligendo, etiamsi quoque privatorum sint facti adscriptitii coloni, imo nec praescriptione 30. annorum subtrahere se possunt, sed restituendi sunt cum sua progenie, etiamsi in Principis domibus invenirentur. Quadragenariam tamen praescriptionem omnino eos tueri vult *Perez ad hunc tit. num.* 2. *l.* 4. *C. de praescript.* 30. *annorum*, quod etiam hic probat *Godofred.* Collige: I. 3
Exercitium paternum adstringere filium, *hic et l. pen. infr. de agric.* II. Vasallum et rusti- 4
cum alienum etiam ex domo Principis ad pristinam conditionem revocari posse, auctoritate tamen judiciali.

(margin numbers 1 and 2 of this paragraph stand at its first and sixth lines.)

TITULUS VII.

De murilegulis et gynaeciariis et procuratoribus gynaecii et de monetariis et bastagariis.

SUMMARIA

Murileguli quinam? num. 1
Quinam gynaeciarii, et unde dicti? 2.
Quinam monetarii? 3.
Bastagarii quinam? 4.

1 Murileguli sunt, qui legunt murices, id est, pisces in mediis faucibus habentes purpurae flo-
2 rem, tingendis idoneum vestibus. Ginaeciarii erant addicti contexendis conficiendisque vestibus imperialibus, et ministrorum imperialium, inde dicti, quod tale opus a mulieribus etiam fieri soleret: et locus, quo haec peragebantur,
3 gynaecium hic dicitur. Monetarii sunt, qui mo-
4 netam imperialem curialem cudunt. Bastagarii vero, qui vecturae rerum ad aerarium pertinentium serviunt, quam jumentis faciunt.

L. Monetarios. 1.

SUMMARIA

Ad cudendam Principis monetam adstricti obtentu indeptae dignitatis aut novi privilegii non liberantur. num. 1.
Rationes. 2.
Monetarii olim vilis et abjectae conditionis erant. 3.
Secus hodie. 4.

1 Qui sunt adstricti ad cudendam monetam Principis, non liberantur ab illa conditione obtentu indeptae dignitatis aut novi privilegii, tum
2 quia abjectum habent officium, *l.* 6. *infr. de dignit.* tum, quia ita meritae possent subtrahi poenae, si circa rem monetariam quid deliquerint. Colligitur *ex hoc textu:* Monetarios vilis 3
et abjectae conditionis fuisse, *Klock. de contribut. cap.* 13. *in fine.* quamvis hodie honestae sint 4
conditionis, *Perez ad hunc tit. num.* 24.

L. Baphii. 2.

SUMMARIA

Baphii quinam? num. 1.
Quomodo hi, ut et gynaeciarii creentur? 2.
Ratio. 3.
Eorum fraudes. 4.
Officia suffragiis non emendicari, nec pretio comparari debent. 5.
Purae ad officium manus afferantur. 6.
Lex contra eum, qui largitionibus munus comparat, sordes praesumit. 7.

Baphii, id est, ii qui vestibus purpura et 1
cocco tingendis operam dabant, ut et gynae- 2
ciarii, per quos in gynaeciis pannus contexebatur, non debent suffragiis creari, id est, non 3
debent pretio vel donis vota eligentium emendicare, sub poena ultimi supplicii, ratio in textu; quia praesumptio est, quod in labore suo fraudem sint commissuri, ut jacturam donis factam resarciant. Cujus fraudis exempla hic 4
recensentur: 1. Si privata Principis substantia tenetur, id est, pannus nimis tenuis ex materia Principis contexatur, vel etiam species seu vestes in gynaeciis rite factae postea adulterina purpura corrumpantur, vel etiam in Bapheis verae purpurae admisceantur ad majorem fa-

5 ciendam quantitatem. Collige: I. Officia suffragiis non debere emendicari, et pretio compa-
6 rari, cum puras ad officium manus adferre
7 debeamus, per *Nov.* 8. *in princ.* et II. Legem contra eum, qui largitionibus comparat munus, praesumere sordes, *hic et d. Nov.* 8. *princ. et l. ult. supr. ad l. jul. repetund. Menoch. lib.* 2. *A. Q. casu* 401. *num.* 16. *Decianus lib.* 8. *cap.* 32. *num.* 9. *Christin. dec.* 68. *num.* 12. *Perez ad hunc tit. num.* 9.

L. Ingenuae. 3.
L. Edicimus. 7.

SUMMARIA

Monetariorum, Gynaeciariorum et Baphiorum conditio. num. 1.
An mulier ingenua bis nubere possit, et quaenam poena? 2.
Quid si mulier sit adscriptitia? 3.
Monetarii filia extraneis copulari non debet, sed a Fisco vindicari potest. 4.
Ob servilem conditionem conjugis divortium ingenuae permittitur. 5.
Jure Canon. quid obtineat? 6.
Protestatio alterum interdum, cui fit, a suo jure excludit. 7.
Ob brevissimi temporis silentium et negligentiam interdum quis suo jure privatur. 8.
Foemina nobilis ignobili nubens nobilitatem perdit. 9.
Limitatur. 10.

1 Monetarii, Gynaeciarii et Baphii erant pene
2 servilis conditionis: quando igitur ingenua mulier nubit Monetario vel Gynaeciario, Fiscus denunciat mulieri, ut ab eo contubernio, id est, servili conjugio abstineat, cui protestationi si nolit parere, et splendorem generis seu ingenuitatem contubernio servili postponat, mulier sequitur conditionem mariti et fit v. gr.
3 monetaria cum sua progenie. Quod si vero mulier adscriptitia, ignorante domino suo, monetario nubat vel simili, poterit a domino semper vindicari: sed si dominus sciat et conniveat ac non statim vindicet, jus amittit repetendi, quia debuit statim cum resciscerct, protestari per
4 *l.* 7. §. 1. nec monetarii filia extraneis copulari debet, sed a Fisco vindicari potest semper, per *l.* 7. §. 2. *Perez. ad hunc tit. num.* 9. Col-
5 lige: I. Ob servilem conditionem conjugis permitti divortium ingenuae, *hic et l.* 3. *C. de in-*
6 *cest. nupt.* quod quidem Jure Canonico etiam verum est, si ignorans ingenua nupsit servo, quia hoc matrimonium repugnaret cohabitationi, bonae fidei et bono prolis, *Guttierez de matrim. c.* 9. *num.* 1. Conf. *Sanchez de matr. lib.* 7. *d.* 19. *num.* 15. secus autem si sciens hoc faciat, *c.* 2. *X. de conjug. serv. Guttierez d. loco num.* 23. *Panorm. in c.* 2. *d. t. num.* 3.
7 *Azor. p.* 2. *inst. mor. lib.* 2. *c.* 6. II. Protestationem interdum excludere alterum, cui fit a jure suo, *hic et Auth. liberi furiosi C. de episc.*
8 *aud. Molina de J. et J. d.* 176. *num.* 31. III. Ex *l.* 7. ob brevissimi temporis silentium et negligentiam interdum aliquem privari jure suo,
9 Conf. *l. fin. infr. de agric.* IV. Foeminam nobilem, quae ignobili nubit, perdere nobilitatem per allegata *Tiraq. de nobil. c.* 18. *num.* 16. *et seqq. Guido Papae decis.* 370. *Perez ad hunc tit. num.* 6. nisi sit regina et comitissa, vel 10
quae alias jura majestatis habent et nobilitare possunt, ut limitat *Tiraq. d. c. num.* 39. *et seqq.*

L. Quod ad praesens. 4.

SUMMARIA

Bastagariorum officium. num. 1.
An vecturam propriis jumentis facere teneantur? 2.
Varietas temporum et factorum jurium quoque et statutorum varietatem inducit. 3.
Quae de novo emergunt, novo indigent auxilio 4.

Bastagarii erant qui vecturae rerum ad sacrum 1
aerarium pertinentium serviebant; ideoque, li- 2
cet vecturam propriis jumentis facere tenerentur, quintum tamen jumentum seu quintam partem a Fisco reparari jubet hic Imperator, pro praesenti temporum conditione. Nam alias quarta pars regulariter reparabatur, *l.* 17. *infr. de cursu publ.* Collige: varietatem temporum 3
et factorum etiam jurium et statutorum variationem inducere, et quae de novo emergunt, 4
novo indigere auxilio, *l.* 11. §. 8. *ff. de int. act. Gail. lib.* 1. *obs.* 91. *num.* 12. *A. Barbosa locuplet. lib.* 12. *c.* 24. *Ax.* 1. *Carpz. p.* 1. *const.* 5. *def.* 11.

L. Qui aliquem. 5.
et L. Qui textrini. 6.

SUMMARIA

Poena occultantis Gynaeciarium. num. 1.
Mancipium sub Gynaeciariis constitutum occultans quomodo puniatur. 2.

Occultans Gynaeciarium, id est, vestiarium, 1
punitur 5. libris auri per *l.* 5. qui vero man- 2
cipium sub Gynaeciariis constitutum, et ad textrinum Principis pertinens occultaverit, 3. auri libris mulctandus est, per *l.* 6. quamvis alii *l.* 5. de vestiario, *l.* 6. de linifice, alii aliter intelligant.

L. Aeternam. 8.

SUMMARIA

Bastagarii an milites fieri possint? num. 1.
Ratio decidendi. 2
Privilegia per subreptionem et obreptionem elicita, ipso jure nulla sunt. 3.

Bastagarii sua militia, id est, professione et 1
labore relicto, non possunt nomen dare militiae armatae ante tempus completum, quod in omnibus militiis generale, *l.* 12. *infr. de chortalibus*, nec potest quispiam bene in duabus 2

militiis semel militare, cum qui ad utrumque festinat, neutrum bene peragat, *l. fin. C. de adsess.* Vide notata ad *l. comperimus C. de prox.*
3 *sacr. scrin.* Colligitur etiam ex *hoc textu:* privilegia per obreptionem et subreptionem elicita ipso jure nulla esse, *in c. ad audientiam X. de rescript. Georg. Acac. Enenckel. de privil. lib.* 1. *c.* 6. *num.* 54.

L. Si quis. 9.

SUMMARIUM

Sensus legis

Naviculam legentis muricibus deputatam qui usurpaverit, et ad privatos usus tulerit, 2. libris auri multandus est, imo si etiam vendiderit, gravius punitur, *l.* 1. *C. quae res venire non possunt.*

L. Lotas. 10.

SUMMARIA

Metaxa quid sit? num. 1.
Blatta purpurae species est. 2.
Metaxae species sacris largitionibus non nisi lotae inferendae sunt. 3.
Poenae. 4.

1 Species metaxae, id est, serici rudis nondum
2 tincti, neque in fila diducti et serico blattae, id est, serici purpura tincti (cum blatta purpurae species sit, *d. l.* 1. *C. quae res venire*) sacris largitionibus sunt inferendae, ad vestes
3 Principi conficiendas, et quidem non nisi lo-
4 tae, i. e. post tincturam purgatae, mulcta 20. librarum auri proposita Canonicariis, id est, largitionalium titulorum exactoribus et primoribus officiorum.

L. Murileguli. 11.

SUMMARIA

Murileguli nullam dignitatem assumere possunt, sed reducuntur. num. 1.
Quid si hi bona alienaverint? 2.
Possessor fundi, ratione reliquorum, a priore relictorum, Fisco obligati, non habet excussionis beneficium. 3.
Ampliatur. 4.
Si vasallus talem feloniam committit, ut ipsi domino aperiatur feudum, dominus illud alii in feudum dare tenetur. 5.
Ratio 6.
Idem, si dominus feloniam commiserit. 7.
Sententia Auctoris. 8.
Possessor, a quo bona Fisco obligata in gratiam Fisci vindicantur, retinere bona potest, si onera illa in se suscipiat. 9.
Quilibet etiam tertius possessor debitum creditori solvere et rem retinere potest. 10.

1 Murileguli, qui se ad aliquam dignitatem transtulerunt, ad artem suam et conditionem nulla obstante praescriptione sunt reducendi, *hic et l.* 1. *h. t. et l.* 17. *supra de decur.* et si 2
quae bona alienaverint, ea sunt vindicanda, nisi emptor eandem conditionem murilegulorum velit subire, et ad onera, tam quae praeterito tempore reliqua manserunt, quam futura se obligare. Collige: I. Possessorem fundi ratione 3
reliquorum a priore relictorum Fisco obligari non habere beneficium excussionis, *argum. h. l. et l.* 5. *§. fin. ff. de censibus*, quod etiam 4
alias non habet locum, quando res specialiter hypothecata, per *Novell.* 112. *c.* 1. ut adeo mirum non sit, si contra Fiscum non possit hic habere locum, de quo *Thesaurus decis.* 51. *Card. Tuschus concl.* 403. *num.* 39. *lit. E. Berlich. pr. concl.* 24. *num.* 71. II. Quod si vasal- 5
lus talem feloniam committat, ut ipsi domino aperiatur feudum, dominum illud alii in feudum dare teneri, ut ille loco prioris vasalli domino 6
serviat, ne caeteri convasalli nimis graventur, *Joan. de Platea hic.* Quod si verum est, in 7
contrario casu etiam dicendum, si dominus commisit feloniam in vasallum, dominum teneri aliud alii vasallo praedium concedere; Sed 8
de utraque opinione licebit dubitare. III. Pos- 9
sessorem a quo bona Fisco obligata in Fisci gratiam vindicantur, bona retinere posse, si onera illa in se suscipiat. Sicut quilibet etiam ter- 10
tius possessor debitum creditori solvere potest, et rem retinere, *l. Paulus* 12. §. 1. *ff. quibus modis pig. sol. l. tale pactum* 40. §. 2. *ff. de pact. Afflict. decis.* 259. *Menoch. remed.* 3. *adipisc. poss. n.* 182. *et rem.* 14. *recuper. poss. n.* 60.

L. Hi qui. 12. et L. Qui aut. ult.

SUMMARIA

Ex monetaria et ingenuo, ut et ex murilegula et ingenuo nati matris conditionem sequuntur. num. 1.
Nisi pater sit curialis. 2.
Quoad conditionem servitutis liberi matrem, quoad conditionem autem militiae certae non armatae vel quoad homines certae conditioni obnoxios liberi partem debiliorem sequuntur. 3.

Sicut ex monetaria, et ingenuo nati matris 1
conditionem sequuntur, *l.* 7. *h. t.* ita qui ex murilegula et ingenuo *l.* 12. (nisi pater sit cu- 2
rialis, *Nov.* 38.) et idem si pater conchylilegulus, *l.* 15. *h. t.* Collige: Quoad conditionem 3
servitutis liberos sequi matrem, quoad conditionem autem militiae certae non armatae, vel quoad homines certae conditioni obnoxios, liberos sequi partem debiliorem, *Perez hic n.* 4.

L. Si quis. 13.

SUMMARIA

Gynaeciariorum, vel lintheariorum, vel linificiorum ordini adscripti ne rescripto quidem Principis ab hoc ordine liberantur. num. 1.
Limitatur. 2.

Substitutus officium cum substituentis periculo gerit. 3.
Substitutus tamen prior excutiendus et postea substituens. 4.

1 Qui sunt adscripti ordini gynaeciariorum vel linteariorum, id est, artificum lintearum vestium vel linificiorum, id est, linificum vel similium, ii ne quidem ex rescripto Principis liberari ab hoc ordine possunt, juxta *l.* 1. *h. t.*
2 nisi dato substituto, sed hoc cum duabus conditionibus, 1. Ut hic substitutus approbetur idoneus Comiti sacrarum largitionum: 2. Ut ipse tantum liberetur, progenie manente obligata, imo et bonis pro substituto manentibus obliga-
3 tis. Collige: I. Substitutum gerere officium cum periculo ipsius substituentis, *hic et l.* 60. *supr.*
4 *de decur.* licet substitutus prior excutiendus et postea substituens, *l. fin. supr. de praediis navicul. Christin. dec.* 69. *num.* 11. II. Privilegia haec esse mere personalia.

L. Privatae. 14.

SUMMARIA

Procuratores Baphiorum, Textrinorum et similium officinarum non nisi datis fidejussoribus creentur. num. 1.
Ad quid fidejussores dentur? 2.
Limitatur regula. 3.

Procuratores Baphiorum, Textrinorum, et si- 1
milium officinarum, sive qui praesunt collegiis, non debent creari, nisi datis idoneis fidejusso- 2
ribus, rem sacri aerarii salvam fore, et quo minus ita satis dent, frustra eos petere sacras persecutorias, quibus scilicet laudentur et approbentur, quod tamen ex *l.* 7 *infr. de fundis* 3
patrimon. limitandum, nisi ipse sit idoneus ex facultatibus suis, *Christin. dec.* 69. *num.* 14.

TITULUS VIII.

De vestibus holoberis et auratis, et de intinctione sacri muricis.

L. Auratas. 1. et L. Nemo. 2.

SUMMARIA

Paragaudae quid sint? num. 1.
Quibusnam has contexere et quibus itidem eas gerere liceat? 2.
In luxu vestium foeminis plus indulgetur quam viris. 3.
Ratio. 4.

1 Paragaudas, id est, fascias aureas vel sericas
2 auro intertextas, ut non licet aliis contexere quam gynaeciariis per *l.* 1. ita nec viris gerere licet in tunicis vel lineis, nisi quis sit in ministerio Principis, et ei Imperator hoc conces-
3 serit, *l.* 2. *h. t.* Collige: In luxu vestium foe-
4 minis plus indulgeri quam viris, ornatus enim et cultus mulierum proprius, non virorum.

L. Vellera. 3.

SUMMARIUM

Sensus legis.

Adulterino colore tincta rursus murice tingi ad conficiendam vestem imperialem hic vetat Imperator, nec sericum Rhodino prius colore tinctum alio vult tingi colore, sed crudum nativumque vellus quolibet colore inficiendum. Videtur respicere ad *Lev. cap.* 19. *vers.* 19. in agro tuo ne serito duo seminum genera, et vestimento variarum rerum te ne obtegito.

L. Temperent. 4.

SUMMARIA

Viris aeque ac mulieribus usus vestium sericarum purpurearum interdicitur, viris vero tantum vestium holoberarum. num. 1.
Privatis prohibita, Fisco sine pretio ristituenda sunt. 2.
Quid si maritus uxori vestes prohibitas legaverit, an uxor aestimationem earum consequatur? 3.

Hic tam viris quam mulieribus usus vestium 1
sericarum purpurearum interdicitur, viris vero tantum vestium holoberarum, et vestimenta prohibita statim thesauris Principis restituenda sine pretio, et ut in posterum si habuerint Lege Majestatis teneantur. Nota: Quod prohibita pri- 2
vatis Fisco sint restituenda sine pretio, quod sufficiat poenam calcatae legis remitti. Sed *quid* 3
si maritus uxori vestes prohibitas legaverit, an uxor aestimationem earum consequetur? Affir. *Franç. Cremens. sing.* 65. *Christin. dec.* 69. *num.* 27. *vol.* 5.

L. Purpurae. ult.

SUMMARIUM

Tenor legis.

In Phoenicia ubi pretiosissima purpura habebatur, *Plinius l.* 5. *c.* 19. ad nundinas Phoeniciae ex seriniis certas personas quotannis illuc mittendas esse vult Imperator, ad submovendas fraudes, ne clam ad privatos usus vestes purpura tingerentur.

TITULUS IX.

De fabricensibus.

L. Omnibus. 1.

SUMMARIA

Fabricensium collegium quodnam? num. 1.
Quaenam huic collegio sint prohibita? 2.
Nec Fisco quidem regulariter aliud pro alio solvi potest. 3.
Haec regula hic praecipue obtinet, et cur? 4.
In obligatione generis electio debitoris est. 5.
Restringitur. 6.

1 Fabricensium certum collegium fuit sive corpus, qui in publicis fabricis arma ac instrumenta bellica conficiebant, his hac constitutione
2 prohibet Imperator, 1. ne a Praesidibus vel Provincialibus pro speciebus, id est, ferro praebeatur pecunia, *Dn. Tabor. in armament. c.* 1. *de fabris* §. 14. et jubet 2. nobilius ferrum, et
3 quod facile colliquescit, praeberi. Collige: I. Ne quidem Fisco aliud pro alio solvi posse regulariter, *l.* 1. §. 1. *ff. Si certum. pet. Card. Tuschus concl.* 359. *lit. S. Alex. Trentac. lib.* 3 *tit. de solut. concl. ult. num.* 1. *A. Barb. lib.* 1.
4 *ax.* 7. quae regula hic praecipue locum habet, ne daretur occasio fabricensibus pro nobiliori ferro vitiatum comparandi, *Perez. ad hunc tit. num.* 3. licet in tributis secus, *l. un.*
5 *supr. de coll. aeris.* II. Licet in obligatione generis electio sit debitoris, *arg. l.* 47. *ff. de O. et A.* ita tamen, ut ne optimam speciem teneatur dare, nec pessimam possit solvere, *l.* 37. *pr. ff. de legat.* 1. hic tamen favore Reipubl. optimum ferrum praestandum esse.

L. Primicerium. 2.

SUMMARIA

Omnia fere collegia ac corpora suos Primicerios habent. num. 1.
Idem hoc loco in fabricensibus. 2.
Primicerius horum est biennalis. 3.
Privilegia ejus elapso biennio. 4.
Insignis hyperbole, qua Imperatores aeternitatem sibi tribuerunt. 5.

1 Ut omnia fere collegia ac corpora suos habuerunt Primicerios, id est, primos, qui reliquis
2 praeerant, ita etiam, fabricenses, et horum
3 Primicerius erat biennalis, et biennio elapso pro
4 praemio immunitatem a personalibus muneribus consequebatur, et honorem habebat similem veteranis et protectoribus, qui latus Principis cingebant, atque adeo per biennium jus adorandi purpuram sacram habebant, id est, cum reverentia tangendi vestem Imperatoris.
5 Notetur hic insignis hyperbole, qua Imperatores sibi aeternitatem tribuerunt. O brevissimam aeternitatem! verba, *ejusdem fabricae*, exemplo Theodosiani Codicis expungenda esse cum Cujacio censet *Dn. Tabor in armament. c.* 1. *de fabricis armorum* §. 12.

L. Stigmata. 3.

SUMMARIA

Fabricenses alio relicta sua militia migrare non possunt, nec alteri militiae, imo nec Curiae nomen dare, et cur? num. 1.
Duplex remedium praescribitur. 2.
Res ex signo ejus praesumitur, cujus est signum. 3.
Faber ferrarius et alii prohibere possunt, ne alii suis signis utantur. 4.
Qui signum non habet, ei nec res signata competit, et cui signum aufertur, ei etiam res signata aufertur. 5.
Poena fabricensem occultantis. 6.
Receptatorem eadem poena manet et multo magis idem vitae genus et conditio. 7.
Diabolus hanc legem imitatur, et in quonam? 8.
An ex stigmatibus lamiis impressis firmum indicium foederis cum diabolo initi sumi possit? 9.

Cum fabricandorum armorum magna sit ne- 1
cessitas, ideo danda opera, ut fabricenses relicta militia sua alio migrare non possint, nec alteri militiae nomen dare per *hanc l.* imo ne curiae quidem, *l.* 32. *supr. de decur.* huic du- 2
plex remedium hic praescribitur, 1. ut recepti inter fabricenses in brachiis, non vero facie, *l.* 17. *de poenis* exemplo tyronum et aquariorum, *l. pen. infr. de aquaeduct.* notis publicis compungantur, quo fuga elapsi facilius recognosci queant. 2. In susceptores eorum et occultatores statuitur haec poena, ut et ipsi fabricae vindicentur, id est, inter fabricenses numerentur. Collige: I. Ex signo rem praesumi 3
esse ejus, cujus est signum, *hic et l.* 1. §. *ult. ff. de servo fugit. Klock. vol.* 1. *cons.* 29. *num.* 212. *et num.* 748. et ideo faber ferrarius (et 4
alii) potest prohibere, ne alius suo signo utatur, *Coevall. q.* 754. *num.* 12. *et seq.* Et qui 5
signum non habet, ei nec res signata competit, *Zas. cons.* 6. *num.* 17. *vol.* 2. *Klock. v.* 1. *cons.* 8. *num.* 56. et cui signum aufertur, ei etiam res signata aufertur, *Klock. d. l. num.* 57.
II. Poenam occultantis fabricensem, quod ipse 6
fabricensis fiat. Cum alias receptatorem eadem 7
poena manere soleat, *l.* 1. *ff. de receptat. Farinac. q.* 132. *num.* 34. *et q.* 133. *num.* 1. *Damhud. c.* 134. *num.* 2. *Tholos. lib.* 37. *c.* 15. *num.* 1. quanto magis idem vitae genus et conditio? Imitatur hanc legem diabolus, quando 8
lamiis stigmata insensibilia imprimit, de quibus integrum tractatum conscripsit *Ostermannus:* An autem ex his stigmatibus firmum judicium 9
sumi possit foederis cum diabolo initi, disputatur, et annon possit esse in corpore humano pars carnis insensibilis ex natura, aliis dijudicandum relinquo.

L. Si quis. 4.

SUMMARIA

Curiae obnoxii in fabricensium collegium non sunt recipiendi, et recepti in Curiam retrahendi. num. 1.
Remedium praescribitur. 2.
Negativa ab eo, qui in negatione intenttonem suam fundat, probari debet. 3.
Sine collegarum consensu nemo collegio est recipiendus. 4.

1 *Haec lex* consulit Curiis, ne ii, qui Curiae sunt obnoxii, in collegium fabricensium irrepant, aut si id fecerint, retrahendi sunt in Curiam, nulla obstante praescriptione temporis;
2 ideoque ne quid tale fiat, vult Imperator, ut apud Praesidem vel defensorem civitatis quis actis habitis doceat, se a curiali conditione liberum esse, nullique civili muneri subjacere.
3 Collige, I. Negativam probari debere ab eo, qui in negatione intentionem suam fundat, *Franc. Herculan. in tract. quis teneatur probare negati-*
4 *vam, num.* 2. *et* 3. *Alex. lib.* 1. *cons.* 39. II. Collegio neminem esse recipiendum sine collegarum consensu, ibi: *his quorum interest etc.*

L. Jure. 5.

SUMMARIA

Fisco in duobus hac lege *consulitur. num.* 1.
Liberi quoque fabricensium eidem conditioni ac collegio adstringuntur. 2.
Unius fabricensis delictum omnes in collegio tenet. 3.
Duplex hujus ratio. 4.
Ex delicto unius alter interdum praegravatur, exemplo contutoris. 5.
De quonam haec lex *loquatur?* 6.
Fabricenses artibus propriis inservire debent. 7.
Qui aliorum officiis se immiscent, puniendi sunt. 8.

1 *Haec lex* Fisco consulit in duobus: I. Vult ut
2 fabricensium etiam liberi eidem conditioni ac
3 collegio adstringantur: II. Ut unius delictum teneat omnes in collegio, cujus duplex ratio hic
4 proponitur: 1. quia qui suscipitur, totius corporis nominatione suscipitur: 2. ita fiet, ut fabricenses actus suos invicem speculentur et custodiant, ne aliquis facile aliquid intercipere vel plane decoquere possit, et tertia ratio est
5 in *l. ult. supr. de naufrag.* Collige: Ex delicto unius alterum interdum praegravari, exemplo contutoris, *l.* 1. §. 10. *seqq. ff. de tut. et rat. distrah.* praesertim cum hoc damnum alio commodo hic pensetur, dum fabricenses sibi mutuo, deficientibus liberis, cognatis, et uxore, excluso Fisco succederent, *Perez. ad hunc tit. n.* 10. Nec igitur ex *hac lege* probari potest, quod in crimine rebellionis alius pro alio, frater pro fratre puniri possit ullo statuto, quia hic sermo est de his personis, quae unum corpus consti-
6 tuunt, scilicet de corpore fabricensium: Nec agitur hic de poena corporali, nec bonorum confiscatione. Et posset imputari aliqua culpa aliis fabricensibus ex mala nominatione vel electione, seu quia viderunt et non prohibuerunt, cum possent, *l.* 1. *consil. Riletti cons.* 7. *num.* 2. Quoniam etiam in *hac lege* dicitur, fa- 7
bricenses artibus propriis inservire debere, ideo
infertur puniendos esse, qui aliorum officiis se 8
immiscent, *l. in provinciis C. de numerar. et actuar. et sim. Carpzov. lib.* 1. *resp.* 47. *num.* 10.

L. Eos. 6.

SUMMARIA

Fabricensium eorumque uxorum et liberorum judex competens. num. 1.
Qui primiceriatu per biennium functi et militia soluti, vacationem habent, et ad civilia munera et curiarum a Praesidibus devocari non debent. 2.
Privilegiatum maritorum forum eorum quoque uxoribus competit. 3.
Limitatur. 4.
Interdum finita privilegii causa effectus tamen manet. 5.
Gravatus in uno, in alio sublevandus est. 6.

Fabricenses . ut eorum uxores et liberi, non 1
habent alium judicem ordinarium quam Magi-
strum officiorum, de quo in *l.* 1. agitur; qui 2
autem soluti sunt militia, id est, qui primiceriatu per biennium functi sunt, vacationem habent, et ad munera civilia et curiarum a Prae-
sidibus devocari non debent. Collige: I. Privile- 3
gia, et executiones et in specie forum privilegiatum, maritorum etiam uxoribus competere,
nisi ad personam mariti sint restricta, *Perez.* 4
ad hunc tit. num. 11. Et sit interdum finita 5
causa privilegii, effectus tamen manet, *hic et l.* 3. *C. de silentiar. l. un. C. de magistr. sacr. scrin. Enenckel. de priv. l.* 2. *c.* 6. *num.* 4. *Christin. dec.* 70. *num.* 6. *et seqq.* II. Gravatum in uno suble- 6
vandum esse in alio, *Steph. Gratianus t.* 4. *disc. for. c.* 612. *num.* 18. *Decius in l.* 11. *num.* 5. *de R. J. Hartm. Pist. p.* 1. *q.* 13. *num.* 51.

L. Nullus. ult.

SUMMARIA

Duae legis *partes, et quaenam? numm.* 1. 2.
Cultura agrorum ob utilitatem publicam nonnullis interdici potest. 3.
Receptatio exulum ex alia provincia ejectorum non potest interdici. 4.
Subditi ad faciendas angarias ex publico stipendium accipiunt. 5.
Objectio diluitur. 6.
In eodem delicto gravius superior magistratus, quam minor puniendus est. 7.

Legis partes duae sunt: 1. Exemplo militum, 1
l. milites C. de locat. etiam fabricensibus interdicitur alienarum rerum conductio et procuratio, ob eamdem rationem, ne et hi a militia sua ob utilitatem privatorum avocentur, *Perez. ad hunc tit. num.* 12. et proponitur hic poena etiam locatoribus, quod res locata Fisco appli-

2 canda, et fabricensi conductori deportatio. In *secunda parte* agitur de transvectione armorum, ut illa fiat praestitis ex publico angariis ad mandatum praefecti praetorio, postea quam magistri officiorum literis numerum annorum, et locum, ex quo transvectio facienda, didicerint, et proponitur poena iis, quorum tarditate et negligentia armorum transvectio
3 impedita. Collige: I. Posse nonnullis ob utilitatem publicam interdici culturam agrorum, nec posse interdici receptationem exulum ex alia 4
provincia ejectorum, *Christin. d. d.* 60. *num.* 9. *et seqq.* II. Subditos ad faciendas angarias ex 5
publico stipendium accipere. Nec obstant *l.* 2. 6
C. de navibus non excus. et l. 2. *supr. de quibus muneribus nemini etc.* quae de summa imminente necessitate loquuntur, *Christin. d. dec.* 60. *num.* 23. III. In eodem delicto gravius punien- 7
dum esse superiorem magistratum, quam minorem.

TITULUS X.

De veteris numismatis potestate.

L. Solidos. 1.

SUMMARIA

Monetae veterum Imperatorum nomine et imagine insignitae, an et quatenus a contrahentibus et creditoribus recipi debeant? num. 1.
Poena. 2.
Tria bonae monetae requisita. 3.
Obligatus ad certum auri vel argenti pondus, pecuniam numeratam solvendo liberatur. 4.
Antiqua moneta a Caesaribus prioribus cusa pro nova solvi potest. 5.
Limitatur regula num. 4. *tradita.* 6.

1 Monetae (v. gr. solidi) veterum Imperatorum nomine et imagine insignitae, dummodo sint justi ponderis et speciei probae, id est, boni et justi metalli, a contrahentibus et creditori-
2 bus recipi debent: qui contra fecerint, puniun-
3 tur arbitrio Judicis. Collige: I. Monetam bonam debere habere tria requisita: 1. imaginem vel nomen Principis seu formam publicam: 2. bonum metallum: 3. justum pondus, *Hart. Pist. obs.* 1. *Carpzov. lib.* 5. *resp.* 95. *num.* 3. *Klock.*
4 *de aerar. lib.* 2. *c.* 22. *num.* 4. et sic obligatus ad certum auri vel argenti pondus, pecuniam numeratam solvendo liberabitur, *Thoming. q.* 19.
5 *num.* 8. *Carpzov. d. l.* II. Antiquam monetam a Caesaribus prioribus cusam pro nova solvi posse, nec hic solvi aliud pro alio, cum debeatur quantitas et res fungibilis, *l. quae extrinsecus* 95. *ff. de V. O. l. un. C. de arg. pret. quod thesaur. infert. Pinell. de resc. vend. p.* 1. *Rup. cap.* 3. *num.* 7. *Fachin. lib.* 2. *c.* 50.
6 *Zang. de except. p.* 3. *c.* 1. *num.* 103. III. Si non est legitimi ponderis aureus, cum recipere creditor non tenetur pro aestimatione ponderis debiti.

L. Pro imminutione. 2.

SUMMARIA

Mutatio pecuniae alia intrinseca, alia extrinseca. num. 1.
Mutatione extrinseca interveniente rerum quoque pretia mutantur. 2.
Declaratur. 3.
Ratio. 4.
Res regulariter certo pretio aestimandae. 5.
Limitatio. 6.
An aestimatione pecuniae mutata pecunia mutuo data restituenda sit, prout fuit tempore contractus? 7.
Receptior sententia. 8.

Mutatio pecuniae est alia intrinseca, quae in 1
materia, alia extrinseca, quae in valore et aestimatione consistit. Extrinseca mutatione interve- 2
niente mutantur etiam rerum pretia, v. gr. di- 3
minuta aestimatione diminuuntur etiam pretia, scilicet si pecuniae omnes, vel certe quae maxime alicubi in usu sunt, pari proportione augeantur vel minuantur, non si unum tantum genus pecuniae mutetur. Ratio: Quia pretia re- 4
rum consistunt in valore pecuniae, et sic imminuto numismate, pretia rerum decrescunt, *Molinaeus tr. de usuris q.* 93. *num.* 716. *Kohl. exerc.* 19. *num.* 10. quos citat *Klock. de aerar. lib.* 2. *cap.* 84. *num.* 19. Collige etiam: 1. Res 5
regulariter certo pretio aestimandas, nisi in in- 6
certo proventu consistant. 2. Ex *hac lege* du- 7
biam reddi sententiam communem *DD.* quod aestimatione pecuniae mutata, pecunia mutuo data restituenda sit, prout fuit tempore contractus. Vid. *Bacchov. v.* 1. *disp.* 20. *th.* 12. *in Treutl.* Sed receptior est sententia, non tantum 8
bonitate intrinseca, sed etiam extrinseca mutata, ad tempus contractus habendum esse respectum, *Molinaeus d. tr. num.* 749. *Kohl. exercit.* 19. *Carpzov. p.* 2. *Const.* 28. *def.* 5. *et lib.* 5. *resp.* 93. *Besoldus cons.* 61. *num.* 10. *et cons.* 62. *num.* 6.

L. Universos. ult.

SUMMARIA

Confirmatio legis primae. *num.* 1.
Poena eorum, qui aureos Caesaris imagine insignitos violant, vel aliquid auri radunt. 2.
Hodierna poena. 3.
De monetam excessivam tondente, remissive. 4.
Quivis pecuniam secundum valorem publice determinatum accipere tenetur. 5.
Ratio. 6.

Sanctio haec *legem primam* confirmat. Solidi 1
obryci, id est, aurei, ex purissimo auro con-

flati, eandem ubivis habent aestimationem; et si quis ex contemptu mandatorum Caesareorum eos vel viliori aestimatione accipere velit, vel etiam aeternales vultus, id est, aureos Caesaris imagine insignitos, violaverit, id est, auri aliquid abraserit, capitalem ferat sententiam, de quo *Const. crim. art.* 3. Et quidem radentibus liberis hominibus olim dictata fuit pugna cum bestiis, *l.* 8. *ff. ad l. Corn. de fals. Farin. q.*
3 155. *num.* 99. Hodie fere arbitrariam esse ex *d. art.* 3. *vers. (Welcher aber die Müntze etc.) Carpzov. pract. crim. q.* 43. *num.* 32. Conf. *Molina de J. et J. d.* 702. *num.* 8. et, de tondente 4
monetam excessivam, vid. *Farinac. q.* 115. *num.* 109. *Menoch. lib.* 2. *A. Q. casu* 316. *num.* 36. *Carpzov. d. q.* 43. *num.* 35. Collige: Quem- 5
vis teneri accipere pecuniam secundum valorem publice determinatum. Valor namque pe- 6
cuniae solvendae ex edicto Principis, non ab usu commerciorum aestimandus est, *Carpzov. p.* 2. *Jurisp. Const.* 28. *def.* 1. *Perez ad hunc tit. num.* 12. *seq.*

TITULUS XI.

Nulli licere in frenis et equestribus sellis et in baltheis margaritas et smaragdos et hyacinthos aptare, et de artificibus palatinis.

L. Nulli. un.

SUMMARIA

Gemmarum usus in quibusnam rebus generaliter, et in quibusnam specialiter interdictus? num. 1.
Ratio. 2.
Ampliatur. 3.
Excipiuntur vestimenta mulierum et annuli. 4.
Quis hodie equitum habitus esse debeat? 5.
Circa luxum plus indulgetur mulieribus quam maribus. 6.
Rationes. 7.
Sub colore offerendi principi, res prohibita attentari non debet. 8.
Nec clericus eo colore capi debet, quod sit praesentandus Episcopo. 9.
Nec arma eo colore capienda, quod pro republica ea capiantur. 10.

1 Gemmarum hic usus interdictus 1. generaliter in cucurniis, id est, pharetris, ut *Godofr.* intelligit, et chlamydibus ac fibulis: 2. specialiter in *rubrica* recensitarum, in frenis, sellis equestribus, et baltheis. Ratio: ne gemmae Impe- 2
ratoris propriae auro inserantur a privatis, quod 3
ampliatur, ne quidem si eo praetextu id fiat ut Imperatori id donum offeratur, ratio in textu; nisi in mulierum vestimentis aut annulis: 4
Quis hodie debeat esse equitum habitus, habe- 5
tur in *Ordin. polit. anno* 1577. *tit.* 14. Collige:
I. Circa luxum plus indulgeri mulieribus, quam 6
maribus, quia illarum vestes sunt dissimiles im- 7
perialibus vestibus, *Perez hic*, quia sexus infirmitati aliquid permittendum. II. Sub colore 8
offerendi Principi non debere rem prohibitam attentari; nec clericum capi debere eo colore, 9
quod praesentandus sit Episcopo, per ea, quae allegata sunt a *Farinac. q.* 8. *num.* 16. Nec ar- 10
ma capienda eo colore, quod pro republica ea capiantur. Namque hic omnium factiosorum et rebellium praetextus, quod arma pro republica se capere dicunt; scilicet haec cura ad privatos pertinet.

TITULUS XII.

De classicis.

L. Classem. un.

SUMMARIA

Cura classium ad quem spectet, et earum usus. num. 1.
Unde numerus earum suppleatur. 2.
Praesidi a malis hominibus rempubl. purgare incumbit. 3.
Idem in mari, quod per eum, qui adjacens territorium habet, a piratis purgetur. 4.
Jurisdictio quoque ad mare adjacens extenditur. 5.
Declaratur exemplo. 6.

1 Ad officium Praefecti Praetorio orientis spectat cura classium, quae instruendae sunt ad purgandum mare, et flumina a piratis, ut navigationes sint securae, item, ad alias publicas necessitates contra barbaros; et classicorum nu- 2
merus semper supplendus est ex incensitis, scilicet iis, qui libris censualibus nondum inscripti erant, vel accrescentibus, id est, liberis classicorum. Colligunt: Sicut Praesidi incumbit pur- 3
gare rempublicam a malis hominibus, *l. congruit ff. de off. Praesidis;* ita etiam mare a 4
piratis purgandum est per eum, qui adjacens territorium habet, *Coepolla de S. R. P. cap.* 26. *num.* 12. et jurisdictionem etiam ad mare ad- 5
jacens extendi, per *hanc l. et l.* 3. *ff. ne quid in loco publ. Bartol. et Jo. de Plat. hic, Coepolla d. l. Corset. vocab.* Jurisdictio *singul.* 154. *Perez. ad hunc tit. num.* 7. *et* 8. ita ut delictum 6
in mari commissum hic possit punire dominus terrae adjacentis, *Tiber. Decianus lib.* 4. *tract. crim.* 17. *num.* 29. *Cacheranus dec.* 155. *num.* 2. *Vinc. de Franchis dec.* 142. *num.* 6. et quos allegat *Thomas Merckelbach. inter consilia Klock. v.* 1. *cons.* 5. *num.* 10. *et seqq.*

TITULUS XIII.

De decurialibus urbis Romae.

L. Si quis. 1. et L. Leges. 2.

SUMMARIA

Collegium decurialium Romae. num. 1.
Ejusdem privilegia. 2.
An et quomodo haec privilegia amittere possint? 3.
Successor in regno vel praelatura, subditorum privilegia ratione honestatis confirmare tenetur. 4.
Ratio. 5.
Princeps jura subditorum conservare nolens, injurius in subditos esse videtur. 6.

1 Collegium Romae erat decurialium, qui SCta excipiebant, complebant, et scrinia servabant, quibus praefuit rector: hi certa habebant pri- 2
vilegia, v. gr. quod injuriis corporalibus non possint affici, id est, quod non possint torqueri, et similia; haec ipsis sine causa auferenda non sunt, per *l.* 2. nisi ex delicto accusentur, 3
quod scilicet se ordine isto indignos fecerint, et privilegia amiserint, nam eo casu, non alibi tamen, nisi coram rectore suo, qui est eorum judex ordinarius, sunt conveniendi, per *l.* 1. Colligunt: Successorem in regno vel praelatura 4
subditorum privilegia confirmare teneri ratione honestatis, nam eaedem causae, quae moverunt 5
antecessorem ut concederentur, ad confirmationem etiam Principem successorem impellere debent, *l.* 33. §. 7. *et l.* 35. *Cod. de sacros. Eccles. Christin. dec.* 72. *num.* 7. et Princeps, qui 6
jura subditorum conservare non vult, injurius in subditos esse videtur, *Enenckel. Baro de privil. lib.* 3. *c.* 20. *num.* 3. *et seq. Afflictus dec.* 17. *num.* 5. *et Carpzov. decis.* 88. *num.* 11. *Perez ad hunc tit. num.* 8.

TITULUS XIV.

De privilegiis corporatorum urbis Romae.

L. Nulli. un.

SUMMARIA

Sensus legis. *num.* 1.
Receptus in collegium statim privilegiis istius collegii fruitur. 2.
In collegiorum conservatione gloria reipublicae consistit, eique est proficua. 3.
Privilegia civium jure communi ad incolas non pertinent. 4.
An ad exsolvendum aes alienum praeteritum illi teneantur, qui in aliquam civitatem ibi habitatum veniunt? 5.
Si legatus usus est nemoris certo collegio, an aucto collegarum numero omnibus debeatur? 6.

1 Certa erant collegia in urbe Roma, ut pistorum et aliorum, de quibus in sequentibus: hi habebant sua privilegia, his ergo nova onera vetat imponi Imperator; e contrario jubet, ut corporati seu collegae istius collegii, si alibi versentur, Romam redire cogantur. Collige: I.
2 Receptum in collegium aliquod, statim frui
3 privilegiis istius collegii: II. In collegiorum conservatione consistere gloriam reipublicae eique esse proficuam, *Du. Mev. ad jus Lubec. lib.* 4. *tit.* 13. *art.* 3. *num.* 1. *et seq.* Ex *hac lege* etiam 4
infert *Georg. Acac. Enenckel. Baro in tr. de privil. lib.* 2. *c.* 4. *num.* 113. jure communi privilegia civium ad incolas non pertinere, cum jure speciali Romanae urbis incolae civium privilegia accipiant, *Christin. d. dec.* 72. *num.* 9. Et quaerunt hic: *An ad exolvendum aes alienum* 5
praeteritum teneantur illi, qui in aliquam civitatem veniunt, ibi habitatum? Et negat *Christin. d. d.* 72. *num.* 11. nisi scil. in utilitatem civitatis fuerit contractum, *Perez hic num.* 4. Sed cum aes alienum praesumatur contractum in commodum civitatis, nam alias non obligarentur cives nec praesentes nec futuri, videtur rectius affirmanda quaestio. Quaerunt etiam hic: 6
An si legatus sit usus nemoris certo collegio, an aucto collegarum numero omnibus debeatur? Et distinguunt *hic Perez num.* 5. *et Christin. d. d.* 72. *num.* 13. *et seq.* utrum verbis distributivis, an vero verbis universalibus sit legatus: *arg. l.* 41. §. 4. *ff. de legat.* 3. *l.* 7. *ff. de auro legat. l.* 20. §. 1. *ff. de ann. legat.* Posset autem distingui, an praesentibus ut singulis, an vero futuris, et ita collegio fuerit legatus. Conf. *Covarr. in c. requisivisti, num.* 19. *X. de testam. Mant. de conject. ult. vol. l.* 8. *tit.* 6. *num.* 24.

TITULUS XV.

De pistoribus.

L. Quicunque. un.

SUMMARIA

Pistores, ex lege constitutum panem excoquentes, alienam dignitatem appetere non debent. num. 1.
Poena. 2.
Humilioris artificii homines gratia vel pecunia ad dignitates, quibus impares sunt, adspirantes et grassantes dignitate exuendi, et poenis afficiendi sunt. 3.

1 Pistores, qui ex lege constitutum panem excoquebant, non debent alienam dignitatem (v. gr. comitis horreorum, cui suberant pistores in palatio Caesaris, ut mancipes seu mancipia, ideo hic pistores mancipes vocantur, licet mancipes etiam conductores dicantur) ap- 2
petere, alioquin 20. libris auri mulctantur, et retrahuntur ad collegium suum, licet rescriptum per obreptionem impetraverint, cum hoc sit contra publicam utilitatem. Unde recte col- 3
ligitur: Humilioris artificii homines gratia vel pecunia ad dignitates, quibus impares sunt, adspirantes, et grassantes, dignitate exuendos et poenis afficiendos esse, *Klock. in tr. de aerar. publ. lib.* 2. *cap.* 109. *num.* 13. *Perez ad hunc tit. num.* 4. *et* 5.

TITULUS XVI.

De suariis et susceptoribus vini et caeteris corporatis.

L. Porcinarii. 1. et L. Quicunque. 2.

SUMMARIA

De solis suariis vel porcorum pastoribus, non etiam de susceptoribus vini h. l. *agitur. num.* 1.
Licet repugnet rubrica. 2.
Privilegia horum. 3.
Titulus saepe amplior est nigro. 4.
Exceptio a regula in l. 2. de jurisdict. 5.
Quod hic de una specie dicitur, id ad alias, ubi eadem ratio, recte extenditur, ut bubulcos, agasones, etc. 6.

1 Hic de solis suariis, id est, porcinariis vel porcorum pastoribus agitur, cum et porci pecorum nomine veniant, *arg. l.* 81. §. 2. *ff. de legat.* 3. quamvis id ad susceptores vini, qui vinum popu- 2
lo praebebant, *rubrica* extendat, et statuitur in *l.* 1. hos a sordidis aliis muneribus debere esse 3
immunes: 2. sive agant sive conveniantur, eos habere judicem, scilicet Praetorem urbanum. Collige; I. *titulum* saepe ampliorem esse *nigro*, 4
sed eo casu *a nigro ad rubrum* valere consequentiam, *Everhardus in loco topico* 92. *num.* 11. II. Hic habetur exceptio a regula in *l.* 2. *supr.* 5
de jurisdict. nam hic reus sequitur forum actoris, sc. suarius alios coram suo Judice potest convenire, et sic haec limitatio addenda est aliis, quas in hac regula proponunt *Socinus reg.* 10. *Tuschus concl.* 122. *lit. A. A. Barbosa lib.* 1. *cap.* 24. *axiom.* 6. *et Doring. in Biblioth. sua, voce* Actor, *Christin. dec.* 73. *num.* 5. *vol.* 3. Quod hic de una specie dicitur, id ad alias, 6
ubi eadem ratio est, recte extendi, ut bubulcos, agasones, phasianos, pastores et caeteros, de quibus *Tholos. in synt. juris lib.* 18. *c.* 21.

TITULUS XVII.

De collegiatis et chartopratis et nummulariis.

L. Qui sub praetextu. un.

SUMMARIA

Collegiatorum certum constituitur collegium. n. 1.
Chartopratae quinam? 2.
Nummularii quinam? 3.
Tres legis *partes.* 4.
Casus legis 5.
Quaestio inde deducta. 6.
Ratio decidendi. 7.
Qui est in collegio solo nomine, non re, non gaudet collegii privilegiis. 8.
Limitatur. 9.
Exempla subjiciuntur. 10.
Si quis in decedentis locum in collegio subrogetur, de consilio eorum, qui collegio praesunt, id fieri debet. 11.
Subrogatus in alterius locum jure et privilegio illo, quo is, cui subrogatur, utitur. 12.
Qui in collegio decanorum ultra numerum 950. *et ultra eos, qui in cautis brevibus continentur recipiuntur, privilegio decanorum frui non debent.* 13.
An hi ipsi sint removendi? 14.
Supernumerarii immunitatibus collegii non fruuntur, licet pro se habeant rescriptum Principis. 15.

Omnes constitutiones novae intelligendae sunt salvis antiquis constitutionibus, quibus expresse non derogatur, et salvo jure tertii. 16.

1 Collegiati constituebant certum collegium, erantque e diversis corporibus ordinati numero 563. per *l. pen. C. de commerciis* et hi in incendiis arcendis, aliisque necessitatibus publicis
2 praepositi dicuntur. Chartopratae erant ii, qui
3 chartas ex provinciis missas vendebant, nummularii vero erant collybistae seu monetae per-
4 mutatores. Sunt autem *legis* partes tres: In I. est
5 talis casus: Erant quidam nummularii, qui ut onus hoc subterfugerent, curabant nomina sua referri inter decanos seu lecticarios (quorum munus erat ecclesiasticum, per *l.* 9. *C. de SS. Eccles.* et hi efferendis funeribus erant praepositi, et amplis gaudebant reditibus, per *Nov.* 43. *et Nov. 59.*) Sed labores decanorum non fe-
6 rebant, sed tantum titulum. Quaeritur: *An tales gaudeant immunitate decanorum?* Resp. quod
7 non, quia titulus nemini privilegium tribuit, nec debebant se sub hoc praetextu nummulariorum oneri subtrahere, et retrahendus est iste nummularius ad prius officium, inque collegio collegiatorum vel decanorum alius ei de consensu primatum collegii surrogandus est.
8 Collige: I. Qui est in collegio solo nomine, non re, v. gr. clericus, canonicus, studiosus etc. eum non gaudere privilegiis collegii, *hic et l.* 8. *ff. de vacat. mun. DD. hic et in l.* 9. et prae-
9 cipue *Gilcken. num.* 16. si scilicet privilegium singulis ob laborem datum sit, *Salyc. ib. num.* 4.
10 Ita licet in corpore naviculariorum quis sit, navem tamen non habeat, non poterit privilegio navicularibus indulto uti, *l.* 5. 6. *ff. de test. mil.* nec scholaris studia non tractans, *DD. hic,* nec monachus putativus, *Jo. de Plat. hic,* nec clericus circa sacra ministeria deses, *l.* 52. §. 1. *C. de Episc.* sicut haec exempla jungit *Georg. Acac. Enenckl. de privil. lib.* 1. *c.* 5. *num.* 4.
II. Quod quando aliquis in decedentis locum 11
subrogatur, debere id fieri de consilio eorum, qui collegio praesunt, *Christin. dec.* 73. *num.* 1.
vol. 5. Et ex hoc principio volunt probare *DD.* 12
subrogatum in locum alterius uti jure illo et privilegio, quo ille utebatur, cui subrogatur, *l. minor.* 51. §. 1. *ff. de procur. l. invitus* 156. *§. plerumque ff. de R. J. Enenck. d. tr. lib.* 2. *c.* 4. *num.* 122. *Christin. d. l. dec.* 73. *num.* 13.
In II. Parte dicitur; Quod si in collegio deca- 13
norum (vel alio) ultra numerum scilicet 950. vid. *l.* 4. *supr. C. de SS. Eccles.* et ultra eos, qui in cautis brevibus, id est, in tabulis Ecclesiae majoris Constantinop. continentur, recipiuntur, hi non debent privilegio decanorum frui, nec patrocinium Principis aut Ecclesiae istis prode-
rit, *hic et d. l.* 4. Sed *An removendi sint?* Nec 14
hoc per *d. l.* 4. ibi *vel in defuncti locum substituendi, etc.* nisi alteri collegio prius devincti,
per *hanc l. in princ.* Collige: Supernume- 15
rarios non frui immunitatibus collegii, licet pro se rescriptum Principis habeant, *hic et l.* 4. *C. de SS. Eccles. l.* 3. *C. de off. mag. mil. l. ult. ff. de excus. tut. Enenck. d. tr. lib.* 2. *c.* 4. *num.* 110. *Christin. dec.* 73. *num.* 9. *et* 12. *v.* 5. III. Pars in vers. *sed ne tantum,* communiter de tabernae seu loci venditione facta consensu Imperatoris, intelligitur, et ut emptor in locum venditoris succedat. Sed alia videtur esse sententia haec; cum hactenus in provinciis charta fuerit vendita, et jam constitutum sit, ut Romae per corporatos vendatur, necesse est, ut hi easdem constitutiones observent, quibus venditores chartae in provinciis obstricti
erant. Collige: Omnes constitutiones novas in- 16
telligendas esse salvis constitutionibus antiquis, quibus non expresse derogatur, et salvo jure tertii, praecipue reipubl.

TITULUS XVIII.

De studiis liberalibus urbis Romae, et Constantinopolitanae.

L. Universos. un.

SUMMARIA

Qui sibi auctoritatem publice docendi usurpant, quae tamen ipsis non est collata, infamia notantur, imo relegari possunt. num 1.
Privata disciplina cuilibet permittitur. 2. 8.
Professores publici privatim docere non debent, sub certa poena. 3.
Ratio prohibitionis. 4.
Restringitur. 5.
Male isti faciunt, qui neglectis publicis lectionibus privata tantum tractant. 6.
Numerus Professorum. 7.
A lectionibus pompa et ostentatio eruditionis abesse debet. 9.
Ob vicinitatem auditorii fabri et similes ex vicinia expelli possunt. 10.
Ampliatur. 11.
Vicinus cogi potest, ut in gratiam auditorii ampliandi aedes suas vendat. 12.
Male magistratus faciunt, qui diversas lectiones in uno auditorio in scholis trivialibus cum damno juventutis haberi permittunt. 13.
Summum Imperium hodie scissum est et communicatum statibus. 14.

In *Principio* Imperatores eos infamia notant, 1
et relegationem minantur, qui sibi usurpant publice docendi auctoritatem, cum tamen ea
ipsis collata non sit. In vers. *illos vero,* priva- 2
tam disciplinam ac institutionem cuilibet per-
mittit. In vers. *si autem,* interdicit professori- 3
bus publicis, ne privatim doceant, sub poena
amissionis privilegiorum, ne hac ratione a pu- 4
blico munere avocentur, quod tamen intelli- 5
gendum, si publicae lecturae negligantur. Ideo- 6
que male faciunt, qui publicis lectionibus ne-
glectis privata tantum collegia tractant. In vers. 7

habeant igitur, numerum professorum constituit, ut 3. oratores latinos: 10. grammaticos; graecos oratores 5. grammaticos graecos 10. philosophum unum, et JCtos duos, et his diversa esse assi-
8 gnanda auditoria. Collige: I. Privatam institutionem omnibus esse concessam. Si ergo privatim quilibet docere potest, nec puto regulariter scholis praesertim inferioribus jus prohiben-
9 di competere. II. A lectionibus pompam et ostentationem eruditionis abesse debere. Non igitur probo illorum institutum, qui captant tantum favorem et applausum auditorum, non
10 vero utilitatem eorum et profectum. III. Ob vicinitatem auditorii fabros et similes ex vicinia
11 expelli posse, praesertim si praeverterit auditorium tales fabros et malleatores, quod plerumque fit, quamvis etiam contrario casu idem putem obtinere cum *Perez hic num.* 7. Conf. *Menoch. lib.* 2. *A. Q. cas.* 237. *Marcus de Mantua sing.* 22. *Christin. dec.* 74. *num.* 7. *et seqq.* qui hoc ad aedes professorias extendunt; quo casu admiserim distinctionem *Menochii,* uter alterum praeverterit, multos refert *Dn. Finckelthaus. obs.* 64. *num.* 23. et ad studiosorum musaea quidam extendunt, *Carpzov. p.* 2. *Jurispr. for. const.* 38. *num.* 13. *Finckelth. obs.* 64. *num.* 19. et IV. Vicinum posse cogi, ut in gratiam au- 12
ditorii ampliandi suas aedas vendat. Colligitur etiam ex *hac lege:* Male facere Magistratus, qui 13
diversas lectiones in uno auditorio in scholis trivialibus haberi permittunt cum damno juventutis. Colligunt etiam ex *Glossa,* quam propte- 14
rea allegant, hodie scissum esse summum Imperium, et statibus communicatum, *Klock. de contrib. c.* 4. *num.* 137. et quos allegat *Buxtorff. in consil. d. tract. annexo* 2. *p.* 11. *col.* 2. *et consil.* 3. *p.* 40. *col.* 1. Conferri meretur ad hunc titulum *Dn. Hermanni Conringii* elegans Dissertatio ad *L. I. C. Theodos. h. t. Helmstadii anno* 1655. edita.

TITULUS XIX.

De honoratorum vehiculis.

L. Omnes. un.

SUMMARIA

Carrucarum usus quibus permissus? num. 1.
An uti cogantur? 2.
Jus hodiernum. 3.

1 Carrucarum usus in urbe non omnibus permissus, sed iis tamen, qui dignitate civili vel militari praediti, et Senatoribus. Sed *an uti co-* 2
gantur? Quaeritur: Quod *hic DD.* recte negant. *arg. l. quod favore supr. de ll.* Sane, quia ho- 3
die magnus in carrucarum usu abusus praestaret, certam carrucis collectam imponere, praestandam ab iis, qui sine necessitate, nec ob praeclaram dignitatem, carrucis in civitate utuntur.

TITULUS XX.

De privilegiis urbis Constantinopolitanae.

L. Urbs. un.

SUMMARIA

Privilegia urbis Constantinopolitanae. num. 1.
In curia et aula imperiali hodie aliquis, si ibi versatur, conveniri potest. 2.
Limitatur. 3.

1 Constantinopolis nova Imperatoris sedes iisdem privilegiis frui debet, quibus fruitur antiqua Roma, v. gr. quod omnes ibi conveniantur, *l. Roma* 33. *ff. ad municip.* est enim communis patria, *Hillig. ad Donell. lib.* 7. *c.* 13. *lit. G.* Unde probari possit; hodie in curia et aula 2
imperiali aliquem conveniri posse, si ibi verse-
tur, nisi jure revocandi domum uti possit, et 3
conventum teneri praestare cautionem de judicio sisti et respondendo in foro suo, per tradita *Imm. et Butr. in c. ult. X. de foro com. Matt. Steph. lib.* 1. *In jurisd. c.* 28. *num.* 21. *et Monach. in pr. judic. p.* 2. *c.* 6. *num.* 6. *et hoc laudans Hilliger ad lit. A.*

TITULUS XXI.

De metropoli Berytho.

L. Propter. un.

SUMMARIA

Duae Phoeniciae, Syriae provinciae, Metropoles, et quaenam? num. 1.
Berythum unde celebre? 2.
Omnia privilegia Principis, salvo jure tertii, conceduntur. 3.
Provinciae cum Principis auctoritate, et tantum ex justis causis scindi aut uniri debent. 4.
Idem in Ecclesiis cathedralibus. 5.
Quando nova acquiritur provincia, propriis legibus ea est gubernanda. 6.
Solus Princeps civitatem constituit, et huic spiritum et vitam infundit, non alius inferior. 7.
Superiores jus privilegia concedendi habentes, eadem privilegia ad alios quoque verbis generalibus extendere ac transferre possunt. 8.

Exemplo declaratur. 9.
Nundinae aliis civitatibus communicari possunt. 10.

1 Phoenicia Siriae provincia duas habet Metropo-
les, scilicet Tyrum, et ex Constitutione Impe-
2 ratoris etiam Berythum, quae fuit ob acade-
miam et legum studia celeberrima et nobilissima
3 ac amplissima. Collige: I. Omnia privilegia Prin-
cipis concedi salvo jure tertii, *l.* 2. §. 10. *ff.*
ne quid in loco publ. Rolandus a Valle cons. 45.
num. 12. *vol.* 4. *et Aug. Barb. locupl. lib.* 4. *c.*
4 83. *axiom.* 15. II. Provincias scindi aut uniri
non debere sine Principis auctoritate et tantum
5 ex justis causis, (atque adeo nec Ecclesias ca-
thedrales uniri posse) *c. sicut* 8. *X. de excess.*
praelat. Brunus cons. 54. *num.* 4. *Menoch. cons.*
28. *num.* 5. Nec scindi sine gravissima causa
consensu Superioris, *Christin. dec.* 75. *num.* 17.
6 *et num.* 20. III. Quando nova acquiritur pro-
vincia, eam propriis legibus esse gubernandam.
IV. Solum Principem constituere civitatem et 7
huic spiritum et vitam infundere, non alium
inferiorem, *Card. Tusch. concl.* 280. *num.* 16.
lit. C. Matt. Steph. de jurisd. lib. 2. *c.* 1. *memb.*
2. *num.* 114. et quos allegat *Klock. de contrib.*
c. 5. *num.* 2. Colligitur: V. Posse superiores, 8
qui jus privilegia concedendi habent, extende-
re atque transferre ad alios eadem privilegia
verbis generalibus, *hic et l.* 6. *C. de SS. Eccl.*
ll. 5. 7. 17. *C. de advoc. div. jud. Enenckel.*
Baro de priv. lib. 2. *c.* 4. *num.* 146. *Christin.*
d. dec. 75. *num.* 4. Sic academia electoralis 9
Brandenburg. Francofurt. eadem privilegia,
quae aliqua in Germania, habet ex concessio-
ne Imperatoris et Pontificis. Sic nundinae aliis 10
civitatibus communicari possunt, *Christin. d. l.*
num. 5. *et seq.* Vid. plenius *Dn. Jo. Strauchius*
antecessor Jenensis in suo Berytho, *seu Dissertat.*
speciali ad h. tit.

TITULUS XXII.

De canone frumentario urbis Romae.

SUMMARIA

Canon frumentarius Romae quid fuerit? num 1.
Nemo ab hoc excusare se potest. 2.
Nec alia species pro alia h. l. *inferatur.* 3.
Poena. 4.
Praesides vel alii ex annona hac sibi quid sumentes vel usurpantes, deportatione puniuntur. 5.
Officialium horum poena. 6.
Remedium. 7.
Negativa per visum probari potest, si loco et tempore coarctatur. 8.
Quoties quis privilegium, quod cum utilitate publica pugnat, petit, toties repellendus, aut impetrato etiam spoliandus est. 9.
Imo poenam solvere quandoque tenetur. 10.
Qui de integritate rei testari vult, rem bene perlustrare debet. 11.
Notarius de numeratione reali pecuniae mutuae testaturus reali numerationi actu praesens esse debet. 12.
Praesentia judicis actum confirmat et auctorizat. 13.
Princeps contra legem privilegia vetantem, privilegium concedere volens, in specie clausula illa, non obstante, *uti debet.* 14.
Obligatio ad genus ob rei difficultatem non perit. 15.
Licet excuset a poena et mora. 16.

1 Canon frumentarius erat certa quantitas fru-
menti, olei, porcinae, bubulae, etc. quae a
provinciis conferebantur ad alendam plebem
2 romanam; et ab illatione hujus canonis nemo
excusari poterat illius privilegii specialis intuitu,
nam pugnaret cum utilitate publica, *l.* 2. *h. t.*
3 *et l. fin. supr. de nav. non excus.* Sed nec id
privilegium valere vult Imperator in *l. fin.* ut
quis aliam speciem pro alia inferat, v. gr. oleum
4 pro frumento, nam qui tale privilegium impe-
trat, in duplum condemnandus est, per *d. l.*
ult. h. t. Si autem Praesides vel alii ex annona 5
hac urbis sibi quis sumpserint, vel usurpave-
rint, deportationis poena, officiales eorum pri- 6
mi, etiam capitali supplicio plectantur, per *d.*
l. ult. h. t. Ne autem vitiosa species Romam 7
advehatur, aut negligentia naviculariorum cor-
rumpatur aut ab his commutetur cum corrupta
annona, ideo in provinciis visitanda a Praesidi-
bus et magistratibus locorum, et testimonium
dandum nautis de suscepti commeatus integri-
tate. Navi autem Romam adpulsa denuo inspectio
commeatus a praefecto annonae facienda, per
l. 1. Unde colligitur: Negativam probari per vi- 8
sum posse, si loco et tempore coarctetur, *Masc.*
v. 2. *concl.* 1092. *num.* 8. *et* 6. *Tuschus concl.*
30. *num.* 49. *lit. N. et Christin. dec.* 176. *num.* 3.
Deinde Colligitur: Quoties quis petit privilegium, 9
quod cum utilitate publica pugnat, toties ipsum
repellendum, vel impetrato etiam spoliandum
esse, *l. jubemus* 10. *C. de SS. Eccles. l. fin. C.*
si contra jus vel util. publ. Georg. Acac. Enen-
ckel. de privil. lib. 1. *c.* 6. *num.* 11. Imo etiam 10
poenam interdum solvere jubetur, *per d. l.* 2.
h. t. et ult. C. de falsa moneta, et l. un. C. de
monopol. Enenckel. d. l. num. 15. Colligitur e-
tiam ex *l.* 1. qui de integritate alicujus rei vult 11
testari, quod debeat rem bene perlustrare, et
quod notarius de numeratione reali pecuniae 12
mutuae testaturus debeat actu praesens esse reali
numerationi, *Christin. dec.* 76. *num.* 9. *et seqq.*
Perez hic. num. 4. Collige etiam: Praesentiam 13
Judicis confirmare et auctorizare actum, *Chri-*
stin. d. l. num. 11. Collige etiam: Principem, 14
quando contra legem privilegia vetantem, pri-
vilegium vult concedere, in specie uti debere
clausula illa: *non obstante: Bart. in l. ult. h.*
t. et Enenckl. d. tr. lib. 1. *cap.* 9. *num.* 27. Col-
ligitur etiam ex *l. ult.* obligationem ad genus 15
non perire ob rei difficultatem, licet haec a 16
poena et mora excuset, *Covarr. in c. quamvis*
p. 2. §. 5. *num.* 5. *et Perez ad hunc tit. n.* 6.

TITULUS XXIII.

De frumento urbis Constantinopolitanae.

L. Nulli. 1.

SUMMARIA

Casus legis. *num.* 1.
Quaestio inde deducta. 2.
Alia quaestio: An frumentum pro pane praestandum sit Palatinis et privatis? 3.
Sicut de alimentis futuris transigi non potest, ita nec aliud debet solvi. 4.
Ratio. 5.
Praebenda panis danda in certa specie singulis diebus non debet in aliam speciem distributionis converti. 6.
Magistratus charistiae tempore certum annonae pretium statuere, et invitos ad vendendum cogere potest. 7.
Consuetudine non observatur et pessime. 8.

1 Constantinus certam annonae quantitatem deputaverat, ut ex ea panis coqueretur ad usum municipum, quam quantitatem Theodosius auxe-
2 rat, Quaeritur: *An ista annona in alios usus, v. gr. ad utilitatem domus augustae sit convertenda?* Negatur, sed ea ad usum populi et militum est convertenda, *hic et l. fin. supr. de*
3 *conditis in publ. horreis.* Sed Quaeritur praeterea: *An frumentum pro pane praestandum sit Palatinis et privatis?* Quod negatur, imo panem coctum populo praebendum, alioquin frumentum si erogaretur non panis, id populus in alios usus facile converteret, ac postea
4 cogeretur panem sibi emere. Collige: Sicut de alimentis futuris transigi non potest, *l.* 8. *ff. et l.* 8. *C. de transact.* ita nec aliud solvi debere,
5 ne alimentario praebeatur occasio vendendi ea, quae ad alendum cum destinata. Conferantur ea, quae habet *Additionator ad singul. Romani sing.* 431. *et Surdus de aliment.* 1. 8. *priv.* 28. *et Colerus de aliment. lib.* 2. *cap.* 2. *num.* 59.
6 Sic praebenda panis danda in certa specie singulis diebus, non debet converti in aliam speciem distributionis, *Christinaeus d. dec.* 76.
7 *num.* 23. *et seqq.* Et notant etiam *hic DD.* Magistratum tempore charistiae certum pretium annonae statuere posse, et cogere invitos ad vendendum, *Bart. et DD. in l.* 1. *§. cura carnis ff. de off. praef. urb. Covarr. lib.* 3. *resol. cap.* 14. *Christ. dec.* 76. *num.* 20. *vol.* 5. *Perez ad hunc tit. num.* 7. quod etiam nostro tempore
8 observaretur! Sed malunt divites frumentum diu reconditum mercatoribus alio id transvecturis vendere, quam pauperibus querelantibus et petentibus. Sed si Magistratus non vindicet, DEUS hanc immisericordiam atque injustitiam in Dardanariis illis vindicabit: sed misereatur DEUS eorum, qui haec et alia multa correcta mallent.

L. Auri. 2.

SUMMARIA

Praefectus urbi pecuniam, in coemptionem frumenti publici destinatam, in alios usus convertere non debet. numm. 1. 4.
Poena. 2. 6.
An haec pecunia mutuo dari possit? 3. 5.
An mutatio frumenti publici sit concedenda? 7.

Praefectus urbi pecuniam in frumenti publici coemptionem destinatam in alios usus conver- 1
tere non debet, alioquin tenebitur in duplum, 2
et in id praeterea, quod ex ea pecunia lucrifecit, et ea poena auro frumentario associanda.
Potest tamen haec pecunia ad coemendum fru- 3
mentum ordinata mutuo dari mancipibus, id est pistoribus, scilicet ut vel pecuniam reddant vel frumentum, sed id fieri debet testato, id est, coram testibus, sicut et solutio ita fieri
debet. Collige: I. Pecuniam Municipio vel Ec- 4
clesiae legatam ad certum usum, non posse a quopiam in alios, imo nec magis necessarios usus converti sine Principis consensu, *hic et l. legatum* 4. *ff. de admin. rerum ad rempubl. pertinentium, et l. un. infr. de expens. ludorum.*
II. Pecuniam publicam posse mutuo dari, dum- 5
modo fiat in finem destinatum ut hic, ubi pecunia frumentaria in eum ipsum finem pistoribus datur, quo annona comparetur in tempore
aliquando necessaria. Collige: Pecunias in utili- 6
tatem publicam collectas qui in utilitatem privatam, et non in usum destinatum expendunt, in duplum puniri, *Fest. de aestim. p.* 3. *num.* 30. *qui num.* 31. hoc tradit, licet obtinuerit licentiam a superiori, *Klock. vol.* 1. *cons.* 20. *num.* 265. *et Buxtorff. cons.* 2. *annexo tract.*
Klockii de contrib. p. 34. *col.* 2. Non tamen ini- 7
quum putarem, si a superioribus concedatur mutatio frumenti, ut interim liceat consumere praesens frumentum, si modo ille qui utitur, idoneus sit, qui justo tempore aliud surroget, nam mutatio frumenti publico salutaris, *Perez hic num.* 9.

TITULUS XXIV.

De annonis civilibus.

L. Annonas. 1.

SUMMARIA

Facti species. num. 1.
Ea, quae ob merita personis dantur, haereditaria praesumuntur. 2.
Nisi de mente donantis aliter appareat. 3.
An clerici seculares, ut vocant, fructus beneficiorum suorum in haeredes transmittant? 4.
Salaria publica non pro titulo dignitatis, sed bene meritis tribuenda sunt. 5.

Constantinus Imperator diversis scholis panes 1

civiles dederat, quaerebatur autem, an dederit primario scholae, an vero scholaribus singulis: nam si scholae dedit, manebunt in scholis, nec scholares eos transmittunt ad haeredes, nec poterunt eos alienare, si vero scholaribus, tunc etiam transmitti et alienari poterunt. Et posterius placuit ex hac ratione, quia illos panes largitus est pro singulorum meritis, ergo non
2 scholas, sed personarum merita respexit. Collige: I. Ea, quae ob merita personis dantur,
3 praesumi haereditaria, nisi de mente donantis aliter appareat. Atque hic multis disputant *DD. et Christin. dec.* 76. *num.* 38. *et dec.* 77. *per*
4 *totam, et Perez ad hunc tit. num.* 7. Sed: *An clerici, ut vocant, seculares fructus beneficiorum suorum in suos haeredes transmittant?* Quod recte de separatis fructibus affirmare mihi videntur *Covarr. lib.* 1. *resol. cap.* 15. *num.* 12. *Alvar. Valascus in prax. partit. cap.* 36. *Barry de success. lib.* 18. *tit.* 6. *num.* 13. Sed in fructibus pendentibus putarem aequissimam esse divisionem inter successorem in officio et universalem, deductis tamen oneribus et espensis.
5 II. Salaria publica non tribuenda pro titulo dignitatis, sed benemeritis.

L. Centum. 2.

SUMMARIA

Constitutio hujus legis. *num.* 1.
Princeps licet demanalium bonorum administrator sit, ad pias tamen causas pro lubitu publica impendere potest. 2.
Ratio. 3.
Civibus in eleemosynis prius, quam extraneis est providendum. 4.

Constituitur, ut ex kalendis Januarii Indictio- 1
nis sextae imposterum semper ex horreis publicis singulis diebus 120. modii frumenti populo distribuerentur, praeter solitum canonem, idque vult significari Praefecto Praetorio orientis, et hoc vult esse perisseuma sive congiarium imperiale. Bone DEUS! obstupesco quoties haec lego, miror tam profusam in egenos Imperatorum liberalitatem, a qua nimium quantum defecimus! Non miror tot victorias divinitus christianis Imperatoribus concessas, siquidem Christus pauperum patronus nunquam se eleemosynis superari patietur, qui ne quidem haustum frigidae mercede sua frustrari vult, quanto minus tantam in pauperes liberalitatem plane stupendam. Collige: I. Principem licet admi- 2
nistrator sit demanalium bonorum, posse tamen ad pias causas pro lubitu publica impendere, cum optima mensura sit in piis causis rerum 3
iis donatarum immensitas, *Nov.* 3. *cap.* 2. §. 1. II. Colligunt: Civibus in eleemosynis prius esse 4
providendum quam extraneis, *c. est probandum* 16. *dist.* 86.

TITULUS XXV.

De mendicantibus validis.

L. Cunctis. un.

SUMMARIA

Validorum mendicantium poena de jure Codicis. *num.* 1.
De jure Novellarum. 2.
Singularis modus servi alicujus acquirendi dominii. 3.
Inertia omnis detestanda, imo punienda est. 4.
Ampliatur. 5.
Proditor interdum in bonam partem pro delatore accipitur. 6.
Mendicare non omnibus a Magistratu concedatur. 7.
Mendicorum liberi, ad laborem apti, ipsis adimantur, et opificiis addicantur, aut servitiis, si parentes iis carere possunt. 8.
Quaelibet civitas aegrotos, si potest, alat, aut penuriae testimonium adferat. 9.
Ordinatio politica. 10.

1 Annonae illae, de quibus in *tit. praeced.* dabantur civibus pauperioribus, et mendicis. Sed quia multi mendicantium sani sunt et annis viribusque vegeti, qui tamen aegritudinem simulant, ideo cuilibet licet eos pervestigare, qui fraudem detexerit, et probaverit, hic eum mendicum adquiret, ut servum, si servilis sit conditionis, aut ut colonum, si sit liber, salva tamen actione domino manente servi corrupti contra eum, qui servum corruperit. Sed huic 2
derogatur in *Nov.* 80. *cap.* 5. ubi ad opera publica v. gr. pannificia, cultum hortorum et similia sunt transferendi, ubi et laborare valeant et ali, et segnem ad meliorem formare vitam. Vide *c.* 6. *omnis c.* 5. *q.* 5. Collige: I. Singula- 3
rem modum adquirendi dominii servi alicujus. II. Inertiam omnem esse detestandam, imo et 4
puniendam, praesertim quando in aliorum da- 5
mnum tendit. III. Proditorem interdum in bo- 6
nam partem accipi pro delatore. Maxime vero ex *hac lege* colligitur: Magistratum quemlibet 7
in sua jurisdictione prospicere debere, ne liceret cuiquam mendicare, cui nulla deformitas corporis adfuerit vel defectus, sicut et salubriter ab aliis Principibus statutum, ut mendico- 8
rum liberi, ad laborem apti, si parentes iis carere possint, ipsis adimantur, et opificiis addicantur, aut servitiis, et ut quaelibet civitas suos 9
aegros et mendicos, si possit, alat, aut penuriae testimonium adferat, qua de re *Petr. Greg. lib.* 15. *Syntagm. cap.* 28. *num.* 14. Atque haec 10
etiam jubentur in *ordinat. polit. de anno* 1577. *tit.* 27. *(von Bettlern und Musziggängern)* ubi repetitur *haec lex*, et disponitur, ut quaelibet civitas suos mendicos nutriat, *Carpzov in jurispr. eccles. lib.* 2. *def.* 324. Conf. *Damhoud. in praxi crim. cap.* 112. *num.* 55. *et seqq. Tuschus conclus.* 192. *lit. M. et Christin. dec.* 78. *v.* 5. Consulatur elegans tractatus Theologico-Nomico-Politicus de mendicantibus validis *Ahasveri Fritschii, consil. Schwartzburgici.*

TITULUS XXVI.

De nautis Tyberinis.

L. Qui navem. un.

SUMMARIA

Nullus nauta Tyberinus a subvectione canonis frumentarii populi Romani se excusare potest. num. 1.
Navis, in Tyberi reperta, Tyberina praesumitur. 2.
Dominus territorii fundatam habet intentionem quoad res et personas in suo territorio repertas. 3.

Nemo cujuscumque sit dignitatis, vel quali- 1
cunque sit privilegio donatus, qui navem in Tyberi habet, potuerit se excusare a subvectione
canonis frumentarii populi Romani. Collige: Na- 2
vem in Tyberi repertam, Tyberinam praesu-
mi. Exinde Colligitur: Dominum territorii ha- 3
bere fundatam intentionem quoad res et personas in suo territorio repertas, *hic et l.* 1. §. *cum urbem ff. de praef. urb. Menoch. cons.* 437. *num.* 8. *Cravetta cons.* 681. *num.* 1. *Rol. a Valle vol.* 3. *cons.* 46. *num.* 5. *Gail. de pignorat. obs.* 8. *num.* 7.

TITULUS XXVII.

De frumento Alexandrino.

L. In aestimatione. 1.

SUMMARIA

De quonam lex prima *agat? num.* 1.
Ubi timetur, ne praedae occasio offeratur, Magistratibus locorum interdici potest, ne se intromittant, et praecipue Magistratus Urbium prohibendi, ne res Principis aut populi Romani curent. 2.

1 *Lex* 1. agit de frumento Alexandrino, quod ut canon populi Romani et Constantinopolitani ex Aegypto Alexandriam convehebatur, et inde Romam vel Constantinopolim, et id vult Imperator, ut Alexandriae aestimetur, excutiatur, et mensuretur, ne naucleri aliquid inde subvertere possint, et ne insimulari possint, quasi ampliorem mensuram vel melius frumentum acceperint. Id vero munus excutiendi et aestimandi exercebat *Kritholoyos*, id est, collector ordei, munus admetiendi *zygostates*, libripens, appellatur, et ab hoc munere curiales Alexan-
2 drinos arcet. Collige nunc: Ubi forsan timetur, ne praedae aliqua offeratur occasio, interdici posse Magistratibus locorum, ne se intromittant, et praecipue Magistratibus Urbium prohibendi, ne res Principis aut populi Romani curent, cum eis cura Urbis suae sufficiat.

L. Diurnos. 2.

SUMMARIUM

Praecipuum quid Alexandriae circa distributionem annonae.

Alexandria, exemplo veteris et novae Romae, prae aliis urbibus hoc habebat praecipuum, ut certus canon annonae populo distribueretur; illi canoni diebus singulis Theodosius centum et decem modios addit, et prohibet, ne hoc congiarium vel donum vocetur Perissochoregia, id est, nomine ambitioso *Supererogationis* appelletur, sed simpliciter tesserae Theodosianae, quod erat forte signum frumentarium plumbeum, quo exhibito unusquisque annonam pro portione sua accipiebat a Praefecto annonae.

TITULUS XXVIII.

De Alexandriae Primatibus.

L. Corporatos. un.

SUMMARIA

Per primates Alexandrinos quinam intelligantur? num. 1.
Eorum privilegia. 2.
Dominus vectigalia de fluminibus et portubus recipiens ad refectionem et purgationem proprios sumptus conferre debet. 3.
Si nullum vectigal inde percipitur, subditi tenentur. 4.
Cur vectigalia solvi soleant? 5.

Sicut corporati urbis Romae privilegiati sunt 1
ita et primates Alexandrini, per quos non omnes cives, sed optimates corporum intelligi-
mus, immunes sunt a munere purgandi Nili, qui 2
semper latrociniis fuit infestissimus, vel purgandarum earum partium Nili, per quas Nilus

in totam Aegyptum stato tempore derivatur. Ad purganda Nili ostia vero ex vectigali dinummio (quod a praestationis quantitate ita appellatum), assignat 460. solidos, qui ex vectigali
3 navium sunt resarciendi. Colligunt: Dominum recipientem vectigalia de fluminibus et portubus, ad refectionem et purgationem proprios
4 sumptus conferre debere; sed si nullum vectigal percipiatur, subditi tenentur, *l. ad portus* 7. *C. de operibus publ. l. 1. infr. de collat. fund. patrim.* Nam propter securitatem et commodi- 5
tatem itinerum solvuntur pedagia et vectigalia, *Gail. l. 2. obs.* 64. *Myns. cont.* 5. *obs.* 70. *Wurms. in miscell. obs.* 5. et Principes tenentur certam partem vectigalium pro reparatione locorum deputare, *l. fin. C. de vectigal. l. ne splendidissimae C. de oper. publ. l.* 1. et 3. *infr. de divers. praed.* Conf. *Christin. dec.* 79. *num.* 21.

TITULUS XXIX.

De jure Reipublicae.

L. Si quid 1.

SUMMARIA

Sententia contra Rempubl. non defensam lata, ipso jure nulla est. num. 1.
Ratio. 2.
Quatenus missio contra pupillum et civitatem locum habeat? 3.
Limitatio legis. 4.

1 Sententia contra Rempubl. non defensam la-
2 ta, ipso jure est nulla, quia Respubl. minorum jure utitur, *l. pen. C. quibus ex causis majores etc.* minoribus autem indefensis sententia
3 non obest, *l. pen. C. si adversus rem judic.* Sed ex primo decreto ut contra pupillum, ita civitatem missio locum habet, *l.* 3. §. *fin. cum ll. seq. ff. quibus ex causis in possess.* ex secundo decreto vero etiam contra Rempubl. missio fieri potest, per *l.* 1. §. 2. *ff. quod cujuscunq. universit.*
4 Sed limitatur *haec lex a Doctoribus*, nisi judex jusserit, ut civitas constitueret defensorem, et civitati placuerit nullum defensorem constituere, sed per administratores suos litem agitare vel excipere, *Bart. hic*, et ex eo *Perez ad hunc tit. num.* 7. *et seqq.*

L. An Respublica. 2.

SUMMARIA

Facti species. num. 1.
Quaestio inde deducta. 2.
Ratio affirmandi. 3.
Negative decidendi ratio. 4.
Aliud in Fisco, cui bona debitoris tacite obligata sunt. 5.
Licet civitas in bonis administratorum hypothecam habeat, in aliorum tamen debitorum bonis non jus reale, sed personale tantum privilegium habet. 6.
Civitas, licet merum habeat imperium, jura Fisci sibi vindicare nequit. 7.

1 Reipubl. debebas 100. ego solvi illud debitum, et Respubl. mihi jus suum cessit, Quaeritur:
2 *An jus pignoris habeam, et ita caeteris creditoribus chirographariis in concursu sim praefe-*
3 *rendus?* Videtur quod sic, cum favor Reipubl. praecipuus. Sed Neg. cum enim Respubl. non 4
habeat jus pignoris, nisi id pacto fuerit constitutum, aut speciali privilegio concessum, *l. Antiochensium ff. de privil. credit. l.* 3. *supr. qui potiores in pign.* non potest Respubl. id jus in alium transferre. Sed cum Respubl. personali privilegio nitatur, et aliis chirographariis praeferatur, *l. pen. ff. de privil. credit.* merito et ego eo fruor jure. Alia vero causa 5
Fisci, cui bona debitoris tacite obligata sunt, *l.* 2. *supr. in quibus causis pignus tac.* Colligi- 6
tur: Licet Respublica vel civitas in bonis administratorum hypothecam habeat; *arg. l. pro officio* 20. *C. de admin. tut. Neguz. de pign. p.* 2. *memb.* 4. *num.* 129. *Dn. Carpzov. p.* 1. c. 28. *def.* 15. in aliorum tamen debitorum suorum bonis non jus reale, sed personale privilegium tantum habet, *l. ante pen. ff. de privileg. cred. Beuth. lib.* 1. *de privil. cred. cap.* 10. *Christin. d. dec.* 79. *num.* 30. Conf. *Cujac. l.* 2. Colligitur etiam: Civitatem jura Fisci sibi vin- 7
dicare non posse, licet merum imperium habeat, *Mevius q.* 5. *dec.* 333.

L. Rempublicam. 3.

SUMMARIA

Omnis Respublica restitutionem in integrum petere potest. num. 1.
Scilicet, si intra quadriennium petatur. 2.
An ad hanc restitutionem speciale mandatum requiratur? 3.

Respubl. omnis, sive Romana si Municipalis, 1
si laesa sit in contractu vel judicio, potest petere restitutionem in integrum, *hic et l.* 1. *C. de officio ejus, qui vicem alicujus etc. l.* 4. *C. ex quibus causis maj. Maranta part.* 6. *spec. p.* 3. *act.* 2. *num.* 91. *Trentac. lib.* 2. *tit. de rest. in integr. res.* 3. *Oddus de rest. q.* 3. *num.* 58. *et seqq. Besold. cons.* 277. *num.* 98. scilicet 2
si intra quadriennium petatur, *cap.* 1. *de restit. X. lib.* 6. ad hoc tamen, ut petatur restitutio in 3
integrum, necessarium esse volunt mandatum speciale, nisi incidenter petatur restitutio per modum exceptionis, *Lud. Rom. sing.* 125. *Myns. cent.* 2. *obs.* 26. *num.* 4. *Franc. Cald. ad l. si curatorem, verbo:* implorandum: *num.* 4. *Oddus de rest. q.* 31. *art.* 13. Hic ergo civitas, licet eadem privilegia cum Fisco non habeat, extra ordinem tamen juvari potest per restitutionem, *Franc. de Clapper. causa* 101. *q. un.*

L. Si secundum. ult.

SUMMARIA

Casus legis. *num.* 1.
Quaestio inde formata. 2.
Ratio dubitandi. 3.
Decidendi. 4.
Statutum favorabile est et in publicum utile, ut si quis domum suam reficere, aut ruina collapsam reaedificare juridice monitus nolit, ea domus vel area Fisco addicatur, aut publice vendatur. 5.
Curator Reipublicae privatum compellere potest, ut collapsa vel ruinam minitantia aedificet. 6.
Ratio. 7.

1 Civitas habebat hoc statutum, ut in ruina collapsis aedificiis, si Dominus aedes non extruat intra certum tempus, area cadat in commissum, et civitas eam aream pro lubitu vendere possit. Quaeritur: *An valeat?* Videtur quod 2
non, quia nec Princeps suum jus alteri aufer- 3
re potest, *l.* 4. *C. de emancip.* Sed affirm. favore 4
Reipubl. ideo Praeses haec statuta in vigore conservabit. Collige ergo: Statutum esse favo- 5
rabile, et in publicum utile, ut si quis domum suam reficere aut ruina collapsam reaedificare juridice monitus nolit, ea domus vel area Fisco addicatur, aut publice vendatur, *Perez ad hunc tit. num.* 15. Et potest curator Reipubli- 6
cae compellere privatum, ut aedificet collapsa vel ruinam minitantia, *l. ad curatoris* 46. *ff. de damno inf. Coepolla de serv. urb. praed. c.* 59. *num.* 2. Nam propter decorem civitatis mul- 7
ta placuerunt contra regulas communes, et favor publicus privatorum favori praeponderat, *Petr. Barb. ad l. divortii* 8. §. *fin. part.* 1. *num.* 122.

TITULUS XXX.

De administratione Rerumpublicarum.

L. Fundum. 1.

SUMMARIUM

An et quatenus fundus in emphyteusin datus revocari possit?

Quando fundus in emphyteusin datus est, non revocatur, quamdiu emphyteuta canonem solverit, sed si per triennium (secus si ab Ecclesia datur, ubi biennium, *Authent. qui rem C. de SS. Eccles.*) cessaverit, fundus emphyteuticus Reipubl. committitur, *l.* 2. *supr. de jure emphyt. l. fin. infr. de locat. praed. civ.* et si administrator expellat possessorem, de facto tenetur ipse, non Respubl. *l.* 6. *supr. de admin. tut.*

L. Contra eos. 2.

SUMMARIA

Facti species. num. 1.
Quaestio inde deducta. 2.
Ratio dubitandi. 3.
Decidendi. 4.
Administrator de omnibus iis, quae culpa ejus vel non acquisita vel ammissa sunt, tenetur. 5.

Reipubl. in diem vel sub conditione fidei- 1
commissum est relictum, cui debebat satisdatio praestari ab haerede, quod administrator neglexerat, Quaeritur: *An contra Magistratum* 2
sive administratorem detur actio negotiorum gestorum utilis? Videtur quod non quia Respubl. 3
si illa tale legatum debeat, hac satisdatione non gravatur, *l.* 6. §. 1. *ff. ut in possess. legatorum etc.* ergo nec contra. Verum omnino aff. quaestio, 4
nam administrator tenetur de neglectis, *hic et l. fin. C. ut in possess. legat. etc.* quae eadem est cum *hac lege*, et ibi videantur notata: et ratio illius *l.* 6. est specialis, quod Respubl. semper solvendo praesumitur. Collige: 5
Administratorem teneri de omnibus iis, quae culpa eorum vel non acquisita vel amissa sunt, ad exemplum tutoris, *hic et l. quicquid* 7. *C. arb. tut.*

TITULUS XXXI.

De vendendis rebus civitatis.

SUMMARIA

Prior venditio a fisco intra tempus subhastationi praefinitum facta, per aliam supervenientem pinguiorem conditionem retractatur. num. 1.
An idem, si civitas rem vendat? 2.
Post addictionem bona fide alicui factam, alius non auditur, licet plus offerat. 3.
Ratio. 4.
Melior est conditio fisci quam aliarum civitat. 5.
Fiscus in bonis debitorum hypothecam, sed Respublica tantum personale privilegium habet. 6.
Quaelibet civitas ad sui provisionem in administratione bonorum suorum communium in futurum statuta facere potest. 7.
Minoris in hac parte melior est conditio quam civitatis. 8.

Quando Fiscus mihi vendit intra tempus sub- 1

hastationi praefinitum, si postea alius superveniat, qui pinguiorem conditionem offerat, retractatur prior venditio, *l.* 4. *supra de fide et*
2 *jure hastae fiscalis.* Quaeritur; *an idem, si civitas mihi rem vendat?* Resp. quod non, nam quod Fiscus habeat tempora quaedam adjectionis sive auctionis, id in Fisco speciale est, et ad civitates, quae non habent jura fiscalia, non pertinet, nisi statuto id antea peculiari sanciverint, *hic et l.* 21. §. *fin. ff. ad municip.* Col-
3 lige: I. Post addictionem alicui bona fide factam, non audiri alium licet plus offerentem, quia
4 nullus alias esset licitationum finis, et inanis foret haec addictio, *hic et d. l.* 4. *supr. de fide hastae fisc. Klock. de contrib. cap.* 18. *num.* 70.
5 Collige; II. Fisci meliorem esse conditionem, quam aliarum civitatum, *Perez ad hunc tit.* 9.
6 *Clapperius d. causa* 101. *q.* 112. Sic etian Fiscus habet in bonis debitorum hypothecam, *l.* 2. *C. in quibus causis pignus etc.* Respublica vero tantum personale privilegium, *l. pen. ff.*
7 *de rebus auctor. jud. possid.* III. Quamlibet civitatem ad sui provisionem in administratione bonorum suorum communium in futurum statuta facere posse, licet non possit in causis in lite
8 pendentibus. IV. Minoris in hac parte meliorem esse conditionem, quam civitatis, *l.* 7. §. 8. *ff. de minor.* civitati tamen extra ordinem subveniri posse tradit *d. l. Clapperius.*

L. Quamvis. 2.

SUMMARIA

Post venditionem a civitate factam majus pretium adjicere non licet. num. 1.
Idem post locationem semel factam. 2.
Statuta de contractu venditionis loquentia ad contractum locationis quoad terminos habiles extendi possunt. 3.

1 Ut post venditionem a civitate factam adjicere majus pretium non licet per *l. praeced.* ita
2 nec post locationem semel factam majorem pensionem adjicere licet, cum nec si Fiscus vendat, post tempora actionis elapsa pretium augere liceat, nam, *d. l.* 4. *supr. de fide et jure hastae Fisc.* de tempore adjectionis nondum
3 lapso loquitur. Colligitur ex *hac lege:* Argumentum a venditione ad locationem, et statuta loquentia de contractu venditionis extendi posse ad contractum locationis quoad terminos habiles, *DD. hic*, et *Christin. decis.* 80. *num.* 10. *vol.* 5. Nam diversa interdum ratio ut in *l. sciendum* 63. *ff. de aedilit. edict.*

L. Si quae. ult.

SUMMARIA

Tenor legis. *num.* 1.
Nec eae res, quae noviter acquiruntur civitati, statim pro lubitu alienari possunt. 2.
Res, quae servando servari nequeunt, licite alienantur. 3.
Legi ad actum solemnitatem danti renunciari nequit. 4.
Maxime haec lex *locum habet, quando de solemnitatibus alienationis bonorum civitatis agitur.* 5.
Quaenam in alienatione bonorum civitatis requirantur? 6.
Aliter has solemnitates proponit Menoch. *et quomodo?* 7.

Quod si ad Rempubl. titulo haereditatis, le- 1
gati, fideicommissi, vel venditionis, vel donationis pervenerint immobilia, vel annui reditus, vel etiam mobilia, quae servando servari possunt, tunc ea a civitate alienari possunt, si summa civitas sit, scilicet Roma, non sine consensu Imperatoris; si inferior, venditio facienda civitatis omnibus decurionibus et civibus dictae civitatis, qui omnes jurare debent, se ex utilitate Reip. consulturos, et pretium in utilitatem Reipublic convertendum esse. Collige; I. Nec 2
eas res, quae noviter acquiruntur civitati, statim pro lubitu alienari posse. II. Res quae ser- 3
vando servari non possunt, licite posse alienari, *arg. l. h. et l.* 22. *C. de admin. tut.* III. Legi danti solemnitatem ad actum renunciari non 4
posse, *l. nemo potest ff. de legat.* 1. Praecipue vero allegare solent *DD. hanc legem*, quando 5
de solemnitatibus alienationis bonorum civitatis agunt, quas ex *hac et aliis legibus* recensebo juxta ordinem propositum a *Card. Mantica de tac. et amb. volun. lib.* 4. *tit.* 8. et quidem requiritur 1. Consilium debet solemniter convoca- 6
ri, ad constituendum ob hunc finem Syndicum, *l.* 2. *C. de decur.* Debet 2. esse major pars eorum, qui honestiores sunt, et bonorum possessores, per *hanc legem;* unde probatur, eorum vota quoad bona potiora esse, qui bona in civitate possident: 3. Debent scribi nomina eorum, qui consentiunt, et syndicum constituunt, *l. fin. C. de praed. decur. Wesenb. in* ϖ. *tit. quod cujuscunq. universit. nom. num.* 7. *Mozz. de empt. tit. de rebus num.* 8. Requiritur 4. decretum judicis, per *hanc legem*, ut in alienatione bonorum minoris, per *hanc legem Christin. d. dec.* 84. *num.* 16. Et requiritur 5. specialis instructio ad vendendum, *l.* 3. §. 4. *ff. quod vi aut clam etc. Card. Mantica d. l.* Non vero necesse est, ut emptor probet pretium in utilitatem esse versum, quia sufficit decretum, *Perez. hic num.* 4. ubi *num.* 6. negat has solemnitates esse abrogatas. Solemnitates has paulo 7
aliter proponit *Menoch. cons.* 716. *num.* 2. *et seq.* Primo: ut suadeat bonorum immobilium venditionem major pars consiliariorum: 2. Consensus Principis: 3. Convocatio consiliariorum: 4. Juramentum consulentium: 5. Ut subhastentur: 6. Ut desuper scriptura fiat: 7. Ut praetor suum interponat decretum.

TITULUS XXXIII.

De debitoribus civitatum.

L. Non prius. 1.

SUMMARIA

Debitor munus in Repub. gerendum suscipere nequit num. 1.
Limitatur. 2.
Idem in debitoribus fisci. 3.
Idem etiam in tutoribus. 4.
Qui vectigalia aut alia civitatis bona conduxerunt, ad officia publica non admittantur. 5.
Praedia Academica nulli Academiae collegae locari possunt. 6.

1 Debitor civitatis non potest munus suscipere
2 in Repub. gerendum, nisi Reipub. solverit, aut satisfecerit, vel caverit, quod intelligendum de eo, qui ex administratione quid civitati reliquum debuit, vel ex pollicitatione, non ex mutuo vel alio contractu, per *l.* 6. §. 1. *ff. de muner.*
3 idem in debitoribus Fisci, qui vectigalia volunt
4 conducere, *l.* 9. §. 2. *ff. de publ.* Eaque omnia rationem habent ex materia tutorum, nam tutela iis demandari non potest, qui debitores
5 sunt pupilli, *Auth. minoris C. qui dare tut.* Hinc alicubi statutum esse memorat *hoc tit. Perez. num.* 12. ut qui vectigalia, aut alia bona civitatis conduxerunt, ad officia publica non admittantur, aut qui iis jam funguntur, nihil eorum,
6 quae civitatis sunt, possint conducere. Et sic etiam majores in Academiis caverunt, ne ulli collegae suo conductionem praedii alicujus ad Academiam spectantis permitterent, *Christin. dec.* 81. *num.* 1. *et seq.*

L. Apud eos. ult.

SUMMARIA

Quinque legis *partes. num.* 1.
Pecunia civitatis idoneis debitoribus sub foenore mutuo data iisdem relinquitur, donec in usuris solvendis moras nectat. 2.
Debitores civitatis singulis annis usuras solvere debent. 3.
Sensus §. Et quia nefas est etc. 4.
Personalis actio fundum non sequitur, sed personam, nisi alienatio in fraudem creditorum facta. 5.
Contrarium h. l. *placet, et cur?* 6.
Si debitor maximam bonorum partem alicui vendiderit, quod apud debitorem reliquum est, in emptorem est transferendum. 7.
Ratio. 8.
Statutum nonnullarum civitatum justa ratione nititur, quo cavetur, ut si quis modicam rem habeat juxta confinia habentium magnam possessionem, eam vendere cogatur. 9.
Ratio. 10.
Dicta §. Et quia nefas etc. *limitantur.* 11.
Administratores civitatis apud quemnam pecuniam publicam collocent? 12.
Possessor rusticorum praediorum magis idoneus praesumitur quam urbanorum. 13.
Fidejussor bona rustica possidens magis idoneus praesumitur quam possidens urbana. 14.
Ratio. 15.
Specialia quaedam in debitoribus Fisci. 16.

Legis 5. partes sunt: *Prima* jubetur, ut pe- 1
cuniae civitatis idoneis debitoribus sub foenore 2
mutuo datae eisdem relinquantur, donec in usuris solvendis moras nectant, cum ita et Respubl. idoneum habeat debitorem, et debitor ipse aliquot annorum usuris non obruatur, et solutio non reddatur difficilior, *Perez. ad hunc tit. num.* 1. Collige: debitores singulis annis 3
usuras solvere debere, et sortem ab administratione pro lubitu exigi non debere. *Secunda* 4
pars est in §. *Et quia nefas est etc.* ejusque sensus hic est: Si a debitore civitatis bona quaedam, quae debitor tempore contractus habuit, vendantur, quamvis civitas hypothecam non habeat, novus tamen possessor ex conditione *legis hujus* pro rata possessionis tenetur in sortem, et in usuras; in reliquum vero obligetur debitor pro rata eorum, quae retinuit, et possessoribus datur regressus, et actio cessa ex empto vel utilis contra debitorem. Collige: quamvis 5
personalis actio non sequatur fundum sed personam, nisi alienatio facta in fraudem creditorum, hic tamen contrarium placuit favore 6
Reipubl. quamvis hoc maneat discrimen, quod Respub. habens hypothecam in solidum, actionem habet contra possessorem, *Covarruv. lib.* 3. *num.* 5. *d. cap.* 7. *Perez. hic. num.* 7. sed non habens hypothecam pro rata ex *hac lege*, et sic novus possessor non potest in aliis rebus suis molestari, *hic et l. his quae C. de praediis et omnibus rebus navicul. Klock. de contrib. cap.* 18. *num.* 57. *Carpzov. lib.* 5. *resp.* 98. *num.* 6. Est 7
tertia pars in §. *Ab eo autem.* Si debitor maximam bonorum suorum partem alicui vendiderit, quod apud debitorem reliquum est, in emptorem est transferendum, ut ita ab eo solidum exigatur, ne Respub. pro uno debitore duos exigere 8
teneatur. Unde colligitur casus: quo quis sua bona vendere cogitur. Colligitur etiam: Statutum 9
nonnullarum civitatum justa ratione niti, quo cavetur, ut si quis modicam rem habeat juxta confinia habentium magnam possessionem, cogatur eam vendere, *Christin. dec.* 81. *num.* 8. *Perez. ad hunc tit. num.* 6. puto tamen ratio- 10
nem in *hac legis parte* specialem esse, nam debitor majorem bonorum partem vendendo causam praebuit diffidentiae administratoribus civitatis. *Pars quarta in* §. *Quid si quispiam etc.* id 11
quod in *secunda parte* dictum est, limitat, ut non habeat locum, quando debitoris bona sunt publica et privato vendita; nam ultimus possessor statim securus est, ut Fiscus eo facilius reperiat emptores, *hic et l.* 2. *supr. de quadrien. praescript.* Monet *pars quinta* administrato- 12
res, ut pecuniam collocent apud idoneos praecipue possessores praediorum rusticorum, alio-

quin ipse pater civitatis tenebitur, si autem nul-
13 la ejus culpa, damnum est Reipubl. Unde colli-
gitur: possessores rusticorum praediorum magis
14 idoneos praesumi, quam urbanorum: et fidejus-
sor possidens praedia rustica magis dicitur ido-
15 neus, quam possidens urbana, cum urbana subja-
ceant majori periculo incendii et ruinae, *Bald. hic, Horat. Carpan. ad statuta Mediol. parte* 1.
cap. 44. *num.* 27. *Perez. ad hunc tit. num.* 10.
Christin. d. dec. 81. *num.* 16. Ex *toto titulo* col- 16
ligitur, haec esse in debitoribus Fisci specia-
lia: 1. Non admitti ad honores, nisi satisfaciat
Reipub. per *leg.* 1. Et 2. ementes ab iis bona
personali actione a Repub. conveniri: Et 3. qui
vendit majorem partem bonorum, teneri etiam
eidem vendere residuum.

TITULUS XXXIII.

De periculo nominatorum.

L. Hi qui. 1.

SUMMARIA

Facti species. num. 1.
Quaestio inde formata. 2.
Ratio affirmandi. 3.
Negative decidendi ratio. 4.
Quatenus nominatores teneantur de damno? 5.
In omni administratore dato sufficit aliquem depositi officii tempore solvendo fuisse, et casus superveniens non praejudicat vel nominatori vel datori tutoris vel Magistratus. 6.
Qui aliquem solvendo fuisse dicit, cum jam non sit, illi incumbit probatio. 7.

1 Duumviri duos successores sibi nominarunt,
qui tempore depositae administrationis solvendo
erant, sed cum tardius ab iis rationes exigeren-
2 tur, interim facultatibus lapsi sunt, Quaeritur:
An creatores eorum damnum resarcire debeant
3 *Reipubl.?* Videtur quod sic, quia debuissent sa-
4 tisdationem ab iis exigere; sed neg. si enim
Magistratus tempore depositi officii sit solven-
do, non tenentur eorum nominatores, quod
satis non exegerint, *l. ordine* 15. §. 1. *ff. ad*
5 *municip.* Si autem tempore depositi officii non
fuissent solvendo, tunc tenerentur nominato-
res, sed hoc casu non, *l.* 1. *C. de divid. tut.*
verum illud damnum moderni duumviri, qui
rationes tempestive non exegerunt, resarcire
tenentur; quod tamen ita intelligendum, si tan-
tum tempus post depositionem intercesserit, ut
conveniri administrator potuerit, *arg. l.* 35. *pr.*
6 *ff. de neg. gest.* Collige: I. In omni administra-
tore dato, sive publico sive privato, sufficere
aliquem solvendo esse tempore depositi officii,
et casus superveniens non praejudicat vel no-
minatori, vel datori tutoris, vel Magistratus,
hic et l. Aemilius 53. *ff. de admin. et peric. tut. l.* 3. *C. de probat. l.* 1. *C. de div. tut. Guttierez. de tutel. p.* 1. *c.* 15 *num.* 8. *Petr. Greg. lib.* 13. *syntagm. c.* 10. *num.* 12. II. Qui 7
aliquem dicit fuisse solvendo, cum tamen jam
non sit, illi incumbit probatio, nam a prae-
senti alias in praeteritum praesumitur.

L. Si successoris. 2.

SUMMARIA

Si ego te successorem nominavi, tu Titium, an teneat pro Titio? num. 1.
Ratio affirmandi. 2.
Negative decidendi ratio. 3.
Aliud in patre, in honorem filii consentiente. 4.
Ratio diversitatis. 5.
Omnis nominator vel fidejussor pro administratione ejus tantum tenetur, quem nominavit vel pro quo fidejussit. 6.
Administrator, quando ex persona sua convenitur, tenetur, non quando ex persona sui successoris convenitur. 7.

Ego te successorem nominavi; tu Titium; 1
Quaeritur: *An Titio tenear?* Videtur quod sic, 2
ob regulam, quod causa causae etiam sit causa
causati, *arg. l.* 6. *ff. quod vi aut clam.* Sed 3
Resp. quod non, quia mihi nullum negotium
fuit cum Titio, cum te nominavi; sic, si fide-
jussi pro te, tu pro alio, tertii periculum ad
me non pertinet, *l.* 17. §. *pen. ff. ad municip.* sed 4
aliud in patre consentiente in honorem filii,
l. 2. *ff. ad municip.* Nam pater, qui patitur fi- 5
lium decurionem creari, tenetur etiam pro suc-
cessore nominato a filio, per *d. l.* 2. §. 3. *Perez ad hunc tit. num.* 7. Dicta regula enim locum
habet in causis necessario subordinatis, et *d. l.*
6. loquitur de mendatore primo, qui initium
dedit. Collige: Omnem nominatorem et fidejus- 6
sorem teneri tantum pro administratione ejus,
quem nominavit, vel pro quo fidejussit, et ad- 7
ministratorem teneri, quando ex persona sua
convenitur, non quando ex persona sui succes-
soris convenitur.

TITULUS XXXIV.

De periculo eorum, qui pro Magistratibus intervenerunt.

L. Fidejussores. un.

SUMMARIA

Pro Magistratibus fidejubentes quatenus teneantur? num. 1.
In fidejussione praecise attendendum est, ad quod fidejussor se obligaverit. 2.
Limitatur. 3.

Qui pro Magistratibus fidejusserunt, tenentur 1
tantum ex administratione Reipubl. ad interesse,

ut scilicet damnum Reipubl. restituant, sed ad poenam, si quam Magistratus meruit, non tenentur, imo ad id, quod Reipubl. principaliter interest, tantum tenentur, non quod per consequentiam interest; sic non tenentur ad usuras partis reliquae, *l.* 68. §. 1. *ff. de fidejuss.* idem est, si pignora dedit, *l.* 3. §. *fin. ff. de admin. rerum ad civit. pertin.* Collige: In fidejus- 2
sione praecise attendendum esse, ad quod fidejussor se obligaverit, cum sit stricti juris, sed 3
aliud, si in omnem causam se obligavit, *l. quaero ff. locati* quod in satisdatione judicatum solvi semper factum intelligitur, *l.* 9. *ff. judicatum solvi.*

TITULUS XXXV.

Quo quisque ordine conveniatur.

L. Etsi. 1. et L. Quoties. 2.

SUMMARIA

Quinam pro iis, qui publica munera administrant, sint obligati? num. 1.
Quis ordo sit observandus? 2.
Collegae haeredes nunquam ex eo damno tenentur, quod ab aliis collegis post illius mortem ab illo datum est. 3.
Si duo in solidum constituti, et nesciatur, cujus culpa damnum illatum, uterque in solidum tenetur. 4.
Ratio. 5.
Secus jure novo. 6.
Quid hodie hac in parte receptum? 7.

1 Pro iis, qui publica munera administrant, alii obligati sunt, ut nominatores, fidejussores, et patres, et collegae, ut ex *titulis praecedentibus* liquet. Verum, *quis ordo observandus?*
2 Resp. aut pro indiviso duobus idem munus impositum, et tunc obligati ambo in solidum, et sic prius ille excutiendus, qui in administrando culpam admisit, dein collega: ratio est, quia sunt *correi debendi:* deinde fidejussor, et ultimo loco nominator, per *l.* 4. *C. de magistrat. conv.* quia fidejussor expresse fidem suam interposuit, nominator tacite. Aut vero munus duobus injunctum separatis portionibus, quod tamen in dubio non praesumitur, et tunc primo loco, qui culpam in administratione commisit, deinde non collega, qui hic correus non est, sed fidejussor, tertio loco nominator, et demum collega, per *l.* 2. *h. t. et l.* 3. *supr. de conv. fisci debitor.* quae cum his conferenda, quia collega non est culpae expers, quod collegam removeri non curaverit. Sed bene notandum:
3 Collegae haeredes nunquam teneri ex eo damno, quod ab aliis collegis post illius mortem ab illo datum est, *l.* 1. *h. t. Hering. de fidejuss.* §. 10. *num.* 85. quia nec penes defunctum vel minima
4 culpa fuit. Quod si autem duo in solidum constituti, et nesciatur, cujus culpa damnum illa-
5 tum, uterque in solidum tenetur, quia in dubio officialibus publicis administratio publica in solidum commissa videtur, *Carpzov. lib.* 5. *resp.*
6 91. *num.* 9. quod tamen jure novo secus esse, per *Auth. de duobus reis*, volunt *Christin. d. dec.* 81. *num.* 12. *et Perez ad hunc tit. num.* 5.
7 Sed dubito, quia receptum jam est, tacite etiam hodie duos reos fieri posse, quia quoad modum constituendi duos reos, per *Nov.* 99. nihil est mutatum, sed tantum quoad modum exigendi, *Mantica de tac. et amb. convent. lib.* 15. *tit.* 3. *num.* 13. *Alex. Trentac. lib.* 3. *tit. de solut. resol.* 31. *num.* 4. *Bacchov. in Treutl. vol.* 2. *dec.* 27. *th. ult. lit. E. Du. Carpzov. p.* 2. *jurispr. const.* 17. *def.* 13. Et licet contrarium concederem, loquitur tamen de contractibus privatorum, nec de jure publico quicquam mutavit.

L. Si. ita 3.

SUMMARIA

Si idem munus duobus pro divisis portionibus injunctum, ita tamen, ut mutuo periculo teneantur, an tunc ante fidejussorem collega sit conveniendus? num. 1.
Ratio affirmandi. 2.
Negative decidendi ratio. 3.

Quod si autem idem munus duobus injunctum 1
pro divisis quidem portionibus, ita tamen, ut mutuo periculo teneantur, nam alias neuter pro alio teneretur, *l.* 2. *C. de divid. tut.* Quaeritur: *An tunc ante fidejussorem collega sit conveniendus?* Videtur quod sic, cum collega hic sit 2
fidejussor, ergo ut collega simul et fidejussor, ob duplex vinculum conveniendus erit ante fidejussorem alium; Sed neg. nam quod de pe- 3
riculo mutuo dicitur, ex jure communi interpretandum est de fidejussione indemnitatis, et sic etiam hoc casu collega nonnisi excusso fidejussore et nominatore conveniendus.

L. Cum te. ult.

SUMMARIA

Facti species. num. 1.
Quaestio inde deducta. 2.

Unus administratorum, quibus divisa est ad- 1
ministratio, mutuo dedit Titio 100. sub usuris, sed debitor alienatis bonis aufugit; hic quaeri- 2
tur: *Quis ordo?* Resp. 1. excutiendum esse debitorem vel ejus haeredes: 2. Possessores alienatorum bonorum pro rata eorum, quae possident, *l. fin. supr. de debit. civit.* Et 3. nominator: Et demum collega, ob praesumptam culpam, quod fuerit negligens in eo, dum collegam, et de mala administratione suspectum removeri non curaverit. Vid. *Petr. Gregor. lib.* 29. *synt. cap.* 4. *num.* 6.

TITULUS XXXVI.

Ne quis liber invitus actum Reipublicae gerere cogatur.

L. Si ut proponis. 1. et L. Si cum. 2.

SUMMARIA

Actores civitatis quinam? num. 1.
An libertus vel etiam ingenuus ad hoc munus compelli possit? 2.
Respublica ad vilissima officia proprios servos adhibere debet, nec liberas personas ad id compellere potest. 3.
An quis ad carnificis munus compelli possit? 4.

1 Habebant civitates ad exemplum privatorum suos actores, qui erant servi publici, qui stipulationibus contrahendis, rationibus dominii tractandis, aliisque sordidioribus laboribus exantlandis erant praepositi: tales actus seu hoc servile officium apparet ex *l.* 6. §. 5. *ff. de injusto testam.* et gerere quidem poterat liber sicut etiam sola actus gesti ratio caput non minuit, *l.* 10. *C. de lib. causa.* Sed compelli ad id offi- 2
cium libertus civitatis, *l.* 1. *h. t.* et multo minus ingenuus, per *l.* 2. invitus non potest. Collige: Rempubl. ad vilissima officia proprios ser- 3
vos adhibere debere, nec liberas personas ad id compellere posse. Unde probatur: Non pos- 4
se aliquem compelli ad munus carnificis obeundum, licet in extrema necessitate aliorumque penuria vilis homo ad id compelli possit, juxta tradita *Luc. de Penna ad l.* 1. *h. t. Perez. ad hunc tit. num.* 5.

TITULUS XXXVII.

Sumptus injuncti muneris ad omnes collegas pertinere.

L. Cum ad munus. un.

SUMMARIA

Casus legis. *num.* 1.
De angariis, remissive. 2.
Quaestio ex lege *deducta.* 3.
In collectis et metatis civitas una, quae cum reliquis societatem habet, si impensas majores fecit in communi causa, id ab aliis repetere potest. 4.
Ratio. 5.

1 Sunt aliquot collegae constituti ad procuran-
2 das angarias vel alia negotia publica. De angariis vid. *Rosenthal. de feudis cap.* 5. *concl.* 70. *Vult. lib.* 1. *feud. cap.* 5. *num.* 7. §. 14. *Bocer. de regul. cap.* 3. *num.* 235. *et Cl. l.* 5. *disputat.* 11. *th.* 37. aliique, quos recenset *Christin. d. dec.* 81. *num.* 51. *et seqq.* Unus expedit negotium, et de suo omnes sumptus, qui ab omnibus tribus conferri debebant, expendit. Quaeritur: *An* 3
eos sumptus a Republ. repetere possit, vel an a collegis? Illud negatur ob circuitum, hoc aff. quia videtur caeterorum negotium gessisse, et caeteri ex actu illo gesto commodum sentiunt, cum si omnes cessassent, omnes damnum Reipubl. sarcire obligati fuissent. Collige: In 4
collectis et metatis civitatem unam, quae cum reliquis quasi societatem habet, *Klock. cap.* 6. *num.* 6. si impensas majores fecit in communi causa, id ab aliis repetere posse, *arg. h. l. et l.* 52. §. *damna* 3. *ff. pro socio* cum pactum 5
inaequalitatem inter socios introducens, tanquam naturae societati contrarium, juris vigorem non obtineat, per *l. si non fuerint ff. pro socio*, *Hartm. Pist. lib.* 3. *quaest.* 1. *num.* 1.

TITULUS XXXVIII.

De his, qui ex officio, quod administrarunt, conveniuntur.

L. Foenoris. 1.

SUMMARIA

Administrator pecuniam publicam non satis caute foenori exponens, debitore non solvendo existente, ad sortem Reipubl. restituendam tenetur. num. 1.
An etiam ad usuras? 2.
Qui pro debitore Reipubl. in universam causam fidejussit, ad usuras quoque tenetur. 3.
Qui ex officio administrato pro aliis conveniuntur ex levi culpa admissa in non inquirendo vel exigendo, ad sortem tantum obligantur. 4.
Ratio. 5.
Aliud si ex contractu. 6.

Administrator Reipubl. non satis caute pecuniam 1

publicam foenori exposuit, quia autem debitor factus est non solvendo, tenetur igitur administra-
2 tor ad sortem Reipubl. restituendam; Sed *an etiam ad usuras?* Quod neg. quia pecuniam in suam utilitatem non convertit, nam tunc ad usuras etiam obligaretur; sed quia ex alterius culpa obligatur, iniquum esset, ipsum ad usuras solvendas compellere, *l. ult. in pr. ff. de admin. rerum ad civit. l.* 21. §. 1. *ff. ad municip.* si absit fraus et lata
3 culpa, *l.* 17. §. *pen. ff. de usuris.* Sed qui pro debitore Reipubl. in universam causam fidejussit, tenetur etiam ad usuras, *l.* 2. §. *pen. ff. de admin. rerum ad civit. pertinent.* Collige: Eum 4
qui ex officio administrato pro aliis convenitur, ex levi culpa admissa in non inquirendo vel exigendo, ad sortem tantum obligari, quia 5
in sorte damnum, in usuris lucrum consideratur, *Perez ad hunc tit. num.* 1. *Christin. d. dec.* 18. *num.* 56. aliud si ex contractu, per 6
d. l. 21. §. 1. Sed si nulla administratoris culpa, damnum est Reipubl. *l. fin. supr. de debit. civit.*

TITULUS XXXIX.

De solutionibus et liberationibus debitorum civitatis.

L. Cautiones. un.

SUMMARIA

Apochae actorum Reipubl. debitoribus civitatis non praestant securitatem. num. 1.
Limitatur. 2.
Solutio civitati absque debita solemnitate facta debitori onus probandi imponit, quod pecunia in utilitatem Reipubl. versa sit. 3.
Ampliatur l. civitas ff. si certum petatur. 4.
An etiam in solutione, ministris civitatis facta, debitor versionem in rem civitatis probare debeat? 5.
Decisio d. l. civitas *in quibusnam contractibus locum habeat?* 6.

1 Apocae actorum Reipubl. securitatem debito-
2 ribus civitatis non praestant, nisi confirmatae sint auctoritate et subsignatione curatoris civitatis, aut nisi probetur, pecuniam versam esse in utilitatem Reipubl. Sane si fraude actoris pecunia a debitore soluta intercipiatur, curator Reipubl. cui actor subest, tenetur Reipubl. pe-
3 culiotenus. Collige: Solutionem civitati factam absque debita solemnitate, imponere debitori onus probandi, quod pecunia in utilitatem Reipubl. versa sit, et sic praebet *haec lex* am- 4
pliationem *leg. civitas ff. si certum pet.* quod scilicet non tantum is, qui mutuo dat civitati, teneatur probare versionem in utilitatem civitatis, per *l. civitas ff. si certum pet. Hartm. Pist. p.* 1. *q.* 37. *Dn. Carpz. p.* 2. *c.* 6. *def.* 21. *Dn. Lic. Charisius in disp. sua inaugur. ad hanc leg. Klock. cons.* 54. *q.* 5. *v.* 2. *Mantica de tac. et amb. convent. lib.* 8. *tit.* 13. in quem finem etiam hunc textum allegat *Dn. Carpzov. lib.* 2. *resp.* 106. *num.* 14. *et num.* 26. *et resp. seq. num.* 4. sed quod etiam debitor civitatis, 5
qui solvit civitatis ministris, debeat versionem in rem civitatis probare, si non habeat quietantiam ab iis, qui ad id deputati sunt, subscriptam. Nam si apocha debito modo subscripta, hac probatione non est onerandus, sed si non sit debito modo subscripta, probare hoc debet. Unde probabilis redditur sententia eo- 6
rum, qui statuunt, decisionem, *d. leg. civitas* non tantum in mutuo, sed etiam in emptionibus aliisque contractibus locum habere, praesertim si una vel altera solemnitate debita destituantur contractus, *Bald. et Castr. in Auth. hoc jus porrectum C. de SS. Eccles. Hartm. Pist. d. quaest.* 37. *num.* 51. *Covarr. lib.* 2. *var. res. cap.* 17. *num.* 3. *Lossaeus de jure univers. p.* 3. *cap.* 5. *num.* 8. et quos laudat *Dn. Charis. d. d. memb.* 4. *conclus.* 13. *lit. B.*

TITULUS XL.

De spectaculis, et scenicis, et lenonibus.

L. Non invidemus. 1.

SUMMARIA

Gymnici agones quid sint? num. 1.
Olim erant vetiti. 2.
Quibus hodie permittantur? 3.
An ad ista certamina legari possit? 4.
Diebus Dominicis et festis omnia spectacula sunt prohibita. 5.
Spectaculorum finis concordia populi esse debet 6.

1 Cum gymnici agones (id est, certamina, in quibus athletae se mutuo exercebant) paulo 2
ante fuissent vetiti, *hac l.* Imperator illos per- 3
mittit iis, qui sponte sua recreandi populi gratia talia spectacula edere volunt, sed neminem ad edenda ea esse compellendum, *hic et l.* 10. *pr. ff. de vi publ.* Unde ad ista certamina le- 4
gari etiam potest, *l. civitatibus* 122. *de legat.* 1. *l.* 6. *ff. de ann. leg.* nisi spectacula illiberalia et turpia, *arg. l.* 10. *ff. de pollic.* aut magis necessariae causae Rempubl. urgeant, *l.* 4. *ff. de admin rerum ad civit.* diebus Dominicis autem 5
et festis spectacula omnia prohibita, *l. fin. C. de feriis.* Collige: Spectaculorum finem esse debe- 6
re concordiam populi.

L. Eos. 2.

SUMMARIA

Circenses ludi quid sint? num. 1.
Aurigae circenses, agitatores dicti, quinam? 2.
Privilegium cessat, quando cessat causa privilegii. 3.
Gravius ipse delinquit graviusque puniendus, qui in loco, ex quo impunitatem forte speravit, deliquit, quam qui alibi. 4.
Ratio. 5.

1 Circenses ludi erant, qui in honorem DEI consiliorum curuli certamine instituebantur in
2 circo. Aurigae autem circenses agitatores dicuntur, et erant favore religionis privilegiati, ut a Praefecto urbis corporalibus suppliciis affici non possent, nisi quid in ipso ludo deli-
3 querint. Collige: Privilegium cessare quando
4 causa privilegii cessat, et gravius ipsum delinquere graviusque puniendum, qui in loco, ex quo impunitatem forte speravit, deliquit, quam qui alibi, *arg. c. fin. X. de immunit. Eccles.*
5 Nam videtur auriga hic ex ipso loco adsumere occasionem peccandi, sicut de iis, qui in loco sacro delinquunt hoc tradit *Covarr. lib.* 2. *resol. c.* 20. *num.* 15. *Clarus* §. *fin. q.* 30. *num.* 15. *Rittershus. in tr. de asylo c.* 6. *num.* 8.

L. Quisquis. 3.

SUMMARIA

Equi circenses quinam? num. 1.
Poena ejus, qui in suos et profanos usus eos adhibuit. 2.
Publica et sacra in privatos usus converti non debent, et possunt ea crimina extra ordinem puniri. 3.

1 Equi circenses erant sacris ludis deputati, id-
2 eoque qui eos in suos et profanos usus adhibuerunt, libra auri mulctantur, quia est quasi
3 sacrilegium; et nota: Publica et sacra in privatos usus converti non debere, et posse ea crimina extra ordinem puniri. Vid. *not. supr. de sacril.*

L. Si qua. 4.

SUMMARIA

Tenor legis. *num.* 1.
An a locis sacris imagines profanae arcendae, sunt, et persona turpis compelli potest, ut ex loco honesto vel religioso in alium se conferat? 2.

1 Prohibetur, ne pantomimorum, histrionum, aut agitatorum imagines in porticibus illisque locis, ubi imagines collocatae erant, collocentur, sed permittitur, ut in circo ponerentur, vel prosceniis; quamvis enim agitatores infames non sint, *l.* 4. *ff. de his qui not. infam.* Imperatori tamen comparatus talis, vilis persona est. Collige: A locis sacris imagines profanas esse 2
arcendas, et personam turpem posse compelli, ut ex loco honesto vel religioso in alium se conferat, quod saepe factum esse testatur *Christin. dec.* 82. *num.* 35. *vol.* 5. Conferatur de favore Romanorum in pantomimos *Hering. de fidejuss. cap.* 19. *num.* 104. *et seqq.*

L. Nemo. 5.

SUMMARIUM

Casus legis.

Hic prohibetur, ne Praeses ex una civitate in aliam, vel ex una provincia in aliam equos circenses vel agitatores transferat, cum suae quisque civitatis voluptatibus deservire debeat sub poena sacrilegii.

L. Lenones. ult.

SUMMARIA

Pater filiam prostituens, et dominus ancillae necessitatem peccandi imponens, patriam vel herilem potestatem amittunt. num. 1.
Nihil etiam patri aut domino ab iis acquiritur. 2.
Imo ex eorum potestate liberari possunt. 3.
Qui abutitur privilegio vel concessa sibi potestate, privilegium amittere meretur. 4.
Leno invitam aliquam detinens, in metallum damnatur. 5.
Extenditur hoc ad conductas et mercenarias. 6.
Venditor ancillae consentiens prostitutioni ejus, jus injectionis manus perdit. 7.
Lenocinia plane extirpanda sunt. 8.
Ratio. 9.
Creditor pignoratam ancillam prostituens, pretium amittit. 10.
Idem in eo, qui ab hostibus redemptam prostituit. 11.
An in extrema necessitate famis patri filiam prostituere liceat? 12.
In extrema famis necessitate furari licet. 13.
Ratio. 14.

Pater, qui filiam prostituit, et dominus, qui 1
ancillae peccandi necessitatem imponit, amittunt patriam vel herilem potestatem, nec filia 2
aut ancilla, patri aut domino quid acquirit, et filia vel ancilla implorare possunt opem Epi- 3
scoporum, Praesidum aut Defensorum plebis, ut a tyrannide parentum aut herorum liberentur, *hic et l.* 2. *supr. de Episc. audient. Molina tr.* 2. *de J. et J. d.* 229. *num.* 14. *Menoch. lib.* 2. *A. Q. cas.* 534. *num.* 6. *et* 33. *Petr. Greg. lib.* 36. *tit.* 11. *num.* 5. *Farinac. q.* 144. *num.* 19. Unde colligitur: Eum, qui abutitur privilegio, 4
vel concessa sibi potestate, mereri privilegium amittere, *hic, et l. Judaeos C. de Judaeis,* aliosque textus, quos cumulat *Georg. Enenck. Baro de privil. lib.* 3. *cap.* 17. *num.* 39. *et seq.* si porro invitam detinuerint lenones isti, in me- 5
tallum damnantur, quod etiam ad conductas 6
ancillas et mercenarias hic extenditur. Sic ven- 7

ditor ancillae consentiens prostitutioni ejus, perdit jus injectionis manus, *l. 1. C. si manci-*
8 *pium ita venierit ne prostit.* Sic lenocinia pla-
9 ne extirpanda, *Nov. 14. de lenon.* Nam castitas sola cum fiducia potis est DEO praesentare ani-
10 mas. Creditor pignoratam ancillam prostituens, pignus amittit, *l. 24. §. fin. ff. de pign. act.* et
11 qui eam, quam ab hostibus redemit, prostituit, amittit pretium, *l. 7. C. de postlim. revers.* Et tali modo liberata nec ob ingratitudinem in potestatem revertitur et cum ex necessitate pater emancipaverit, nec in adventitiis usumfructum retinet, *arg. l. 35. in fin. ff. de excus.*
12 *tut.* Sed quaeritur: *An in extrema necessitate famis liceat patri filiam prostituere?* Et negamus ob *l. palam 43. §. 5. ff. de ritu nupt. et c. 4. X. de divort. Covarr. in c. peccatum p. 2. §. 1. num.* 5.
nam quod in extrema famis necessitate liceat 13
furari, hanc habet rationem, quod prima ori- 14
gine omnia fuerint communia, et ad eam communionem necessitas ultima rem deducat; adde, quod lex vel canon hoc concedat in poenam eorum, qui ex mera avaritia alios fame perire sinunt. Sed hae rationes cessant in nostro casu. Pereundum potius fame DEO propitio, quod vix possibile erit, quam alios ad peccatum stimulare, tale quidem, quo duo polluuntur et involvuntur.

TITULUS XLI.

De expensis ludorum publicorum.

L. Cum Praesidem. un.

SUMMARIA

Expensas ad ludos destinatas ad necessariam murorum refectionem convertere Praesidi licet. num. 1.
Restringitur. 2.
Legata Ecclesiae vel Reipubl. non tantum eo casu, quando in illum finem converti nequeunt, sed etiam quando causa magis necessaria urget, in alium usum consensu Principis converti possunt. 3.
Ex causa necessitatis legata in unam causam a Magistratu in aliam magis necessariam causam, quamdiu durat necessitas, converti possunt. 4.
Secus in legatis ad piam causam. 5.

1 Licet Praesidi expensas ad ludos destinatas in murorum refectionem necessariam convertere,
2 ita tamen, ut refectis muris, ludi populi voluptatibus exhibeantur. Colligitur inde: Quod le- 3
gata Ecclesiae vel Reipubl. non tantum eo casu, quando in istum finem converti non possunt, per *l. 16. ff. de usufr. leg.* sed etiam quando causa magis necessaria urget, in alium usum converti possint, idque consensu Principis, *hic et l. 4. ff. de administ. rerum ad civit.* Primo enim necessitati providendum, postea licitae recreationi, et prius sunt faciendae expensae necessariae, quam voluptuariae; securitas enim civitatis praeferenda voluptatibus. Collige: Ex causa 4
necessitatis legata in unam causam a Magistratu in aliam magis necessariam causam converti posse, quamdiu durat necessitas, *Christin. dec. 82. num. 43. et seq. Perez ad hunc tit. num. 4. et seq.* Sed in legatis ad piam causam puto Ma- 5
gistratus Ecclesiastici auctoritatem esse necessariam, ut in alium usum magis necessarium convertantur. Vid. *Schurf. cent. 1. cons. 48. num. 1.* Nec conservatio templorum praeponenda est conservationi templorum vivorum, nec organa pneumatica praeferenda organis vivis Spiritus Sancti.

TITULUS XLII.

De aquaeductu.

L. Aquarum. 1.

SUMMARIA

Commoda et onera eorum, per quorum praedia publicus aquaeductus transit. numm. 1. 2.
Negligentia ea, quae publico nocet, confiscatione bonorum punitur, et multo magis plantatio vicina arborum. 3.
Nemo cogitur, ut patiatur a vicino prope aedes aut fontem vel rivos suos arborem plantari. 4.

1 *Haec lex* agit de eorum, per quorum prae-dia transit publicus aquaeductus, commodis et
2 oneribus. Onera sunt, ut 1. aquarum ductus seu canales a sordibus mundent, vel etiam eo nomine annuam solvant pensitationem pro aquaeductus repurgatione, *l. 41. ff. de act. empt.* additur poena, ut si hoc neglexerint, et ex neglectu eorum forma publica, id est, aquaeductus damnum accipiat, Fiscus praedium illud occupet: 2. Onus, ut ex utraque parte spatium ab arboribus liberum habeatur per 15. pedes, ut pullulantes sua sponte arbores radicitus amputentur, nec radices aquaeducti seu canalibus incumbant, et eos corrumpant. Commodum eorum est immunitas ab aliis oneribus extraordinariis. Collige: I. Negligentiam eam, quae pu- 3
blico nocet, confiscatione bonorum etiam puniri, et multo magis igitur plantationem arborum vicinam, *Perez ad hunc tit. num. 4.* II. Ne- 4
minem cogi, ut patiatur a vicino prope aedes aut fontem vel rivos suos arborem plantari. Conf. *Menoch. rem. 7. retin. poss. num. 35. et seq. et Frider. de interdictis tit. 11. num. 32. et seqq.* ubi singularum legum argumenta proponit.

L. Si quis. 2.

SUMMARIA

Poena ejus, qui sine permissu Principis aquam in suum praedium derivat. num. 1.
Differentia inter flumen publicum et aquaeductum publicum. 2.
Quae confiscantur, in privatum Principis patrimonium transeunt, nisi Fisco incorporentur. 3.

1 Cum aquaeductuum magna sit tum in veteri tum nova Roma necessitas, et per aquarum derivationes illis noceri potuerit, ideo qui sine permissu Principis aquam in suum praedium derivaverit, ejus praedium confiscatur, *Mart. Laud. tr. de Fisco q.* 175. *Guazzinus de confisc. bon. concl.* 13. *ampliat.* 69. *et seq. num.* 10. *Christinaeus dec.* 83. *num.* 4. *Horat. Carpanus ad Stat. Mediol. p.* 2. *cap.* 214. *lit. B.* Collige:
2 I. Differentiam inter flumen publicum et aquaeductum publicum, nam ex illo non navigabili aquam ducere licet, *l.* 2. *ff. de fluminibus. etc.*
3 II. Quae confiscantur, in Principis privatum patrimonium transire, nisi incorporentur Fisco.

L. Eos. 3.

SUMMARIA

Tenor legis. *num.* 1.
Servitute et privilegio concesso civiliter quis uti debet, et ne laedatur jus aliorum. 2.
Tantum fructum ex Principis largitione sentiamus, quantum ipse largiri voluit. 3.
Ob abusum privilegii aliquis amissione privilegii punitur. 4.

1 Quibus permissum ex publica forma sive aquaeductu aquam derivare, illi non ex fistulis (seu canalibus) quae matrices ab arboris medulla dicuntur, aquam ducere debent, ne damnum fistulis detur, quae magno sumptu construuntur, sed debet aquam ex ipsis formis, id est, castellis ac aquae receptaculis derivare, *l.* 1. §. *permittitur et seq. ff. de aqua quot. et aest.* ubi et major copia aquae, et fistulae non atteruntur; contra faciens et privilegium amittit,
2 et extraord. punitur. Collige: I. Servitute, nec non privilegio concesso aliquem civiliter uti debere, *Wesenb. de serv. rust. praed. num.* 1. et ne laedatur jus aliorum, *l.* 2. §. 10. *ff. ne quid in loco etc.* et cavendum, ne ultra modum exaggerando privilegia contra voluntatem conditoris interpreteris, *hic et l.* 2. §. 2. *et l.* 4. *ff. de vacat. mun. Georg. Acac. Enenckel. de privil. lib.* 2.
3 *cap.* 4. *num.* 19. et tantum fructum ex Principis largitione sentiamus, quantum ipse largiri voluit, *d. l.* 4. *Acac. Enenckel. d. tr. l.* 2. *c.*
4 6. *num.* 5. II. Ob abusum privilegii aliquem amissione privilegii ordinarie puniri, *l.* 11. *C. de Judaeis.*

L. Usum. 4.

SUMMARIA

Sensus legis. *num.* 1.
Cursus temporis immemorialis vim privilegii et concessionis Principis habet. 2.
Servitutis usus ex fine constitutionis et consuetudine est restringendus. 3.
Qui semel privilegio stricte usus, eodem postea late uti nequit. 4.
Qui ex vetustate aquaeductum habet per tubulos et canales, non statim fossam aut cataractam facere potest. 5.

Qui Principis consensu vel longo usu acquisi- 1
verunt jus derivandae aquae, eo privilegio civiliter debent uti ad necessitatem, et secundum veterem modum ac quantitatem, non ad irrigandos agros, aut hortorum delicias, quibus sane usibus nullus aquaeductus sufficeret, et repetitur poena. Colligunt ex *hac lege:* I. Cursum 2
temporis immemorialis habere vim privilegii et concessionis Principis, *c. super quibusdam §. praeterea X de V. S. l.* 3. §. 4. *ff. de aqua quotid. et aest. Masc. de probat. concl.* 1221. *num.* 48. *Natta cons.* 98. *num.* 19. *Guttierez lib.* 5. *pr. qq. c.* 6. *num.* 2. *Wesenb. passim, Georg. Enenckel. Baro lib.* 1. *de privileg. c.* 4. *num.* 24. II. Servitutis usum ex fine constitu- 3
tionis et consuetudine esse restringendum. Et qui semel usus est privilegio stricte, non potest 4
eodem postea uti late, *Angel. hic,* quem refert *Enenck. d. tr. lib.* 3. *c.* 15. *num.* 6. Unde con- 5
cluditur, quod is, qui ex vetustate aquaeductum habet per tubulos et fistulas, non statim fossam aut cataractam facere possit, *Jo. a Sande lib.* 5. *tit.* 5. *def. un.*

L. Si quis. 5. et L. Divinam. ult.

SUMMARIA

Tenor legis. *num.* 1.
Rescriptum eo ipso subreptitium praesumitur, quod incompetenti judici insinuatur. 2.
In omni rescripto semper utilitas publica excepta et reservata intelligitur. 3.
Rescriptum, quod solitum stylum curiae non observat, subreptitium praesumitur. 4.
Quoties diversae leges diversas poenas ingerunt, ultima est obsevanda. 5.
Datur interpretationis privilegiorum aliquod genus temporaneum et particulare, quod in certo et definito tempore, certeque in negotio vim tantummodo habet, et haec interpretatio etiam judici inferiori competit. 6.

Si aliquis jus aquae derivandae nactus fuerit, 1
non Praesidi debet insinuare rescriptum, sed P. P. ut hic scilicet disponat, quid thermis publicis, quid nymphaeis, id est, balneis publicis, quid etiam privatis ex aqua largiendum sit: additur poena 50 libr. auri, quod mutatur *l. fin.* ut poena sit 10. libr. auri, et extendit *d. l. hanc l.* etiam ad provincias, et jubet, si ibi P. P. non sit, alii Magistratui, qui Praeside sit superior, rescriptum esse intimandum. Collige: 2
I. Rescriptum eo ipso praesumi subreptitium, quod incompetenti judici insinuatur. II. In omni 3
rescripto semper intelligi exceptam et reservatam utilitatem publicam, et quamvis solius Principis sit interpretari suam legem vel privilegium, inferiori tamen magistratui concessum esse prius providere publico, *l.* 1. *C. si contra jus etc.*

4 III. Ex *l. fin.* rescriptum praesumi subreptitium,
5 si solitum stylum curiae non observet. IV. Quoties diversae leges diversas poenas ingerunt, observandam esse ultimam, *Christin. d. dec.*
6 83. *num.* 26. Colligunt etiam: Aliquod dari interpretationis privilegiorum genus temporaneum et particulare, quod in certo et definito tempore certoque in negotio vim tantummodo habet, et haec interpretatio etiam Judici inferiori competit, per *hunc textum*, *et l.* 7. §. 3. *ff. ad leg. Jul. Majest. l.* 7. *C. de fideicom. Georg. Acac. Enenckelius Baro de privil. lib.* 2. *c.* 2. *n.* 20.

L. Omnis. 6.

SUMMARIA

Lex haec *localis est. num.* 1.
Tenor ejus. 2.
Pro utilitate publica invito domino alienae aedes intrari possunt. 3.
Idem in servis quaerendis. 4.

1 *Lex haec* localis, ad urbem Constantinopolin pertinet, vel ut *Klock. de aerario lib.* 2. *cap.* 13. *num.* 14. *et seq.* ad veterem Romam, et in
2 specie ad duos aquaeductus, quorum unus vocabatur Adriani, qui palatio et thermis et nymphaeis, id est, lavacris publicis deserviebat, et illum non vult servire privatorum usibus, ne ex rescripto quidem Principis, et jubet, ut ex utroque latere decempedale spatium arboribus liberum relinquatur. Alter aquaeductus vocabatur ad Achillis thermas, de quo idem statuit, quod de Adriani aquaeductu, et additur in utroque poena iis, qui vel petere ausi fuerint derivationem aquae, vel clam id tentaverint, 10. libr. auri: ne autem quid clam derivari possit, apparitoribus licentia datur circumeundi et domos et balnea privatorum, et videndi an ex duobus illis publicis aquaeductibus quid de-
3 rivatum sit, Collige: Pro utilitate publica invi-
4 to domino intrari posse alienas aedes, idem in quaerendis servis, *l.* 2. *C. de servo fugit. Frider. d. num.* 37.

L. Ad reparationem. 7.

SUMMARIA

De quonam lex *agat? num.* 1.
Execrabile est in Principe privilegia velle venalia habere. 2.
In Gallia et Hispania hoc quandoque utiliter fieri solet. 3.
Jura etiam incorporalia possideri dici possunt. 4.

1 *Lex haec* agit de sumptibus ad reficiendos aquaeductus publicos faciendis, et ad eum finem deputat certa duo vectigalium aut tributorum genera, et cum antea, quibus jus aquae derivandae gratiose fuerat concessum, aliquid pensitationis ad reficiendas fistulas ac castella solvere compellerentur, id hic prohibet Imperator, ne videantur aquam emisse potius, quam
2 beneficio Principis emeruisse. Collige: I. In Principe execrabile esse, privilegia velle venalia habere; quamvis hoc in necessitate rerum in 3
Republ. Venetorum imo ipsis Hispaniae ac Galliae regnis utiliter factum esse memoret *Klock. de aerar. l.* 2. *c.* 110. *et seqq.* II. Jura etiam 4
incorporalia posse dici possideri, late sumpto vocabulo, licet alias *proprie* non possideantur, sed *quasi.*

L. Hac lege. 8.

SUMMARIA

Peculiaris arcarius ad suscipiendam pecuniam in construendos et reparandos aquaeductus h. l. *constituitur. num.* 1.
Quid si Praefectus Urbis id suscipiat, et pecuniam in aliud opus publicum eroget? 2.
Quod ad certum Reipubl. usum deputatum, a nullo Magistratu in alium usum debet converti. 3.

Peculiaris constituitur hic arcarius, qui pe- 1
cuniam ab Imperatore, vel Consulibus, aut aliis ad construendos vel reparandos aquaeductus donatam vel legatam etc. suscipiat, et si Prae- 2
fectus Urbis id suscipiat et in aliud opus publicum eroget, tantundem de suis facultatibus aquaeductibus reparandis restituat. Colligunt: 3
Quod ad certum usum Reipubl. deputatum, a nullo Magistratu in alium usum converti debere. Vid. *sup. l. un. de expensis lud.*

L. Diligenter. 9.

SUMMARIA

Fontes publici nullo tempore a privatis acquiri possunt. num. 1.
Ampliatur. 2.
Objectio diluitur. 3.
Princeps res Imperii nullo modo alienare potest. 4.

Fontes qui initio fuerunt publici, vel licet ini- 1
tio fuerint privati juris, sed aliquo titulo postea facti sunt publici juris, nullo unquam tempore a privatis acquiri possunt, ne quidem per 2
rescriptum aut pragmaticam sanctionem, neque per longi temporis praescriptionem, *hic et l.* 5. *C. de oper. publ.* Sed illi fontes omnino sunt Reipubl. restituendi, nec obstat *l.* 4. *h. t.* 3
quia hic de integro fonte Reipubl. subtracto agitur. Collige: Principem rem Imperii nullo 4
modo alienare posse, *Luc. de Penna in l. quicumque C. de omni agro desert. Panorm. in c. intellectu X. de jurejur. Vasq. p.* 1. *controv. lib.* 1. *cap.* 4. *Nevizan. inter consilia Bruni feudalia cons.* 12. et alii.

L. Decernimus. 10.

SUMMARIA

Duae legis *partes. num.* 1.
Utriusque partis contenta. 2. 3.
Si vicini quinque vel sex communem aquaeductum habent, an quispiam propriis canaliculis in proprias aedes traducere possit aquam? 4.

1 Habet duas partes: In *prima* repetitur poe-
2 na, ne quis, cujuscunque sit dignitatis, ne quidem minusculos aquaeductus, quos paragogos vocat, in suum derivet praedium, neque circa aquaeductus arbores plantet, non relicto spatio aliquo, de quo *supr. l.* 1. *et* 6. et poena est confiscatio illius praedii et aqua fonti est resti-
3 tuenda. *Secunda pars* agit de aquariis, ut ipsi et eorum successores manu signentur nomine Principis, et aliis muneribus non occupentur. De *prima parte* supra actum; et conf. *Frider. d. tit.* 31. *num.* 38. ubi quaestionem format: Si vicini quinque vel sex commu- 4
nem aquaeductum habeant, an quispiam propriis canaliculis in proprias aedes traducere possit aquam?

TITULUS XLIII.

De Gladiatoribus penitus tollendis.

L. Cruenta. un.

SUMMARIA

Omnia spectacula cruenta prohibita sunt. num. 1.
Duella quoque et torneamenta simpliciter prohibentur. 2.
Idem in probatione innocentiae circa crimen laesae Majestatis commissum. 3.
Nec contraria lex vel consuetudo admittitur. 4.
Poena contra facientis. 5.
Poena duella ineuntium. 6.
Ampliatur poena. 7.
Stulta eorum ratio, qui ideo duella licita contendunt, quod vita famae aequiparetur. 8.
Ratio stultitiae. 9.
Pugnas bestiarum cum hominibus eadem ratione aversamur, qua olim Constantinus cruenta gladiatorum spectacula. 10.

1 Omnia spectacula cruenta, quibus scilicet vel effunditur, vel effundi potest humanus sanguis,
2 per *hanc l.* sunt prohita, unde et torneamenta et duella, per *hanc l.* sunt simpliciter prohi-
3 bita; improbanda etiam probatio innocentiae in
4 crimine laesae Majestatis, et contrarium permittens lex vel consuetudo corruptela est haben-
5 da, et contrafaciens Ecclesiastica sepultura indignum se reddit, *c.* 1. *et* 2. *X. de torneamentis*, cum isti tentent DEUM, et ad saevitiam mentes hominum concitent; Vid. *Petr. Greg. Thol. lib.* 39. *cap.* 5. *num.* 29. *et seqq.* et qui 6
duella ineunt criminis laesae Majestatis rei sunt, *Petr. Greg. lib.* 48. *cap.* 16. *num.* 9. Et hoc 7
etiam si ob laesam famam singulare certamen ineatur, nam ideo judiciorum vigor jurisque publici tutela in medio constituta, ne quisquam sibi ipsi permittere valeat ultionem, *l.* 14. *C. de judaeis, Perez. ad hunc tit. num.* 6. Et stulta 8
est ratiocinatio eorum, qui ideo duella licita contendunt, quia fama vitae aequiparatur. Nam 9
praeterquam quod haec theorica sit falsa, consequentia etiam nulla: nam a calumniante fama vere non laeditur, et adest alia ratio defendendae famae. Et hoc e multis praecipuum est medium, quo tot calamitates in Imperiis cumulantur: Deus Justus Judex sanguinem vindicat humanum superiorum conniventia, et indomita juniorum licentia temere fusum. Vid. de duellis *Jo. de Lignano*, *Jacobus de Castello et Alciatus in pecul. tractatibus, qui habentur vol.* 12. *tract. et Boerius Far. q.* 119. *num.* 23. *Airer. in repet. leg. vi vim. p.* 1. *num.* 142. *ff. de J. et J. etc.* Conf. etiam, quae *Dn. Tabor in armamentario* passim habet, praesertim Edictum Argentorat. relat. *p.* 171. et quae graviter in duellantes scripsit *Frantz. lib.* 2. *resol. c.* 23. *et Besoldus in suo thesauro in voce* Ausfodern. Et pugnas bestiarum cum hominibus eadem 10
ratione aversamur, qua olim Constantinus cruenta gladiatorum spectacula, ait *Dn. D. Jo. Thomae de nox. anim. c.* 29. *num.* 30.

TITULUS XLIV.

De venatione ferarum.

L. Occidendorum. un.

SUMMARIA

Omnibus fit licentia ferarum noxiarum capiendarum et occidendarum. num. 1.
Ferae, quae a limitaneis ducibus ad comitatum Principis transmittuntur, diutius 7. *diebus in urbibus non sunt detinendae.* 2.
Venatio bestiarum homini infestarum omnibus licita est. 3.
Hodie jus venandi inter regalia refertur. 4.
Justa ratio est, cur privatis venatio prohibita, et quaenam? 5.
Poena ejus, qui hanc legem violat. 6.
Non omnis violatio legis poenam mortis meretur. 7.

Duo hic dicuntur, 1. ferarum noxiarum ca- 1
piendarum et occidendarum omnibus fieri licentiam: 2. feras, quae a limitancis ducibus ad 2
comitatum Principis transmittuntur, non diutius 7. diebus in urbibus detinendas esse: quae scilicet venationum et pugnarum ludicrarum causa ad aulam Principis transmittuntur, *Dn. D. Jo. Thomae in tr. de nox. animal. cap.* 29. Nota: Venationem bestiarum homini infestarum 3
omnibus esse licitam, *hic et lib.* 2. *feud. tit.* 27. §. *si quis rusticus, vers.* nemo retia, *de pace ten.*

de quo vid. *Vinc. de Franchis dec.* 158. *Petr. Greg. l.* 39. *syntgm. tit.* 10. *num.* 5. *Wesenb. in* ϖ. *de adquir. domin. num.* 7. *Christin.*
4 *dec.* 81. *num.* 8. Quamvis autem jure gentium ferae sint communes, multis modis tamen est ab hoc jure recessum, et jus hoc venandi inter regalia refertur, *Frid. Pruckman. de regalibus* §. *venatio c.* 1. *Rosenth. de feudis c.* 5. *consil.* 94. *num.* 6. *Petr. Ant. de Petr. de potest. Princ. c.* 7. *num.* 5. *Schrad. de feud. p.* 3. *cap.*
5 7. *num.* 17. Eaque prohibitio privatis facta justam habet rationem, ne subditi ab agricultura atque mercimoniis avocentur, et sanguini fundendo assuefiant, et ut principibus sua constet recreatio, *Covarr. in c. peccatum p.* 2. 7. 8. *num.* 1. *Guttierez. p.* 2. *can. qq. cap.* 28. *Fachin. lib.* 1. *cap.* 1. *Christin. dec.* 84. *num.* 38. *Perez. hic num.* 7. Non puto tamen moriis sup- 6
plicio ob violatam legem privatum puniri, aut eam a Superiore per statutum propitio jure statui posse, quia debet esse proportio inter poenam et delictum, et non omnis violatio legis 7
mortis poenam meretur. Vid. *Wesenb. in* ϖ. *d. t. Schneid. ad* §. 12. *Inst. de R. D. Bacchov. in Treutl. v.* 2. *d.* 20. *th.* 3. *Koppen. l.* 8. *dec.* 72. *num.* 20. *Christin. d. dec.* 84. *num.* 50.

TITULUS XLV.

De Majuma.

L. Clementiae. un.

SUMMARIA

Tenor legis. *num.* 1.
Omnes recreationes cum honestate ac verecundia pugnantes non minus humanis quam divinis legibus sunt prohibitae. 2.
Hinc tollantur. 3.

1 Ipsis kalendis Maji instituebatur festivitas, quae per Imperatores erat sublata, propter luxuriam et abusum, sed festivitatem hanc restituit Imperator, ita tamen, ut servetur honestas publica, neque aliquid contra castitatem admittatur, aut verecundiam. Collige: Omnes recreationes cum 2
honestate ac verecundia pugnantes non minus humanis quam divinis legibus esse prohibitas.
Tollantur igitur e Republica omnes ludi luxu- 3
riam olentes, et inverecundiam, quo promiscuas utriusque sexus saltationes lascivas, Veneris praeambula refero cum venerando Patrum choro. Sed reperit lascivia ubique suos patronos hoc et praeterito seculo.

TITULUS XLVI.

Ut armorum usus inscio Principe interdictus sit.

L. Nulli. un.

SUMMARIA

Fabricae armorum solius sunt Principis. num. 1.
Arma comparare, bellum movere privatis penitus est interdictum. 2.
Ratio. 3.
Arma extra casum peregrinationis portare non licet. 4.
Idem in nobilibus. 5.
Magistratui potestas convenit ipsis clericis arma detrahere. 6.
Nemini, nisi cui Imperator concessit, arma portare convenit 7.
Male hoc observatur. 8.
Jus bellum offensivum et recuperativum gerendi, non nisi summae Majestati competit. 9.
Principes Imperii defensionis causa militem cogere et delectum habere possunt. 10.

1 Ut fabricae armorum solius Principis sunt, *tot. tit. supr. de fabric. et l ult.* §. 11. *ff.*
2 *de public. et Nov.* 85. *cap.* 1. sic arma comparare, bellum movere privatis penitus in-
3 terdictum: quia bellum movere solius Majesta-
4 tis est, *l.* 3. *ff. ad l. Jul. Majest.* sic et arma portare extra casum peregrinationis non licet, *arg. l fin. infr. de praepositis sacri cubic. Nov.* 85. *cap.* 4. et idem in nobilibus, *arg. d. l. ult.* 5
et h. l. Tiraq. de nobil. cap. 20. *num.* 69. *et seqq.*
Et convenit igitur Magistratui potestas ipsis cle- 6
ricis arma detrahere, per tradita *Covarr. pr. qq.* 33. *num.* 7. *Perez ad hunc tit. num.* 12.
Et nemini licere arma portare, nisi cui Impe- 7
rator concesserit. Conf. *Guazinus de confisc. concl.* 13. *num.* 88. Sed haec male observantur. 8
Nam non tantum militibus et nobilibus, sed etiam studiosis id connivendo conceditur, licet per statuta academiarum vel sint prohibita, vel concessiones speciales requirantur. Sed saluberrimae hae leges conculcatae, cujus effectum varia, proh dolor! homicidia demonstrant. Vid. *Dn. Tabor in armament. Justin. tit. de Oplophoria c.* 3. *num.* 15. *et seqq.* Huc etiam perti- 9
net, et ex *hac lege* solet probari, jus gerendi bellum offensivum, non nisi summae Majestati competere, et qui arma sumpserit, licet non contra Rempublicam, (nam sic perduellio esset) sed contra alium, crimen Majestatis in secundo gradu ac specie contrahit, cum jus belli gerendi inter majora regalia referatur, *Gail. lib.* 1. *de P. P. cap.* 4. *num.* 6. *Covarr. in c. peccatum p.* 2. §. 9. *num.* 1. *Mat. Steph. de jurisd. lib.* 2. *p.* 1. *cap.* 1. *memb.* 2. *num.* 50. *et seqq.* et quos allegat *Klock. de contrib. cap.* 4. *num.* 311. *et cons.* 20. *num.* 25. *vol.* 1. Principes ta- 10
men Imperii possunt defensionis causa cogere militem, et delectum habere, *Rec. Imp. de anno* 1526. § *darauff. et de anno* 1548. *et* 1555.

TITULUS XLVII.

De agricolis, et censitis, et colonis.

L. Nunquam. 1.

SUMMARIA

Agricolae dum satione et frugum collectione occupantur, ad extraordinaria munera compelli nequeunt. num. 1.
Ratio. 2.
An feriae messium omnibus sint communes? 3.
Causa rusticorum est summaria et summarie tractanda. 4.

1 Agricolae dum satione et collectione frugum occupantur, ad extraordinaria munera compelli non possunt, *Klock. de contrib. cap.* 18. *num.*
2 41. *et de aerar. lib.* 2. *cap.* 1. *num.* 56. ratio in publica utilitate, et quia in his nisi opportuno tempore fiant, opera luditur. Vid. *Boer.*
3 *decis.* 322. Colligi potest: ferias messium non esse communes omnibus, si interesse speciale doceant, sed contrarium communius, *Hilliger. in Donell. l.* 4. *p.* 70. *Carpzov. p.* 1. *const.* 3. *def.* 22. *Sig. Scacc. de appellat. c.* 5. *num.* 147. Sed si adamussim juris haec examinentur, vix in jure haec subsistent, per tradita *Bart. hic num.* 1. *et Specul. lib.* 2. *p.* 5. *tit. de feriis* §. 1.
4 *num.* 8. Probari etiam solet, causam rusticorum esse summariam et summarie tractandam, per tradita *Dn. Carpzov. lib.* 6. *resp. ult. Hartm. Pist. p.* 4. *q.* 17. *num.* 18.

L. Si quis. 2.

SUMMARIA

Differentia inter censitos et colonos sive inquilinos. num. 1.
Tenor legis. 2.
Ne pacto quidem coloni a praedio separari possunt. 3.
Ratio. 4.

1 Inter censitos sive adscriptitios et colonos vel inquilinos hoc interest, quod illi servi sint, hi vero liberi quidem, sed fundo serviant, coloni
2 praedio rustico, inquilini urbano. Quando igitur quis vult vendere praedium rusticum vel urbanum, id sine colonis vel inquilinis vendere nequit, sed coloni veniunt simul in venditio-
3 nem, non obstante pacto contrario. Collige: Ne pacto quidem colonos a praedio separari posse,
4 *Gail. de arr. cap* 8. *num.* 14. cum alias agricultura detrimentum patiatur cum Reipubl. dispendio, et ideo talis contractus, quo coloni terrae adscripti sine fundo venduntur, ne juramento quidem confirmari possit, *Covarr. in c. quamvis p.* 2. §. 1. *num.* 3. *Perez ad hunc tit. num.* 7.

L. Quisquis. 3.

SUMMARIA

Casus legis. *num.* 1.
Concessio accessorii inseparabilis a principali concessionem principalis secum trahit et communicat. 2.

In vaga mancipia, id est, quae praedio deserto hinc inde vagantur, Fiscus injectionem habebat, et ea Princeps concedebat privatis, interdum et privati ipsi vagos istos servos in suo praedio suscipiebant. Utroque casu possessor mancipii indemnitatem Fisco praestat, id est, tantum Fisco dependit, quantum ex praedio non deserto, id est, ex praedio et mancipiis nomine capitationis et census Fisco pensitari solebat. Collige: Quod concessio accessorii in- 2
separabilis a principali concessionem principalis secum trahat et communicet; qui censiti ex eo dicebantur, quod pars reputarentur fundi, cui sunt adscripti, et a quo nequibant separari, et una cum fundo in publicum censum referebantur, et sic non censebantur per se, nec erant in proprio censu, sed alieno, *Thomas Merckelbach. cons.* 5. *in tract. Klock. de contrib. p.* 77. *et cons.* 20. *vol.* 1. *consil. Klock. num.* 48.

L. Hi penes. 4.

SUMMARIA

Sensus legis. *num.* 1.
Coloni a pensitatione erant liberi, sed certo fundo adscripti. 2.
Munus in dando consistens per alium explicari potest. 3.
Non a colono, sed a domino praedii collectae exigendae sunt. 4.
Nisi ipse colonus proprios fundos habeat. 5.
Per catastrationem personalis obligatio quasi contrahitur. 6.

Domini praediorum pro colonis suis origina- 1
riis capite censitis, per se vel per actores suos, id est, dispensatores solemnem solvant pensitationem. Si tamen coloni ipsi aliquid terrae suo nomine possideant, his ipsis solvendum est tributum, nec obligatur pro iis dominus praedii. Collige: I. Colonos fuisse liberos, sed cer- 2
to fundo adscriptos. II. Munus in dando consi- 3
stens per alium explicari posse. III. Ex *arg. hujus legis* etiam colonos alios, id est, conductores praediorum rusticorum non teneri ad collectas, nisi sint partiarii. Vid. *Klock. cap.* 11. *num.* 168. *et seqq.* Collige: IV. Non a colono, 4
sed a domino praedii collectas exigendas esse, nisi ipse colonus proprios fundos habeat, *Klock.* 5
de contrib. cap. 18. *num.* 229. Deinde Collige: 6

V. Per catastrationem personalem obligationem quasi contrahi, *Surdus cons.* 162. *num.* 30. *Natta cons.* 286. *num.* 6. *Carpzov. lib.* 4. *resp.* 73. *num.* 6. *Klock. de contrib. cap.* 17. *num.* 73. *et num.* 40. *et cons.* 28. *num.* 378. *vol.* 1. *Mevius part.* 4. *dec.* 24. ubi dicit catastrationem esse quasi contractum, et ita absentibus non praejudicare.

L. Domini. 5.

SUMMARIA

Facti species. num. 1.
Quaestio inde deducta: An dominus fructus de fundis coloni aestimare et pecuniam pro fructibus exigere possit? 2.
Qui in certo frugum genere pensionem vel censum solvere tenetur, si in alio genere per tempus longissimum solverit, etiam protestante creditore ad illud genus, de quo initio convenit, non amplius est obligatus. 3.
Limitatur. 4.
Dominus operas subditorum certas in similes convertere nequit. 5.
Cui alimenta legata sunt, alimentorum loco pecuniam petere non potest. 6.
In omnibus functionibus consuetudo est observanda. 7.

1 Coloni certam portionem fructuum de fundis suis praestabant dominis praediorum, ut apparet ex *l.* 2.
2 *infr. in quib. caus. colon. etc.* Quaeritur: *An dominus eos aestimare, et pecuniam pro fructibus exigere possit?* Quod neg. quia nec debitor aliud pro alio solvere tenetur, et rustici pecuniam optare non audent; sed additur exceptio, nisi consuetudo
3 aliud introduxerit. Collige: I. Eum, qui in certo frugum genere per tempus longissimum solverit, etiam protestante creditore, ad illud genus, de quo initio convenit, non amplius esse
4 obligatum, nisi solutio difformiter facta, per tradita *Carpzov. part.* 2. *const.* 3. *def.* 1. *et* 2.
5 facit *l. pen.* §. 1. *vers.* caveant *h. t.* II. Dominum non posse operas subditorum certas in similes convertere. Vid. *Carpzov. lib.* 1. *resp.* 56.
6 Et III. eum, cui alimenta legata sunt, non posse loco alimentorum petere pecuniam, quia creditor unam rem pro alia petere non potest, *Mart. Colerus de aliment. lib.* 2. *cap.* 2. *num.* 59. *Jo. Petr. Surdus de aliment. tit.* 4. *q.* 27. ubi
7 limitat, nisi debitor in mora etc. IV. Nota: In functionibus omnibus passim consuetudinem esse observandam, *Carpzov. lib.* 1. *resp.* 88. *num.* 3. quamvis negari non possit ea, quae pridem officia humanitatis et beneficentiae fuere, successu temporis usurpatione et potentiorum impressionibus in necessitatem transiisse, *Klock. de contrib. c.* 8. *num.* 29.

L. Omnes. 6. et L. Originarios 11.

SUMMARIA

Praesides fugitiva mancipia terrae certae adscripta origini suae restituant. num. 1.
Extenditur. 2.

Praesides fugitiva mancipia terrae certae adscripta, cujusque sint sexus, in quocunque sint munere, imo etiam colonos et inquilinos, qui liberae conditionis sunt, sed tamen certo fundo adscripti, origini suae restituant, *hic et Nov.* 17. *c.* 13. Quae hic notanda, notata sunt *supr. in l. ult. de Metallariis et l.* 11. *de Murilegulis*, et id extenditur in *l.* 11. licet origina- 2
rii coloni privilegium impetraverint, vel in dignitate sint, imo licet in censum ut ingenui sint relati, quia sicut domino non praejudicat, si quis rem alienam quasi suam in censum deferat, *l.* 4. §. 4. *ff. de censibus*, *l.* 64. *ff. de adquir. rerum domin.* ita nec hoc casu; imo nec Fisco potest praejudicari, *l. ult. C. sine censu vel reliquis etc.*

L. Quemadmodum. 7.

SUMMARIA

Dicta de colonis ad servos rusticos et censitos seu capite censos extenduntur. num. 1.
Per capite censos quinam intelligantur? 2.
Jus circa hos. 3.
Omnes servos venditurus totum fundum vendere tenetur. 4.
Quid si quis servos sine fundo vendat? 5.
Limitatur. 6.
Alienationis prohibitio extenditur etiam ad alios casus, in quibus similis ratio. 7.
Adscriptitius sine fundo, nec permutationis nec emphyteuseos nec donationis nec legati titulo, ad alium transferri potest. 8.
Venditione contra legem facta traditio secuta non transfert dominium. 9.
Ratio. 10.
Qui rem ab alia inseparabilem emit, vel alteram etiam emere, vel rem emptam restituere tenetur. 11.
Exemplo declaratur. 12.
Ubi contractus favore publico prohibitus, quis contra factum proprium venire, et propriam turpitudinem allegare potest. 13.
Ratio. 14.
Haeres contra defuncti factum, quando rei alicujus interdictum commercium, venire potest. 15.
Contractus prohibitus nunquam praescribendi facultatem transfert. 16.
Ratio. 17.

Quod de colonis dictum *l.* 2. id *hac lege* ex- 1
tenditur ad servos rusticos et censitos seu capite censos (per quos intelligit *Covarr. in c.* 2
quamvis p. 2. §. 1. *num.* 7. adscriptitios, qui perpetuo quidem culturae terrae obstricti, praeter hoc tamen ex conventione tenentur aliquem censum domino solvere ex ipsis agris). Non 3
posse scilicet eos sine terra vendi vel vendito praedio retineri, quia est eadem ratio, idem scilicet favor agriculturae. Sed in fraudem legis nonnulli vendituri adscriptitios servos, partem minimam terrae simul vendebant, quasi sic solos servos non vendidissent. Ideo Imperator 4
hic jubet, ut venditurus servos omnes, totum fundum vendere teneatur, si vero vendere quis velit partem fundi, proportionaliter etiam tan-

5 tam partem familiae vendere teneatur; si quis
autem contra *hanc l.* servos sine fundo vendat,
is tamen nihilominus ejusque haeredes faculta-
tem vindicandi servos habent, et emptor pre-
tium amittit, quod Fisco cedit, *arg. l. pen. C.
de resc. vendit.* nec emptor praescribit longo
tempore servos istos; additur ratio notabilis,
quia qui aliquid contra legis interdictum mer-
catur, malae fidei possessor est, *hic et l. nun-
quam* 31. *ff. de usucap. et c.* 82. *de R. J. lib.* 6.
6 quod limitant *Doctores*, nisi jus sit controver-
sum obscurum et ambiguum. Vid. *Covarr. in
c. possessor. part.* 2. §. 7. *num.* 9. *Petr. Gilken.
de praescript. part.* 2. *memb.* 1. *cap.* 3. *num.* 2.
7 Collige: I. Alienationis prohibitionem extendi
ad alios etiam casus, in quibus, similis ratio,
arg. l. fin. supr. de rebus alienis non alienand.
8 *et ibi not.* II. Adscriptitios sine fundo, nec per-
mutationis nec emphyteuseos nec donationis
nec legati titulo, ad alium transferri posse, *arg.*
9 *d. l. ult. C. de rebus alien. non alien.* III. Quan-
do venditio contra legem facta, tunc traditio
10 secuta dominium non transfert, quia per nu-
dam traditionem dominium non trasfertur, si-
ne causa habili et titulo jure non improba-
to vel non prohibito, per *l. nunquam* 131.
*ff. de adquir. rerum domin. l. traditionibus C.
de pactis et ibi Gloss. Surdus conf.* 4. *num.* 41.
et quos allegat *Christinaeus vol.* 5. *dec.* 86.
num. 41. Conf. *Menoch. cons.* 89. *num.* 96.
11 IV. Qui rem ab alia inseparabilem emit, tene-
ri vel alteram etiam emere, vel rem emptam
12 restituere, v. gr. in hac civitate Francofurtana
non possunt prata cuilibet domui adscripta se-
paratim vendi; si quis autem emerit pratum
sine aedibus, aut has simul emere, aut illud
13 restituere tenebitur. V. Ubi contractus prohi-
bitus, favore publico potest quis venire contra
factum proprium et propriam turpitudinem al-
14 legare, nam publica utilitas et praejudicium
alterius facit, ut quis facto suo contravenire
possit, *Schraderus de feud. p.* 10. *sect.* 20. *num.*
201. *Petr. Barbos. ad l.* 1. *part.* 5. *num.* 15.
et seq. ff. sol. matrim. et quos allegat *Thomas
Michael inter cons. Klock. vol.* 1. *cons.* 2. *num.* 58.
15 et sic haeres contra factum defuncti venire po-
test, quando rei alicujus commercium interdi-
ctum, *Menoch. cons.* 89. *num.* 96. quando
actus prohibitus est ob utilitatem publicam,
quando dispositioni legis non potest renunciare
haeres, *Petr. Barb. ad l. Lucius Titius* 39. *num.*
16 22. *ff. solut. matrim.* VI. Contractum prohibi-
tum nunquam transferre praescribendi faculta-
17 tem, nam ex illa praesumptio oritur juris et de
jure, quod mala fide emerit, quia, qui contra
jura mercatur, bonam fidem habere non prae-
sumitur, *c.* 82. *de reg. juris l.* 6. idem si con-
tra statutum faciat, *Tiraq. de retr. consang.*
§. 36. *ad finem tit. num.* 43. licet putet tantum,
se contra jura mercari, *l.* 32. §. 1. *ff. de usucap.*

L. Omnes. 8.

SUMMARIA

Sensus legis. *num.* 1.
Aliud est fugitivum suscipere, aliud ejus ut liberi hominis opera pro certa mercede uti. 2.
Suscipiens fugitivum pro ipso onera agnoscere tenetur. 3.
Fiscus sui debitoris minus idonei debitores excutere potest. 4.
Suscipiens alienum hominem proprium, non tantum tributa Fisco, sed etiam parochiae decimas et alia solita solvere tenetur. 5.
Idem in suscipiente colonum. 6.
Idem in eo, qui debitorem alicujus, ne laboret, impedit. 7.

Qui scienter suscipit adscriptitios alienos, et 1
eorum opera gratuita utitur, tenetur eos resti-
tuere, et praeterea tributum Fisco solvere pro
eo fugitivo servo; si vero fugitivus finxerit, se
esse liberum, et operas suas ignoranti mihi lo-
cet, tunc eum quidem comperta veritate resti-
tuere teneor, sed interesse Fisco restituen-
dum; si vero fugitivus non sit solvendo, tunc
potest debitum tributum a debitoribus illius ad-
scriptitii repeti. Collige: I. Aliud est, fugitivum 2
suscipere, aliud ejus ut liberi hominis opera
pro certa mercede uti, nam prius culpabile
est, posterius non, *hic et l.* 4. *supr. de servis
fugit.* II. Quod suscipiens fugitivum teneatur pro 3
ipso onera agnoscere. III. Quod Fiscus sui de- 4
bitoris minus idonei debitores excutere possit,
l. 4. *supr. de conv. Fisci debit.* IV. Qui suscipit 5
alienum hominem proprium, non tantum tri-
buta Fisco, sed etiam parochiae decimas et alia
solita solvere tenetur, *Christin. dec.* 87. *num.* 1.
et seq. Et sic suscipiens colonum alterius tene- 6
tur ad tributa, ad quae tenebatur dominus de-
relictus, qui solvendo non est, *Fr. Ripa de pe-
ste tit. de remed. praeservat. contra pest.
num.* 254. Et valet statutum, quod suscipiens
colonum alterius teneatur ad omnia damna et
interesse et ad omnia debita, quae colonus de-
buit domino, a quo invito recessit, *Ripa d. l.*
Sic impediens debitorem alicujus, ne laboret 7
creditori, et eidem suis laboribus satisfaciat,
non tenetur quidem praecise ad relaxandum,
tenetur tamen ad interesse, *Carpanus ad stat.
Mediolan. p.* 2. *c.* 379. *num.* 405.

L. Immunitates. 9.

SUMMARIA

A jugatione praediorum, qua jumenta tributariae functioni subjiciebantur, nemini nisi a Principe immunitas datur. num. 1.
Quid juris in encautis seu scripturis publicis? 2.

A jugatione seu capitatione praediorum, qua 1
jumenta tributariae functioni subjiciebantur,
Klock. de aerar. lib. 2. *c.* 80. *num.* 3. nemini
nisi a Principe immunitas datur. Vid. *l.* 1. *supr.
de immun. nem. conced.* Deinde in encautis, id 2
est, scripturis publicis nulla debet jugatio vel
capitatio, id est, aestimatio pensitationis pro
agro ac colonis praestanda scribi sine approba-
tione peraequatorum ac censitorum, *d. l.* 1.

L. Cum antea. 10.

SUMMARIA

Lex haec *localis est. num.* 1.

In capitatione sexus discrimen est habendum, nisi aliud publica lege introductum. 2.

1 Lex localis est, ad provincias hic nominatas earumque civitates pertinet, ut scilicet in capitatione instituenda duo vel tres viri, et mu-
2 lieres quatuor pro uno capite habeantur. Collige: In capitatione discrimen habendum sexus, nisi aliud publica lege introductum, ut *Recess. Imp. anno* 1495. *tit. von den juden*, ubi judaei sine sexus discrimine florenum rhenanum solvere jubentur.

L. Servos. 12.

SUMMARIA

Poena receptatoris colonorum. num. 1.
Occasio fugiendi servis, si receptatores non existant tollitur. 2.

1 Receptator colonorum non tantum debet fugitivos reddere cum interesse Fisci, ut dictum *l.* 8. sed etiam domino cum altero tanto, seu duplo restituere, et praeter capitationem Fisco
2 debet solvere argenti libras 13. Collige: Tolli occasionem fugiendi servis, si receptatores non existant, et receptatores fugitivos etiam alios allicere ad fugam, et sic Fisco etiam obligari.

LL. 13. 16. 21. et ult.

SUMMARIUM

Jus circa liberos colonorum et adscriptitiorum, eorumque conditio.

De liberis ex colonis et adscriptitiis natis ita habetur in *l.* 13. 16. 21. *et fin.* I. Si pater et mater sunt adscriptitii, id est, mancipia terrae adscripta, et uterque colonus est, et tunc soboles pertinet ad eam coloniam, eumque dominum praedii, cujus est pater, et sequitur etiam conditionem patris, per *l.* 13. (Vid. *supr. l.* 12. *et* 15. *de Murilegul.*) quod tamen mutatum per *Nov.* 156. ex qua si aequalis numerus liberorum aequaliter inter colonias dividendi liberi, si inaequalis aut una tantum soboles, quod redundat, matrem sequitur, *Perez. ad hunc tit. in fine.* In qua simul etiam subjicitur, posse dominum de uno praedio colonis abundante in alind transferre indigenas colonos vel adscriptitios, si utriusque dominus sit, ita ut si utrumque praedium diversis personis vendiderit, rata maneat translatio, ita tamen, ut in id praedium, ad quod coloni translati sunt, etiam soboles colonorum transferatur; quia parentes et liberi non debent separari, nec diversis praediis assignari. II. Si vero mater sit originaria, id est, colona vel adscriptitia, et pater liber, sequitur soboles matrem, sicut etiam in aliis casibus soboles semper sequitur conditionem matris, ex regula juris vulgari: Quod partus matrem sequatur, juxta *l.* 16. et ideo quocunque loco soboles reperiatur, ea repetenda est. III. Si vero ex adscriptitia et servo, vel adscriptitio et ancilla nascatur, soboles etiam sequitur matrem, *l. ne diutius h. t.* ubi dicitur, parum interesse inter servum et adscriptitium, cum uterque in domini sui positus sit potestate, atque ita aboletur SCtum Claudianum per *l. un. C. de SCto Claud. toll.* quo soboles sequebatur patrem vel matrem adscriptitiam. IV. Si natus sit ex adscriptitio et libera, tunc etiam soboles sequitur conditionem matris liberam, non tamen impunitam vult esse licentiam adscriptitiorum, si liberas ducant uxores, nam castigari ob id a dominis, et ab uxoribus separari possunt jure civili, (non tamen canonico si non ex errore nupserunt) per *l. ult.* Etsi conceditur conjugium adscriptitiae cum libero, non adscriptitii cum libera, quia hoc casu decrescit aliquid conditioni adscriptitiorum, illo non. Quid autem in rusticis et hominibus propriis juris sit, stylus cujusvis provinciae docebit.

L. Si coloni. 14.

SUMMARIA

Facti species. num. 1.
Remedium possessorium pro rusticis repetendis etiam bonae fidei possessori contra alium bonae fidei possessorem competit. 2.
Limitatur. 3.
Detentori non competit. 4.
Si colonus fugitivus a nemine adhuc possidetur, propria auctoritate capi potest. 5.
Ampliatur. 6.
Exceptiones a regula. 7.
Distinctio possessorii inter summarissimum et ordinarium in h. l. *probatur.* 8.
Servus, qui sui copiam domino per fugam subtrahit, vitio reali laborat. 9.

Colonus vel rusticus, quem hactenus bona fi- 1
de possedi, ad te confugit, repeto eum; respondes, te esse dominum, et vis continenti probare, sed replico, quia fugitivus ille sui furtum fecit, et me spoliavit sui possessione, cujus spolii ille est particeps, qui eum detinet, ideo ante omnia mihi possessionem ejus esse restituendam, et quaestionem dominii vel originis in petitorium differendam esse, quod etiam in *hac lege* approbatur. Notetur; Remedium pos- 2
sessorium etiam pro rusticis repetendis, quod etiam bonae fidei possessori contra alium bonae fidei possessorem competere volunt nonnulli, quos refutat *Menoch. in rem.* 10. *recup. poss. num.* 17. scilicet si nullum adsit vitium reale, 3
ut infra dicetur. Detentori sane non compete- 4
re tradit idem *num.* 25. Et sic fugitivus adscriptitius prius reverti et postea de conditione sua agere potest, *Mevius p.* 4. *dec.* 18. *num.* 7. Si 5
tamen colonus fugitivus a nemine adhuc possideatur, potest propria auctoritate capi, *Menoch. d. l. num.* 48. *et seq.* et locum habet 6
haec lex, licet coloni dignitatis gradum assecuti sint, *Menoch. num.* 93. ubi *num.* 66. excipit Episcopalem dignitatem, et *hanc l.* extendit *num.* 77. *et seqq.* etiam ad Vasallos. Excipitur 7
ab *hac lege:* 1. Casus crudelitatis domini, *Menoch. d. l. num.* 83. Et 2. justa causa recessus vel fugae, *Menoch. num.* 93. Vid. *Gail. de Ar. Imp. cap.* 8. *num.* 16. Communiter ex *hoc textu* 8

probant distinctionem possessorii inter summarissimum et ordinarium, *Carpz. lib.* 1. *resp.* 9. *num.* 9. *et resp.* 10. *num.* 1. *et* 17. *resp.* 12. *num.* 16. quia celeris satisfactionis hic fit mentio; sed possunt illa verba *hujus legis* ad quodvis possessorium referri, et procul dubio conficta est illa distinctio. Vid. *Petr. Frid. de interdict. comment.* 3. *num.* 24. *Sarmient. lib.* 2. *select. interpr. cap.* 13. sed in foro tamen re-
9 cepta. Collige etiam: Servum, qui sui copiam per fugam domino subtrahit, vitio reali laborare, *Rimin. vol.* 1. *cons.* 30. *num.* 3. *et cons.* 66. *num.* 20. Notetur etiam ex *hac lege: DD.* collegisse remedium recuperandae possessionis, de quo *Menochius* pluribus per totum agit in *remed.* 10. *recup. poss s.* et in *hoc remed.* requirit vitium reale et personale, *P. Barbosa in l. si alienam* 12. *num.* 40. *et seq. ff. soluto matrim.*

L. Colonos. 15.

SUMMARIA

Pro fiscalibus debitis coloni ab exactoribus conveniendi non sunt. num. 1.
Nisi ipsi suo nomine quid possideant. 2.
Secus in dominis, qui conveniendi et exigendi. 3.
Ratio regulae num. 1. *traditae.* 4.
Rusticorum causae summarie cognoscendae sunt, et cur? 5.
Idem in clericis et scholaribus. 6.

1 Pro fiscalibus debitis coloni non sunt conve-
2 niendi ab exactoribus, nisi ipsi suo nomine
3 quid possideant, *l.* 4. *supr. h. t.* sed Domini eorum conveniendi et exigendi, *Klock. de contrib. cap.* 18. *num.* 29. *Thom. Merckelbach. in consilio* 5. *dicto tractatui annexo pag.* 77. et idem *Merckelbach*; *inter consilia Klockii vol.* 1.
4 *cons.* 26. *num.* 49. ne dum ad judicia vocantur rusticani, aut etiam detinentur, juxta *l.* 2. *supr. de exactoribus*, ab agricultura avocentur, a qua ne momento quidem avocandi. Notetur hic 1. Hyperbole ad interpretanda dicta testium.
5 2. Rusticorum causas summarie esse cognoscendas, ne avocentur ab agricultura, ut sit omnium rerum ubertas. Videantur notata *ad legem pri-*
6 *mam.* Idem in clericis et scholaribus, *arg. l.* 2. *et l.* 52. §. 2. *C. de Episc. l.* 2. *supr. qui aetate etc.*

L. Per colonum. 17.

SUMMARIA

Jus habitandi per servum alii concedi nequit. num. 1.
Ampliatur. 2.
Domino per colonum non potest praejudicari. 3.
Declaratur. 4.

1 Sicut per servum jus habitandi alii concedi
2 non debet, *l.* 6. *C. quod cum eo etc.* imo nec
3 dominus obligari potest, *l. fin. d. t.* ita nec per colonum domino praejudicari potest, *d. l. fin.*
4 sic nec pignus domino invito per colonum in re constitui potest, *l. ult. C. si aliena res pign.* nec res vendi potest, *l.* 15. *supr. de adquir. poss.* nec a colono in praejudicium domini possessio transferri potest, *l. fin. C. de acquir. poss.*

Lex. 18. non est Authentica.

L. Colonos. 19.

SUMMARIA

Colonorum vel adscriptitiorum conditio. num. 1.
Ratio. 2.

Coloni vel adscriptitii ad nullum honorem e- 1
tiam inferioris militiae adspirare possunt, nec possunt esse apparitores magisteriae potestatis,
id est, magistri militum, tum ut habeatur ra- 2
tio publicae honestatis, ne viles personae admittantur ad honores, tum ne praejudicetur juri dominorum. Vid. *Gail. de Arrest. Imp. cap.* 8. *num.* 19.

L. Litibus. 20.

SUMMARIA

Casus legis. *num.* 1.
Si colonus aut nequeat, aut nolit satisdare, an reditus interim solvere teneatur? 2.
Publica tributa et functiones a quonam solvenda? 3.
Per receptionem canonis et census dominium probatur. 4.
Ex praestatione vel solutione longi temporis aliquis in futurum obligatur. 5.
Limitatur. 6. 7.
Quando inter dominum et colonum vel emphyteutam de libertate praedii lis est, colonus ad perceptionem fructuum cum satisdatione admittitur. 8.
Lapsu instantiae fidejussio de re sequestrata exhibenda finitur et extinguitur. 9.
Cautio sequestrationem cessare facit. 10.

Lex tota loquitur de eo casu, quando coloni 1
se asserunt in libertatem, id est, ajunt se sibi, non vero dominis possidere. In *princ.* Distinguitur aut dominus diu, id est, 10. annos reditus et pensiones a colono percepit, et tunc omnino in possessione defendendus est; aut Dominus non potest inveteratam possessionem allegare, et tunc colonus in libertate defendendus est, si tamen satisdet de solvendis reditibus et pensionibus in casum succumbentiae, quae satisdatio singulis tribus annis renovanda, quia *haec lex* ante *l. properandum C. de judic.* lata: In §§. 1. et 2. circa *secundum distinctionis*
membrum: Quaestio deciditur: *Si colonus aut* 2
nequeat aut nolit satisdare; an interim solvere teneatur reditus? Et distinguitur, an in pecunia consistant, an in fructibus: illo casu reditus solito tempore, quo Domino solvi deberent, sequestrandi et deponendi in aede sacra illius loci vel apud Metropolit. §. 1. hoc vero casu fructus per Judicem vendendi, et pretium de-
ponendum per §. 2. In §§. 3. et 4. Quaeritur: 3

Quid circa publicas functiones seu tributa observandum, et a quo haec solvenda? Distinguit Imperator, aut colonus solvere solebat nomine domini Fisco, et tunc idem postea observandum, aut dominus solvebat, et tunc colonus satisdare debet praestandis domino tributis, per §. 4. aut si satisdare non possit, tunc Judices eam quantitatem, quae ad tributa persolvenda sufficit, domino dabunt ad solvenda tributa, reliquum sequestretur, et ex his omnibus nullum praejudicium creetur domino vel colono, §. *ult.*
4 Collige: I. per receptionem canonis et census probari dominium, *arg. l.* 29. *C. de R. V.*
5 Conf. *Mascardus concl.* 515. II. Ex praestatione vel solutione longi temporis aliquem obligari in futurum, *hic et l. cum de in rem verso* 6. *ff. de usuris*, quando scilicet agitur de praesumendo titulo ad praejudicium illius tantum, qui uniformiter diu aliquid praestitit, per tradita *Menoch. lib.* 3. *praesumpt.* 131. *num.* 72. *Carpz. p.* 2. *const.* 2. *def. ult. Gilken. de praescript. p.*
6 2. *membro* 1. *cap.* 4. *per totum.* Secus in jure personali Vasallagii, ubi 30. anni quidem requi-
7 runtur, *Menoch. d. l. num.* 90. Secus etiam si agatur de prejudicio tertii, *Menoch. d. l. n.* 91.
8 III. Quando inter Dominum et emphyteutam, vel colonum de libertate praedii lis est, colonus admittitur ad perceptionem fructuum cum satisdatione. Et colligitur etiam casus, quo fit sequestratio, scilicet quando colonus longo tempore non solvit censum, et non satisdat, *Carpanus ad Stat. Mediol. p.* 1. *cap.* 111. *num.* 13.
9 Colligunt etiam ex *hac lege:* Lapsu instantiae finiri et extingui fidejussionem de re sequestrata exhibenda, quod tamen displicet *Carpano*
10 *d. l. num.* 90. et cautionem facere cessare sequestrationem, per tradita et allegata *Christin. vol.* 5. *dec.* 87. *num.* 46. *et seqq.*

L. Cum scimus. 22.

SUMMARIA

Duae legis *partes. num.* 1.
Utriusque contenta. 2. 4.
Ex sola scriptura vel confessione nemo fit adscriptitius. 3.
In probationibus, quae non prosunt singula, multa juvant. 5.
Injuria facta uni, toti familiae facta videtur. 6.
Vasallus libertatem contra dominum non praescribit, nisi ab eo tempore, quo ad servitia requisitus ea domino denegaverit. 7.
Pater et filius pro una persona habentur. 8.

1 *L*ex 22. duas habet partes: In I. negatur ex
2 sola scriptura vel confessione partis aliquem
3 adscriptitium fieri, nisi aliae probationes concurrant, scilicet libri censuales, vel insinuatio et depositio apud acta, quia nec servi constituuntur solis instrumentis, *l.* 6. *et l.* 39. *supr. de lib. causa*, ergo nec quasi servitus, scilicet, nisi in judicio facta confessio, *l. pen. C. de lib.*
4 *causa.* In II. dicitur, praescriptione 30. vel 40. annorum non liberari colonum originarium vel ejus filium, etiamsi tamdiu alibi libertate fruitus sit, modo interim pater ejus vel filius vel cognatus vel frater agrum excoluerit ob duplicem rationem: 1. Cum dominus reditus acceperit ab eo, qui in fundo permansit: et 2. Cum pars quasi corporis ejus in fundi cultura permanserit. Collige: I. In probationibus, quae non prosunt 5
singula multa juvant, *hic et l.* 15. §. 1. *ff. de excus. tut. Bald. in rubr. X. de probat. num.* 3. *Menoch. lib. A. Q. cas.* 89. *num.* 67. *Wesenb. consil.* 10. *num.* 42. *Aug. Barb. lib.* 17. *cap.* 34. *axiom. un.* si scilicet multa sunt perfecta, sed propter rei magnitudinem unum non sufficit. II. Injuriam 6
factam uni, toti familiae factam videri, per tradita *Menoch. cas.* 262. *et Surdi dec.* 89. ex quo tamen non sequitur singulos e familia habere actionem injuriarum. III. Vasallum libertatem contra 7
dominum non praescribere, nisi ab eo tempore, quo ad servitia requisitus ea domino denegaverit, per tradita *Rosenth. cap.* 6. *concl.* 82. Nam qui non indiget, et propterea aliquid non requirit, non amittit jus suum. Colligitur etiam ex vers. *cum* 8
pars quodammodo corporis etc. patrem et filium pro una persona haberi, *hic et l. fin. C. de impub. et aliis substitut. Rauchbar. p.* 1. *q.* 15. *num.* 26. *Klock. de aerar. lib.* 2. *c.* 7. *num.* 8.

L. Cum satis inhumanum. 23.

SUMMARIA

Adscriptitius nulla praescriptione contra domini vindicationem se tueri potest. num. 1.
Exempla subjiciuntur. 2.
Constitutionis Anastasianae summa hac in parte. 3.
Extensio hujus legis. 4.
Nemo alienum adscriptitium in suum rus suscipiat, sed simul ac intelligit, servum esse alienum, statim cum sua sobole et peculio restituat. 5.
Poena cunctantis. 6.
Adscriptitii, cum terrae membra vocentur, inter immobilia censentur. 7.
Princeps subditos in eo statu, quo eos reperit, conservare, atque iis jura sua integra servare debet. 8.
Operae rusticorum definitae intra suos terminos coercendae sunt, nec ad alios casus extendendae, aut in alias operas convertendae. 9.
Judex superior ex officio et per mandata poenalia etiam sine clausula providere debet, ne rustici plus aequo vexentur. 10.
Qui bona fide colonum vel aliam rem nactus ex eo, quo intelligit, rem alienam esse, si cunctatur, efficitur malae fidei possessor, et poenis res alienas arripientium obligatur, et ad interesse totius temporis, quin et pacis fractae reus habetur. 11.
Qui adscriptitiae conditionis hominem ab eo, cum quo matrimonium esse non poterat, abstrahere neglexit, in suum damnum eam desidiam reversuram scire debet. 12.

In *pr.* constituitur, quod adscriptitius nulla 1
praescriptione contra domini vindicationem se tueri possit. Idque 1. exemplo curialium: 2
2. Servi fugitivi, qui furtum sui fecit, et quem dominus semper possidere intelligitur, idem in metallariis, *l. fin. supr. de metall.*

In §. 1. mentio fit Constitutionis Anastasia- 3
nae, cujus summam ex *Cujac. sub num.* 18. *hujus tit.* proponit *Godofr.* scilicet agricolas alios esse adscriptitios seu servilis juris, alios

vero liberos, qui dicebantur coloni, hi constituebantur non tantum pacto, sed etiam possessione 30. annorum, si quis etiam per 30. annos coluerit fundum domini, libertate plena potiebatur, per *hunc textum Christin. dec.* 86.
4 *num.* 14. *Hanc legem hic* extendit Justinianus ad eorum colonorum liberos, ut hi sequantur coloniam parentum, id est, ut sint liberi quidem coloni, sed terrae tamen illi addicti; providet tamen colonis illis, nec non eorum liberis, ne praediorum domini ullam iis possint inferri injuriam aut concussionem, nec plus solitis reditibus exigant, quod si quid contra fiat, extra ordinem id vindicandum esse a Praeside.
5 In §. 2. prohibetur, ne quis alienum adscriptitium aut colonum in suum rus suspiciat, sed simul ac quis intelligit, eum alienum esse, statim eum debet restituere cum sua sobole et
6 peculio; si cunctatus fuerit, praeter poenas, *supr. in l.* 8. *et* 12. propositas, totius temporis jugationes et capitationes agnoscat, et Fisco de-
7 pendat. Colligitur I. Adscriptitios inter immobilia censeri, cum vocentur membra terrae.
8 Colligitur: II. Ex *princ. hujus legis:* Quod Princeps subditos suos in eo statu, quo eos reperit, conservare, atque iis sua jura integra servare debeat, *Rolandus a Valle cons.* 1. *num.* 101. *lib.* 1. *Klock. de contrib. cap.* 16. *sect.* 1. *num.* 168. et quemlibet in sua possessione defendendum, *Encnck. Baro de privil. lib.* 2. *c.* 6. *num.* 12.
III. Quod operae rusticorum definitae, intra 9
suos terminos coercendae sint, nec ad alios casus extendendae, aut in alias operas convertendae, *hic et c. fin. X. de off. Archidiac. Klock. de contrib. c.* 12. *num.* 51. *et Thom. Merckelbach. in d. tr. cons.* 6. *pag.* 81. *Carpz. lib.* 1. *resp.* 54. *num.* 7. *et resp.* 56. *num.* 19. *et resp.* 58. *n.* 1. *Menoch. cons.* 32. *n.* 62. *Wehner. in pract. obs.* verbo: *Dingnotul etc.* Colligitur IV. Judi- 10
cem superiorem ex officio et per mandata poenalia etiam sine clausula providere debere, ne rustici plus aequo vexentur, *hic et l.* 6. §. 2. *ff. de off. Praesid. Gail. lib.* 1. *obs.* 17. *num.* 17. *in fin. et lib.* 1. *de P. P. c.* 2. *num.* 2. *Carpz. lib.* 1. *resp.* 53. *num.* 9. *et seqq.* et libellum praescribit, *Spec. lib.* 3. *tit. de censibus* §. 2. *num.* 2. Ex §. 2. Colligitur: Qui bona fide na- 11
ctus est colonum vel aliam rem, ex eo, quo intelligit rem alienam esse, si cunctetur, effici malae fidei possessorem, et obligari poenis res alienas arripientium, et ad interesse totius temporis, quin et fractae pacis reus habetur, *Ord. Cam. p.* 2. *tit.* 14. Ex fine *legis* colligitur: Eum, 12
qui adscriptitiae conditionis hominem ab eo, cum quo matrimonium esse non poterat, abstrahere neglexit, scire debere, in suum damnum eam desidiam reversuram, *Mevius p.* 6. *dec.* 102. *num.* 1.

TITULUS XLVIII.

De capitatione civium censibus eximenda.

L. Plebs urbana. un.

SUMMARIA

Coloni censiti tributum personale seu capitationem regulariter solvunt. num. 1.
Exceptio in quibusdam. 2.
Capitatio ab inferiori, nisi de horum consensu, indici nequit. 3.

1 Coloni censiti regulariter tributum personale seu capitationem solvunt, *l.* 1. *infr. ne rusticani etc.* exceptis Thracensibus et Illyricanis, de 2
quibus *infr. tit.* 51. *et* 52. et colonis Ecclesiae Thessalonicensis, *l.* 12. *supr. de annonis.* Sed plebs urbana a capitationis onere exempta. Collige: 3
Capitationem ab inferiore indici non posse, nisi de horum consensu. De capitatione videbis plura apud *Petr. Greg. lib.* 3. *c.* 5. *num.* 10. *et seqq. Klock. de contribut. c.* 1. *et* 17. *passim, et in tr. de aerar. l.* 2. *c.* 79. *num.* 50. *et seqq.*

TITULUS XLIX.

In quibus causis coloni censiti Dominos accusare possint.

L. Quisquis. 1.

SUMMARIA

Tenor legis. *num.* 1.
Quando tractus temporis futuri ob jus praesens spectat ad judicem, tunc in futurum etiam reum condemnare potest, ut in actione negatoria. 2.
Is, qui ampliores postulat operas, quam hactenus colonus praestiterat, eas probare tenetur. 3.
Colonus probare tenetur, quod ampliores solito operas imposuerit dominus, et indebitae et ultra consuetum exactae pensitationes et collectae repeti possunt. 4.

Consulitur hic colonis contra dominos, ne plus 1
aequo hi ab illis exigant, nam coloni possunt adire Judicem, et violentiam probare, et tunc dominus id, quod supra modum extorsit, restituere tenetur, et prohibendus, ne imposterum plus justo exigat. Collige: Quando tractus tem- 2
poris futuri ob jus praesens spectat ad Judicem,

quod tunc in futurum etiam condemnare pos-
sit reum, ut in actione negatoria, *DD. hic et*
Perez. num. 2. *Christin. dec.* 89. *num.* 5. *Carpz.*
3 *lib.* 1. *resp.* 51. *num.* 15. et quod is, qui am-
pliores postulat operas, quam hactenus colonus
praestiterat, teneatur eas probare, *Susan. de*
hom. propr. c. 5. *num.* 36. *Klock. de contrib.*
4 *c.* 2. *num.* 41. Colonus vero tenetur probare,
quod ampliores solito operas imposuerit domi-
nus, *Merckelbach. inter consil. d. tract. annex.*
cons. 5. *pag.* 75. et quod indebitae et ultra
consuetum exactae pensitationes et collectae re-
peti possint, *Merckelbach. cons.* 6. *pag.* 81. Con-
feratur, *Mevius p.* 4. *dec.* 131. *num.* 5. quae an
huic legi consentanea sint, dubito.

L. Coloni. 2.

SUMMARIA

Coloni censibus adscripti dominum in judicio in causa civili convenire nequeunt. num. 1.
Rationes. 2.
Secus in causa criminali. 3.
Cui persona est subjecta, ei res etiam, mobiles praesertim, subjectae sunt. 4.
Ratio. 5.
Exemplum, ubi dominus alienare nequit. 6.
Colonus in hoc puncto deterioris est conditionis, quam servus, et in quonam. 7.

Coloni censibus adscripti in judicio dominum 1
convenire non possunt in causa civili: Quia 1. 2
servilis quasi sunt conditionis respectu domini,
licet per se liberi, dum a domino cum fundo
distrahi possunt: 2. quia ipsi non tantum, sed
etiam omnia quae habent, sunt dominis subje-
cta, quoad obligationem scilicet et colonariam
conditionem, non verum dominium, adeo ut
de suo peculio, ignorante domino, nihil alie-
nare possint, sed excipitur casus superexactio-
nis, id est, quando plus debito domini exigunt,
hic et l. pen. §. 1. vers. *caveatur, supr. de agric.*
et l. 1. *h. t.* Sane in criminali causa ob suam 3
vel suorum injuriam dominum accusare pos-
sunt. Collige: I. Cui subjecta est persona, ei 4
etiam subjectae sunt res, mobiles praesertim,
quia persona ut nobilior et principalior trahit 5
ad se bona, *hic et Auth. ingressi C. de SS. Eccl.*
II. Hic esse exemplum, ubi dominus non po- 6
test alienare: et III. Colonum in hoc puncto de- 7
terioris esse conditionis, quam servum, cum hic
de suo peculio alienare possit, modo non donet,
l. 28. §. *fin. ff. de pact.*

TITULUS L.

De colonis Palaestinis.

L. Cum per alias. un.

SUMMARIA

Colonorum in Palaestina libertati derogatur. n. 1.
Poena eorum, qui hos recipiunt. 2.
Ex locorum diversitate diversitas juris nondum inducitur. 3.
Uniformis juris observatio in toto imperio esse debet. 4.
Dominus fugitivos colonos capiendi potestatem habet, si a nemine detineantur. 5.
Ratio. 6.
Jura, quae in vicinis recepta, etiam hic, si contrarium non probetur, recepta videntur. 7.

1 Coloni in Palaestina sibi libertatem aliquam
abscedendi pro lubitu a suis fundis arrogabant,
sed Imperator hic hanc ipsis derogat faculta-
tem, et puniri jubet eorum receptatores, et 2
dominis datur facultas fugitivos revocandi, ut
ita sit aequalis omnium colonorum in toto Im-
perio conditio. Collige: I. Ex locorum diversitate 3
nondum induci diversitatem juris, *l. fin. C. de*
temp. in integr. rest. II. Uniformem observationem 4
juris in Imperio toto esse debere. Collige hinc: 5
dominum habere potestatem fugitivos colonos
capiendi, si a nemine detineantur, quia non 6
videtur invadere alienum, sed suum retinere,
secus si ab alio detineantur, vel diu in liber-
tate fuerint, parati judicium liberale suscipere,
Perez. hic num. 2. *Christin. dec.* 89. *num.* 11.
Colligitur etiam ex *hac lege un.* jura, quae in 7
vicinis recepta, etiam hic, si contrarium non
probetur, recepta videri, *l. cum de lanionis* §.
asinam, et ibi Gloss. ff. de fundo instr. c. ex
parte X. de censib. Klock. cons. 20. *num.* 332. *et*
cons. 28. *num.* 410. *et cons.* 29. *num.* 324. *vol.* 1.

TITULUS LI.

De colonis Thracensibus.

L. Per universam. un.

SUMMARIA

Thracensium colonorum privilegium. num. 1.
Privilegii causa. 2.
In distributione collectarum ad soli foecunditatem respiciendum est. 3.
Privilegia ab uno casu ad alium extendenda facile non sunt. 4.

Thraciarum provinciarum sive Romaniae co- 1
loni, in hoc singulari privilegio fruuntur, ut
tributum capitis non praestent, sed tantum tri-
butum soli, in caeteris vero a caeteris colonis
non differunt; nam nec a fundo abscedere pos-
sunt, et qui eos detinet, non tantum ipsos cum

progenie et peculio, sed etiam duas libras auri
2 domino restituere jubetur; causa privilegii est,
quod ea provincia coelum babeat asperum et
3 solum infoecundum. Collige: I. In distributione
collectarum, ad soli foecunditatem esse respiciendum. II. Privilegia non facile ab uno ca- 4
su ad alium extendenda, *Schrad. de feudis p.* 10. *sect. ult. num.* 180. et quos citat *Georg. Enenckel. de privil. lib.* 2. *cap.* 4. *num.* 2. *et seq. Ant. Barb. locupl. lib.* 14. *cap.* 83. *axiom.* 11.

TITULUS LII.

De colonis Illyricanis.

L. Colonos. un.

SUMMARIA

Colonorum Illyricanorum privilegium. num. 1.
Interesse extra rem, quod in industria personae consistit, regulariter non consideratur, nisi in actionibus arbitrariis. 2.
Aliud in detentore alienorum colonorum, qui etiam ad interesse obligatur. 3. 4.
Omnes scire debent, quod suum non est, ad alios pertinere. 5.
Nemo alienum suscipere debebat, nisi accepto testimonio. 6.
Poena secus facientis. 7.

1 Coloni vel inquilini Illyricani seu Sclavonici, exemplo Thracensium, etiam immunes sunt a capitatione sive tributo personali, quod, vel genti ob bene merita, vel ob conditionem soli datum, quia hoc fertile quidem, sed alicubi paludosum, alibi saxis et rupibus horret. Sed in aliis non distant a colonorum aliorum conditione; nam recedere non possunt a fundo, et qui eos recipit, tenetur domino in id, quod interest, et mulctatur arbitrio judicis; dominus etiam fundi, in quo receptus fuit alienus colonus, arbitrio judicis coercendus, cum scientia hic praesumatur. Et eodem modo coercendus susceptor liberti, susceptor vero servi Illyricani condemnandus est, quanti ea res est, et in quadruplum. Collige: I. Quamvis interesse 2
extra rem, quod in industria personae consistit, regulariter non consideretur, nisi in actionibus arbitrariis ob locum in *l.* 21. §. 3. *ff. de act. empt. Don. lib.* 26. *cap.* 23. per tradita *Salyc. in l. un. num.* 37. *C. de sent. quae pro eo quod etc.* detentorem tamen alienorum colonorum 3
ad id quoque obligari. II. Colonum incogni- 4
tum qui recipit, hoc ipso ad interesse domino teneri, ut hic etiam valeat ratio *l. ult. C. unde vi.* Omnes scire debere, quod suum non 5
est, ad alios pertinere. Et nemo debebat alienum 6
suscipere, nisi accepto testimonio, *(Er bringe denn seine Rundschafft)*, in quo saepius erratur. Nota tamen: si quis non requisitis testimo- 7
nialibus receperit colonum vel opilionem, a poena non liberari, ob ignorantiam affectatam.

TITULUS LIII.

Ut nemo ad suum patrocinium suscipiat rusticanos, vel vicos eorum.

L. Si quis. I.

SUMMARIA

Liberi homines in potentioris alicujus protectionem se suasque fortunas quandoque conferebant, et cur? num. 1.
Suscepti clientes dicti sunt. 2.
Quid inde susceptores lucrati fuerint? 3.
Clientela haec damnatur. 4.
Singulorum versuum contenta. 5. 6. 7. 8. 9. 10.
Contractus simulatus in fraudem Fisci vel aliorum factus, ipso jure nullus est. 11.
Jus clientelare hodie usitatum semper intelligendum sine praejudicio Fisci et ordinarii magistratus. 12.
Declaratur. 13.
Notarius vetitum contractum scienter scribens, variis poenis coercetur. 14.
Lex interdum etiam ad praeterita trahitur, ut h. l. *num.* 15.
Ampliatur. 16.

1 Liberi homines nonnunquam in alicujus potentioris protectionem se suasque fortunas omnes conferebant, ut ab eo in fortunis defenderentur, etiam a publicis tributis, et hi clientes 2
vel suscepti dicebantur; Vid. *Godofr. in l.* 132. *pr. lit. R. ff. de V. O.* Potentiores autem bona 3
clientum sibi vindicabant, vel relinquebant susceptis sub certa mercede. Sed haec clientela 4
hic et Nov. 17. *cap.* 13. damnatur. Et 1. quidem 5
tales contractus irriti pronunciantur, quocumque praetextu vel venditionis, vel donationis, vel conductionis fiant. 2. In vers. *tabellionibus*, 6
Notariis publicis, qui scientes talem contractum scripserunt, bonorum proscriptionem dictat. 3. In vers. *vicis etiam*, punit ipsos clientes, 7
quod scilicet eorum bona confiscanda. 4. In vers. 8
hae autem, sancit poenam ipsis susceptoribus, vel mulctam 100. lib. auri, vel si mediocris fortunae sint, confiscationem. 5. In vers. *eadem* 9
poena, puniuntur mediatores et ministerium praebentes. 6. In vers. *quam formam*, statuit 10
tempus, a quo haec sanctio vigere debeat. Collige: 11
I. Contractus simulatos in fraudem Fisci vel aliorum factos ipso jure esse nullos, *hic et l. pen. C. de resc. vend. Christin. d. dec.* 89. *num.* 21. II. Jus clientelare hodie usitatum semper intel- 12

ligendum sine praejudicio Fisci et ordinarii Ma-
13 gistratus. Nec igitur jurisdictio, nec collectandi jus, nec ea, quae in pactis non sunt comprehensa in advocatum tutelarum sive protecto-
14 rem transeunt, *Gail. lib. 2. obs.* 54. III. Notarium vetitum contractum scribentem scienter, variis poenis coerceri, *hic et l. jubemus* 14. §. 3. *C. de SS. Eccles. l. 2. supr. de eunuch. l. 1. supr. de immun. nemini conced. lib. 2. feud. c. imperialis de prohibita feudi alien. per Frider. Menoch. lib. 2. A. Q. casu* 381. *num.* 311. *et casu* 569. *num.* 25. *et casu* 582. *Guido Papae dec.* 434. *Myns. cent.* 6. *obs.* 65. *Farin. q.* 151. *parte* 2. *per tot.* Ob ignorantiam tamen juris statutarii interdum mitius punitos ex *Pap.* refert *Christin. d. dec.* 89. *num.* 28. IV. Interdum legem 15
etiam trahi ad praeterita, ut hic, maxime 16
quando reprobantur ea, quae cum jure naturae pugnant. Vid. *Gail. lib.* 2. *obs.* 9. *in fine*, et quae notata ad *l.* 7. *supr. de legibus*.

L. Si cujuslibet. ult.

SUMMARIUM

Sensus legis.

In conjugiis servorum liberos sequi conditionem matris, notissimum est.

TITULUS LIV.

Ne rusticani ad ullum obsequium devocentur.

L. Ne quis. 1.

SUMMARIA

Intellectus legis. *num.* 1.
Servitia rusticorum potius restringenda sunt, quam extendenda, et ita exigenda, ut rus colere et se alere possint. 2.
Nec adigendi rustici ad praestanda servitia extra nobilis domicilium. 3.
Rustici regulariter ac subditi, ligna aliamque materiam aedificiis dominorum aedificandis necessariam convehere non sunt obligati. 4.
Exactio operarum contra jus commune est, et haec ab allegante probanda, estque odiosa. 5.
Meri subditi, qui ratione fundi obligati non sunt, Dominum ad bellum proficiscentem comitari non tenentur. 6.
Defensio tamen injungi potest. 7.
Subditus ad servitia non consueta compelli non debet. 8.

1 Rustici tantum capitationem praestabant, et aunonarium tributum, quod si solvant, ad alia onera extraordinaria, v. gr. ad prosecutionem mularum vel equorum fiscalium compelli non debent, ut frugibus ferendis, colligendis, rurique
2 que colendo vacent. Collige: I. Servitia rusticorum potius esse restringenda, quam extendenda, et ita exigenda, ut rus colere et se alere
3 possint, *Gail. lib.* 2. *obs.* 62. *in fin.* nec adigendos eos ad praestanda servitia extra domi-
4 cilium nobilis, *Carpz. lib.* 1. *resp.* 57. Sic regulariter rustici ac subditi ligna aliamque materiam aedificiis dominorum aedificandis necessariam convehere haud sunt obligati, *Carpz. p.* 2. *const.* 52. *def.* 1. *et lib.* 1. *resp.* 51. *num.* 1.
5 et exactio operarum est contra jus commune, et sic ab allegante probanda, estque odiosa, *Natta cons.* 185. *num.* 10. *Thomas Merckelbach. inter cons. Klockii vol.* 1. *cons.* 26. *num.* 29. *Klock.*
6 *ipse in tr. de contrib. c.* 2. *num.* 40. Et subditi meri, qui non ratione feudi obligati, dominum ad bellum proficiscentem comitari non tenentur, *Klock. de contrib. c.* 3. *num.* 292. *Gerh. Buxtorff. cons.* 2. *tractatui Klockii annexo pag.* 16. *col.* 2. *et Thomas Merckelbach. in cons. Klock. vol.* 1. *cons.* 20. *num.* 81. *et* 87. Defensio tamen injungi potest, *Merckelbach. d.* 7
l. num. 102. post *Luc. de Penna* hic; nec debet 8
subditus compelli ad servitia non consueta, *Klock. t.* 1. *consil.* 28. *num.* 182.

L. Si qui. 2.

SUMMARIA

Sensus legis. *num.* 1.
Magistratus ne quidem a volentibus subditis insolitas operas exigere, nec subditum nisi cum protestatione exhibere debet. 2.
Ratio. 3.
Clericus nec sponte se laico subjicere potest. 4.
Operarum possessio et servitia indebita per dominorum impressionem et vim extorta praesumuntur. 5.

Officiales rectorum, et alii, qui officia gerunt, 1
non debent rusticos aut eorum mancipia vel jumenta ad aliquod obsequium compellere, nec rustici sponte ea obsequia praestare debent; utriusque poena dictatur publicationis bonorum et exilii perpetui. Causa severitatis in favore publico, et ne a cultura agrorum subducantur. Collige: I. Magistratum ne quidem a volentibus 2
subditis insolitas operas exigere debere, nec subditum nisi cum protestatione exhibere debere, quia haec in praejudicium posteritatis et 3
Reipubl. pedetentim vergunt: nec posse cleri- 4
cum se subjicere laico, licet sponte hoc faciat, *c.* 12. *X. de foro compet.* II. Collige: Operarum 5
possessionem et servitia indebita per dominorum impressionem et vim extortam esse praesumi, *Molin. in consuet. Paris. tit.* 2. §. 76. *num.* 16. *et seqq. Mascard. concl.* 1308. *Schrad. de feud. p.* 10. *sect.* 5. *num.* 109. et quos citat *Klock. d. tr. de contrib. c.* 2. *num.* 44.

TITULUS LV.

Non licere habitatoribus metrocomiae loca sua ad extraneum transferre.

L. In illis. un.

SUMMARIA

Jus Protimiseos abolitum, et cur? num. 1.
Casus specialis exceptus. 2.
De jure retractus ex confinio, remissive. 3.
Jus retractus ex societate vel communione fluens de aequitate, non de jure competit. 4.
Statuta, quibus alienatio in extraneum facienda prohibita, favore digna sunt. 5.
Nemo gaudet civitatis privilegiis, nisi in numerum civium sit descriptus. 6.

1 Quamvis jus Protimiseos ob proximitatem sanguinis et vicinitatem sit abolitum, per *l. dudum* 14. *C. de contrah. empt.* nihilominus tamen in
2 *d. l.* 14. excipitur casus *legis* specialis, qualis hic est: Nam incola alicujus vici et villae vel metrocomiae, id est, vel matricis unde coloniae in alias ductae sunt, non potest suum praedium extraneis statim vendere, sed debet illud offerre convicaneis suis et vendere; si contra fiat, contractus est ipso jure nullus; ratio, ne extraneum invitum vicinum acquirant. Et sic *haec lex* novam limitationem addit ad eam regulam, quam proponit *Carpzov. part.* 2. *const.* 31. *def.* 1. *et seq.* Non itaque concedo in his praediis vicinum praeferri ex aequitate tantum, ut vult *Gratianus lib.* 3. *discept. cap.* 546. *num.* 1. sed verior est sententia *Fabiani de Monte in tr. de empt. q.* 5. *princ. q.* 28. *num.* 41. Et de hoc jure retractus ex confinio 3
agit *Rauchbar. p.* 1. *q.* 43. *num.* 22. *Berlich. p.* 2. *concl.* 39. *num.* 6. Sed de jure retractus, 4
quod ex societate vel communione fluit, concedo, illud de aequitate non de jure competere, *Guido Papae sing.* 780. *Hippol. de Marsil. sing.* 441. *Aug. Barb. ad l.* 4. *C. de commun. rerum alienat. num.* 3. *et seq. Struv. synt. jur. civil. exerc.* 23. *th.* 55. Colligitur etiam ex *hac* 5
lege: Quod statuta, quibus alienatio in extraneum facienda sit prohibita, sint favore digna, *Klock. de contribut. c.* 12. *num.* 182. Item non 6
gaudere aliquem privilegiis civitatis, nisi sit in numero civium descriptus, *Enenckel. de priv. l.* 1. *c.* 5. *num.* 4.

TITULUS LVI.

Ut nullus ex vicaneis pro alienis vicaneorum debitis teneatur.

L. Grave est. un.

SUMMARIA

Actio ex contractu vel delicto contra personam obligatam tantum datur, non contra tertium. num. 1.
Vicaneus pro sui vicanei debito conveniri nequit. 2.
Specialis ratio in navicularis. 3.
Magistratibus contrahere non licet, ut pro universitatis debito liceat certae alicujus villae personas capere, et tale pactum, nisi omnium civium consensus accedat, ipso jure est nullum. 4.
Portio ejus, quem Rex vel Princeps a censu vel collectis eximit, aliis accedere, vel aliorum portionem gravare non debet, sed Princeps sibi detrahat. 5.
Repressaliae in jure civili reprobantur. 6.

1 Actio ex contractu vel delicto tantum datur contra personam obligatam, non contra tertium, *l. pen. C. de O. et A.* Ex quo patet, 2
vicaneum pro sui convicanei debito non posse conveniri, *hic et Nov.* 52. *cap.* 1. et in navi- 3
culariis, *l. fin. supr. de naufr.* est specialis ratio, per dicta ibidem. Collige: Non licere ita 4
contrahere Magistratibus, ut pro debito universitatis liceat capere personas villae alicujus, et tale pactum esse ipso jure nullum, nisi accedat consensus omnium civium, de quo in *l. civitas ff. de rebus cred.* agitur fusius, et vid. *Hartm. Pist. p.* 1. *q.* 37. *per tot.* Colligunt ex *hac* 5
lege: Si Rex vel Princeps eximat aliquem a censu vel collectis, quod ejus portio non debeat aliis accedere, vel aliorum portionem gravare, sed debeat Princeps sibi detrahere, *Thomas Michael de jurisd. concl.* 27. *in fin.* et hunc aliosque referens *Klock. c.* 28. *num.* 386. *et seq. vol.* 1. Colligitur etiam: Repressalias in jure 6
civili reprobari, *Christin. dec.* 90. *num.* 24. *et seq. Gail. de pignorat. obs.* 1. Vid. not. supr. *ad Auth. sed omnino C. ne uxor pro marito etc.*

TITULUS LVIII.

De censibus et censitoribus, et peraequatoribus et inspectoribus.

L. Quoniam. 1.

SUMMARIA

Census est descriptio jugerum. num. 1.
Facti species. 2.
An tabulis censualibus sit standum? 3.
Libri censuales ex causa justa semper emendari possunt. 4.
In dubio antiquis standum est. 5.
Quoties lis inter pauperem et potentiorem super censu intercedit, contra potentiores praesumitur. 6.
Quando lis pendet super hoc, an exactor plus solito subditum gravaverit, lite hac pendente debitor ad integram solutionem non compellitur, sed tantum ad solitam portionem. 7.

1 Census sunt descriptiones jugerum, has emendabant censitores vel peraequatores juxta *l. for-*
2 *ma ff. h. t.* Fiebat ergo saepius, ut aliquo praetextu a tabellariis vel peraequatoribus aliquid de censu potentioribus adimeretur et adscribe-
3 tur pauperibus, Quaeritur: *An standum sit tabulis censualibus?* Quod neg. sed secundum antiquum censualis professionis modum exigendum
4 esse censum. Collige: I. Libros censuales ex causa justa emendari semper posse, per *Rec. Imp. de anno* 1512. §. *und solches etc. Klock. de contrib.*
5 *c.* 17. *num.* 131. II. In dubio standum esse an-
6 tiquis, *Besold. cons.* 277. *num.* 13. III. Quoties lis inter pauperem et potentiorem super censu intercedit, praesumi contra potentiores, *Klock. d. tr. c.* 17. *num.* 96. *et in tr. de aerar. l.* 2. *c.* 51. *num.* 1. *et seq. Heig. lib.* 1. *q.* 18. *num.* 32.
7 Quando lis pendet super hoc, an exactor plus solito subditum gravaverit, lite hac pendente debitorem non compelli ad integram solutionem, sed tantum ad solitam portionem, *Klock. de contrib. c.* 18. *num.* 45. *et cons.* 28. *num.* 29. *Lancell. de attent. c.* 4. *limit.* 25. *num.* 6.

L. Quisquis. 2.

SUMMARIA

Censuales tabulae pro redituum modo conficiendae et emendandae sunt. num. 1.
Deteriorato praedio census relevari debent. 2.
Restringitur. 3.
Omnia beneficia, quae paupertati tribuuntur, in paupertate fraudulenter procurata vel mentita cessant. 4.
Ratio. 5.
Qui in fraudem census vel tributorum fundum incultum jacere permittit, nullam relevationem sentire debet. 6.
Excisio arborum licet sit culpae species, quandoque tamen est boni patrisfam. 7.

Pro modo redituum censuales tabulae sunt con- 1
ficiendae et emendandae, *l.* 2. *supr. de praediis navic. Surdus cons.* 24. *num.* 1. *Klock. cons.* 28.
num. 381. Ergo si praedium fuit deterioratum, 2
relevari debet, *d. l. forma* 4. *ff. h. t.* modo id 3
non data opera a possessore factum, scilicet si vites vel arbores exciderit, nam eo casu nihilominus eum numerum profiteri debet, qui fuit census tempore, *hic et d. l.* 4. §. 1. *in fin.* nisi habuerit justam causam computandi supervacua sarmenta, vel ramos luxuriantes, aut arbores copiose succrescentes, nam talis excisio non
inopiam parit, sed copiam. Collige: I. Omnia 4
beneficia, quae paupertati tribuuntur, v. gr. quod cedere possit bonis, et quod immunitatem habeat a muneribus, *l.* 3. *et seq. supr. de his, qui num. lib.* et similia, cessare in paupertate
fraudulentec procurata vel mentita, quia et 5
poenam incurret censitus, *Besold. cons.* 234.
num. 27. *Christin. dec.* 91. *num.* 8. II. Qui in 6
fraudem census et tributorum fundum incultum jacere permittit, nullam sentire debere relevationem, *Perez. ad hunc. tit. num.* 7. III.
Quamvis excisio arborum sit culpae species, *hic* 7
et l. 25. §. 5. *ff. loc.* interdum tamen boni esse patrisfamilias, *arg. h. l. in fin.*

L. Si Peraequatore. 3.

SUMMARIA

Casus legis. *num.* 1.
Quaestio inde deducta. 2.
Aestimatio et descriptio fundi semper in re praesenti est facienda, et res subjicienda oculis. 3.
Praecedens fraus possessoris facit, ut aestimatio secuta valeat, licet nec ratione formae, quae absente Domino facta, nec materiae ratione, si in pretio gravatus, alias valeret. 4.

Peraequator sive emendator descriptionis cen- 1
sualis, (de cujus officio vid. *Klock. cap.* 15. *num.* 12.) missus est in tuum praedium ad faciendam revisionem, tu autem subtrahis procuratorem fundi, vel colonum fugas, ne ille simul describatur et censeatur, vel ne peraequator veros reditus ab eo discere possit; peraequator nihilominus, quasi colonus praesens esset,
cum in censum redigit, imo etiam pluris aestimat fundum quam in rei veritate est; Quae- 2
ritur: *An recte?* Quod aff. Imperator, nam licet erraverit peraequator, fraus tamen tua prae-
cessit. Collige: I. Aestimationem et descriptio- 3
nem fundi semper in re praesenti esse faciendam et rem oculis subjiciendam, *Klock. cap.*

17. *num.* 191. *Christin. d. dec.* 91. *num.* 12.
4 II. Fraudem possessoris praecedentem facere, ut aestimatio secuta valeat, licet nec ratione formae, ut quae absente domino facta, nec ratione materiae, si in pretio gravatus, alias valeret, *Christin. d. l. num.* 13. *Perez ad hunc tit. num.* 5.

L. Omne. 4.

SUMMARIA

Descriptio semel facta ob iniquitatem vel casum emendari potest. num. 1.
Exemplum declaratur. 2.
An et quatenus portio pauperum alios cives opulentos gravare soleat? 3.
Deterioratio fundi, hostili casu facta, justa emendationis aestimi causa est. 4.

1 Descriptio semel facta, ob iniquitatem, vel ob causam emendari potest, *hic et l. forma ff.*
2 *h. t.* Nonnullorum igitur civium praedia incendio vel eluvione si perdita, denuo facienda est aestimatio, et fertilia cum sterilibus compen-
3 sanda. Collige: Portionem pauperum gravare alios cives opulentos, si scilicet certa ac determinata pecuniae quantitas territorio indicta, *Christin. d. d.* 91. *num.* 15. *Klock. cap.* 17. *num.* 155. *Merckelbach. cons.* 5. *d. tract. annexo p.* 75. *col.* 1. *Klock. d. cons.* 28. *num.* 401. *vol.* 1. secus si singulis de universitate personis collecta indicatur, nam tunc defectus unus alium non gravat; Vid. *Klock. cap.* 13. *num.* 72. et peraequationem totius faciendam, quoties defectorum levamen exposcit, *Klock. cap.* 17. *num.* 127. *et cons.* 28. *num.* 212. *vol.* 1. *et num.* 390. *Thes.*
4 *dec.* 239. *num.* 11. Et ideo si casu hostili praedium deterioratum, causa haec justa est emendationis aestimi, *Klock. d. cap.* 17. *num.* 137. *et cap.* 19. *num.* 124. *Carpz. lib.* 4. *resp.* 73. *num.* 10. *Menoch. cons.* 9. *num.* 5. *etc.*

L. Qui gravatos. 5.

SUMMARIA

Intra quod tempus actio ob iniquam peraequationem detur? num. 1.
Remedia, quibus iniqua collectatio atque allibratio impugnari possit. 2.
Quatuor legis *limitationes.* 3.

1 Actio ob iniquam peraequationem datur intra annum post completam peraequationem, traditosque peraequationis libros, postea non audiuntur, nisi ob novam causam. Sed excipiuntur hic minores, et qui Reipubl. causa absunt, nam his ex eo die, quo agere possunt, hic annus
2 computandus est. Collige: I. Remedium, quo iniqua collectatio atque allibratio impugnari potest, puta per implorationem officii Judicis, *Surdus cons.* 65. *num.* 9. *Klock. de contrib. cap.* 1. *num.* 353. II. Praescriptionem annalem officii Judicis, Vid. *Balb. de praescr. p.* 4. *quaest.* 30. *num.* 6. *et seqq. Besold. cons.* 277. *num.* 12. *Petr. Greg. lib.* 47. *cap.* 16. *num.* 29. *Christin. d.* 91.
3 *num.* 21. *et seqq.* Sed legem hanc limitat *Thes. dec.* 239. *num.* 11. Nisi 1. altera pars sciverit inaequalitatem, nam tunc esset in mala fide. Nisi 2. Respubl. sit laesa, quia haec utitur jure pupillorum, *l. pen. supr. de jur. Reipubl.* Nisi 3. petatur restitutio ex capite ignorantiae; post vero annum admittunt remedium nullitatis, *Christin. d. dec.* 91. *num.* 5. *Perez. hic num.* 28. sed et de eo dubito. Nisi 4. actus esset iterabilis. Et videtur *lex haec* loqui de actu reiterabili. De his et aliis declarationibus *Thesauri*, Vid. *Menoch. cons.* 1144. *num.* 80.

L. Peraequatores. 6.

SUMMARIA

Poena peraequatoris seu discussoris, qui negligenter et ex gratia censum aestimat. num. 1.
Dolus exceptis poenis criminalibus culpae regulariter aequiparatur. 2.
Ob culpam latam infamis quis redditur. 3.
Peraequatores, si per vim plus debito extorserint, in quadruplum puniuntur. 4.

Peraequator seu discussor, qui negligenter et 1
ex gratia censum aestimat, primo incurrit infamiam, deinde salario a Fisco accepto se indignum reddit, idque in quadruplum tenetur Fisco restituere; si vero a principali aliquid acceperit, ut sarcinam alicui adimeret, acceptum etiam in quadruplum tenetur restituere. Collige: I. Do- 2
lum, exceptis criminalibus poenis culpae regulariter aequiparari, *l.* 11. §. *ult. ff. de his qui not. l.* 223. *ff. de V. S.* II. Ob culpam latam etiam 3
reddi aliquem infamem. Vid. *l.* 2. *et Bacch. in Treutl. vol.* 2. *disp.* 9. *th.* 4. *lit. G. et Zasius in l. quod Nerva* 22. *ff. depositi.* Collige etiam: Perae- 4
quatores si per vim plus debito extorserint, in quadruplum puniri, *Menoch. lib.* 2. *A. Q. casu* 443. *num.* 3. *Damhud in pr. crimin. cap.* 99. *num.* 6. *et seqq. Farin. q.* 173. *num.* 59.

L. Apud eum. ult.

SUMMARIA

Sensus legis. *numm.* 1. 3.
Quem de evictione tenet actio, eumdem agentem multo magis exceptio repellit. 2.
Nemo alterius culpa dispendio subjacere debet. 4.
Actio hypothecaria et personalis in hoc casu sex mensibus praescribitur. 5.
In rei vindicatione bonae fidei possessori semper meliorationes, habita fructuum ratione, restituendae sunt. 6.
Distinctio in textu notatur. 7.

Peraequatores praedia a Dominis derelicta so- 1
lebant aliis addicere, sed quia ipse Fiscus videbatur vendere, ideoque ob reliqua tributa a Fisco conveniri non poterant; Quem enim de 2
evictione tenet actio, eumdem agentem multo magis repellit exceptio, *l.* 17. *ff. et l.* 11. *C. de evict. ibique Auctor num.* 9. licet alias sine 3
censu vendi ab alio non possit, *tot. tit. C. sine censu etc.* post addictionem autem factam, creditores, quibus praedium illud obligatum est

vel debitum, admittuntur, (si restituant meliorationes) intra 6. menses, postea non, quia etiam simili praescriptione excluditur Dominus, *l.* 11. *tit. seq.* aliud autem, si sua sponte quis locum desertum occupaverit, ubi praescriptio
1 biennii, *l.* 8. *t. seq.* Nota I. Alterius culpa
5 neminem debere subjacere dispendio. II. Actionem hypothecariam et personalem, in hoc casu sex mensibus praescribi, *Christin. dec.* 9. *num.* 32. *Perez. ad h. tit. num.* 18. III. In rei 6
vindicatione, possessori bonae fidei semper meliorationes esse restituendas, habita ratione fructuum, *l.* 16. *C. de evict.* IV. Notetur distinctio 7
in textu, an propria auctoritate quis fundum occupaverit, an vero a peraequatore acceperit, ut illo casu biennii praescriptio, hoc vero semestris detur, *Menoch. remed.* 12. *recup. poss. num.* 76. *et Klock. de contrib. c.* 5. *num.* 183.

TITULUS LVIII.

De omni agro deserto, et quando steriles fertilibus imponuntur.

L. Cum Divus. 1.

SUMMARIA

Intellectus legis. *num.* 1.
Deserta praedia ditioribus invitis dari possunt cum certorum annorum immunitate, eo fine, ut imposterum census solvant. 2.
Possunt quoque inter ditiores distribui. 3.
Immunitas ob sterilitatem ad tempus a superiore dari potest. 4.
Ratio. 5.

1 Praedia deserta, et quorum domini nusquam reperiuntur, solebant addici curialibus vel decurionibus cum immunitate trienii, quo exacto census et tributa debent inferre Fisco: si autem curiales idonei solvendo non sint, hoc onus in possessores caeteros ejusdem civitatis, et adeo totum territorium diffunditur et distribuitur.
2 Collige: I. Deserta praedia ditioribus invitis dari posse, cum certorum annorum immunitate,
3 eo fine, ut imposterum solvant census; aut posse inter ditiores distribui, *Christin. dec.* 92. *num.* 4. *Perez. hic num.* 3. *Doring. in biblioth.*
4 *voce* Aerarium *num.* 127. II. Immunitatem ob sterilitatem ad tempus dari posse a Superiore, quia debet graviter imminutis remittere tributariam functionem, *l.* 4. *§.* 1. *ff. de muner. et honor. Lucas de Penna hic, et ex eo Klock.*
5 *cap.* 7. *num.* 108. nam cum in agris sterilibus fructuum emolumenta desint, collectae obligatio cessat, *Sixtin. de regal. lib.* 2. *c.* 14. *num.* 89. *Georg. Mundius de muner. c.* 6. *num* 326. *et seqq.*

L. Si quis. 2.

SUMMARIA

Facti species. num. 1.
Quaestio inde resultans. 2.
Extensio tituli Codic. Sine censu vel reliquis etc. 3.
Subditi divites nervi sunt Principis. 4.
Aegri fertiles sterilium agrorum nervi sunt. 5.
Hinc emptor fertilium bonorum etiam sterilia emere tenetur. 6.

1 Titius possedit jure emphyteutico praedium, in quo erant agri steriles nonnulli, nonnulli fertiles, et ex his onera solvebat totius praedii, sed agros meliores distraxit; ex retentis tributum Fisco solvere nequit, imo tandem deserit, Quaeritur: 2
An emptor teneatur onera ferre, et reliqua solvere, non tantum de agris fertilioribus, sed etiam sterilibus? Quod hic aff. quia qui accipit partem bonorum potiorem, cum etiam exilem partem accipere justum est, ne nervis destituantur reliqua bona, *l. fin. supr. de debit. civit.*
Collige: Extensionem *tit. C. Sine censu et reliquis etc.* et hoc casu emptorem ad reliqua emenda compelli. Collige etiam: Subditos divites es- 3
se nervos Principis, post *Bald. Cravetta cons.* 4
6. *num.* 128. *Thomas Merckelbach. inter cons. Klockii vol.* 1. *cons.* 37. *n.* 190. Sicut etiam agri 5
fertiles sunt sterilium nervi, et sic emptorem 6
fertilium bonorum alicujus etiam sterilia emere teneri, per *hanc leg. Georg. Mundius de muner. et honor. c.* 6. *num.* 337.

L. Quicunque. 3.

SUMMARIA

Praedium desertum cum immunitate triennii impetrantes fidejussoribus vel obligatione caeterorum suorum bonorum fertilium cavere debent. num. 1.
Ratio. 2.
Idonea cautio fidejussoribus vel pignoribus interponi potest. 3.
Triplex acceptio vocabuli Cautionis. 4.
Ad meliorandum praedium fidejussoribus vel pignoribus aliquis se obligare debet. 5.

Impetrantes praedium desertum cum immunitate triennii, cavere debent fidejussoribus 1
vel obligatione caeterorum suorum bonorum fertilium, quod illa praedia iterum deserere cum 2
damno Reipubl. nolint, *hic et l.* 6. *infr. h. t.* Collige: Idoneam cautionem fidejussoribus vel 3
pignoribus interponi posse, *Joan. de Plat. hic num.* 2. *et* 4. *Menoch. lib.* 2. *A. Q. cas.* 142. *Christin. d. dec.* 92. *num.* 10. *et seqq. Gail. lib.* 1. *obs.* 26. *num.* 6. Quamvis dici possit, voca- 4
bulum *Cautionis* tripliciter accipi: 1. Generalissime, ut per *l. sancimus C. de V. S.* 2. Generaliter, ut hic. 3. Specialiter pro satisdatione praetoria. Vid. *Petr. Barb. ad l. divortio* 8. *§.*

5 *interdum num.* 20. *ff. sol. matrim.* Collige etiam: Aliquem ad meliorandum fidejussoribus vel pignoribus se obligare debere, *Klock. de contrib. c.* 13. *num.* 121.

L. Haeredes. 4.

SUMMARIA

An haeres scriptus ex haereditariis bonis praedia fertilia amplecti et sterilia onerum publicorum evitandorum causa deserere possit? num. 1.
Quorsum verba, quocunque titulo, *referantur?* 2.
Valet argumentum ab ultima voluntate ad legem vel consuetudinem. 3.

1 Quaeritur: *An haeres scriptus ex haereditariis bonis praedia fertilia amplecti, et sterilia onerum publicorum evitandorum causa deserere possit?* Quod neg. Sed aut omnia amplecti, aut omnia repudiare debet, cum alias Fiscus defraudaretur, imo etiam si a vivo testatore quid accepisset ex bonis, ea omnia restituere tenetur, quia videtur injuria quodammodo afficere
2 Fiscum, et defunctum. Verba, *quocunque titulo,* alii referunt ad legatarium, alii ad contractum in testamento factum, alii ad bona fiscalia, alii ad contractus inter vivos cum defuncto habitos; quod ultimum placet per tradita *Peregr. de jure Fisci lib.* 6. *cap.* 7. *num.* 36. *et Perez. hic*
3 *num.* 11. Notant ex *hac lege:* valere argumentum ab ultima voluntate ad legem vel consuetudinem, *Mich. ab* Aquierre *inter cons. Besoldi p.* 2. *num.* 172.

L. Qui utilia. 5. et L. Qui fundos. 9.

SUMMARIA

Extensio legis 4. *ad omnem possessorem, qui bona utilia et sterilia possidet. num.* 1.
Privilegium a Principe sine causa tolli potest. 2.
Tenor legis 9. *num.* 3.
Qui pingue comedit, macrum quoque comedere debet. 4.

1 Quod de haerede in *l.* 4. dictum, id ad omnem possessorem hic extenditur, scilicet qui bona utilia et sterilia possidet non potest retentis illis haec canone salvo deserere, aut oblata patrimonialia praedia repudiare, sed aut omnes retinere, aut omnes deserere, et curialibus cedere debet salvo canone, ergo in curiales juxta *l.* 1. deserta praedia transferenda, sed cum utilibus. Sic etiam, si qui velit suscipere jure privato, id est, tanquam suum praedium optimum, tenetur etiam accipere desertum et sterile, ita ut competat optio, an omnia retinere, an omnibus cedere velit, *l.* 9. *h. t.*
2 Colligunt ex *l.* 9. *h. t. DD.* privilegium a Principe sine causa tolli posse, *Plat. hic;* Sed recte respondet *Klock. de contrib. c.* 16. *sect.* 1.
3 *num.* 143. hoc ex *hac lege* 9. non probari, quod non loquatur de concessione gratuita, sed de tali, quae facta est virtute contractus emphyteutici, et Princeps illam concessionem non modificat novis conditionibus, sed ea tantum conditione, quae ab initio contractui emphyteutico inerat. Et quamvis de privilegio loqueretur, causam tamen requireret ad modificationem. Conf. quos allegat *Klock. sc. Molin. lib.* 4. *de primogen. c.* 3. *num.* 16. *Rauchbar. p.* 2. *q.* 11. *num.* 34. *Enenckel. de privil. lib.* 3. *c.* 6. *et seq. et Perez. hic num.* 8. Colligitur ex *his duabus legibus* proverbium, cujus hic mentionem facit *Jo. de Platea:* Qui comedit pin- 4
gue, debere etiam comedere macrum.

L. Quisquis. 6.

SUMMARIA

Facti species. num. 1.
Quaestio inde deducta. 2.
Alia quaestio. 3.
Praedia Ecclesiastica quando locanda vel in emphyteusin danda, sterilia a fertilibus separari non debent. 4.
Propter publicum interesse aliquis ad conducendum compelli potest. 5.
Restringitur. 6.
Melius est in stabulo habere asinum, quam stabulum vacuum. 7.

Praedium civitatis vel Ecclesiasticum in em- 1
phyteusin datum Titio, interim praedia Ecclesiae alia deserta fiunt vel sterilia, quae offeruntur Titio, sed Titius retinere tantum vult utilia, sterilibus relictis; Quaeritur: *An separatio* 2
ista facienda? Neg. Sed alium quaerendum esse, qui eadem conditione conducat; Sed pone, 3
neminem reperiri posse: Resp. eo casu ad veteres possessores, a quibus deserta sunt ista praedia, revertendum esse sub praestita ab ipsis cautione, ne scilicet Resp. tributo defraudetur. Collige: Praedia Ecclesiastica, quando locanda 4
vel in emphyteusin danda, sterilia a fertilibus separari non debere, et propter publicum in- 5
teresse aliquis ad conducendum compelli potest, non quidem praecise, sed si fertilia retinere 6
velit, et si nullus adsit conductor, ad veterem conductorem recurrendum esse, nam melius 7
est in stabulo habere asinum, quam stabulum vacuum, cujus proverbii meminit *hic Platea.*

L. Quicunque. 7.

SUMMARIA

Quinque legis *contenta. num.* 1.
Qui fundum patrimonialem Principis ad fertilitatem reducit, pro praemio sui laboris perpetuo et haereditario jure praedium possidet. 2.
Ampliatur. 3.
Salva tamen semper est tributi praestatio. 4.
Fertile habens praedium, si ei sterile adjicitur, onera pro praeterito agnoscere non tenetur, sed tantum praesentia. 5.
Quid si quis praedium non quidem sterile, sed tamen minus idoneum acceptet, quam inde habeat immunitatem? 6.
Non valet privilegium, ut sterilia patrimonii

Principis praedia titulo emphyteutico suscipere non cogatur. 7.
Quando sterilia praedia opimis adjicienda sunt, tunc propiori et viciniori adjiciantur. 8. 11.
Emphyteusis civilis est haereditaria. 9.
Ob deterioratum praedium emphyteuticum ad amissionem juris emphyt. agi potest. 10.
De bonis coronae domanialibus non alienandis, remissive. 12.

1 Quinque in *hac l.* habentur: 1. Qui fundum
2 patrimonialem Principis reducit ad fertilitatem, pro praemio sui laboris perpetuo et haeredita-
3 rio jure possidet praedium, adeo ut nec rescripto nec annotatione supplici libello facta possit ab alio ei auferri, ne alius fructus labo-
4 ris alieni consequatur, salva tamen semper tri-
5 buti praestatione. 2. In §. *caeterum:* Praedium fertile habens, si adjiciatur ei sterile, pro praeterito non teneatur agnoscere onera, sed tan-
6 tum praesentia. 3. In vers. *illos etiam:* Privilegium concedit is, qui non quidem sterile, sed tamen minus idoneum, id est, non satis frugiferum acceptat, ille enim ad biennium habet
7 immunitatem a tributo. 4. In vers. *nemo tamen,* statuitur: Non valere privilegium, ut titulo emphyteutico sterilia patrimonii Principis praedia
8 non cogatur suscipere. 5. Quando sterilia praedia adjicienda sunt, tunc propiori et viciniori
9 adjiciuntur. Collige: I. Emphyteusin civilem es-
10 se haereditariam. II. Ob deterioratum praedium emphyteuticum agi posse ad amissionem juris emphyt. *Clarus de emphyt. q.* 26. *Donell. lib.* 9. *cap.* 15. *Myns. c.* 6. *obs.* 86. III. Quod in emphyteusin accipiens praedium non in totum sterile, habet tamen immunitatem per bien-
11 nium. IV. Quando sterile opimis praediis jungendum, semper rationem habendam esse vi-
12 cinitatis. In *hac lege* tradit *Lucas de Penna* materiam de non alienandis bonis coronae domanialibus, de qua materia praeter *Lucam de Penna,* Vid. *Vasq. de success. creat. lib.* 3. §. 26. *num.* 84. *et seq. Hugo Grotius de jure pacis et belli lib.* 2. *cap.* 6. *num.* 12. *Nevizanus inter consilia Bruni cons.* 12. *Chopp. de doman. lib.* 1. *tit.* 2. *Panorm. et DD. in c. intellecto X. de jurejur.*

L. Qui agros. 8.

SUMMARIA

Casus legis. *num.* 1.
Quaestio inde deducta. 2.
Ratio dubitandi. 3.
Decidendi. 4.
Per biennium animus derelinquendi rem tributariam praesumitur. 5.
Exemplum, ubi quis impune et possessionem arripere et successu temporis dominium acquirere potest. 6.
Ripa cum aliis *notatur.* 7.
Si dominus deserto praedio catenus tantum fruatur, ut quod sibi ex eo praedio debetur, consequatur, an etiam tributa solvere teneatur? 8.
Ratio dubitandi. 9
Decidendi. 10.

Agri deserti non tantum a peraequatoribus 1
addicuntur novis possessoribus, ut in *l.* 1. sed etiam interdum privata auctoritate ab incolis occupantur praedia tributaria; Quaeritur: *An* 2
ea retinere possint? Videtur quod non, ob *l.* 3
fin. C. unde vi Sed Aff. hic duplici favore, sci- 4
licet agriculturae et tributorum Fisco debitorum, et *d. l.* loquitur de praedio non tributario; Sed ex benignitate domino datur biennium, intra quod rem restitutis expensis meliorationum recuperare possit, *Mevius p.* 4. *dec.* 102. *num.* 4. Collige: I. Per biennium praesumi ani- 5
mum derelinquendi rem tributariam. II. Exem- 6
plum hic est, ubi quis privata auctoritate impune et possessionem arripere et successu temporis dominium acquirere potest, nam talis, qui occupat, acquirit dominium, si intra biennium dominus non veniat; aliud si a peraequatore acceperit, ubi 9. menses tantum domino dantur, per *l.* 7. *supr. de cens.* et hanc distinctionem ex his textibus colligunt *Corset. sing.* 200. *Ripa de pest. tit. de remed. praeserv. contra pestem num.* 251. *et seq. Menoch. remed. recup. poss.* 13. *num.* 76. *et seq. Klock. de contrib. cap.* 5. *num.* 183. *et in tr. de aerar. lib.* 2. *cap.* 48. *num.* 10. *Petr. Heig. p.* 1. *q.* 13. *num.* 51. Quod vero *Ripa et alii* in hoc casu dicunt, 7
mala fide possessionem procedere, id non concedo. Nam dum permittit Imperator occupationem deserti, utique haec non mala sed bona fide contingit. Quaeritur autem: si dominus 8
deserto praedio catenus tantum fruatur, ut quod sibi ex eo praedio debetur, consequatur, an etiam tributa solvere teneatur? Videtur quod 9
non, quia non toto praedio utitur, sed pro parte tantum fruitur; Sed affirmatur, scilicet 10
quod dominus, si agrum desertum et utilitatem fundi sibi retineat, oneribus obnoxius maneat, prout multis probat *Mevius p.* 4. *d. decis.* 162. *num.* 7. *et seqq.* quod hodie bene notandum.

L. Qui per potentiam. 10.

SUMMARIA

Qui privata auctoritate praedium desertum fertile tamen occupat, etiam caetera praedia sterilia acceptare tenetur. num. 1.
Restringitur. 2.

Qui privata auctoritate praedium desertum, 1
fertile tamen, occupat, etiam caetera praedia sterilia acceptare tenetur, sed si ex eadem sub- 2
stantia, id est, ex ejusdem deserentis domini bonis, vel ex eadem haereditate sint, nam alia praedia sterilia ex aliorum bonis repudiare possessor potest, per *hanc l. et l.* 12. *h. t.* Continent igitur *hae leges* limitationem, *ll.* 5. *et* 9.

L. Locorum. 11.

SUMMARIA

Methodus praescribitur, qua praedia deserta novis possessoribus addicuntur. num. 1.
Casus, ubi contumax pro confesso habetur. 2.

Contra absentem latitantem in contumaciam non proceditur, nisi sit citatus per edictum. 3.
Praescriptio semestris. 4.

1 Methodus hic praescribitur, qua praedia deserta novis possessoribus addicuntur, nam citandus est dominus per edictum, ut intra sex menses veniat, praedium recuperet, et ab onere alieno liberet, qui si per contumaciam absit, lapso semestri praedium addicitur, ita ut possessor novus ad praeterita tributa non teneatur, sed tantum futura, et ne quidem per rescriptum possessio ei auferri possit. Collige: I.
2 Casum, ubi contumax habetur pro confesso, *l. pen. ff. de cust. reor. l.* 15. §. 4. *ff. de jure Fisci, Christin. dec.* 93. *num.* 17. quod *ibid. Christin. num.* 18. limitat, si quis comparere teneatur, ratione officii vel juramenti vel corporalis detentionis. Et sic statutum, quod contumax pro confesso habendus, non contrariari juri communi, quod idem in nonnullis casibus statuit, congruere tradit *Natta cons.* 142. *num.* 17. *et seq. Menoch. cons.* 100. *num.* 159. II. Modum procedendi contra dominos deseren-
3 tes praedia Fisco obligata. III. Contra absentem latitantem in contumaciam non procedi, nisi
4 per edictum citatus sit. IV. Praescriptionem semestrem. Conf. *not. ad l. fin. tit. praeced.*

L. Hac. 12. et L. ult.

SUMMARIA

Tenor legis. *num.* 1.
Quilibet curialis vel municeps pro sua tantum gleba, i. e. agro, convenitur. 2.
Si debitor Fisci executori referat, alium esse suum debitorem, executori ullam molestiam huic inferre non licet. 3.

1 Qui habet praedium fertile, non cogitur suscipere onera aliena vel tributa de sterili praedio debita, nec cogitur colenda accipere sterilia, quae non sunt ex ejus bonis, cujus erat praedium fertile, ratio in *l.* 10. *h. t. et l. un. supr. ut*
2 *nullus ex vicaneis etc.* Nam quilibet curialis vel municeps pro sua tantum gleba, id est, agro,
3 conveniuntur, *l. ult. h. t.* Colligunt ex *l.* 12. *et fin. h. t.* si debitor Fisci executori referat, alium esse suum debitorem, non licere executori, ullam molestiam huic inferre, nisi possessor nullo modo videatur idoneus, *Klock. de contrib. c.* 18. *num.* 229. Sed id quomodo ex textu colligatur, non video. Videatur tamen hac de re *tit. C. quando Fiscus, vel privatus etc.* Hoc vero certius colligitur: Eos incolas, qui suas collectas solverunt, non teneri ad expensas executionis contra morosos factas. Nam aequum est, ut quilibet sui delicti poenam luat, et sic morosi solvant soli expensas executionis, *Christin. decis.* 93. *num.* 29.

L. Omnium. 13.

SUMMARIA

Dominus in solutione tributi cessans translationem patitur. num. 1.
Extenditur ad agros clericorum proprios. 2.
Translatio haec quomodo fieri debeat? 3. 6.
Immunia quaenam ab hac translatione? 4.
Poena cessantis tributa inferre. 5.
Res collectis obnoxia pro oneris tantum quantitate distrahenda est vel transferenda. 7.

Quando dominus cessabat in solutione tributi, 1
patiebatur translationem, id est, praedium ad Fiscum transferebatur, quod extenditur in *l.* 3. 2
C. de Episc. etiam ad agros clericorum proprios, sed haec translatio debet fieri: 1. Citatis domi- 3
nis et eorum actoribus, id est, procuratoribus. 2. Praecedente causae cognitione, utrum in mora fuerit dominus et actor, et quantum debeant Fisco. Sed ab hac translatione immu- 4
nia sunt 1. Praedia minorum, *l. fin. infr. de fund. patrim.* Et 2. praedia Ecclesiae, *l.* 5.
C. de SS. Eccles. Notetur poena cessantis in- 5
ferre tributa. Tertium requisitum posset addi, 6
ut translatio illa bonorum ad solam oneris quantitatem restringatur, et residuum ex venditione bonorum legitime sub hasta fiscali peracta debitori collectarum restituatur, nam per hypothecariam actionem non plus petitur, quam quod debetur. Et ideo rem collectis obnoxiam 7
pro oneris tantum quantitate distrahendam vel transferendam esse tradunt post *Cravettam, Fest. Roland. Tilem. de Benign. Sixtin. lib.* 2. *de regal. cap.* 14. *num.* 169. *Klock. de contrib. cap.* 19. *num.* 625. *et seqq.*

L. Rura. 14.

SUMMARIA

Diversa ratio est domini praedium tacite deserentis, et ejus, qui apud acta judicis illud profitetur. num. 1.
Confessio judicialis semper confitenti praejudicat, ac sine causa revocari non potest. 2.
Inducit quoque expressam renunciationem. 3.
Aliud in confessione extrajudiciali. 4.
An sententia interlocutoria in scripturam redacta et publicata corrigi possit? 5.
Qui patitur alteri fundum in catastro adscribi, idque in judicio facit, praedium in eum cujus nomini fundum adscribi vult, alienasse videtur. 6.
Licita est bonorum cessio, quae fit Fisco, si ob paupertatem ea fiat. 7.

Alia est ratio domini tacite deserentis prae- 1
dium, alia ejus, qui apud acta judicis profitetur, se velle deferre ac derelinquere fundum vel alteri resignare; nam ille citandus est juxta *l.* 11. et habet spatium sex mensium juxta *l.* 1. *h. t.* hic vero non est citandus, sed praedium statim fit ejus, qui ea praedia occupavit, et Fisco solvit tributa, nec dominus habet potestatem revocandi. Collige: Confessionem judicia- 2
lem semper praejudicare confitenti, ac revocari sine causa non posse, de quo *Mascard. concl.* 344. *Christin. dec.* 93. *num.* 33. *Pacianus de probat. lib.* 1. *cap.* 9. et inducere expressam re- 3
nunciationem; aliud in confessione extrajudi- 4
ciali, *l.* 5. *C. de juris et fact. ignor.* Colligunt 5
etiam: Sententiam interlocutoriam in scripturam

redactam et publicatam corrigi non posse; de quo tamen dubitandum, nec id ex *hoc textu* colligitur, nam hic non de interlocutoria sententia; sed de renunciatione judiciali sermo est.
6 Illud certius est, si quis patiatur alteri fundum adscribi in catastro, idque fiat in judicio, quod tum videatur praedium alienasse in Titium,
7 cujus nomini vult adscribi fundum. Apparet ex *hoc textu*, licitam esse cessionem bonorum, quae fit Fisco, si ea ob paupertatem fiat. Vid. notata ad *l.* 5. *supr. qui bonis cedere etc. Mevius p.* 4. *dec.* 162. *num.* 1.

L. Si quis. 15.

SUMMARIA

Tenor legis. *num.* 1.
Ratio ejusdem. 2.
Nemo duplici onere est gravandus. 3.
Gravatus in uno, in alio relevari debet. 4.

1 Si quis praedia deserta a peraequatore susceperit, quae non tantum Fisco ob tributa, sed etiam naviculario oneri obnoxia sunt, hoc quidem onere naviculario liberari non potest possessor, sed in omnibus aliis titulis fiscalibus le-
2 viora onera agnoscit, quia haec praedia alias nullum invenirent possessorem, cum sint du-
3 plici onere gravata; Unde regula ex *hoc textu* notatur: Quod nemo duplici onere gravandus, *hic et l.* 4. §. 2. *ff. de l. Rhod. de jact. Tusch. concl.* 136. *lit. O. et Aug. Barb. lib.* 13.
4 *cap.* 22. *axiom.* 7. et quod gravatus in uno debet relevari in alio, *Phil. Dec. in l.* 14. *num.* 5. *de R. J. Hartm. Pist. lib.* 2. *p.* 1. *q.* 13. *n.* 51.

L. Si quis auctoritate. 16.

SUMMARIA

Casus legis. *num.* 1.
Quaestio inde deducta. 2.
Nec Principis auctoritate nec legis aliquis debet decipi. 3.
Diligentia sua nemini sit damnosa. 4.
Fundo alluvione fluminis aucto census etiam augetur. 5.
Principes contractus et conventiones suas servare, nec quemquam sua auctoritate circumscribere debent. 6.
Ob meliorationem fundi labore possessoris factam onera publica non augeantur. 7.
Ob melioratum fundum emphyteuta majori canone gravari nequit. 8.
Ampliatur. 9.

Principis voluntate accepi fundum patrimo- 1
nialem desertum in emphyteusin, promisso certo annuo canone. Successu temporis industria mea cum agrum ad culturam redegi, ut cum optimis praediis certare de fertilitate possit.
Quaeritur: *An ad majorem canonem solvendum* 2
compelli possim? Quod Neg. quia ut legis auctori- 3
tate, *l.* 1. *C. de his qui veniam aetat. etc.* ita nec
Principis decipi aliquem oportet, et diligentia sua 4
nemini debet esse damnosa, *hic et l. fin.* Sed si 5
alluvione fluminis augeatur fundus, augetur etiam census, *l.* 6. *C. de alluv.* Collige ex *hac* 6
lege auream regulam Principibus bene notandam: Principes debere contractus et conventiones servare, nec quenquam auctoritate sua circumscribere, *hic et l.* 1. *C. de his, qui veniam etc. Georg. Acac. Enenckel. Baro de priv. lib.* 3. *cap.* 8. *num.* 19. *et cap.* 11. *num.* 33. Praecipue vero ex *hac lege* notandum: Ob meliora- 7
tionem labore possessoris factam non debere augeri onera publica, *Besold. cons.* 27. *num.* 25.
et ideo etiam notetur: I. Ob melioratum fun- 8
dum emphyteutam majori canone gravari non
posse, *Hartm. Pist. obs.* 9. II. Nec ob sterilita- 9
tem vel bellicos tumultus, nec ob alios casus emphyteutam ad remissionem canonis agere posse, nisi plane fundo uti non potuit, nam canon non pro fructibus, sed in recognitionem dominii datur. Vid. *Carpz. part.* 2. *C.* 38. *def.* 19. *et lib.* 1. *resp.* 91. *Valasc. de jure emphit. q.* 27. *num.* 13. *Gail. lib.* 2. *obs.* 13. *num.* 23. *Surdus dec.* 326. *num.* 61. *Fachin. lib.* 1. *contr. c.* 90.

TITULUS LIX.

De fundis limitrophis, et terris, et paludibus, et pascuis limitaneis vel castellorum.

L. Tiberianus. 1.

SUMMARIA

Vicini ad alendum militem in limite positum frumentum convehere debent. num. 1.
Quinam hoc constituerit? 2.
In collectis possibilitas subditorum respici debet. 3.
Vetustas juri non contraria vim legis habet. 4.
Rescripta a potentibus in curia impetrata ipso jure nulla sunt. 5.

1 Ad alendum militem in limite positum, vicini frumentum convehere debent, *hic et l.* 6. *supr. de annon.* Idque ex dispositione Tiberiani P. P. 2
quam hic confirmat Imp. adeo ut nullum privilegium vel rescriptum in contrarium valeat.
Collige: I. In collectis possibilitatem subditorum 3
respici debere, *Molina de J. et J. tr.* 2. *d.* 668. *num.* 1. *et Klock. de contrib. cap.* 17. *num.* 8.
et II. Vetustatem juri non contrariam habere 4
vim legis, *hic et l.* 2. *pr. ff. de aqua pluv. arc. Gail. lib.* 2. *obs.* 8. *num.* 2. *Aug. Barb. lib.* 19.
cap. 13. *axiom.* 2. Colligitur etiam ex *hac leg.* 1. 5
Rescripta impetrata a potentibus in curia esse ipso jure nulla, *Zas. cons.* 10. *num.* 28. *l.* 2. *Thomas Merckelbach. inter cons. Klockii vol.* 1. *cons.* 11. *num.* 310. *Georg. Acac. Enenckel. Baro de privil. lib.* 1. *cap.* 6. *num.* 30.

L. Quicunque. 2.

SUMMARIA

An castella in limitibus Imperii posita a privatis sive paganis vel etiam a militibus non castellanis, id est, quibus cura castelli non est commissa, possideri possint? num. 1.
An feuda guardiae et castaldiae ex h. l. *possint probari?* 2.
Castra in limitibus Imperii constructa ad alios praeter eos, quibus ab initio a Principe concessa fuerunt, transire non possunt. 3.
Nec ibidem castrum aedificare licet. 4.
Ratio. 5.
In limitibus Imperii sine speciali Principis concessione castellum extruere non est concessum. 6.

1 Quaeritur: *An castella in limitibus Imperii posita a privatis, sive paganis, vel etiam a militibus non castellanis, id est, quibus cura castelli non est commissa, possideri possint?* Et Resp. Neg. sed nulla praescriptione obstante illis tantum relinquenda sunt castella limitanea, quibus antiquitas ea concessit, adeo ut invasor cum capitali sententia, etiam publicatione bonorum sit plectendus. Sed interim possessor ad custodiam rei obligatur, *Rosenthal. de feud. cap.* 8. *concl.* 2.
2 Et ex *hoc textu* fluxerunt forte feuda guardiae et castaldiae, *lib.* 2. *feud. tit.* 2. nisi quod haec sint annalia. Vid. *Rosent. cap.* 2. *de feud. concl.* 68.
3 Collige: Castra in limitibus imperii constructa ad alios praeter eos, quibus ab initio a Princi-
4 pe fuerunt concessa, transire non posse, sicut
5 etiam ibidem aedificare castrum non licet. Principis enim interest, in hisce limitibus fidos habere custodes, qui hostium imperium longe arceant, *Franc. Caldas de vendit. cap.* 9. *num.*
6 17. *Klock. de contrib. c.* 9. *num.* 15. Et ideo nec in limitibus Imperii cuiquam castellum extruere concessum sine speciali concessione Principis, *arg. h. l. et l. opus novum ff. de oper. publ. Gail. lib.* 2. *obs.* 69. *num.* 18. *Rol. a Valle vol.* 2. *cons.* 81. *num.* 12. *Christin. dec.* 94. *num.* 6. *et seqq.*

L. Agros. ult.

SUMMARIA

Alexandri constitutio. num. 1.
Quid hac lege *cautum?* 2.
Ad exemplum fundorum limitrophorum, feudorum jura introducta fuerunt. 3.
Ultra consueta et solita servitia extraordinario collectarum onere aliquis gravari non debet, et cur? 4.
Dominus illi, qui nec arte, nec bellica virtute, nec genere nobilis, feudum concedere non tenetur. 5.

Alexander Imperator Rom. agros limitaneos 1
militibus donaverat, ita ut eorum essent, si haeredes eorum militarent, nec unquam ad privatos pertinerent, existimans attentius eos militaturos, si etiam sua rura defenderent. Addidit etiam animalia et servos, quo colere possint agros. Cavetur itaque *hac lege*, ut illa praedia 2
in privatorum seu paganorum jura nullo titulo transire possint, imo licet accedat praescriptio longissimi temporis, sed manere debent penes milites citra omne tributi vel collationis onus, licet de aliis agris tributa solvant, per *l. fin.* §. 22. *ff. de muner.* Sed emptori ignoranti reservatur regressus contra venditorem, sed si sciens retineat, nolitque restituere, incurrit etiam poenam restitutionis. Sed haec omnia, si militaverit possessor. Collige: Ad exemplum fundorum li- 3
mitrophorum, feudorum jura fuisse introducta, de quo Vid. *Heig. p.* 1. *q.* 1. *num.* 13. *et seq.* Collige: Ultra consueta et solita servitia, non 4
posse aliquem extraordinario onere collectarum gravari, ne alias duplici onere gravetur, *Clarus* §. *feudum q.* 29. *num.* 2. *Schrad. de feudis p.* 10. *sect.* 5. *num.* 115. *Rosenthal. de feudis c.* 5. *concl.* 78. *numm.* 2. 3. 11. *ac* 15. et hos allegans *Besoldus cons.* 233. *num.* 100. *Klock. de contrib. c.* 14. *sect.* 2. *num.* 25. *et seq.* Et ex 5
hoc etiam *textu* defendi potest eorum sententia, qui statuunt, Dominum non teneri feudum concedere illi, qui nec arte, nec bellica virtute, nec genere nobilis.

TITULUS LX.

De pascuis publicis et privatis.

L. Cum nulla. 1.

SUMMARIA

Sensus legis. *num.* 1.
Antiquae praediorum Principis pensiones ab officialibus augeri nequeunt. 2.
Domini vi jurisdictionis in subditorum agros jus pascendi non habent. 3.
Limitatur. 4.
Magistratus pascua communia hactenus civibus interdicere vel certis limitibus claudere non potest. 5.

1 Saltus pascui rei privatae Principis certa pensione locabantur, ita tamen ut animalia rei privatae Principis pascendi jus haberent, sed interdum civitates augebant pensionem hac conditione, ne animalia illa jure compascendi uterentur; Sed quia nulla ratio augmenti, et illa conditio tendit in praejudicium Principis, ideo antiquam pensionis quantitatem esse custodiendam hic statuitur. Collige: I. Antiquas pensio- 2
nes praediorum Principis ab officialibus augeri non posse. II. Dominos vi jurisdictionis in agros 3
subditorum non habere jus pascendi, nisi anti- 4
quitus id sit observatum, Vid. *Menoch. vol.* 5. *cons.* 437. *num.* 5. III. Magistratum non posse 5
pascua communia hactenus civibus interdicere, vel certis limitibus claudere, *Covarr. lib.* 1. *res.* 17. *num.* 13. *Surdus vol.* 1. *cons.* 59. *num.* 26.

L. Insignis. 2. et L. ult.

SUMMARIA

Animalia ducum et militum in limitaneis praediis ad culturam agrorum destinata ad pastum in prata publica agi non debent. num. 1.
Poena. 2.
Unde ipsis de pastu provideatur? 3.
An dominus territorii statutum facere possit, ut pro singulis animalibus in agro repertis certa pecunia solvatur? 4.
Cui facultas habendi animalia data est, isti etiam jus pascendi est concessum. 5.
Restringitur. 6.
An incolae civitatis vel pagi singuli certum numerum animalium habere debeant? 7.
An pro numero jugerum, an vero pro arbitrio judicis assignatio certi numeri fieri possit? 8.
An dominus jurisdictionem habens animalia sua in pascua communia agere possit? 9.

1 Duces ac milites habebant in praediis limitaneis sua animalia ad culturam agrorum destinata, haec ad pastum in *prata apamoena* Syriae, vel ut vulgo habetur, in *prata amoena* vel etiam Anthiochensium civium agebant pa-
2 stus gratia, id hic sub poena 12. libr. auri prohibet Imperator, cum concessio animalium salvo jure Fisci et civium videatur facta; sed
3 quia tamen animalia pastu indigent, ideo decuriones citra Fisci vel civium praejudicium de pastu providere ipsis debent. Quod si non fiat, milites impune sua pecora immittunt, sed a restitutione damni non sunt immunes, *Du. Joan. Thom. de noxia animalium c.* 30. *num.* 4. ubi *num.* 8. ait, talia edicta et constitutiones Codici ideo insertas, ut si habuerint rationem generalem, facerent jus universale; et *num.* 9. tractat quaestionem: An Dominus territorii possit 4
statutum facere, ut pro singulis animalibus repertis in agro certa pecunia solvatur etc.? Id in *l. fin.* ad omnia provincialium et rei privatae Principis prata extenditur, ne a ducum aut praetorum aut militum animalibus depascantur. Collige: Cui data est facultas habendi animalia, 5
isti etiam concessum esse jus pascendi, sed in 6
communibus, non privatorum pratis, quod nonnulli milites praesidiarii et officiales non observant, quia scilicet inter arma silere leges pro certo habent. Sed Quaeritur hic: Quoniam pa- 7
scua communia ratione usus omnium incolarum ita dicuntur, et militibus certus animalium numerus conceditur: *An etiam incolae civitatis vel pagi singuli certum numerum animalium habere debeant?* Quod nemo negabit, nam alias absurdum sequeretur unum reliquis omnium pascuorum usum adimere posse. Sed: *An pro* 8
numero jugerum, an vero pro arbitrio Judicis haec assignatio certi numeri fieri possit, ulterius quaeritur? Prius placuit communiter per *l. Imperatores ff. de serv. rust. praed.* Sed quia dubium adhuc est, an jugerum quantitas, an valor attendendus, arbitrium Judicis hic admittit *Menoch. lib.* 2. *A. Q. casu* 245. Sed poteritne 9
dominus habens jurisdictionem animalia sua agere in pascua communia? Resp. *Covarr. q. pract.* 37. *num.* 1. post alios posse, sed ut incola quivis, non propter jurisdictionem, sed quoad incolatum tantum alat, quantum viri boni arbitrio alius incola.

TITULUS LXI.

De fundis patrimonialibus et saltuentibus et emphyteuticis, et eorum conductoribus.

L. Si quis. 1.

SUMMARIA

Tenor legis. *num.* 1.
Emphyteuta etiam privati, licet inconsulto domino jus suum non vendere possit, valide tamen illud donat. 2.
An denunciatio hac in parte sit necessaria? 3.
An Emphyteuta Fisci jus vendendi habeat? 4

1 Qui fundum patrimonialem Principis vel Fiscalem ut emphyteuticum possidet, potest eum donare alteri, sed salvo jure Fisci, ut scilicet solvatur laudemium, et solitus canon praestetur
2 a novo possessore. Collige: Emphyteutam etiam privati, licet vendere non possit inconsulto domino jus suum, posse tamen illud donare, cum alias dominus nunquam sit consensurus, *Clarus de jure emphyt. q.* 15. *Corbul. de jure emphyt.*
3 *c.* 11. *lim.* 13. licet multi Neoterici denunciationem eo casu, etiam necessariam esse putent, non quidem eo effectu, ut dicat proprietarius, prout sibi donatum malit, sed ut sciat, quem habiturus sit emphyteutam, et ut habeat electionem, an pretium offerre malit. Vid. *Fachin. lib.* 3. *cap.* 97. *et lib.* 6. *cap.* 98. *Molina de J. et J. d.* 461. *num.* 6. *tr.* 2. Colligit etiam *A.* 4
Faber lib. 1. *err. pragm.* 61. *circa fin.* quod emphyteuta Fisci habeat jus vendendi, sed id videtur negare *Hill. in Don. lib.* 9. *cap.* 14. *lit. H.* Vid. tamen *leg.* 6. *h. t.*

L. Patrimonialis. 2.

SUMMARIA

Tributum annonarium seu pecuniarium de fundo Principis emphyteuticario Fisco non solvens fundum amittit. num. 1.
Excipitur minor. 2.
Negligentia officii jure nostro punitur. 3.
Ob negligentiam Praelati Ecclesia jus suum non amittit, sed Praelatus punitur. 4.
In emphyteusi ob non solutum canonem minori ipso jure succurritur et non per restitutionem. 5.
De minore investituram feudi non petente remissive. 6.

1 Qui tributum annonarium seu pecuniarium Fisco non solvit de fundo Principis emphyteuticario, amittit fundum, sed excipitur minor,
2 cui ipso jure non currit praescriptio, *hic et l. fin. C. in quibus causis in integr. rest. etc.* Sed eo casu tutores ac curatores minorum aestimationem fundi solvere tenentur; nec obstat *l. 5. supr. de fide et jure hastae fisc.* quia *haec* de purgata contumacia loquitur, *illa* de vendi-
3 to fundo, *haec* de non amittendo. Collige: I. Negligentiam officii, jure nostro puniri, *hic et l. 4. in fin. ff. de off. praes. l. 11. supr. de annonis.*
4 II. Ob negligentiam Praelati, Ecclesiam non amittere jus suum, sed Praelatum puniri, quod tamen perpetuum non est, *l. 10. C. de SS.*
5 *Eccles.* III. Colligitur: in emphyteusi ob non solutum canonem minori ipso jure succurri, et non per restitutionem, *Guido de Suzaria de jure emphyt. num.* 13. et quos allegando sequitur *Sfortia Oddus de restit. p. 2. quaest.* 89. *art.* 9. *num.* 1. *et seq.* sc. alia causa videtur tributi Fisco solvendi. Vid. *Oddus, et Guid. d. l.*
6 De minore investituram feudi non petente, Vid. *Rosenthal. de feudis c.* 6. *concl.* 40.

L. Quicunque. 3.

SUMMARIA

Fundus emphyteuticarius semel ab aliquo susceptus ipsi adimi non debet. num. 1.
Ampliatur. 2.
Nec emphyteuticarius fundum semel susceptum deserere potest. 3.
Ob sterilitatem vel propter peremptionem partis fundi remissio canonis peti nequit. 4.
Limitatur. 5.
Ob allatam meliorem conditionem emphyteusis a possessore avelli non potest. 6.
Imperatores sua rescripta juri communi subjiciunt. 7.

1 Ut fundus emphyteuticarius semel ab aliquo
2 susceptus ipsi adimi non debet, etiamsi alius majorem pensionem liciteiur vel offerat, vel
3 rescriptum Principis impetret; ita ex adverso, pretextu squaloris aut sterilitatis vel etiam rescripti, illum fundum susceptum deserere nequit, sed perpetuo penes eundem possessorem ejusque posteritatem manere debet. Collige:
4 I. Ob sterilitatem, vel propter peremptionem partis fundi, remissionem canonis peti non pos-
5 se, nisi tota res periit, aut quis tota re ob bellum uti non potuit, per *l. pen. supr. de omni agro des.* Atque per hanc sententiam aequam scil. quando emphyteuta plane non potuit uti, eum liberari defendunt *Surdus dec.* 326. *num.* 61. *Jason in l.* 3. §. *in amittenda ff. de acquir. poss. num.* 6. *Dn. Carpzov. pr. const.* 38. *def.* 19. *et lib.* 1. *resp.* 91. *Valascus de jure emphyt. q.* 27. *num.* 13. *Gail. lib.* 2. *obs.* 23. *num.* 23. *Clarus*
6 *q.* 8. *num.* 6. *Fachin. lib.* 1. *cap.* 90. II. Ob allatam meliorem conditionem emphyteusin a possessore avelli non posse, nam in contractibus,
7 nominatis non datur poenitentia. Collige etiam: Imperatores sua rescripta juri communi subjicere, *Georg. Acacius Enenckel. de priv. lib.* 1. *cap.* 8. *num.* 76.

L. Fundi. 4.

SUMMARIA

Emphyteusis ob canonem intra triennium non solutum in commissum cadit. num. 1.
Emphyteuta Principis quale hic privilegium habeat? 2.
Ratio. 3.
An etiam ab obligatione canonis ita possessor hic liberetur, quia obligatio ex contractu et delicto sunt diversa? 4.
Utilis dominii vestigia hic reperiuntur. 5.

Emphytheusis ob canonem intra triennium 1
non solutum cadit in commissum, *leg.* 2. *C. de jur. emphyteut.* Sed emphyteuta Principis ha- 2
bet hoc privilegium, quod ob non solutum canonem non cadat in commissum, licet aliud in tributo, *l.* 4. *h. t.* ratio: quia quasi jure domi- 3
nii emphyteuta hunc fundum possidet; *hic et l.* 12. *h. t.* Sed Quaeritur: *An etiam ab obliga-* 4
tione canonis ita liberetur hic possessor, quia obligatio ex contractu et delicto sunt diversa? Quod Negatur. Collige: I. Quamvis ex *hac et l.* 2. 5
non possit probari emphyteutam omnem habere utile dominium, hoc tamen probari posse, dominii utilis vestigia et fundamenta hic reperiri. Vide *Zas. in l.* 17. §. 1. *n.* 12. *et seqq. ff. de acquir. possess.* Vide *Donell. et ibi Hill. lib.* 9. *c.* 14. *in fin.* II. Licet adimatur poena, non tamen tolli principale debitum; sic licet venditor ex pacto non teneatur ad evictionem, et sic ad interesse, ad pretii tamen restitutionem teneri, *l.* 11. §. *fin. circa med. ff. de act. empt. Roman. sing.* 387. *Ant. de Burgos ad c. fin. num.* 15. *X. de emphyt. Caball. de evict.* §. 2. *num.* 23. *et* §. 5. *num.* 25. *Covarr. lib.* 3. *resol. c.* 17. *num.* 2. *et Mol. Tr. num. d.* 380. *num.* 18.

L. Si qui. 5.

SUMMARIA

Concessio fundi patrimonialis deserti in emphyteusin semper est perpetua, et ob meliorem conditionem oblatam adimi nequit. num. 1.
Concessio fundi in dubio emphyteutica et perpetua ac irrevocabilis praesumitur. 2.
Ratio 3.
Emphyteusi ad tempus data, longum tempus intelligitur. 4.

Idem dicitur quod in *l. pen. supr. de omni a-* 1
gro deserto et l. 1. *eod.* quod scilicet concessio fundi patrimonialis deserti in emphyteusin semper sit perpetua, et non possit ob alium, qui meliorem conditionem offert, ei fundus adimi. Collige: Concessionem fundi prae- 2
sumi in dubio emphyteuticam et perpetuam ac irrevocabilem, quia magis proprium est huic 3
contractui, ut in perpetuum contrahatur, et sic in dubio perpetuus praesumitur, quando nulla temporis determinati fit mentio, *Valascus de jur. emphyt. q.* 1. *num.* 12. *Hillig. in Donell. lib.* 6. *cap.* 13. *lit. M. Trentac. lib.* 3. *tit. de*

4 *jur. emphyt. resol.* 3. si autem ad tempus diserte data emphyteusis, nulla tamen temporis determinatio reperitur, tempus longum intelligendum, *arg. l.* 1. §. 3. *ff. de superfic. ib. Bart. Hilliger. d. lit. M. Coll. Arg. ad tit. si ager vectig. th.* 1.

L. Hi quibus. 6.

SUMMARIA

Fundus patrimonialis a Principe donatus, ad quemcumque haeredem transmittitur, imo et quocunque contractu alienari potest. num. 1.
Res Principis propriae irrevocabiliter donari possunt, nec a successoribus debent revocari. 2.
Emphyteusis a Principe collata libere alienari potest. 3.
Limitatio legis ult. C. de jure emphyt. 4.

1 Cui Princeps donat fundum suum patrimonialem, ille eumdem transmittit ad haeredem quemcumque, sed et alienare potest quocunque contractu, *hic et l.* 1. *infr. de fundis rei privat.*
2 Collige: Res Principis proprias ab eo irrevocabiliter donari posse, nec a successoribus debere revocari. Et hinc probabilis redditur sententia
3 *Antonii Fabri supr. leg.* 1. allegata: Quod emphyteusis a Principe collata, libere possit alienari, et sic emphyteuta Principis majorem habet libertatem quam emphyteuta alius, sicque
4 est hic limitatio *leg. ult. C. de jure emphyt.* et id videtur sensisse *Trentac. lib.* 3. *tit. de jure emphyt. resol.* 8. *num.* 11.

L. Quicunque. 7.

SUMMARIA

Sensus legis. *num.* 1.
Quamvis Fiscus semper habeat jus pignorum, nihilominus tamen expressa hypotheca hic requiritur. 2.
Plus est habere hypothecam expressam, quam tacitam. 3.
Aliud est in cautione de judicio sisti. 4.
Ex hac lege *generaliter non colligitur, divitem et locupletem invitum fidejussorem dare non teneri.* 5.
Ratio. 6.

1 Qui fundum patrimonialem Principis vel Reipubl. accipit in emphyteusin, cavere debet obligatione bonorum suorum de fundo non deserendo, si est idoneus, si non, debet satisdare per fidejussores, et si hanc satisdationem omiserit magistratus, damnum hoc ad ejus pericu-
2 lum pertinet. Collige: quamvis Fiscus semper habeat jus pignorum, *l.* 61. §. 3. *ff. de jure Fisci;* nihilominus hic expressam hypothecam
3 requiri, et sic plus esse, habere hypothecam
4 expressam quam tacitam. Sed hoc ad cautionem *de judicio sisti* accommodandum non est, ubi tantum elidenda est suspicio fugae, et non agitur de certitudine solutionis ut hic, et sic in cautione *de judicio sisti*, non requiretur obligatio expressa. Vide *Bacch. in Tr. d.* 5. *th.* 2. *lit. C.*
5 Nec ex *hac lege* colligitur generaliter divitem et locupletem invitum fidejussorem dare non teneri, quia hic in specie de emphyteuticariis 6
fundorum patrimonialium ad Principem spectantium agitur, *Hering. de fidejus. cap.* 5. *num.* 27.

L. Omnes. 8. et L. Nulli. 13.

SUMMARIA

Tenor legis. *num.* 1.
Res a Principe ad usum Reipubl. perpetuum deputata, in alium per donationem aliumve contractum transferri nequit. 2.
Extenditur et additur poena. 3.
Princeps regnum suum eviscerare non potest, quod faceret, si terras alendo militi destinatas privatis in emphyteusin dare vellet. 4.

In Mesopotamia et Osdrochena, quae erant 1
provinciae Orientis, habebat Imperator fundos patrimoniales, limiti, id est alendo limitaneo exercitui deputatos, hos prohibet jure dominii vel emphyteusos, vel conductionis impetrari, sed non obstante ullo rescripto tales fundi ad conditionem pristinam revertantur. Collige: 2
Rem a Principe ad usum perpetuum Reip. deputatam, in alium, per donationem aliumve contractum transferri non posse, et id in *l. pen.* 3
ad omnes Orientales fundos patrimoniales extenditur, et additur ibi poena 50. libr. auri, non petitori tantum, sed et officio Judicis, quod petitionem admittit, infligenda. Ex quibus texti- 4
bus colligunt: Principem non posse eviscerare regnum suum, alias enim fiet homicida dignitatis suae: quid enim aliud faceret, si terras alendo militi destinatas privatis in emphyteusin dare vellet? *Roland. a Valle lib.* 1. *cons.* 1. *num.* 133. *et Klock. de contrib. c.* 16. *sect.* 1. *num.* 46.

L. Universi. 9.

SUMMARIUM

Intellectus legis.

Qui privato jure, titulo emptionis possidet agrum, non potest a peraequatore compelli, ut patrimonialem fundum Principis desertum suscipiat colendum, sed consuetum canonem tantum solvere Principi tenetur, sic ergo ad *l.* 12. *et ult. tit. de omni agro deserto* pertinet, licet forte melius de praediis privato jure a Principe emptis tributo non gravandis intelligatur; et sic quia dubium habet sensum, vix certi aliquid exinde in foro probatur.

L. Fundos. 10.

SUMMARIA

Sensus legis. *num.* 1.
Relevato onere rei, quod imminet fatigatis, translatio in eos facienda, qui integris viribus florent. 2.
Quae de novo emergunt, novo indigent remedio. 3.

Iniquissimum est, alium pro alio conveniri et onera collectarum non aequaliter distribui, sed alium minus, alium magis his ex actionibus praegravari. 4.

1 Praedia patrimonialia a Principe donata in tributis reliquis patrimonialibus in emphyteusin datis, vel locatis exaequanda sunt, imo non plus de agris desertis acceptare tenetur, qui donatum fundum habet, quam qui emptum vel elocatum. Par enim debet distributio esse agrorum desertorum fundorum; et notanda
2 peraequatoribus ex hoc textu regula: Quod relevato onere rei quod imminet fatigatis, translatio in eos facienda, qui integris viribus florent. Licet igitur, quae antiquam formam habuerunt, minime sint mutanda, *l.* 6. *ff. de opt. vel elect. leg.* solutio tamen annonae, si tractu temporis efficiatur iniqua, per judicem ad aequitatem
3 est redigenda, *l.* 2. *ff. de censibus*, quae enim de novo emergunt, novo indigent remedio, *l.* 11. *princ. ff. de insp. ventr. Klock. cap.* 17.
4 *num.* 127. Observa ex *hoc textu:* Iniquissimum esse alium pro alio conveniri, et onera collectarum non aequaliter distribui, sed alium minus, alium magis his exactionibus praegravari, *hic et l. pen. C. de annon. et trib. Klock. de contrib. cap.* 17. *num.* 123. *et vol.* 1. *cons.* 28. *num.* 210. *Dn. Carpz. lib.* 4. *resp.* 72. *num.* 9. *et resp.* 76. *num.* 16. *Besold. cons.* 227. *num.* 92.

L. Jus emphyteutici. 11.

SUMMARIUM

Intellectus legis.

Legem hanc ita intelligunt: Quod si quis vendat fundum emphyteuticum hac lege, ne emptor solvat censum, quod tunc pactum non valeat, nisi auctoritate Principis roboratum, per *l. fin. C. sine censu vel rel.* imo licet venditor diu censum solvisset, praescriptionem tamen huic pacto non opitulari, vel possessorem titulo praescriptionis 30. annorum se non posse tueri, *d. l. fin.* Alii aliter, ut vix aliquid ex *hac lege* probari possit.

L. Possessores. 12.

SUMMARIA

Praedia in emphyteusin concessa possidentes olim a Praesidibus emere cogebantur, vel servos manumittere prohibebantur. num. 1.
Quid hac lege *circa utrumque decidatur.* 2.
Emphyteuta omnia, quae dominus, in fundo facere potest. 3.
Restringitur. 4.
Speciale quoddam circa emphyteutas Principis. 5.

1 Qui praedia in emphyteusin concessa possidebant, interdum cogebantur a Praesidibus emere, vel prohibebantur servos manumittere, de
2 utroque hic Imper. 1. negat emphyteutas compelli posse ad emenda praedia; Ad 2. quod attinet, dicit emphyteutam manumittere posse, cum fundorum sit dominus. Vid. *l.* 4. *h. t.* et Notetur *ex textu:* Emphyteutam omnia in fun- 3
do posse facere, quae dominus, modo domino 4
jus directum non intervertat, et in specie eum manumittere posse. Ex *hac l.* 12. colligunt DD. 5
emphyteutas Principis, esse dominos praediorum, et sic quoddam speciale esse in his emphyteutis, *Donell. lib.* 9. *cap.* 14. *in fin. Valasc. de jure emphyt. q.* 13. *num.* 1. *et Jo. de Castillo de usufr. cap.* 75. *num.* 28. quos laudat *Hillig. in Donell. d. l. lit. R.*

L. Jubemus. ult.

SUMMARIA

Quomodo fundus patrimonialis Principis vel Ecclesiae vel agonotheticus praescribi possit? num. 1.
An et quatenus liberetur quis in hoc fundo a canone? 2.
Immunitas a canone 40. *annis non praescribitur.* 3.
Limitatur. 4.
Explicatio limitationis. 5.
Libertas a collectis per 40. *annos acquiritur si casus aliquoties evenerit, et tamen non fuit facta.* 6.
An statuta a Principibus secularibus condita valent? 7.

Qui per 40. annos continuos fundum patri- 1
monialem Principis vel Ecclesiae vel agonotheticum, id est, sumptibus sacrorum certaminum deputatum, possidet cum titulo vel sine titulo, quantum ad dominium attinet, fundum praescripsit, sed a canone emphyteutico non libe- 2
ratur; cui vero a principio concessus fuit a Principe fundus hac lege, ne canonem solveret, et tenuerit hoc jure fundum per 40. annos; lapsu temporis etiam a canone immunitatem nactus est, et in hac possessione 40. annorum etiam anni illi, quibus antecessor possedit, connumerandi sunt, *l. pen. §. fin. ff. de div. et temp. praescript.* nam omne jus publicum vel privatum, quod breviori spatio non praescribitur, per 40. annorum spatium extinguitur, per *l. omnes* 4. *C. de praescript.* 30. *ann.* quae cum *hac lege* conjungenda. Sed immunitas a canone non prae- 3
scribitur 40. annis, *l. competit* 6. *C. de praescript.* 30. *ann.* nisi scilicet titulus concurrat 4
immunitatis a Principe datae. Collige: Insignem 5
limitationem *d. l.* 6. *Florez. Diez. lib.* 1. *q.* 21. *num.* 224. vel dicendum *d. l.* 6. loqui de tributis debitis Imperatori in signum recognitionis universalis dominii, quae contra ipsum Imperatorem non praescribuntur cum *Garc. de nobilit. Gloss.* 2. *num.* 75. *Klock. de contrib. cap.* 16. *sect.* 2. *num.* 17. *et seq. Fr. Balbus part.* 2. *part.* 5. *princ. q.* 7. *et Menoch. cons.* 887. *num.* 34. Colligunt etiam: Libertatem a collectis per 40. an- 6
nos acquiri, si casus evenerit aliquoties, et tamen non fuit facta, *Cravetta cons.* 111. *num.* 3. *vol.* 1. *Menoch. cons.* 75. *num.* 6. *et seqq. Klock. de contrib. d. cap.* 16. *sect.* 2. *num.* 6. Occasio- 7
ne *hujus legis* quaeritur: *An valeant statuta a Principibus secularibus condita?* de quo *Menoch.* agit *cons.* 291. *num.* 27. *et num.* 58. Sed apud nostrates res est indubia, dum cura sacrorum ad summum imperium pertinet.

TITULUS LXIII.

De mancipiis et colonis patrimonialium, saltuensium et emphyteuticorum fundorum.

L. Emphyteuticarios. 1.

SUMMARIA

Sensus legis. *num.* 1.
Concesso castro cum toto territorio concessus locus sterilis vel usus fluminis non intelligitur. 2.
An dicta recte a Coepolla *ad certum casum restringantur?* 3.
Melius id, quod ex hoc textu Perez. *colligit, defenditur.* 4.

1 Coloni qui in emphyteuticario fundo fuerunt, antequam in emphyteusin daretur, non alio possunt fundo frui, quam eo, quem antea coluerunt, vel quem sua industria fertilem reddiderunt, nec possunt alio aquam derivare, aut ea aliter uti, quam ad irrigandum eum agrum sufficit, caetera fundi et aquarum commoda omnia ad emphyteutam pertinet: adeo ut pro superfluo aquae irriguae usu coloni illis
2 pensionem solvere teneantur. Colligit inde *Lud. Romanus sing.* 61. Quod concesso castro cum toto territorio, non intelligatur concessus locus
3 sterilis vel usus fluminis, quod *Coepolla de S. R. P. cap.* 31. *num.* 11. ad eum casum restringit, si in emphyteusin datus sit, non si donatus, sed de utroque dubitare licet, cum hic de colonis terrae adstrictis sermo sit. Deinde: nec colonis illis totum territorium, sed tantum
4 certi agri dati sunt colendi. Melius forte defenditur, quod ex *hoc textu* colligit *Perez. num.* 3. Si dominus elocaverit agros, quod per agros non debeant sylvestres et inculti intelligi, sed hactenus culti, nisi contrarium appareat, quod et idem habet *Christin. dec.* 95. *num.* 3.

L. Libertates. 2.

SUMMARIA

Emphyteutae fundorum Principis patrimonialium domini sunt. num. 1.
Mancipia in fundo manumittere possunt. 2.
Rescinditur hic illud, quod ipso jure est nullum. 3.
Ex hoc rescindendi *verbo vix firmiter aliquid contra sententiam communem circa interpretationem* Nov. 115. *inferri potest.* 4.

1 Emphyteutae fundorum patrimonialium Prin-
2 cipis sunt domini, ideoque mancipia in fundo manumittere possunt, *l.* 12. *tit. praeced.* sed hoc conductoribus colonis hic denegatur, ratio in *l.* 4. *C. de his qui a non domino manumissi*
3 *sunt.* Collige: Hic illud rescindi, quod ipso ju-
4 re nullum. Unde obiter colligitur: vix infirmiter ex hoc verbo *rescindendi* aliquid contra sententiam communem circa interpretationem *Novellae* 115. inferri posse. Similis textus in *l.* 5. *C. de resc. vend. et in l.* 43. §. 2. *ff. de vulg. et pupill. subst.*

L. Cognovimus. 3.

SUMMARIA

Intellectus legis. *num.* 1.
Ob expulsionem colonorum emphyteuta fundo privatur. 2.
Vasallus ob saevitiam in subditos praesertim monitus feudo privari potest. 3.
Emphyteuta ob insignem rei abusum et deteriorationem emphyteusi privandus est. 4.
Rationes. 5.
Emphyteuta Fisci colono stare tenetur. 6.
Aliud in emptore. 7.

Emphyteutis feudorum patrimonialium non 1
est concessum, ut colonos, qui diu in colonia utiliter laborarunt, ex fundo expellant, vel permutent, sub poena privationis juris sui, *Hippol. de Marsiliis sing.* 518. nam licet sint domini, id tamen salvo jure tertii intelligendum. Colli- 2
ge: I. Ob expulsionem colonorum emphyteutam fundo privari, *Ant. Cors. sing.* 101. et sic ob 3
saevitiam in subditos etiam vasallus, praesertim monitus, privari potest feudo, *Rosenthal. c.* 10. *concl.* 33. *num.* 55. *et seqq.* Et hinc probabilis 4
etiam redditur sententia Doctorum, qui statuunt, emphyteutam ob insignem rei abusum et deteriorationem privandum esse emphyteusi, tum, quia hic non apparet specialitatis ratio, 5
cur in emphyteuta Principis poena privationis locum habeat, qui aliis emphyteutis majus jus scilicet dominii habet, tum quia deterioratio cum fine emphyteuseos pugnat, *Clarus in* §. *emphyteusis q.* 26. *Pinell. ad l.* 1. *C. de bon. mat. p.* 2. *num.* 60. *Lud. Molina tr.* 2. *de J. et J.* 457. *num.* 2. II. Emphyteutam Fisci tene- 6
ri stare colono, *Lud. Rom. sing.* 63. licet aliud 7
sit in emptore, *l.* 9. *C. locati etc. Perez ad hunc tit. in fin. Christin. d. dec.* 95. *num.* 4. *Petr. Barb. ad l. si filiofam.* §. *fin.* 241. *ff. solut. matrim.*

L. Super. ult.

SUMMARIA

Coloni patrimoniales alio se conferentes revocandi sunt. num. 1.
Ratio. 2.
Limitatio. 3.
Proprius homo, si literas discat, ad agrum retrahendus non est. 4.

Observantia fori marchici et vicinae Pomeraniae. 5.

1 Coloni patrimoniales, qui se ad alia loca, vel
militiam vel aliam professionem contulerunt,
2 omnino revocandi sunt, ratio in *l.* 11. *et l.*
colonis nulla 19. *supr. de agricolis*, nisi jam
3 sint veterani, nam non vult Imperator, ut hi
tela in vomeres et ligones convertant. Unde
4 colligunt: Nec proprium hominem, si literas
discat, ad agrum esse retrahendum, id quod 5
in marchia nostra et vicina Pomerania, ubi jus
hominum propriorum viget, receptissimum est, ut scilicet hominum propriorum et servilium liberi ob studia liberalium artium se ab hoc vinculo liberare possint, quod favori literarum merito concessum. Sed interim veterani ad rus aliud colendum, vel alium honestum laborem exercendum compelli possunt, *l. pen. infr. de veteranis.*

TITULUS LXIII.

De fugitivis colonis patrimonialibus, saliensibus, et emphyteuticis.

L. Quicunque. 1.

SUMMARIA

Extensio legis ult. tit. praeced. *num.* 1.
Ex perceptione stipendiorum miles vel doctor vel tabellio non probatur. 2.
Limitatur. 3.

1 Est extensio *legis ult. tit. praeced.* Scilicet
etiam nati ex colonis terrae adscriptis, vel ex decurionibus, licet parvuli ad militiam translati fuerint, debent tamen ad stivam revocari, *hic et l.* 17. *supr. de decur.* ut tamen duces et tribuni prius conveniantur: nec prosunt eis da-
2 ta stipendia. Colligitur: Ex perceptione stipendiorum non probari militem, vel doctorem,
3 vel tabellionem, nisi doceatur legitima creatio.

L. Quisquis. 2.

SUMMARIA

Tenor legis. *num.* 1.
Gravior poena, qui aliorum colonos receptavit. 2.

1 Qui patrimonialem Principis colonum ad fugam sollicitaverit, vel aufugientem celaverit,
servum non tantum restituere, sed et libram
auri solvere tenetur. Gravior poena, qui alio- 2
rum colonos receptaverit, per *l.* 12. *supr. de agric.*

L. Cujuscunque. ult.

SUMMARIA

Sensus legis. *num.* 1.
Casus, ubi Principis potestas restricta est. 2.
Princeps homines ab agricultura abstrahere et privilegium militiae concedere non potest. 3.
Ratio. 4.
Quid per intercessionem h. l. *intelligatur?* 5.

Coloni fundorum patrimonialium, qui se ad 1
militiam contulerunt, nullo suffragante rescripto aut annotatione, Praesidi vel judici sunt praesentandi et agriculturae restituendi. Et sic ha- 2
bemus hic casum, ubi restricta Principis potestas, quales aliquot supra habuimus, scilicet
Princeps non potest homines ab agricultura 3
abstrahere et privilegium militiae concedere,
ne agricultura laedatur, atque ei, et conse- 4
quenter Reipubl. praejudicium fiat, *Christin. d. dec.* 95. *num.* 9. Quid vero per idoneam in- 5
tercessionem hic intelligendum sit dubium est. *Perezius* hic cautionem intelligit, alii summariam cognitionem, quamvis pro auctoritate et interpositione officii praesidialis etiam accipi possit.

TITULUS LXIV.

De collatione fundorum patrimonialium et emphyteuticariorum.

L. Emphyteuticarii. 1.

SUMMARIA

Emphyteutae Principis a muneribus extraordinariis sunt immunes. num. 1.
Fallit in onere reparandarum viarum. 2. 4.
Ratio. 3.
Emphyteutae quoque Principis et ruricolae operas ad muniendam civitatem vicinam, quae omnium securitati prospicit, conferre tenentur. 5.

Emphyteutae Principis, licet a muneribus ex- 1
traordinariis sint immunes, ab onere reparan- 2
darum viarum tamen immunes non sunt, quia 3

communis omnium utilitas praejudicat omni-
bus privilegiis, per *l. placet* 5. *C. de SS. Eccles.*
l. 2. *supr. de immun. nem. conced.* Vide *l. un.*
4 *supra de Alex. Primat.* Observetur igitur ex
hoc textu: Emphyteutas Principis vel Fisci a
restauratione viarum se excusare non posse,
Mart. Laudens. tr. de Fisco q. 83. *Horat. Car-*
panus ad stat. Mediol. p. 2. *C.* 251. *num.* 21.
Coepolla de serv. viae num. 52. Sicut et usu-
fructuarius tenetur, *Coepolla d. l. num.* 53.
Afflict. de feud. tit. quae sint. regal. vers. *viae*
publicae num. 28. *Carpan. d. l. num.* 22. Ex *hoc*
5 *textu* potest probari: Etiam emphyteutas Prin-
cipis et ruriculas teneri conferre operas ad mu-
niendam civitatem vicinam, quae omnium se-
curitati prospicit, *Klock. de contrib. cap.* 9.
num. 65. *Perez. ad hunc tit. num.* 1. et conf.
Christin. d. 95. *num.* 14. *et seq.* de defensione
patriae loquens.

L. Patrimoniales 2.

SUMMARIA

Patrimoniales fundi ab extraordinariis mune-
ribus excusantur. num. 1.
Ampliatur. 2.
Ratio 3.
Restringitur. 4.

1 Patrimoniales fundi excusantur ab extraordi-
2 nariis muneribus, adeo ut ne ad mediae vel
tertiae portionis obsequia, id est, ad extraor-
dinariorum onerum dimidiam aut tertiam pen-
sionem exolvendam compelli possint, cum suf-
ficiat ab iis praestari solitum canonem aura-
3 rium, vel frumentariam pensionem. Colligunt
inde: eum, qui ab extraordinariis immunitatem
habet, nec ad partem eorum compelli posse.
4 Sed hoc intelligendum de immunitate, quae non
ex causa paupertatis venit; nam qui non est
idoneus, ut solvat integram collectam, ei vi-
demus mediam vel tertiam imponi partem, ut
tamen aliquam partem de communi onere fe-
rat, pro viribus; idque justitiae est conforme.

L. Omnes. 3.

SUMMARIA

Possessores patrimonialium fundorum non secus
ac privatorum fundorum possessores solemni-
bus functionibus satisfacere tenentur. num. 1.
Communem fundum patrimonialem cum alio
possidens in solidum non convenitur. 2.
Ratio. 3.
Catastra pro varietate possessorum et pretii
rerum saepe sunt mutanda. 4.

1 Qua forma, vel pro qua portione privatorum
fundorum possessores, eadem forma et portio-
ne etiam possessores patrimonialium fundorum
solemnibus functionibus satisfacere tenentur.
2 Non ergo is, qui cum alio communem fundum
patrimonialem possidet, in solidum convenitur.
3 Communio enim fundi non operatur, ut qui-
libet possessor in solidum conveniatur, sed so-
lum pro rata possessionis. Colligitur ergo ex *hac* 4
lege: Saepius catastra, pro varietate possesso-
rum et pretii rerum, mutanda esse; atque id
esse puto, quod post *Bald.* ex *hac lege* vult
probare *Klock. de contrib. c.* 17. *num.* 116. *et*
vol. 1. *cons.* 28. *num.* 393.

L. Placuit. 4.

SUMMARIA

Emphyteutae et patrimonialium fundorum pos-
sessores quot vicibus pensionem solvere te-
neantur? num. 1.
Quid si susceptor in accipiendo vel dando apo-
cham moram fecerit? 2.
In publicis particularis solutio contra regulam
in l. 3. ff. fam. hercisc. et l. 9. C. de solut.
admittitur. 3.
Rationes. 4.
Ubicunque leges vel statuta particularem solu-
tionem admittunt, ibi ultra tres terminos non
est dividenda solutio. 5.
Restringitur. 6.

Emphyteutae et patrimonialium fundorum pos- 1
sessores non tenentur pensionem anni totam
una vice solvere, sed particulariter tantum,
tribus tamen vicibus possunt solvere, ut tamen
pensio totius anni ante idus Januarii sit solu-
ta; Quod si susceptor in accipiendo vel dando 2
apocham moram fecerit, sufficiet, si super ea
mora debitor coram actis contestetur, nam so-
la oblatio conjuncta cum contestatione libera-
bit eum a praestatione canonis, *l.* 1. *supr. de*
suscept. Collige: I. In publicis particularem so- 3
lutionem admitti contra regulam *in l.* 3. *ff.*
fam. hercisc. et l. 9. *C. de solut.* Et sic Fiscus
particularem solutionem admittere tenetur, *Me-*
vius in discussione levaminum cap. 4. *sect.* 9.
num. 5. vel quod certa tempora pensionum non 4
sint, vel ut subleventur possessores agrorum
patrimonialium, vel ut Fiscus facilius suum
consequatur, cum facilius sit, plures particu-
las separatim expendere, quam totam summam
simul repraesentare, *Donell. ad l. quidam exi-*
stimarunt 21. *num.* 17. *ff. si certum pet. Zang.*
de except. p. 3. *c.* 2. *num.* 30. *Neguzant. de pign.*
part. 5. *memb.* 3. *part.* 2. *num.* 22. *Bacchov.*
in Tr. v. 2. *d.* 29. *th.* 2. *lit. B.* et hos referens
Georg. Schultz. de oblat. c. 4. *num.* 6. *Klock.*
de contrib. c. 18. *num.* 233. Ex quo probatur:
Regulam esse in contrarium, *Caballinus* vel
quis alius auctor *tract. de dividuo et indiv. p.*
2. *num.* 13. *et num.* 48. ubi casus enumerat in
antecedentibus et sequentibus, ubi particularis
solutio locum habet. Et privatum creditorem
ex aequitate compellendum putat *Christ. dec.*
95. *num.* 21. si ejus non valde intersit. Nam
conducibilius et aequius est, particularem am-
plecti solutionem, quam nullam, et ad despe-
rata consilia adigere debitorem. Videatur *Me-*
vius d. l. num. 7. quod coeca avaritia excoeca-
ri nolent. II. Ubicunque admittunt leges vel 5
statuta particularem solutionem, ibi ultra tres
terminos dividendam solutionem non esse, quod
consuetudine receptum testatur *Gomez. t.* 2.
resol. c. 2. *num.* 13. quod intellige, ubi nulla 6
captio creditoris.

L. Per omnes. ult.

SUMMARIUM

Tenor legis.

Haec lex est conjungenda cum *l. fin. de his, quae ex publica collatione illata sunt non usurpandis.* Praesides enim a susceptoribus debent canonem debitum accipere, et exactum ad aerarium destinare, nec ad alium usum convertere sub poena *hic et d. l. fin.* constituta, *Klock. d. c.* 18. *num.* 23.

TITULUS LXV.

De fundis rei privatae et saltibus divinae domus.

L. Universi. 1.

SUMMARIA

Venditio fundorum rei privatae Principis a Fisco facta nullo jure retractari potest. num. 1.
Contractus a Principe initus est irrevocabilis. 2.

1 Venditio fundorum rei privatae Principis a Fisco facta nullo jure retractari potest, *l.* 2. *supr. ne Fiscus rem quam vendidit evincat. l.* 4. *infra de div. praed.* Vide not. ad *leg.* 6. *supr.*
2 *de fundis patrim.* Et notetur: Contractum a Principe initum esse irrevocabilem. Nescit Princeps bonus fidem fallere, *Eneuckel. de privil. lib.* 3. *c.* 8. *num.* 41. *et c.* 11. *num.* 16.

L. Hi quos. 2.

SUMMARIA

Sensus legis. *num.* 1.
Ut in emphyteuticis, ita etiam in feudalibus meliorationes ad haeredes transeunt. 2.
Restringitur. 3.
Causa tributi, et pensitationis publicae summariter cognoscenda est. 4.
Emphyteuta novus si auctoritate Principis emphyteusis ei concessa, ad solutionem eorum, quae decoctor reliquit, non tenetur. 5.
Ob meliorationes diligentia ac labore emphyteutae factas canon vel tributum non augetur. 6.
Registra tributorum vim probandi habent. 7.

1 Qui cupiunt habere fundos rei privatae, eis a Comite rerum privatarum debent addici, cum eo onere ac forma, idest, cum eo canone, qui jam praesenti debetur; meliorationes et mancipia, pecora et mobilia, quae possessor novus adjecerit, ipsius lucro cedant, nec propterea canon semel adscriptus augendus est, cum canon de ipso fundo solvatur; annuas autem pensiones compellendus est statim solvere, nec enim ob non solutum canonem fundus cadit in commissum, *l.* 4. *supr. de fund. patrim.* et si non sit solvendo, fundus idoneo addicitur possessori, ut tamen novus possessor ad antiquas pensiones, quas prior possessor reliquatus est,
2 non teneatur. Collige: I. Ut in emphyteuticis, ita etiam in feudalibus meliorationes ad haere-
3 des transire, quod in meliorationibus per se stantibus, de quibus hic sermo est, in cohaerentibus vero ad causam citra culpam amissi feudi restringitur, *Rosenthal. de feudis c.* 10. *concl.* 43. *numm.* 4. 5. *et seqq.* II. Causam tri- 4
buti et pensitationis publicae summariter esse cognoscendam, *Maranta p.* 4. *spec. dist.* 9. *num.* 181. *Zang. de except. p.* 1. *cap.* 1. *num.* 60. *causa* 36. III. Collige: Emphyteutam novum, 5
si auctoritate Principis ei concessa emphyteusis, non teneri ad solutionem eorum, quae decoctor reliquit, *Christin. dec.* 96. *num.* 6. *et seqq.* IV. Ob 6
meliorationes diligentia ac labore emphyteutae factas, non augeri canonem vel tributum, *Klock. de contribut. c.* 18. *num.* 224. V. Registra tri- 7
butorum habere vim probandi, nam ad ea hic provocare videntur Imp. *Klock. d. tr. c.* 20. *num.* 365.

L. Quicunque. 3.

SUMMARIA

Tenor legis. *num.* 1.
Venditor ex facto emptoris et successoris tenetur. 2.
Eligens de mala electione substituti tenetur. 3.
Si quis tributarium praedium vendit, et emptor minus idoneus ad solvenda tributa reperitur, tenetur venditor etiam futura onera solvere. 4.

Emphyteuta qui fundum emphyteuticum alii 1
concesserit jure perpetuo, idest, venditionis vel emphyteuseos, vel titulo locationis, si hic solvendo non sit, pro eo concedens Fisco vel Principi obligatur, quia haec venditio vel ablocatio Fisco non praejudicat, aliud est, si Fiscus ipse novo possessori addixisset, *hic et l.* 47. §. 1. *ff. de jure Fisci.* Collige hic: Venditorem teneri ex 2
facto emptoris et successoris, *DD. et Perez hic num.* 6. et eligentem teneri de mala electione 3
substituti, *Christin. d. dec.* 66. *num.* 9. et generaliter, si quis praedium tributarium vendat, 4
et emptor minus idoneus ad solvenda tributa reperiatur, teneri venditorem etiam futura onera solvere, *Valasc. de jure emphyt. q.* 17. *num.* 17. *Mol. de J. et J. tr.* 2. *d.* 456. *num.* 5. *in fin.*

L. Universi. 4.

SUMMARIA

Intellectus legis. *num.* 1.
Princeps pro re ecclesiastica tuenda et exigenda cognoscere et laborare debet. 2.

Pressa Ecclesia beneficio fruatur. 3.
Hodie praeprimis hoc observatur, et cur? 4.

1 Rationales rei privatae, non tantum fundos Principis defendunt, sed etiam Ecclesiarum praedia et canonem ab emphyteutis Ecclesiae debitum in utilitatem Ecclesiae exigunt. Colligunt:
2 Quod pro re Ecclesiastica tuenda et exigenda Princeps cognoscere atque laborare debeat, et
3 quod Ecclesia pressa fruatur beneficio *l. un. C. quando Imperator inter pupil. etc. arg. c. cum sit generale X. de foro compet.* quod tamen de sacrilegio, et quando Ecclesia re sua privata est, loquitur, *Afflict. decis.* 257. *num.* 2. *Covarr. tr. q.* 7. *num.* 3. *Christin. decis.* 96. *num.* 11. Prae-
4 cipue vero in nostris Evangelii Ecclesiis Principes oportet esse nutritios et patronos, et curare, ut reditus Ecclesiis sint salvi: Nam Ecclesiae nostrae pleraeque pauperes, et jure optimo maximo privilegio pauperum fruuntur, cujus rei rationes exiget ILLE, qui summus Ecclesiarum Patronus existit.

L. Usus aquae. 5.

SUMMARIA

Casus legis. *num.* 1.
Constitutio Imperatoris. 2.
Limitatio. 3.
Jus Electoratus Brandenburgici. 4.

1 Ex aqua ad fundos rei privatae pertinente nonnulli aquam derivaverant in suos agros, et se
2 praescriptione tuebantur, sed Imperator contra usurpatores illos constituit hic, ut nulla obstante praescriptione aqua fundis rei privatae restituatur, ne siti hi laborent, alii autem abun-
3 dent. Quod limitant, nisi immemorialis praescriptio accedat, per *l.* 4. *supr. de aquaeduc.*
4 Sic in Electoratu Brandenburgico ejusque ordinatione consistoriali *art.* 71. constitutum, nullum possessorem rei Ecclesiasticae praescriptione se tueri posse, sed ubicunque apparet, rem illam Ecclesiasticam olim fuisse Ecclesiasticam, et possessor nullum titulum praeter praescriptionem potest allegare, quod tunc rem restituere debeat. Putarem tamen immemorialem praescriptionem non exclusam, quae nunquam exclusa censetur, nisi nominatim exclusa, per *l.* 3. §. *ductus aquae ff. de aqua quotid et aest. Tiraq. de retr. convent.* §. 1. *Gloss.* 2. *num.* 35. *Klock. cons.* 41. *num.* 186.

L. Eum qui collegio. 6.

SUMMARIA

Limitatio leg. fin. supr. de mancip. et colon. et l. 22. supr. de agric. *num.* 1.
Objectio diluitur. 2.

1 Est limitatio *legis fin. supr. de mancipiis et colonis, et l.* 22. *supr. de agric.* Colonus vel inquilinus si per 30. annos certo collegio, vel curiae, vel burgo, id est, vico munitiori vel castello fuit addictus, nec tanto tempore a procuratore rei privatae, vel ab alio privato fuerit interpellatus, praescriptione 30. annorum se tueri potest, idque favore curiae vel corporum, nam si nulli corpori serviisset, praescriptio quadragenaria foret necessaria; non igitur obstat 2
l. 1. *C. ne rei dominicae vel templorum vindicatio temporis praescriptione submoveatur*, et haec praescriptio etiam ignoranti currit.

L. Nemo. ult.

SUMMARIA

Quatuor legis *partes. num.* 1.
Fundum rei privatae sub hac conditione emere non licet, ut emptor non teneatur canonem solvere. 2.
Poena. 3.
Palatini sive apparitores Comitis rerum privatarum si se his contractibus vetitis immiscuerint 50. libris auri mulctantur. 4.
Omnia rescripta et decreta in contrarium facta, si his contractus validetur, sive poena remittatur, sunt irrita. 5.
Exceptio. 6.
Emptor contra legis prohibitionem praesertim in Fisci aut Reipubl. praejudicium contrahens pretium regulariter amittit. 7.
Exceptio. 8.
Malae fidei possessor necessarias impensas et meliorationes recipit. 9.
Fallit h. l. 10.
Principi per ministros eorumque negligentiam omnino praejudicari potest. 11.

Sunt 4. partes: I. Fundum rei privatae sub 1
hac conditione emere non licet, ut emptor non 2
teneatur canonem solvere. Et si II. Emptor hoc 3
faciat, amittit pretium et omnes meliorationes, atque expensas factas. III. Palatini autem, sive 4
apparitores Comitis rerum privatarum, si se his contractibus vetitis immiscuerint, mulctantur 50. libris auri. IV. Irrita declarantur omnia 5
rescripta, decreta, vel etiam pragmaticae sanctiones in contrarium factae, si his contractus validetur, sive poena tantum remittatur. Exci- 6
pitur vetustatis praescriptio per quam nonnulli, ut *Cujac.* quadragenariam intelligunt, alii forte melius immemorialem. Collige: I. Emptorem 7
contra *legis* prohibitionem praesertim in Fisci aut Reipubl. praejudicium contrahentem, regulariter amittere pretium, *hic et l.* 1. *supr. de praediis decur. l.* 7. *supr. de agric. et censitis l.* 1. *C. de praescript.* 30. *ann. Perez. ad hunc tit. in fine.* Licet exceptio habeatur in *l.* 8
un. supr. non licere habitatoribus metrocomiae loca sua ad extraneum transferre, cum ibi de interesse privatorum sermo sit. II. Quamvis alias 9
etiam malae fidei possessor necessarias expensas et meliorationes recipiat, per *l. domum* 5. *C. de R. V.* de quo *Jo. Garcias de expens. cap.* 2. id tamen hic habet exceptionem; huc spectat 10
et illud, quod feudo ob culpam vasalli amisso, amittantur meliorationes feudo cohaerentes, per allegata *Rosenthal. cap.* 10. *concl.* 13. *num.* 2. Collige: III. Omnino Principi praejudicari 11
posse per ministros eorumque negligentiam, nam si id fieri non posset, ne quidem immemorialis praescriptio contra Principis bona et jura locum haberet, quod tamen aperte contra jura.

TITULUS LXVI.

De fundis et saltibus rei dominicae.

L. Si quis. 1.

SUMMARIA

Per rem dominicam quid intelligatur? num. 1.
Grex in pascua rei dominicae immissus Fisco vindicatur. 2.
Procuratores Fisci hoc permittentes severiter puniendi. 3.
Alienum pecus in pascuis alienis deprehensum privato includere non licet. 4.
Limitatur. 5.
Moribus nostris secus. 6.

1 Grex in pascua rei dominicae (per quam non
2 rem privatam Principis *cum Cujac.* sed Principis publicum patrimonium intelligimus, 1. quia sunt separata nomina, 2. separati tituli, in *tit. C. ne rei dominicae etc.* dominicum jus, Reipubl. dicitur juxta veterem lecturam) immissus Fisco
3 vindicatur, et procuratores Fisci, qui hoc permiserint, severiter puniendi; licet autem alienis agris pascere pecus vetitum, poena tamen in pascuis Principis specialis est, *Klock. de aerario*
4 *lib.* 2. *cap.* 2. *num.* 25. cum alienum pecus in pascuis alienis deprehensum privato non inclu-
5 dere liceat, *l.* 39. §. 1. *ff. ad l. Aquil.* nisi eo fine,
6 ut sciatur, cujus sit grex, quamvis nostris moribus secus, *Coler. de process. execut. p.* 1. *cap.* 2. *num.* 256. *Petr. Peckius de jure sistendi cap.* 4. *num.* 24. Et haec poena est criminalis, sicut ob non solutum vectigal dominium rei commissae ad Fiscum transiens poena dicitur, *l.* 7. §. 5. *ff. de publ. et vectigal. Jo. Thom. Cancell. Altemb. de noxia animalium C. ult. num.* 28. *seq.*

L. Si qua loca. 2.

SUMMARIA

Sensus legis. *num.* 1.
Quaestio ex lege *deducta.* 2.
Res dominicae nec longi imo nec longissimi temporis praescriptione acquiri possunt. 3.

Est eadem cum *l. ult. C. ne rei dominicae vel* 1
templorum vindicatio temporis praescriptione submoveatur. Et est sensus; aliquis diuturno tempore, id est, 20. annis praedium Dominicum sive Principis, quatenus scilicet ut Princeps, non ut privatus consideratur, possedit, alius rescripto id impetravit, alius in libris censualibus nomen suum ratione alius fundi professus erat: *An hi praescripserunt?* Resp. ne- 2
minem se defendere posse, neque antiquitate possessionis, nec rescripto subreptitio, nec nova possessione census, sed ad antiquos libros censuales esse recurrendum. Collige: Res domi- 3
nicas nec longi, imo ne longissimi temporis praescriptione acquiri posse.

TITULUS LXVII.

De agricolis et mancipiis dominicis, vel fiscalibus Reipubl. vel privatae.

L. Nullus. 1.

SUMMARIUM

Colonus Principis ad munera civitatis sive honores admittendus non est, et cur?

Colonus Principis ad munera civitatis sive honores admittendus non est, cum ubique abunde adsint, qui ex ordinibus civitatum florentium ad honores vocari possint, nam in defectu aliorum in subsidium tantum coloni, vel alii inhabiles admittuntur, *l.* 2. *supr. qui aetate vel prof. l.* 3. §. 2. *ff. de decur.*

L. Colonos. 2.

SUMMARIA

Principis coloni nec publica nec privata negotia gerere possunt, sed retrahendi sunt. num. 1.
Privilegia simplicitati rusticorum tributa sagacioribus non competunt. 2.
Revocationi rusticorum haec obstat exceptio, si revocaturus ejus opera uti non possit. 3.
Ratio. 4.

Coloni Principis ut munera publica gerere non 1
possunt, per *l. praeced.* sed retrahi possunt, si alii sunt idonei, vel ad rationes habendas, vel agrum colendum; ita multo minus privatorum negotia administrare possunt, quibus a cultura agri impediantur, sed semper retrahi possunt. Colligunt: I. Privilegia simplicitati ru- 2
sticorum tributa, sagacioribus non competere, *Petr. Gerard. l.* 18. *num.* 7. *Gail. in l.* 8. *athlethae* §. *ult.* quae est nobis *l.* 6. *ff. de excus. tut.* Et II: revocationi rusticorum obstare hanc 3
exceptionem, si revocaturus ejus opera uti non possit, v. gr. si mutilus, aeger etc. Nam mali- 4
tiis hominum indulgendum non est, et solent revocationes rusticorum saepe ex mera invidia et vindictae studio proficisci.

L. Servi. 3.

SUMMARIA

Extensio legis praecedentis. *num.* 1.
Non minor favor agriculturae est, quam militiae, nec illius jura in bello cessare debent. 2.

1 Est extensio *leg. praeced.* Servi enim Principis atque coloni cum sua sobole sunt retrahendi ab aliis muneribus, etiamsi militiae nomen dederint, et sacramento militari obstricti, imo licet sint inter protectores, qui latus Principis
2 tegunt. Collige: Non minorem favorem esse agriculturae, quam militiae, nec illius jura in bello cessare debere. Sed *An agricultura nobilitati deroget?* Vid. *Tiraq. de nobil. c.* 32.

L. Ex ingenuo. 4.

SUMMARIUM

Natus ex ingenuo et colona, vel ancilla Principis matris conditionem sequitur.

Ut ex ingenuo et colona privatorum natus, *l. mulier* 16. *supr. de agric. et cens.* ita etiam natus ex ingenuo et colona vel ancilla Principis, matris conditionem sequitur.

L. Dominicos. 5.

SUMMARIA

Privatorum coloni ac rustici ab extraordinariis collationibus sunt immunes. num. 1.
Idem in colonis Principis. 2.
Consuetudine immunitas a collectis acquiri potest. 3.

Ut privatorum coloni ac rustici ab extraordi- 1
nariis collationibus immunes sunt, *l.* 1. *supr. de agric. et cens. et l.* 1. *C. ne rusticani ad ullum obseq. etc.* ita idem est in Principis co- 2
lonis, maxime si id consuetudini non repugnet. Collige: I. Idem juris regulariter esse in colonis privatorum et Principis, nec hos prae illis deterioris conditionis esse debere. II. Consue- 3
tudine immunitatem a collectis acquiri posse. Vid. *Klock. de contrib. c.* 16. 2. *num.* 3. *et seqq.*

L. Quoties. ult.

SUMMARIA

Tenor legis. *num.* 1.
Malum minus de pluribus quam de uno praesumitur. 2.
Collegium duorum securius uno esse potest. 3.
Subditi propter discordias irreconciliabiles possunt separari. 4.

Quando praedium Principis vendendum est, 1
tunc si metuatur, ne emptor convicaneis sit molestus, potest pluribus simul unus fundus vendi, qui tamen sunt ejusmodi vici, *arg. l. un. supr. non licere habitator. metrocomiae etc.* Collige: Malum minus praesumi de pluribus, 2
quam de uno, *Christin. dec.* 96. *num.* 27. et unum facilius praesumi delinquere quam plures, et ideo potestatem in pace bellove superiori suspectam commode dividi posse. In summa: Collegium duorum securius uno esse potest. 3
Infert etiam, quod ob discordias subditorum 4
irreconciliabiles, illi interdum separari possint, cum conjunctio eo fine fiat, ergo multo magis disjunctio, et ita intelligo *Perez. in fine hujus tit.*

TITULUS LXVIII.

De praediis tamiacis, et de his qui ex colonis dominicis aliisque liberae conditionis procreantur.

L. Si liber. 1.

SUMMARIA

Tamiaca praedia quaenam dicta? num. 1.
An soboles ex colono libero et tamiaca procreata matris conditionem sequatur? 2.
Communi regulae tamdiu inhaerendum, donec exceptio probetur. 3.

1 Tamiaca praedia procul dubio fuerunt, quae cubiculo ac cellario Principis erant deputata, et coloni adscriptitii fundorum eorum diceban-
2 tur tamiaci. Quaeritur autem: *An soboles ex colono libero et tamiaca procreata, matris conditionem sequatur?* Quod videtur Aff. ex regula generali, *l. penult. supr. de murilegul. l.* 4. *tit. praeced.* Sed Resp. hic sobolem semper sequi conditionem tamiacam patris vel matris; in adscriptitiis et servis caeteris communem sequimur regulam. Collige: Communi regulae tamdiu 3
inhaerendum, donec exceptio probetur, *l.* 3. *ff. de praevaricat. l. illam* 19. *C. de collat.*

L. Meminimus. ult.

SUMMARIA

Tenor legis. *num.* 1.
Statuta non semper jus corrigunt, sed iterdum tantum confirmant et nihil juri communi addunt. 2.

1 Imperator aliqua constitutione pragmatica concesserat, ut aliquot fundi tamiaci, et quidam etiam juris Gonatici (quod forte nomen proprium fundi alicujus) certa lege et salvo canone publico venderentur; eam sanctionem hic confirmat Imperator, ut cautela sit abundantior, nam abundans cautela non nocet, per *l.* 17. *C. de testam.* et ea quae ibi notantur, *Klock. cons.* 51. *num.* 205. *A. Barb. lib.* 1. *cap.* 6. *axiom.* 1. Collige: Statuta non semper corrigere jus, sed 2
interdum tantum confirmare, et nihil juri communi addere.

TITULUS LXIX.

De diversis praediis urbanis et rusticis templorum et civitatum, et omni reditu civili.

L. Pro aedibus. 1.

SUMMARIA

Qui in alieno consentiente domino solo aedificat, jus superficiei acquirit. num. 1.
An privatus hoc hujus in Reipubl. fundo acquirere possit? 2.
Ratio dubitandi. 3.
Decidendi. 4.

1 Qui in alieno solo consentiente domino aedificat, jus superficiei acquirit, et quidem si sub certa pensione annua, quae salarium dicitur, conductio est, de quo *pecul. tit. in ff. de superficiebus*, et pluribus agit *Don. lib.* 9. *c.* 16. *et seqq. Menoch. rem. retin. poss.* 4. *Molina de J. et J. tr.* 2. *d.* 10. *num.* 12. *et seqq.* Sed Quae-
2 ritur: *An privatus hoc jus in Reipubl. fundo*
3 *acquirere possit?* Videtur quod non, quod haec quasi sit species alienationis, quae certas requirit solemnitates, *l. fin. supr. de vend. reb. civ.*
4 Sed Aff. quia fundus manet Reipubl. et hujus conditio fit melior, accepto annuo salario.

L. Pamphyliae. 2.

SUMMARIA

An collegia et civitates haeredes institui possint? num. 1.
An civitas ex testamento vel contractu inter vivos aliquid proprii acquirere queat? 2.

1 Ut dubitatum olim fuit, an collegia ac civitates haeredes institui possint, ut patet ex *l.* 26. *ff. ad SC. Trebell. et l.* 8. *ac* 12. *C. de haered. instit.*
2 ubi id affirmatur; ita in universum dubitatum est, an civitas, ut proprium quid acquirere possit, ex testamento vel contractu inter vivos: quod hic Aff. cum arcam communem habere possint, *l.* 1. §. 1. *ff. quod cujusc. univers. etc.*

L. Restaurationi. 3.

SUMMARIA

Quaenam in opera publica, v. gr. moenia, curias, reficienda, et custodiam civitatis deputanda? num. 1.
Consuetudo hodierna. 2.
Pensionarii ultra tertiam pensionis partem in reparationem aedium impendere nequeunt. 3.

Ne opera publica, v. gr. moenia, curiae, ther- 1
mae vetustate collabantur, ideo tertia pars redituum ex fundis Reipubl. collectorum et Fisco applicandorum ad eum finem et reparationem et custodiam civitatis deputanda, *hic et l. ne splendidissimae* 11. *C. de oper. publ. Camill. Borell. cons.* 2. *num.* 25. et quos allegat *Klock. in cons.* 4. *tract. de contribut. annex.* 69. *col.* 1. *et vol.* 2. *cons.* 44. *num.* 47. ubi ex *Aegidio Tomato* notat, illam tertiam hodie de con- 2
suetudine non servari, de quo etiam queritur idem *Klock. de contrib. c.* 9. *num.* 34. quamvis ipsa refectio inconsulto Principe vel Praeside fieri non possit, *l.* 9. §. 1. *ff. de R. D.* Collige: 3
pensionarios ultra tertiam partem pensiones in reparationem aedium impendere non posse.

L. Eos qui auctione. 4.

SUMMARIUM

Tenor legis.

Quicunque auctione prima facta fundum patrimonialem vel ecclesiasticum (quod intelligendum est, si forma *Auth. hoc jus porrectum C. de SS. Eccles.* observata) acquisiverit, perpetuo eum fundum teneat, nec admittitur secunda licitatio, *hic et l.* 3. *et supr. de fund. patrim. l.* 1. *supr. de fund. rei priv.* Vid. *not. ad d. Auth. hoc jus porrectum etc.*

L. Si qui. 5.

SUMMARIA

Fundum rei privatae sub hac conditione, ne novus possessor Principi canonem solvat, emere vel acquirere non licet. num. 1.
Idem juris, si canon ex agro, vel ergasterio, vel domo civitati debeatur. 2.
Idem in agonotheticis fundis. 3.
Discrimen inter fundos privatos Principis et civitatis. 4.
Exceptio ab hac lege. 5.
Civitatibus et collegiis approbatis magis favent leges quam privatis. 6.

Exceptio l. 7. C. de LL. *num.* 7.
Licet pacta sint irrita, non tamen ipsorum contractuum substantia est irrita. 8.
Nisi in nonnullis exemplis. 9.

1 Sicut fundum rei privatae emere vel acquirere non licet sub hac conditione, ne novus possessor Principi canonem solvat, *l. fin. supr. de fund. rei priv. et l.* 1. *C. sine censu vel reliquis*
2 *etc.* ita idem juris, si canon ex agro, vel domo, vel ergasterio, id est, officina, civitati debeatur, nam et hic canon debetur civitati,
3 non obstante pacto contrario, et idem in agonotheticis fundis, id est, ad certa certamina deputatis, additur *l.* ratio in vers. *nam si pri-*
4 *vati, et hanc l.* vult retro etiam valere. Hoc tamen est discrimen inter fundos privatos Principis et civitatis, ut novus possessor fundum et pretium amittat in illis, sed praesenti casu do-
5 minium vel jus in fundo retineat. Si tamen ex fundo civitatis canon solvatur antiquitus Principi, hic casus ad praesentem legem non per-
6 tinet. Collige: I. Civitatibus et collegiis appro-
7 batis magis favere leges, quam privatis. II. Est
8 hic exceptionis *l.* 7. *C. de LL.* exemplum. III. Licet pacta sint irrita, non tamen ipsorum con-
9 tractuum substantiam esse irritam, nisi in nonnullis exemplis, ut in *l. pen. §. ult. ff. de act. empt. l. ult. ff. de condict. causa data non secut. d. l. ult. C. de fund. rei priv.*

L. Hac in perpetuum. ult.

SUMMARIA

Tenor legis. *num.* 1.
Principes ad confirmationem privilegiorum civitatibus et ordinibus a praedecessoribus datorum tenentur. num. 2.
Exemplum, ubi nullum rescriptum, praesertim in immunitate ab ordinario onere, valet. 3.
Renovatio privilegii ejusdem confirmationem inducit. 4.

Nicaeae, quae Bithyniae metropolis, 400. so- 1
lidi, quos ex certis fundis in Apamaea constitutis antea perceperat, erant subtracti et in aliorum translati commodum, hos civitati Imperator jubet restitui, hoc deinde ad thesim transfert, ut quodcunque civitati alicui aliqua occasione oblatum vel diminutum sit, eidem restituatur, non obstante rescripto contrario. Col- 2
lige: Principes teneri ad confirmationem privilegiorum civitatibus et ordinibus a praedecessoribus datorum; qua de re supra. Interim col- 3
lige exemplum: Ubi nullum rescriptum valet, praesertim in immunitate ab ordinario onere etc. *Carpzov. lib.* 4. *resp.* 75. *num.* 8. et renovatio- 4
nem privilegii ejusdem confirmationem inducere, *Georg. Enenckel. Baro de privil. lib.* 3. *cap.* 20. *num.* 12. *et seqq.*

TITULUS LXX.

De locatione praediorum civilium vel fiscalium, sive templorum sive rei privatae vel dominicae.

L. Divi patris. 1.

SUMMARIA

Perpetuarii quinam? num. 1.
Quales illi esse debeant, quibus praedia in perpetuum locanda sunt? 2.
Quicunque nomine publico contrahunt, nec cautionem exigunt, suo id faciunt periculo. 3.

1 Perpetuarii sunt, quibus sub certa pensione vel canone in perpetuum locantur praedia Principis vel templorum, et videntur iidem esse, qui emphyteutici, juxta *l.* 1. *C. de offic. com. sacri palat. Tiraq. de retr.* §. 1. *gloss.* 14. *num.* 84. *Valasc. de jure emphyt. qu.* 36. Sed illi
2 quibus praedia in perpetuum locanda sunt, debent esse idonei facultatibus, vel fidejussores praestare, ne Fiscus damnum incurrat, nam si hoc neglectum fuerit, officialis damnum hoc Fisco praestabit, *hic et l.* 7. *supr. de fundis pa-*
3 *trim.* et quicunque nomine publico contrahunt, nec cautionem exigunt, suo id periculo faciunt.

L. Fundi. 2.

SUMMARIA

Fundi publici locandi in perpetuum, facta subhastatione, ei qui majorem canonem promittit, locentur. num. 1.
Semel locati, alii majorem pensionem licitanti dari non debent. 2.

Idem hic dicitur quod in *l.* 2. *supr. de vend.* 1
rer. civ. et l. 3. *supr. de fund. patrim. et l.* 2. *supr. de fund. rei priv. l.* 4. *de divers. praed. etc.* scilicet quando publici fundi sunt in perpetuum locandi, facta subhastione, ei qui majorem canonem promittit, sunt locandi, semel vero locati, non debent alii majorem pensionem licitanti dari, non obstante Principis rescripto; particulam vero *nec* in principio abundare contextus arguit. Notanda hic ex dictis legibus suppleantur, ne idem identidem dicamus.

L. Loca. 3.

SUMMARIA

In venditione bonorum Fiscalium subhastatio exigitur. num. 1.
Idem in locationibus praediorum Fiscalium vel Principis vel Ecclesiae. 2.
Restringit hoc Damhuder. *ad locationem perpetuam.* 3.

1 Sicut in venditione bonorum Fiscalium exigitur subhastatio, ut scilicet intra certum tempus majus pretium licitanti res addicatur, per *l.* 46. *et t. t. supr. de fid. et jur. hastae Fi-*
2 *scal.* ita idem in locationibus praediorum Fiscalium vel Principis, vel Ecclesiae est observandum, *Christin. dec.* 97. *num.* 24. *et seqq.*
3 *Perez. ad hunc tit. num.* 8. Quod *Dumhuderus in tract. de subhast.* ad perpetuam locationem restringit, *cap.* 3. *num.* 32.

L. Congruit. 4.

SUMMARIA

An elapso tempore locationis prior conductor novo, si pensionem parem promittat, sit praeferendus? num. 1.
Ratio dubitandi. 2.
Decidendi. 3.
Speciale h. l. *et ad alios emphyteutas non trahendum.* 4.
Ratio specialitatis. 5.
An vetus conductor finito tempore conductionis compelli possit ad continuandam conductionem praedii Fiscalis vel vectigalium? 6.

1 Loquitur de conductione temporali, et quaeritur: *An elapso tempore locationis, prior conductor novo, si pensionem parem promittat sit*
2 *praeferendus?* Et videtur quod non, ob *l. ne*
3 *cui* 32. *C. locati.* Sed Aff. quia ob favorem publicum, ut plures reperiantur conductores, placuit contrarium, scilicet ut antiqui conductores praeferantur extraneis, *Jo. Koeppen. decis.* 52. *num.* 61. *Carpzov. p.* 2. *const.* 31. *def.* 8. *et const.* 37. *def.* 8. *et lib.* 5. *resp.* 19. *num.* 16.
4 *Gomez. t.* 2. *c.* 3. *num.* 5. quod hic speciale est, et ad alios emphyteutas trahendum non est, *Castillo de usufr. c.* 75. *num.* 45. *et seq.*
5 Quia enim antiqui conductores horum praediorum aliquando inviti detinentur, merito in alio sublevantur, *Steph. Gratianus tom.* 2. *discept. cap.* 357. *num.* 12. *et seqq.* cum etiam alia exceptio sit in scholaribus, per *cap.* 1. *X. de locat. Carot. in tract. de locat. p.* 1. *tit. de jure personarum pag.* 31. vel nisi contrarium pacto vel consuetudine receptum. Vid. *Myns. c.* 4. *obs.* 23. *Boer. dec.* 107. *Afflict. dec.* 238. *Carpz. p.* 2. *const.* 37. *def.* 8. Sed, *An idem in bonis Ecclesiae?* Neg. *Vinc. de Franch. decis.* 406. *num.* 9. *et Carpzov. lib.* 2. *jur. Eccl. def.* 305.
6 Sed *An vetus conductor finito tempore conductionis compelli potest ad continuandam conductionem praedii Fiscalis vel vectigalium?* et Affirm. hoc per *l. cotem* 11. §. *fin. de publican.* tribus hic concurrentibus, 1. si proxime praeterito tempore in conductione fuit, 2. si maximus fructus sit consecutus, 3. non reperiatur alius, *Peregrinus de jure Fisci lib.* 6. *tit.* 5. *num.* 6. *Perez. ad hunc tit. num.* 13. Conf. *Boer. dec.* 149. *num.* 2.

L. Praedia. ult.

SUMMARIA

Duae legis *partes, et quid in utraque agatur? numm.* 1. 2.
Princeps rem uni concessam alteri concedere nequit. 3.
Donationes Principis vim legis *habent, et revocari nequeunt.* 4.
Conductor Fisci licet rem conductam retinere possit, invitus tamen retineri nequit. 5.
Exceptio. 6.
Qui donat rem alteri, in qua tantum jus habet, jus illud remittere videtur. 7.
Si Princeps rem duobus donavit, concessio prima posteriori praevalet. 8.

Habet duas partes: in *prima* agit de conductione 1
perpetua, et dicit: praedia in perpetuum locata uni eidem auferri, et alteri locari non posse; adeoque rescriptum Principis contra elicitum, est nullum, et impune non paretur: Imo non impune paretur, quod in versu, *sed nec,* ampliatur, etiamsi licitator accedat multo ampliorem canonem promittens, per *l.* 2. *h. t. et ibi allegatos textus,* limitatur in vers. *jure igitur,* nisi scilicet Princeps praedium ipsi conductori donet, nam ea ratione canon remissus videtur. In *secunda parte* agitur de conductore 2
temporali, et distinguitur, utrum Princeps donare velit alteri vel locare: Illud potest indistincte, sive donatio fiat in alium, sive in ipsum conductorem; hoc vero ita, nisi prior conductor eandem pensionem offerat, quam obtulit praecedens, per *hanc et praeced. l.* Collige: I. Principem rem uni concessam, alteri non 3
concedere posse, *Corset. sing.* 237. *Ruin. cons.* 186. *num.* 4. etenim donationes etiam 4
Principis vim *legis* habent et revocari nequeunt, *Georg. Enenck. de privil. lib.* 3. *c.* 8. *num.* 37. II. Conductorem Fisci, licet possit retinere 5
rem conductam, invitus tamen non potest retineri, per *l.* 3. §. 6. *ff. de jure Fisci,* nisi in 6
causa *l.* 11. §. *ult. ff. de publican.* III. Qui do- 7
nat rem alteri, in qua tantum jus habet, jus illud remittere videtur. IV. Notatur: Inter alias exceptiones *leg. quoties* 15. *C. de rei vind.* etiam esse hanc: Quod si Princeps rem duobus 8
donaverit, concessionem primam posteriori praevalere, *Gail. lib.* 2. *obs.* 55. *Rolandus a Valle cons.* 2. *num.* 149. *vol.* 1. et alii, quos allegat *Klock. cons.* 21. *num.* 48. *vol.* 2. et quos *A. Barbosa* conglomerat ad *d. l.* 13. *num.* 17.

TITULUS LXXI.

De conductoribus et procuratoribus sive actoribus praediorum fiscalium domus Augustae.

L. Conductores. un.

SUMMARIA

Conductoribus praediorum Principis et qui alias sunt de domo Augusti duo injunguntur. numm. 1. 4.
Princeps et Fiscus in dubio jure comuni utitur. 2.
Limitatur. 3.
In eos qui sunt de familia Principis, gravius animadvertendum est, quam in caeteros. 5.
Restringitur. 6.
Poenitentia in delictis impunitatem non tribuit. 7.
Fallit in certis criminibus. 8.
In causis Fisci, si non sunt omni ex parte liquidae, processu juris ordinario procedendum est. 9.

1 Conductoribus praediorum Principis, et qui alias sunt de domo Augusti, duo hic injunguntur, 1. ut semper, quoties litem movent, vel excipiunt in causa publica, et multo magis in negotiis privatis, utantur jure communi, unde Colligunt: Principem et Fiscum in dubio uti 2
jure communi, nisi ubi apparet, eum esse pri- 3
vilegiatum, *l.* 6. *supr. de jure Fis. Peregr. lib.* 6. *de J. Fisci cap.* 1. *num.* 1. *Surdus dec.* 1. *num.* 7. *Gail. lib.* 1. *obs.* 90. *num.* 2. *Klock. de aerario lib.* 2. *cap.* 36. *num.* 43. Et 2. ut ab alie- 4
narum litium procuratione, patrocinio ac executione, et a negotiis alienis, imo et delationibus abstineant, alioquin gravius eos, quam caeteros puniendos esse. Unde Colligitur: I. In 5
eos, qui sunt de familia Principis, gravius animadvertendum esse, quam caeteros, si scilicet 6
praesumptione potentiae suae delinquant, *arg. l. presbyteros* 5. *C. de Episc.* II. Poenitentiam 7
in delictis consummatis non tribuere impunitatem, *l.* 65. *ff. de furtis*; nisi in certis crimini- 8
bus, *Anton. Matth. ad l.* 47. *ff. tit.* 13. *c.* 2. *num.* 9. et in causis Fisci, si non sint omni 9
ex parte liquidae, procedendum esse juris processu ordinario, *Klock. de contrib. c.* 18. *num.* 26. et quos laudat *Dn. Carpzov. lib.* 4. *resp.* 77. *num.* 6. *Christinaeus dec.* 98. *num.* 2. *Perez. ad hunc tit. num.* 3.

TITULUS LXXII.

Quibus ad conductionem praediorum fiscalium accedere non licet.

L. Nullus. un.

SUMMARIA

Possessiones rei privatae Principis quibusnam locari et vendi prohibeantur? num. 1.
Milites agrum in ea provincia, in qua militant, emere nequeunt. 2.
Nec privatorum res conducere. 3.
Ratio. 4.
Qui ipse contrahere nequit, nec per interpositam personam hoc facere debet. 5.
Nobilis nec per alium salva sua nobilitate negotiari potest. 6.
Limitationes. 7.

1 Possessiones rei privatae Principis palatinis, id est apparitoribus, Comites rerum privatarum locari non debent, uti nec militibus, nec curialibus, sicut et privatas Principis res emere non possunt, *l. fin. C. de resc. vend.* sicut nec 2
milites agrum emere possunt in ea provincia, in qua militant, *l.* 13. *ff. de re milit.* nec 3
privatorum res conducere milites possunt, *l.* 31. *C. de locat.* causa autem, metus impressio- 4
nis, et ne per haec negotia ab officio suo abstrahantur. Collige: Eum, qui ipse non possit 5
contrahere, nec per personam interpositam hoc facere debere, *l. pen. C. de his quae metus caus. l.* 2. §. 1. *ff. de administrat. rer. ad civit. pertin. Klock. de contrib. cap.* 12. *num.* 263. ubi tradit, nobilem nec per alium salva nobi- 6
litate sua negotiari posse, quod tamen habet 7
suas limitationes; in quibusdam regnis interdum necessitas hoc exigit.

TITULUS LXXIII.

De collatione fundorum fiscalium, vel rei privatae vel dominicae, vel civitatis vel templi.

L. Ordinariorum. 1.

SUMMARIA

Duplex legis *intellectus. num.* 1.
Particulae, ita tamen, *interpretatio.* 2.

1 *Lex haec* dupliciter intelligitur, ab aliis de foro actorum et conductorum praediorum Fiscalium competente, ab aliis vero de exactione solemnis tributi, ut scilicet Judices locorum ordinarii, praesertim Praesides exigant tributum, et rationalibus rei privatae Principis, id est, procuratoribus assistant, sive eos adjuvent
2 in exactione debitorum Fiscalium. Collige: Licet particula, *ita tamen*, soleat conditionem indigitare, *l.* 86. *pr. ff. de condit. et dem.* et restringere praecedentia, *l. ita tamen* 27. *pr. l.* 78. §. 10. *ff. ad SC. Trebell.* interdum tamen nudam indigitare exhortationem, ut hic.

L. Palatinos. 2.

SUMMARIA

Sensus legis. *num.* 1.
Nuncio nunquam sine commissionis literis creditur. 2.
An recte a nonnullis hoc limitetur? 3.

1 Comites rerum privatarum mittebant in provincias palatinos suos cum literis, ut monerent Praesides de collationibus inferendis, *l.* 2. *et* 3. *sup. de can. largit. tit.* qui palatini in provinciis moderate et temperanter se gerere jubentur, et Praesidi obtemperare, et a concussionibus abstinere; si contra faciant, res referenda ad P. P. qui severe eos castigabit, *l.* 7. *supr. de exact.*
2 *trib. d. l.* 2. *et* 3. Collige: Nuncio nunquam credi sine literis commissionis, quamvis in eo 3
casu, si juratus sit, hoc limitent nonnulli, quod negat *Gail. lib.* 1. *obs.* 54. *num.* 4. *Myns. cent.* 6. *obs.* 10. *num.* 4. *et seqq.* Conf. *Menoch. lib.* 2. *praes.* 24. *num.* 1. *et seq. Vant. de nullit. ex def. citat. num.* 42. *Caevall. qu.* 380. *Hillig. in Donell. l.* 23. *cap.* 2. *lit. D.*

L. Omnia. ult.

SUMMARIA

Praedia rei privatae Principis et quae ex proscriptorum bonis ad Fiscum devolvuntur, neque a praestatione annonarum excusantur, neque a transvectione specierum, nec censu. num. 1.
Ratio. 2.
Ditiones, quae Imperatoris sunt tanquam privati, recte in censum et provincias, sive in circulos Imperii pro communi defensione sunt relatae. 3.

Praedia rei privatae Principis, et quae ex 1
proscriptorum bonis ad Fiscum devolvuntur, non excusantur a praestatione annonarum, *l. un. supr. ut nemini liceat in empt. spec.* neque a cursitatione, id est transvectione specierum, neque ab opinione, id est censuali professione
sive censu, quia haec sunt partim munera or- 2
dinaria, partim vero ea summa necessitas publica extorquet, omnia vero sunt patrimonialia; idem in Ecclesiae praediis, *l. neminem* 11. *C.*
de SS. Eccles. Et inde ditiones, quae sunt Im- 3
peratoris tanquam privati recte in censum et provincias sive in circulos Imperii sunt relatae pro communi defensione, *Rec. Imp. de anno* 1512. §. *Darauf haben wir. Knichen. de Sax. non provoc. jure* verb. *Ducum*, *cap.* 2. *num.* 2. *et Klock. de contrib. c.* 9. *num.* 69. *et* 70.

TITULUS LXXIV.

De privilegiis domus Augustae vel rei privatae, et quarum collationum excusationem habent.

L. Privatas. 1. et L. Excepto. ult.

SUMMARIA

Praedia privata Principis a sordidis muneribus et extraordinariis certo respectu sunt immunia. numm. 1. 3.
Restringitur. 2.

Praedia privata Principis, licet necessitatibus 1
publicis inservire debeant, *l. fin. tit. praeced. et l. fin. h. t.* habent tamen immunitatem a sordidis muneribus, de quibus in *l.* 12. *supr. de exc. mun.* et extraordinariis, quae summa necessitas publica non extorquet, ut a superindictis, per *l. fin. h. t. et l. pen. supr. de agri-*

2 *col.s et mancip.* Sed ab iis caeteri omnes possessores immunes non sunt, *l. fin. h. t.* Collige:
3 Praedia Principis a sordidis muneribus esse immunia, *Besold. cons.* 233. *num.* 99. *An autem coloni Principis immunes sint?* De eo tractat *Christin. decis.* 99.

L. Rem privatam. 2.

SUMMARIA

Praedia Principis, in provinciis sita, ad transvehendam annonam, aliasque necessitates publicas obligantur. num. 1.
Ratio. 2.
Nec possessiones Principis, nec praedia Fisco incorporata eximuntur ab illis collectis, quae pro publica necessitate inducuntur. 3.
Illi tamen ultra solitum ne graventur. 4.
Dominus, qui praedium rusticum suis praediis adjungit, ad servitia de eo praedio praestari solita indistincte tenetur. 5.
Qui ultra locum solitum transvectionem specierum vel alia munera praestare compellitur, ille justam habet recusandi servitii causam, et mutationi loci saepius gravamen inducitur. 6.

1 Praedia Principis in provinciis sita, ad transvehedam annonam aliasque necessitates publicas
2 obligantur, ut scilicet provinciales minus graventur, inde gloriatur hic Imp. se reditus patrimonii sui necessitatibus publicis libenter impendere, *Klock. de contrib. cap.* 7. *num.* 60.
3 *Carpz. lib.* 6. *resp.* 76. *num.* 2. Et ideo nec possessiones Principis, nec praedia Fisco incorporata eximuntur ab illis collectis, quae pro publica necessitate inducuntur, *Klock. d. tract.*
4 *cap.* 9. *num.* 69. sed hac confessione abusi quidam possessores dominicos annonam ulterius vehere compellebant ad loca remotiora vel per vias arduas. Id hoc loco prohibet Imperator, sed quisque solita munera complere debet. Col-
5 lige I. Dominum, qui praedium rusticum suis praediis adjungit, teneri ad servitia de eo prae-
6 dio praestari solita indistincte. II. Qui ultra locum solitum compellitur praestare transvectionem specierum vel alia munera, ille justam habet recusandi servitii causam, et mutatione loci induci saepius gravamen, *hic et l.* 8. *supr. de annon. et trib.*

L. Pro tyronibus. 3.

SUMMARIA

Supplementa tyronum scribere ad supplendas legiones necesse est. num. 1.
Quid si pretia pro tyronibus scribendis certis corporibus v. gr. universitatibus imponantur, et in iis corporibus etiam Princeps praedia habeat? 2.
De horum tyrociniorum necessitate. 3.

Ad supplendas legiones necesse est semper 1
supplementa scribere tyronum, quod per se est personale munus, per *l. fin.* §. 3. *ff. de muner. et honor.* sed si pretia, id est, collecta pro ty- 2
ronibus scribendis imponantur certis corporibus, id est, universitatibus, vicis etc. et si in iis corporibus etiam Princeps praedia habeat, tunc haec etiam ad inferendam hanc collectam, licet extraordinariam, summe tamen Reip. necessariam, obligata esse debent. De necessitate 3
autem horum tyrociniorum videatur *Buxtorf. in cons.* 2. *tract. Klock. de contrib. annexo coll.* 1. *et cons.* 20. *num.* 10. *et* 14. ubi probat, jus delectus habendi esse de regalibus.

L. Absit. 4.

SUMMARIA

A quibusnam oneribus nec Ecclesiastica praedia nec domus divinae i. e. Augustae immunitatem habeant? num. 1.
Ratio. 2.
Refectio aedificiorum publicorum est munus sordidum. 3.

Ut Ecclesiastica praedia, per *l.* 7. *C. de SS.* 1
Eccl. et Nov. 131. ita et domus divinae, id est, Augustae non habent immunitatem ab onere viae sternendae vel instruendae, vel pontium restaurandorum, additur ratio; quod haec one- 2
ra sordidis annumeranda non sint, licet extraordinaria sint, *l.* 12. *ff. de mun. et honor.* Idem de murorum refectione, *l. fin. supr. quibus mun.* Sed refectio publicorum aedificiorum est 3
munus sordidum, *l.* 12. *supr. de excus. mun.*

TITULUS LXXV.

De grege dominico.

L. Praepositis. un.

SUMMARIA

Poena subtrahentium equos ex grege dominico. num. 1.
Specialis poena furti. 2.
Furti civilis poena poenitentia non tollitur. 3.
Secus h. l. *num.* 4.
Idem in crimine laesae Majestatis, et in his, qui se deferunt. 5.
Spontanea confessio mitigationis poenae causa est. 6.

Agitur de subtrahentibus equos ex grege do- 1
minico, et quidem, si equi ad certamina et praemia victorum destinati, sancitur poena libra auri, in aliis vero sex librae, sed si quis sponte restituat, evitat poenam. Collige: I. Poe- 2
nam specialem furti. II. Licet alias furti civilis 3
poena, poenitentia non tollatur, *l. quia ea mente* 5. *ff. de furt.* hic tamen poenitentia tol- 4
li, idem in crimine laesae Majestatis, *l. quis-* 5

quis 5. §. *fin. C. ad leg. Jul. Maj.* et in his,
6 qui se deferunt, *l. un. supr. de his, qui se def.*
et cum alias spontanea confessio sit causa mitigationis poenae, *Tiraq. de poen. temp. caus.* 30. *num.* 9. *Carpzov. pr. crim. qu.* 49. *num.* 23. quia benignius agit Imperator cum his, qui se laedunt, quam alios, *arg. l. un. C. si quis Imp. maledix.*

TITULUS LXXVI.

De palatiis et domibus dominicis.

L. Consecratas. un.

SUMMARIA

Principis palatium inhabitare regale est. num. 1.
Nec ullius usibus sine speciali Principis concessione inservire debet, nec privatorum parietibus concludatur. 2.

Ut palatium Principis inhabitare est regale, 1
per *tit.* 56. *quae sint regaliae lib.* 2. *feud. Vult. lib.* 1. *de feud. cap.* 5. *num.* 7. *vers.* 17. *Sixtin.*
de regal. cap. 19. ita illa palatia nullius privati 2
usibus in servire debent sine speciali concessione Principis, nec palatium Principis privatorum parietibus concludendum, ideoque nec privatorum aedibus cohaerere debet, *Sixt. d. l. n.* 2.

TITULUS LXXVII.

De cupressis ex luco Daphnensi vel Perseis per Aegyptum non excidendis vel vendendis.

L. Si quis. 1. et L. Omnes. ult.

SUMMARIA

Cupressum ex luco Daphnensi et Perseam in Aegypto nec succidere, nec collapsam in alium locum transferre, nec emere, nec vendere sine consensu Comitis sacrarum largitionum licet. num. 1.
Poena. 2.
Olim Alytarchae licuit, aliquibus cupressis plantatis unam succidere. 3.
Prohibetur. 4.
Ratio prohibitionis et quid ipsi cupressi loco datum? 5.
Poena emptoris ad venditorem quoque trahitur. 6.
De correlativis idem judicium. 7.
Quod statuitur in uno, statuendum etiam de altero. 8.
Licet poenam contineat. 9.
An poena haec etiam in succidentibus partem arborum locum habeat? 10.

1 Cupressum ex Luco Daphnensi et Perseam in
Aegypto nec succcidere licet, nec collapsam
in alium locum transferre, nec emere, et adeo
neque vendere sine consensu Comitis sacrarum
largitionum sub poena 5. libr. auri. Et quam- 2
vis Alytarchae, id est, Sacerdoti in Syria sa- 3
cris praefecto (*Cujac. lib.* 2. *obs.* 3.) antiquitus
liceret, aliquibus cupressis plantatis unam suc-
cidere cupressum, id tamen prohibet, et loco 4
cupressi libram auri ipsi assignat ex largitionibus 5
sacris dandam, quae prohibitio vel inde manavit, quod antiquitus Lucus Daphnensis Apollini, Persea autem arbor Isidi consecrata, postea in jus Imperatorum transiit, vel quod cupressus succisa nunquam repullulet et plantata tarde crescat, vel quod fluminum ripas continuerint, ut *hic DD. et Stracha de mercat. p.*
4. *num.* 42. Collige ex *l.* 1. Poenam emptoris 6
etiam trahi ad venditorem, de correlativis enim 7
idem est judicium, et quod statuitur in uno, 8
statuendum etiam de altero, *l. fin. C. de ind. vid. l. fin. ff. de accept. l. bona fides* 50. *ff. act.*
empti licet poenam contineat, *Schraderus de* 9
feudis p. 6. *cap.* 7. *num.* 1. *et seq. tit. num.* 20. *Klock. cons.* 6. *num.* 78. *vol.* 2. *Besold. cons.*
29. *num.* 64. et poenam hanc etiam in succi- 10
dentibus partem arborum locum habere volunt, *arg. l.* 7. §. 3. *ff. arborum furtim caesarum.*

FINIS LIBRI UNDECIMI

LIBER XII.

CODICIS

TITULUS I.

De Dignitatibus.

SUMMARIA

Dignitas est honor alicui propter merita spe- 1
cialiter Principis vel legis beneficio impensus,
et praecipue hic de Senatorum dignitate agitur.
De tribus autem in *hoc titulo* agitur; 1. De 2
communicatione dignitatis: 2. De ejusdem privilegiis: 3. De ejus contrariis. Communicantur
dignitates etiam uxoribus, hae enim durante 3
matrimonio mariti dignitate nobilitantur, ejus-

que forum et domicilium sequuntur, *l. fin. supr. de incolis*, et *l.* 13. *h. t.* et per allegata *Georg. Acac. Enenckel. de privil. l.* 2. *c.* 4. *num.* 76.
1 etiam retinent dignitatem viduae, donec inferioris conditionis maritis nubant, *d. l.* 13. *Tiraq. de nobil. cap.* 18. *num.* 5. *et in tr. cessante causa p.* 1. *c.* 1. *num.* 110. *P. Barb. in l. quia ta-*
5 *le* 13. *num.* 23. *ff. sol. matr.* vel unum ex multis mariti domiciliis vidua eligat forte in dotalitio, *Zang. de except. p.* 2. *num.* 99. *Carpzov. lib.* 2. *resp.* 24. *num.* 119. Unde colligit I. *Vinc.*
6 *de Franchis dec.* 363. uxorem sequi forum ma-
7 riti, etiam quod ex privilegio habet: Si scilicet nobilis sit maritus genitura; Nam si maritus sit ex accidenti nobilis ex aliqua administratione publica, non habente aliquam dignitatem annexam, hinc non communicatur nobilitas nec viduae nec liberis post mariti ac patris mortem. Vid. prolixe de hoc disserens *P. Barb. ad l. quia tale* 13. *ff. sol. matrim. num.* 26. *et seqq.*
8 II. *Tiraq.* inde colligit *tr. de nobil. c.* 18. *n.* 19. si nobilis foemina nubat ignobili, valere inter conjuges donationem in amissae nobilitatis com-
9 pensationem. Et III. Si ignobilis puella nubat nobili, consequitur nobilitatem, et omnia nobilium foeminarum privilegia, *Carpz. p.* 3. *const.* 37. *def.* 2. *Christinaeus dec.* 103. *num.* 7. *vol.* 5.
10 Deinde dignitas communicatur etiam liberis et tam filiis quam filiabus, quousque hae non nubunt inferioris ordinis maritis, per *l.* 1. *h. t.*
11 nam si nubunt iis, amittunt jura nobilitatis, *Carpzov. d. constit.* 37. *def.* 2. *Guido Papae dec.* 480. etiam iis mortuis manent ignobiles, *Guido Papae dec.* 346. *et* 381. *Tiraq. d. cap.* 8.
12 *num.* 38. ubi *num. seqq.* excipit reginam, quae nubens ignobili ipsi tribuit nobilitatem, ut no-
13 bilitatis fons. Et colligitur *ex lege prima:* Etiam honoratiorum liberos, licet parentes natalibus non sint nobiles, gaudere tamen claritate generis, ut de Doctorum liberis respondet *Guido*
14 *Papae dec.* 389. Sed *An nobilitas patri accedens etiam competat liberis ante nobilitatem patris genitis?* Affirm. id in *l.* 5. *ff.* de *Senator. l.* 9. §. *antepen. ff.* de *poenis l.* 2. §. 2. *ff.* de
15 *decur.* quod ad funda regalia et Electoratus accommodant *Tiraq. de primogen. qu.* 31. *num.* 12. *et seqq. A. Knichen. de Saxon. non provoc. jur.* verbo, *Electorum*, *c.* 3. *num.* 50. *et seqq.* licet contranitantur *Covar. l.* 2. *res. c.* 8. *num.* 5. *Christin. dec.* 25. *vol.* 5. et multi ab his citati.
16 Sed quid de *l.* 11. *h. t.* quae initio videtur affirmare, Senatorem ante adeptam dignitatem susceptos liberos eos privatos, id est, plebejos habere? *DD.* nonnulli *hanc legem* intelligunt de filiis ante dignitatem non tantum conceptis, sed et natis. Alii intelligunt de muneribus certis. Expeditissima via est, si exponatur ita, ut posterior pars priorem corrigat hoc sensu: Si Senatoris filii ante dignitatem adeptam editi privati essent, ut forte nonnulli voluerunt, utique idem esset dicendum de filiabus. Sed aequius est his omnibus indistincte supervenientem patris dignitatem prodesse, post *Duarenum lib.* 2. *disp. annivers. cap.* 29. *Carpzov. part.* 3. *const.* 10. *def. ult. et lib.* 7. *resp.* 98. *num.* 13. *et seqq.*
17 Sed si pater amittat dignitatem, et postea editus, id est, conceptus sit filius, patris dignitas ipsi non prodierit, per *d. l.* 9. §. *pen. ff. de*
18 *poen. l.* 7. §. *fin. ff. de Senat.* Privilegia dignitatis praesertim Senatoriae alia sunt Privativa,
19 alia positiva: Ad privativa refertur, *Primo.* Quod ab omni injuria prae aliis defendendi sint per *l.* 8. *h. t.* ubi ratio, cum Princeps ipse sit caput atque adeo membrum Senatus. Unde col- 20
ligunt: I. Injuriam in Senatorem Principis commissam redundare in ipsum Principem. Et ideo crimen perduellionis etiam in consiliarium Principis committitur, *l.* 5. *C. ad leg. Jul. Majest.*
quod *DD.* limitant 1. Si consiliarius in aula 21
Principis commoretur, et 2. ut faciat quis odio Principis, *Clarus* §. *Laesae Majest. num.* 5. *Menoch. cons.* 99. *num.* 9. et alii quos refert *Dn. Carpz. pract. crim. q.* 41. *num.* 56. a quibus tamen secedit *num.* 57. Sed putarim tamen, 22
omnino necessum esse, ut hoc fiat odio Principis, vel odio Status ac Regiminis, quod si enim consiliarius privato affectu, et egressus terminos officii aliquem laeserit, neminem puto, illum qui ultus sit injuriam, Majestatis crimen committere: II. Judicem super injuria in nobi- 23
lem, consiliarium vel alium in dignitate constitutum commissa, ex officio inquirere debere, *hic et l. medicos supr. de profess.* praesertim cum alias Judex ex officio super atrocioribus injuriis inquirere, et poenam arbitrariam dictitare possit, per tradita *Carpzovii pr. crim. q.* 96. *num.* 3. *et seqq.* quod si ergo injuria Se- 24
natori, Verbi Divini Ministro, Professori, Doctori, Viduis eorum inferatur, posset ex officio procedi, et memini Advocatis Fisci hoc negotium fuisse commissum, praesertim contra potentiores, qui alios injuriis lacessere sibi honori ducunt pessimo hoc seculi hujus vitio. *Secundo.* Se- 25
natores a muneribus personalibus sunt immunes, *l.* 4. *h. tit.* adeo ut nec Praefectus urbi, 26
l. 5. *h. t.* nec Praeses provinciae tale quid iis imponere possit, *l.* 14. *h. t.* nisi Principis con- 27
sensu id fiat, nam Principem solum recognoscunt superiorem, *d. l.* 5. *h. t.* et a Principe quod iis imponitur non sordidum munus, sed potius dignitas dicenda est, *d. l.* 5. Ex quo 28
colligunt *DD.* ab onere per Principem omnibus imposito, neminem praetextu ullo se posse excusare. Nam officium ex persona conferentis nobile reputatur, et sic officium procuratorium vel notariatus Principis alicujus nobile censeri ex *hoc textu legis* probant *Tiraq. de nobilit. c.* 30. *num.* 8. *Gail. l.* 1. *obs.* 43. *num.* 5. et quos allegat *Klock. de contrib. cap.* 15. *num.* 89. et quod per curiam fit, repraesentative a Principe factum videri. Imo etiam 29
substantiae Senatorum et bona ab extraordinariis collectis immunitatem habent, una cum colonis seu procuratoribus, per *d. l.* 4. ut si temona- 30
ria onera conferenda sint a praestatione tyronum aut equorum, in *l.* 4. et a praestatione operum publicorum, quae Praesides in nonnullis urbibus extruunt, per *l.* 7. quod intelligendum est de operibus publicis necessariis, ut pontibus, moenibus, et viis publicis, *l.* 4. *supr. de priv. domus Aug. l.* 7. *supr. de SS. Eccles.*
Colligunt ex *l.* 4. privilegia realia extendi ad co- 31
lonos praedii, habentes immunitatem, sed non ad colonos propria praedia habentes. *Tertio.* Im- 32
munes sunt a tormentis, per *l.* 10. nam cum decuriones sint immunes, *l.* 33. *supr. de decur.* multo magis id de amplissimo ordine et clarissimo dicendum, per tradita *Farinac. q.* 11. *num.* 70. Sed excipitur crimen Majestatis, *l. nullus* 1. *supr. ad L. Jul. Majest.* Colligunt: 33
Confessionem indebitis tormentis expressam, licet postea ratificetur, non sufficere ad poe-

nam ordinariam, quia subesse praesumitur me-
tus tormentorum. Conf. *Zang. d. quaest.* 5.
34 *num.* 3. Et *Quarto.* De illustrium, (quales erant
Praefecti Praetorio, Praefecti urbi, magistri mi-
litum, patricii, quaestores, magistri officiorum,
comites sacrarum largitionum, et rerum pri-
vatarum et sacri palatii) criminibus nemo co-
gnoscit inconsulto Principe, de caeteris in di-
gnitate constitutis Praefectus Praetorio, per *l.*
16. *h. t.* nisi scilicet in ipso judicio perjurium
35 committant in *l.* 17. Unde notatur, perjurium
ab ipso judice, in cujus judicio committitur,
puniri posse, non obstante dignitate, per *l.*
presbyteri 8. *C. de Episc. et Cler.* et inde Col-
36 ligitur etiam: Perjurium jure civili in tantum
punibile, ut etiam in illustribus non sit impu-
nitum, de quo supra in *l.* 2. *C. de reb. cred.*
et alibi. Alias a solo Principe aut ejus cognito-
re judicandi sunt illustres, qui tamen cognitor
punire non potest inconsulto Principe, bene
tamen absolvere, *l.* 3. *C. ubi Senatores.* Clarissi-
mi vero in loco delicti conveniendi, *l.* 1. *C. d. t.*
37 ubi ratio. *Quinto.* Illustres carceri mancipari non
38 debent, sed quando conveniendi sunt in civili-
bus vel criminalibus causis, tunc juratoriae
cautioni committendi, quod nobilibus hic de-
negat *Bart.* qui contradicit *Tiraq. de nobil.* c.
20. *num.* 89. cui si ipsi vel eorum procuratores
non parent, in civilibus decernitur bonorum
possessio, in criminalibus vero illustres dignitate
privantur, et a judice loci delicti condemnari
possunt, per *l.* 17. nisi scilicet atrocius crimen,
ubi vel fidejussoribus, per *l.* 16. vel ut alii le-
39 gunt, tuitioni militari committuntur. *Sexto.* Nuda
executoris voce conveniri aut citari non possunt
illustres et clarissimi, nec in civilibus nec in
criminalibus causis, sed requiritur citatio in
scriptis, *d. l.* 17. *Sig. Scaccia lib.* 1. *de judic.*
cap. 33. *Maranta in tit. de citat. num.* 76. et
ita nobiles et doctores in scriptis citandos esse
volunt *DD.* per *h. l. Guido Papae sing.* 28.
num. 7. *Corset. sing.* 83. *Tiraq. d. c.* 20.
num. 187. et hos referens *Hillig. in Donell. l.*
40 23. *c.* 2. *lit. T.* Positiva privilegia sunt: I. Quam-
vis Senatores non habuerint potestatem com-
morandi ubi velint, nisi impetrato commeatu,
per *l.* 22. §. *pen. ff. ad municip.* per *l.* tamen
15. *h. t.* datur facultas omnibus clarissimis et
spectabilibus ubicunque velint commorandi,
nec opus est commeatu, licet retineant jus ci-
vitatis, *arg.* §. *pen.* quod intelligendum de iis,
qui non habent administrationem, *arg. tit. infr.*
de commeatu, et l. ult. h. t. ibi: *principali vi-*
41 *delicet.* II. Ut possint libere accedere sacrum
comitatum, id est, sine diplomate Principis,
quo absentem ad se revocabat, accedere comi-
tatum Principis, *l.* 9. *C. de off. Rect. prov.* Sed
illustres qui erant, sive reipsa administrarent,
sive essent tantum honorarii, sine revocatoria
42 poterant accedere comitatum Principis. III. Quod
privilegia prioris dignitatis retineantur, licet
quis majorem consecutus sit dignitatem, per
l. 3. *h. t. l.* 11. *supr. de excus. mun. l.* 3. *infr.*
de silentiariis. Imo et dignitatem ipsam retine-
ri volunt, modo non annexam administratio-
nem habeat, aut si habeat, superiorem digni-
tatem non impediat, *arg. l. fin.* §. 1. *supr. de ad-*
43 *sessoribus.* Collige: Dignitates duas in una per-
sona posse concurrere, sed beneficiorum Ec-
clesiasticorum concursus est prohibitus, *c. san-*
ctorum dist. 70. *c.* 1. *et seqq. c.* 21. *q.* 5. *Petr.*

Greg. lib. 4. *tit.* 7. *cap.* 4. licet a superiori di- 44
gnitate denominetur, *Gail. l.* 1. *obs.* 30. *in fin.*
et quia persona una plura sustinet jura, nul-
lum eorum alteri derogat, et personae compe-
tit electio, quo jure uti velit, *Surdus cons.* 91.
num. 19. Contraria sunt: I. Infamia juris non 45
tantum, sed et facti, nam infamibus portae 46
dignitatum clausae sunt, per *l.* 2. qua de re
Vid. *Dynus in c. pen. de R. J. in* 6. *Besold.*
cons. 118. *num.* 14. *et seq. Wesemb. et ibi Dn.*
Hahn. in not. ad tit. ff. de his qui not. infam.
et hinc Colligit *Carpz. lib.* 6. *resp.* 100. viduam 47
stuprum passam ex collegio ejici posse. Procu-
ratores sane vel arbitri esse possunt, quia haec
onera potius sunt quam honores. Vid. *Hillig.*
in Donell. l. 18. *c.* 6. *lit. B.* Ad spurios quoque
hanc legem pertinere vult *Perez. ad hunc tit.*
num. 42. *Heig. p.* 7. *q.* 21. *num.* 57. *et seq.* de
quo alibi dixi. Et infamia etiam adepta aliquem 48
privat dignitate, et honorem quaesitum adimit,
per *l.* 12. *h. t.* nam Praesides aliique judices 49
repetundarum damnati, vel alterius delicti pu-
blici ac sceleris, honore exuuntur, et infamia
notantur, per *l. pen. infr. pr. h. t. l.* 2. *C. de*
sec. nupt. Freher. de infam. cap. 25. *num.* 5.
Infamia non tantum impedit, quo minus infa-
mis delegari judex possit, sed etiam ab officio
judicis delegati repellit, si modo opponatur,
aut Princeps non dispenset, *Dn. Ziegler. ad*
Lancell. l. 3. *tit.* 1. §. 25. Collige: Eum, qui 50
in officio deliquit, privandum esse eo officio,
in quo deliquit, *Farinac. q.* 19. *num.* 43. *Da-*
mhud. pr. crim. cap. 102. *num.* 8. Imo penden- 51
te judicio ipsum suspendi ab officio exemplo
tutoris vult *Luc. de Penna hic, et Paul. Mont. de*
tutel. cap. 36. *regula* 9. *num.* 2. remotum ab 52
officio ob delictum ad illud redire non posse,
et privilegium amittere, qui sua abutitur po-
testate, *Georg. Acac. Enenck. de privil. l.* 3.
cap. 17. *num.* 40. *et* 47. *An autem privatio di-*
gnitatis fiat ipso jure? Vid. *Farinac. d. l.*
num. 47. II. Pugnat etiam cum dignitate vilio- 53
ris vitae conditio, nam a dignitatibus repellen-
di 1. ultimi negotiatores, id est, vilissimi, imo
etiam a Praesidis officio quaelibet mercatura ar-
cet, *l.* 12. §. *fin. infr. de cohortal.* 2. Mone-
tarii, de quibus *supr.* 3. Stationarii, id est, ap-
paritores judicum per urbem ac provincias ob
securitatem publ. dispositi. 4. Officiales alii vi-
lissimi, et 5. Qui turpem quaestum faciunt, ut
mimi et similes, per *l.* 6. Et ideo artificibus 54
manualibus armorum gestationem prohibitam
esse ait, et ex *d. lege* colligit *Dn. Tabor in ar-*
mamentario tit. de exarmat. c. 4. *num.* 15. Li- 55
cet autem hic dicatur, artifices manuarios non
debere promoveri ad dignitates, non tamen id
in militia observatur, nec exinde sequitur, quod
ob artificia vel officia manuaria debeat auferri
nobilitas, nam licet artifex, qui vile officium
administrat, non possit ad dignitates facile evehi,
non tamen sequitur, quod talis amiserit nobi-
litatem congenitam: Calamitas seculi compulit
multos honestis, licet vilibus laboribus victum
quaerere, licet nobiles. Vid. *Menoch. cons.* 729.
per tot. Collige: Mercaturam, et omnia vitae 56
genera sordida officere nobilitati. Vid. *Tiraq.*
de nobil. cap. 33. *et seqq. Guttierez. lib.* 1. *pr.*
qq. cap. 137. *num.* 8. scil. si quis per se vel 57
minutatim exerceat mercaturam. *Perez. ad hunc*
tit. n. 38. Conf. *Christin. dec.* 26. *n.* 7. *vol.* 5.
Klock. de contrib. c. 12. *num.* 256. *et de aera-*

rio l. 2. cap. 26. num. 11. et seq. Myns. cap. 6.
58 *obs. 51.* et tenere tabernas et apothecas apertas est vitae genus vile, *Horat. Carpanus ad stat.*
59 *Mediol. p. 1. cap. 415. num. 12.* Sed de libertis quaeritur: Et eos non admitti, liberos tamen eorum admittendos esse dicitur in *l. 9. h. t.* Vid. *not. supr. ad l. 1. si servus aut libert. et l. 8. de decurion.*

TITULUS II.

De Praetoribus et honore praeturae et collatione et gleba et folli, et septem solidorum functione sublata.

L. Nemo. 1. et L. Glebam. 2.

SUMMARIA

De quonam hic titulus agat? num. 1.
Praetor eligendus qualis esse, et ubi domicilium habere debeat? 2.
Hujus rei ratio. 3.
Quid Praetores populo praestiterint. 4.
Perniciosum est, ob dignitates certas collectas exigere. 5.

1 Agit *hic titulus* de specialis dignitatis, Praeturae scilicet collatione, et in *l. 1.* agitur de
2 persona eligenda, et Praetor eligendus debet esse ex Senatorum ordine, sed debet habere domicilium in urbe, illi vero qui in provinciis sedem fixerunt, ut clarissimi v. gr. Praesides, vel spectabiles, ut Pro-Consul, licet Romam veniant, ad Praeturae munus non devocentur, *hic et l. fin. supr. de off. Praetorum*, quod pro- 3
culdubio placuit, vel quia de incolis praesumit magis lex, vel ut de eligendi statu eligentes possint esse certi, ne similis error contingat, ut in Barbario Philippo, *l. pen. ff. de off. Praetor.* et quia cives melius sciunt statum suae Reip. et statuta, et major in iis praesumitur fides, *Perez. ad h. t. num.* 4. Sed forte fuit etiam alia ratio; Electi vero Praetores praestabant populo 4
non tantum ludos, quod erat arbitrarium per *d. l. fin. C. de off. Praetor.* sed etiam collationes quasdam faciebant, tum aurum glebale et oblatitium ratione fundi, ratione personae vero follem, (id nomen erat collationis Senatoriae) et septem solidorum, quae collectae omnes abolitae. Unde Colligitur: Perniciosum esse, ob di- 5
gnitates certas collectas exigere.

TITULUS III.

De Consulibus et non spargendis ab his pecuniis, et de praefectis, et magistris militum, et patriciis.

SUMMARIA

Patricii quinam, et quis ad hunc honorem evehi possit? num. 1.
Patriciatus a patria potestate liberat. 2.
Etiam Episcopatus et Consulatus. 3.
Ratio triplex. 4.
Leges quoque feruntur de iis, quae raro contingunt. 5.
Ejus ratio. 6.
Privilegia ante notitiam non prosunt illis, in quorum commodum illa data sunt. 7.
Cur Princeps per patriciatum patriam potestatem possit tollere? 8.
Consules fuerunt duorum generum. 9.
Quid in utrisque notandum? 10.
Si plures successive consulatum gesserunt, quis eorum sit dignior? 11.
In habentibus parem dignitatem prioritas temporis est attendenda. 12.
Seniorum et priorum suffragia in Collegio praeponderant recentiorum votis licet paribus. 13.
Idem in testibus. 14.
Licentiatus postea doctoratus praecedit illum, qui medio tempore fuit doctoratus. 15.
Ornamenta dignitatis. 16.
Consules creati pecuniam in vulgus olim spargebant. 17.
Hoc prohibitum. 18.
Quidnam dent loco pecuniae spargendae? 19.
Expensae, quae in vanos usus fiunt, corrigendae sunt, et ad utiles usus convertendae. 20.
An istud onus inferendorum 100. pondo auri ad aquaeductum etiam incumbat consulibus honorariis i. e. qui sine administratione sunt? 21.
Onus dignitati impositum etiam illis incumbit, qui honoris loco illa dignitate fruuntur. 22.
An consiliarii honorarii assignata dignitate annua novam consequantur dignitatem? 23.
An centum illa pondo de novo teneantur ad reficiendos aquaeductus conferre? 24.
Si ob contractum aliquid Fisco inferendum est, non est hoc denuo inferendum, si traditio diu fiat post contractum. 25.
Si resolutio contractus fit ex priori contractu, v. gr. ex pacto de retrovendendo, laudemium denuo non est solvendum. 26.

Si felonia vasallo remissa, feudum tamen ob id non est novum, sed revertitur ad antiquam suam naturam. 27.

Si ex pacto vel consuetudine subditi elocare tenentur filias Principis, non tamen tenentur ad dotandam filiam in secundis ejus nuptiis. 28.

Senior in omnibus honoribus juniori praefertur. 29.

1 Agitur in *hoc titulo* de Patriciis et Consulibus.
Patriciorum dignitas erat summa, et hi procul
dubio velut intimi consiliarii Principis fuerunt,
nec alius ad hunc honorem evehendus, nisi
qui aliis honoribus fideliter erat defunctus, et
in specie vel Consulis, vel Praefecti praetorio,
vel Magistri militum, vel Magistri officiorum
muneribus eos defunctos esse oporteat esse Prin-
2 cipis consiliarios. Hic Patriciatus liberat a patria
potestate, per *l. ult. h. t. et per Nov.* 81. *c.* 1.
3 etiam Episcopatus et Consulatus liberat, sed hi
omnes sunt sui juris quoad onera, sed commoda
filiorum familias habent, *Nov.* 81. *cap.* 2. hae au-
4 tem in textu nostro traduntur rationes: 1. Cum
paterfamilias suum filium possit emancipare,
multo magis Princeps parentem suum. 2. Ali-
quid decederet Majestati Principis. 3. Et hoc
raro contigit, quamvis filiifamilias saepe Consules
5 electi, unde apparet, leges etiam interdum de
6 iis ferri, quae perraro contingunt, cum et in
his regulam, si quando contingant, adesse opor-
teat, et sic non esse universalem, *l.* 5. *ff. de ll.*
7 Colligitur autem ex *d. l. ult.* ex verbis: *illico
ab Imperialibus codicillis praestitis*, privilegia
ante notitiam non prodesse illis, in quorum
commodum illa data sunt, *Menoch. lib.* 2. *A. Q.
casu* 185. *num.* 30. *et seqq.* Conf. *Georg. Acac.*
8 *Enenck. de privil. l.* 2. *c.* 6. *num.* 17. Cur autem
hic Princeps patri suum jus adimere possit,
ratio esse videtur, quia ex altera parte honore
summo parentem afficit, dum ejus filium ad
9 tantum fastigium evexit. Consules quod attinet,
alii fuerunt actu administrantes, seu ordinarii,
alii vero tantum honorarii, sive suffecti, *Ritt.
in Nov. p.* 2. *c.* 2. *num.* 5. *et l. ult. infr. ut dign.*
10 *ordo serv.* utrorumque notetur honos et onus.
11 Circa honorem Quaeritur: *An si plures succes-
sive consulatum gesserint, quis eorum sit di-
gnior?* Et resp. in *l.* 1. eum qui trabea utitur:
id est, stola consulari, seu qui consulatum ad-
ministrat, honorarios Consules praeire debere.
Sed inter eos Consules, qui administrant, is de-
bet antecedere, qui prior tempore est, licet
posterior bis Consul fuerit, cum repetiti hono-
res dignitatem non augeant. At si posterior factus
sit Principis patricius, hic ordine erit potior
priori Consule. Si tamen et ipse prior Consul
post patriciatum secundi Consulis adeptus sit
patriciatum, hunc secundo praeferendum es-
12 se *DD.* asserunt. Collige: In habentibus pa-
rem dignitatem attendendam esse prioritatem
13 temporis. Seniorum et priorum suffragia in col-
legio praeponderant recentiorum votis, licet
paribus, *Tiraq. de primog. Praefat. num.* 93.
14 Idem in testibus. Sic etiam ex *hac l.* 1. Colli-
15 gunt primo: licentiatum postea doctoratum,
praecedere illum, qui medio tempore fuit docto-
ratus, *Aug. Aret. in §. quaedam Inst. de act.
Georg. Acac. Enenck. de priv. l.* 2. *c.* 5. *num.* 99.
Ornamenta autem dignitatis, de quibus in *l.* 2. 16
pr. ea erant trabea sive palmata, scipio, cal-
cei aurati, sella curulis et fasces. Onus quod 17
attinet, Consules creati pecuniam in vulgus spar-
gebant, quod in *l.* 2. prohibetur, et jubetur, 18
ut horum missilium loco centum auri pondo 19
ad refectionem aquaeductuum impendant, per
d. l. 2. cum hic major utilitas Reipubl. procu-
retur, illic autem favor tantum hominum con-
cilietur. Vid. *tract. Dn. Ahasveri Fritschii de
sparsione missilium* praesertim *c.* 4. *ubi hanc l.* 2.
resolvit, ubi voto, quod habet *num.* 2. lubens
meum adjungo. Sed in *Nov.* 105. *cap.* 2. ar-
genti projectio septies tantum in anno conce-
ditur, tantum auri projectio prohibetur, et
soli reservatur Principi, Vid. *Ritt. d. l.* Colli- 20
gunt inde; Expensas, quae in vanos usus fiunt,
corrigendas esse, et ad utiles usus converten-
das. Sed Quaeritur: *An istud onus inferendo- 21
rum* 100. *pondo auri ad aquaeductum etiam in-
cumbat Consulibus honorariis, id est, qui sine
administratione sunt?* Et Resp. in *l.* 3. vers.
quoniam vero affirmative, ubi ratio; quia ipsis
quoque expedit aquaeductuum conservatio. Un-
de Colligunt; Onus dignitati impositum etiam 22
illis incumbere, qui honoris loco illa dignitate
fruuntur, ut consiliarii honorarii. Circa hono-
rarios autem hos consules, si beneficio Im-
peratoris ἔμπρακτοι fiant, id est, annua ad-
ministratio ipsis assignetur, Quaeritur 1. *An* 23
novam consequantur dignitatem? Et 2. *An cen-* 24
*tum illa pondo de novo teneantur ad reficien-
dos aquaeductus conferre?* Quod utrumque ne-
gatur in *l.* 4. Nam dignitas consularis honoris
gratia antea collata jam tantum repetitur, et
licet alias honorarius ἐμπράκτῳ Consuli post-
ponatur, *Nov.* 62. secus tamen est, si honora-
rius ipse fiat administrans, nam ex tempore
collatae honorariae dignitatis in processionibus,
et honoranda purpura Principis honoratur. Se-
cundi decisio ex priori fluit, cum non confera-
tur nova dignitas, sed priori in actum tantum
deducatur. Colligunt ex *hac l.* 4. I. Si ob con- 25
tractum aliquid Fisco inferendum sit, non es-
se hoc denuo inferendum, si traditio diu post
contractum fiat, quia haec est contractus tan-
tum implementum. II. Si resolutio contractus 26
fiat ex priori contractu, v. gr. ex pacto de
retrovendendo, vel lege commissoria, laude-
mium denuo non est solvendum per tradita
Carpz. p. 2. *c.* 39. *def.* 16. *et l.* 1. *resp.* 89.
III. Si felonia vasallo remissa, feudum tamen 27
ob id non est novum, sed revertitur ad anti-
quam suam naturam. IV. Si ex pacto vel con- 28
suetudine subditi elocare teneantur filias Prin-
cipis, non tamen teneri ad dotandam filiam in
secundis ejus nuptiis, *Guido Papae q.* 79. *in fin.
Menoch. l.* 2. *A. Q. cas.* 181. *num.* 44. et quos
allegat *Klock. de contrib. cap.* 8. *num.* 44. et
demum seniorem in omnibus honoribus junio- 29
ribus praeferri, *Mich. ab Aguierre in Apol. in-
ter consilia Besoldi vol.* 1. *p.* 2. *num.* 282. *Ti
raq. de primogenit. Praefat. num.* 165.

TITULUS IV.

De Praefectis praetorio, sive Urbi, et magistris militum in dignitatibus exaequandis.

L. Praefectum. 1. et L. Quisquis. 2.

SUMMARIA

Pares honore et dignitate erant Praefectus Praetorio, Praefectus Urbi, magister equitum et peditum. num. 1.
Horum sessiones et suffragia in Senatu, etiam deposita dignitate. 2.
Dignitate et officio finito honor personae adhuc durat. 3.
Administratione deposita splendor tamen perfunctae dignitatis remanet. 4.
Quando honor inficiat? 5.

1 Praefectus Praetorio, Praefectus Urbi, qui primus votum habebat in Senatu, magister equitum et peditum, habuerunt quidem discretas dignitates, sed sunt pares honore, et ideo 2
deposita dignitate, quando de ordine quaeritur, quo in Senatu sedere et suffragia ferre debeant, id judicandum est ex prioritate temporis, ut v. gr. qui prius fuit Praefectus urbi, quam alter fieret Praefectus Praetorio, praeferatur, et ita Expraefectus antiquior Exmagistro praefertur.
Collige: Dignitate et officio finito durare tamen 3
honorem personae, *l.* 13. *in medio C. de advoc. div. judic. l.* 1. *tit. seqq.* Collige: Administratio- 4
ne deposita remanere tamen splendorem perfunctae dignitatis, *hic et l.* 3. *C. de prox: sacr. scrin. Christin. dec.* 110. *num.* 17. *Perez. ad hunc. tit. num.* 6. Quamvis autem Imperator in 5
l. 1. tempus adeptionis codicillorum exprimat, moribus tamen tempus receptionis et juramenti praestiti attendi vult *hic Perez.* quod in Academia nostra Francofurtana sequimur.

TITULUS V.

De praepositis sacri cubiculi, et de omnibus cubiculariis, et privilegiis eorum.

SUMMARIA

Cubicularii quinam, et unde electi? num. 1.
Ejusmodi servi statim libertatem et ingenuitatem adipiscuntur. 2.
Fiscus iis ab intestato succedit. 3.
Scriptura regulariter et in dubio ad contractum non est necessaria. 4.
Qui contrahere potest, testamentum quoque regulariter facere potest. 5.
Privilegium datum masculis, extenditur etiam ad foeminas, sed non contra. 6.
Privilegium etiam mortuis concedi potest in favorem viventium et honestam mortuorum memoriam. 7.
Cubicularii coram quo judice conveniantur? 8.
An cubicularii hoc privilegium amittant, si alibi delinquunt? 9.
Privilegia cubiculariorum. 10.
Excipitur ab his privilegiis excastrensis et excomes domus, qui erant primi ordinis cubiculariorum. 11.
Vile munus, si in eo quis Principi deservit, nobile reputatur. 12.
Scholares dimissi sua privilegia et immunitates retinent. 13.
Cubiculo Augusti vel Augustae Praefecti maximam dignitatem habebant. 14.
Privilegia sunt favorabilia, quae nulli nocent. 15.

1 Cubicularii erant, qui cubili Principis inserviebant, et praepositus, qui erat quasi supremus camerarius: Cubicularii autem eligebantur ex ingenuis, libertinis, et servis. Sed servi, 2
qui potissimum erant eunuchi (ut et ancillae) sponte à dominis traditi cubiculo Principis, statim libertatem et ingenuitatem adipiscuntur, citra ullam scripturam, ne Majestas summa servilis conditionis famulis utatur, nec ullum jus patronatus dominus habet, ideoque ei intesta- 3
to Fiscus succedit, cum nec patronum nec cognatum habeat, testamentum autem libere facit praeterito domino: si autem invito aut ignaro domino servus in cubiculum Principis irrepserit, intra quinquennium cum peculio vindicari potest, per *l.* 4. *h. t.* Colligitur ex textu: I. Forma restitutionis natalium plenissima. II. Scripturam regulariter et in dubio non esse 4
necessariam ad contractum. III. Regulariter ei, 5
qui contrahere potest, et testamentum facere licere. IV. Privilegium datum masculis exten- 6
ditur etiam ad foeminas; sed non contra, per *l.* 45. *in pr. ff. de legat.* 2. *l. mancipia* 5. *C. de servis fugit. Eneuckel. de privil. lib.* 2. *cap.* 1. *num.* 81. *Du. Tabor in axiom. Barb. lib.* 1. *cap.* 13. *axiom.* 1. *Gabr. concl.* 6. *de V. S.* 7
lib. VI. etc. Privilegium etiam mortuis concedi posse in favorem viventium et honestam mortuorum memoriam, *hic et l. Neratius* 191. *ff. de R. J.* Vid. *Eneuck. Baro de privil. lib.* 1. *cap.* 6. *num.* 4. Conveniuntur autem cubicula- 8
rii coram officiorum magistro ne dum ad alia judicia trahuntur, a ministerio Augusti vel Augustae (cum duplex sit cubiculum, et di-

versi cubicularii) abstrahantur, *l.* 3. et huic officiorum magistro et vestiarii suberant, *l.* 3. *infr. de castrensianis*, et silentiarii, *l.* 4. *infr. de silent.* et decani, *l.* 2. *C. de decan.* et alii. Hinc
9 Quaeritur: *An amittant hoc privilegium cubicularii, qui alibi delinquunt? ob Auth. qua in provincia C. ubi de crimin.* Et resp. negando: quia ubi in lege vel statuto vel rescripto haec habentur verba, *omni privilegio cessante*, specialia intelliguntur privilegia, quae non in corpore juris habentur. Privilegium autem, quod in corpore juris habetur, magis imitatur naturam juris communis, quam simplicis privilegii, cui per derogationem privilegiorum non videtur derogatum, *Decius ad c. 1. num. 9. X. de rescr. et P. Barbosa in l. 1. p. 1. n. 12. ff. sol.*
10 *matr. Menoch. l. 6. praesump. 40. num.* 13. Privilegia cubiculariorum sunt; quod non tantum immunes sint a sordidis muneribus, ut praestandis angariis, parangariis et paraveredis, sed etiam ab hospitatione militum, vel officialium Principis, sed hoc privilegium etiam iis tribuitur, qui e ministerio Principis dimittuntur, antequam primum adipiscantur gradum, id est, primicerii fiant, ne nimirum dignitas semel adepta sordidis his muneribus obfuscetur. Exci- 11
pitur autem excastrensis, et excomes domus; qui erant primi ordinis cubiculariorum, Vid. *Perez. hic.* Unde colligunt: I. Vile munus, si 12
in eo quis deserviat Principi, nobile reputari.
II. Scholares dimissos retinere sua privilegia et 13
immunitates. Qui autem cubiculo Augusti vel 14
Augustae praefecti erant, maximam habebant dignitatem, et parem Praefecto praetorio aut urbi, adeo, ut si concurrerent in conventibus solemnibus prioritas temporis tantum sit attendenda: sed ita si solemni habitu utantur, praecipue cingulo militari et gladio, per *l.* 1. Et hoc cingulo et habitu suo etiam deposita praepositura uti possunt, etiamsi peregre proficiscantur, per *l. ult.* cum hoc privilegium nulli
noceat; unde notatur: Favorabilia esse privile- 15
gia, quae nulli noceant, *l. rescripta 7. supr. de precib. Imp. offer.*

TITULUS VI.

De quaestoribus et magistris officiorum et comitibus sacrarum largitionum, et rei privatae.

L. Qui ex quaesturae. un.

SUMMARIA

Qui in publicis muneribus se bene gesserunt, acclamatione et salutatione publica sunt excipiendi, et laudandi. num. 1.
Reipubl. interest, bene meritos publice laudari, et sequiores ab omnibus damnari. 2.

Qui in publicis muneribus se bene gesserunt, 1
acclamatione et salutatione publica sunt excipiendi et laudandi, *hic et l. 3. supr. de off. rector. provinc.* Collige: Principem delectari of- 2
ficialium suorum laudibus publicis, et Reipubl. interesse, bene meritos publice laudari, et sequiores ab omnibus damnari, *d. l. 3. et l. 25. supr. de Episc. et Cler.* Sed hae acclamationes Cyro P. P. male cesserunt, id quod tamen saluti ejus aeternae fuit proficuum.

TITULUS VII.

De primicerio et secundicerio, et notariis.

L. Praecipua. 1. et L. Praeclaram. 2.

SUMMARIA

Primicerius proprie talis quisnam? num. 1.
Notarii vel tribuni quamdiu abesse possint? 2.
Quinquennii absentia locus in collegio amittitur. 3.
Per quinquennalem absentiam studiosus privilegium suum amittit. 4.
Limitatur. 5.
Notariorum privilegium. 6.
Primicerii officium biennale erat. 7.
Objectio diluitur. 8.
Quo ordine primicerius constituatur? 9.

1 In omni corpore, schola et collegio habetur Primicerius; is erat, qui primum locum obtinebat, quem sequebatur Secundicerius, etc. proprie vero id competebat notariis Principis, id est, secretariis, quod in ceratis tabulis scriberent. Et Primicerius horum notariorum plerisque dicitur Secretarius Status. Notarii autem hi, qui 2
etiam Tribuni dicebantur, non debebant etiam cum commeatu ultra annum abesse, alioquin pro singulis annis uno gradu inferius demittuntur; si ultra quinquennium, ordine pellendi sunt, retento titulo et privilegio, per *l.* 2. Unde Colligunt: Quinquennii absentia amitti lo- 3
cum in collegio, *hic et l. pen. infr. de domest. et protect. l. 2. et 3. infr. de commeat. Perez. hic num.* 8. Ex quibus textibus etiam probant; 4
per quinquennalem absentiam studiosum privilegium suum amittere, cum argumentum a palatina militia ad reliquam literariam recte ducatur, nisi nomen suum denuo profiteatur 5
inscribendum, quo casu privilegia amissa quasi reviviscunt, *Tabor in armamentario de Hoplo-*

6 *phoria c.* 3. *q.* 18. Privilegium autem notario-
rum hoc, quod non tantum, dum in officio
sunt, sed etiam honeste missi, liberi sint a
sordidis muneribus, adeo, ut si tabularii vel
numerarii Praefectorum aut Praesidum, census
peraequationes aut discussiones istis Exnotariis
injunxerint, gravi mulcta sint plectendi, et cor-
pore numerariorum ejiciendi, per *l.* 1. deinde
superiorem dignitatem nacti, privilegia et titu-
lum praecedentem retinent, per *d. l.* 1. *et l.* 3.
7 *supr. de dignit.* Primicerii autem officium erat
biennale, per *l.* 2. cui non obstat *l.* 2. *et pen.* 8
infr. de numerariis, quae de Praesidum tabu-
lariis loquitur, *Christin. dec.* 112. *num.* 6. *vol.* 5.
Et primicerius is est constituendus, quem ordo
temporis notat, ne per ambitionem ac gra-
tiam graduum ordo conculcetur etc. per *l.* 2.
vers. *illud praecipue.* Denique Primicerius di- 9
missus, illustris magistri officiorum titulum
consequitur, et fit magister officiorum omnibus
vacantibus, de quibus *tit. seq.* etiam antiquio-
ribus praeferendus, *d. l.* 2. *in fin.*

TITULUS VIII.

Ut dignitatum ordo servetur.

L. Si quis. 1. et L. Omnes. 2.

SUMMARIA

Nemo honoris gradum sibi non collatum indebite usurpet, et postea se ignorantia excuset. num. 1.
Poena. 2.
Cujus sit impertiri honores? 3.
Ignorantia nec juris nec facti interdum prodest. 4.
Inter diversas dignitates qualis sit ordo? 5.
Actu administrans omnibus honorariis praeferendus. 6.
Dignitatem a Principe praesente accipere, honoratius est, quam ab absente et per alium. 7.
Uti etiam praesenti deferri, quam absenti. 8.

1 Hic agitur non de ordine temporis inter pa-
res, sed de dignitatis ordine inter dispares; et
in *l.* 1. prohibetur, ne quis honoris gradum
sibi non collatum, indebite usurpet, et postea
2 se ignorantia excuset, sub poena sacrilegii,
3 Principis enim solius est, honores impertiri,
*l. un. ff. de ambitu. Dn. Jo. Thom. de noxia
animalium cap.* 30. *num.* 22. Unde notatur,
4 Ignorantiam nec juris nec facti interdum pro-
desse, quod hic speciale, quamvis haec igno-
rantia, circa proprium honorem, supina ni-
5 mis videri possit. Sed inter diversas dignitates
hic est ordo; ut praecedant v. gr. 1. Illustres
illi, (nam in caeteris idem obtinet) qui actu
administrant: 2. Vacantes, qui ob merita an-
tegestae administrationis illustrem dignitatem
cum cingulo acceperunt, et inter hos, qui-
bus praesens Imperator hoc confert, prae-
feruntur absentibus: 3. Honorarii, qui nullo
merito praecedentis administrationis, sed solo
beneficio Imperatoris dignitatem acceperunt,
sine administratione, et sine cingulo, et hic
praesentes praeferuntur absentibus. Et hic or-
do de eadem dignitate intelligendus, in diver-
sis enim non procedit; sic quaestor vacans, non
praefertur praefecto honorario, sed hic illi. Ad-
ministrator autem illustris quibuscunque illu-
stribus vacantibus et honorariis praefertur, v. gr.
comes rei privatae, praefecto vacanti. Et va-
cantes, ad administrationem Reipubl. ordina-
riam extra ordinem electi, pro administranti-
bus, non vacantibus habendi, quod exemplo
Germani magistri militum vacantis ad expedi-
tionem Vandalicam ducis electi, et Pendadii
praefecti vacantis, electi curatoris copiarum vel
praefecti annonae, de quo in *l.* 4. *infr. de ero-
gat. milit. ann.* declaratur. Collige: I. Actu ad- 6
ministrantem, omnibus honorariis praeferen-
dum. II. A Principe praesente, dignitatem acci- 7
pere honoratius esse, quam ab absente vel per
alium, et dignitatem collatam praesenti hono- 8
ratiorem esse, quam quae absenti defertur. Nam
honoratiores sunt, qui ad latus Principis sunt,
Christin. dec. 113. *num.* 15.

TITULUS IX.

De magistris sacrorum scriniorum.

L. Viris. un.

SUMMARIA

Magister scriniorum et proximus scriniorum quinam fuerint? et ejus immunitas. num. 1.
Privilegium certae personae competens ab Imperatore aliis etiam communicari potest. 2.

1 Magister scriniorum, qui spectabilis erat, et
responsa ad preces dictabat, *l. ult. supr. de div.
rescr.* nec non proximus scriniorum, id est,
qui proxime ex scriniariis magistro assidet, ut
et exproximus immunis est ab omni indictione
extraordinaria et muneribus personalibus, *l.* 4.
infr. de proxim. sacr. scrin. sive ea a pagano-
rum vel militum Judice imponantur, idque
etiam deposita dignitate, additur in textu poe-
na superioris Judicis hoc non prohibentis. Col- 2
lige ex *hac lege:* Quia Imp. hic dicit, se pri-
vilegium magistris scriniorum velle propagare;
quod possit Imperator privilegium mihi com-
petens, aliis communicare, licet fiat cum ali-
quali praejudicio meo, dum inferior mihi ae-
quatur, *Georg. Acac. Enenck. de priv. lib.* 2.
cap. 4. *num.* 146.

TITULUS X.

De Comitibus consistorianis.

L. Eos. 1. et L. Viros. 2.

SUMMARIA

Comites consistoriani quinam sint? et eorum dignitas. num. 1.
Eorum privilegia. 2.
Coloni inter domesticos referuntur. 3.
Privilegia data scholaribus eorum etiam famulis competunt. 4.
Privilegia magistratuum ad subditos etiam extenduntur. 5.
Aliud exemplum. 6.
Privilegium habili competens datur etiam inhabili ob communionem. 7.
Idem in privilegiis civitati datis, quae etiam ad villas et castra extenduntur. 8.
Privilegium in agendo tributum, magis competit, dum conveniuntur. 9.

1 Comites consistoriani sunt, qui in palatio, quo Princeps legatos admittit, et Principi assistunt; hos ratione dignitatis spectabiles vocat, et pro-
2 consulibus aequat Imp. per *l.* 1. et quae privilegia principibus agentium in rebus competunt, in *l. fin. infr. de princip. agent. in rebus*, ratione scilicet sportularum, et ut ex scripto conveniantur, et fidejussores dent arbitrio defensoris locorum; ea etiam comitibus consistorianis, quando vel conveniuntur, vel alios conveniunt, eorumque uxoribus, liberis, colonis et servis communicat, quando hi scilicet criminaliter vel civiliter in possessione momenta-
nea litigant, per *l.* 2. *h. t.* Unde Colligunt: 3
I. Colonos inter domesticos referri. II. Privile- 4
gia data scholaribus, eorum etiam famulis com-
petere, *Christin. dec.* 114. *num.* 12. et sic ad 5
subditos extenduntur privilegia magistratibus data, *hic et l. restituendae* 6. *in fin. princ. supr. de adv. div. judic.* ib. *universis redditur, quod pro voto omnium primatibus indulgetur.*
Enenck. Baro d. tr. lib. 2. *c.* 4. *num.* 105. Et 6
sic privilegium concessum hospitali, communicatur etiam oeconomo, *Gail. lib.* 2. *observ.* 67.
num. 6. Sic privilegium quod datur habili, 7
communicatur etiam inhabili ob communio-
nem, *Hippol. de Marsil. sing.* 180. III. Privile- 8
gia civitati vel familiae tributa, extendi ad villas et castra, *Tr. Niconitius in repet. rubr. ff.*
sol. matrim. num. 118. IV. Privilegium aliquibus 9
tributum in agendo, magis competere, dum conveniuntur.

TITULUS XI.

De Comitibus et Tribunis scholarum.

L. Praepositos. un.

SUMMARIA

Praepositorum et tribunorum scholarum dignitas et officium. num. 1.
Alii praepositi deposito officio ducibus provinciarum aequiparabantur. 2.

1 Praepositi et tribuni scholarum agentium in rebus, ad quos scholarum gubernatio pertinebat, qui et comites scholarum dicebantur, plerumque etiam comites primi gradus erant, et cum comite sacri stabuli, id est, equorum praefecto, et curatore palatii, ad quem cura fabricae pertinebat, intererant epulis Principis, easque adornabant, et ad Principis adorationem, id est, salutationem admittebantur, et illi deposito etiam officio parem dignitatem habebant
cum comite Aegypti et ponti: alii vero prae- 2
positi, qui non habebant istam comitivam, deposito officio ducibus provinciarum aequiparabantur.

TITULUS XII.

De Comitibus rei militaris.

L. Qui. 1. et L. Eos. 2.

SUMMARIA

Quinam comites rei militaris dicantur? num. **1.**
Suscipiens alterius vices, non propterea ipsi dignitate par est, licet ejus juribus utatur, si scil. in perpetuum ei est surrogatus. **2.**
An is, qui per substitutum servit, gaudeat iisdem privilegiis, quibus gauderet, si in ipsa persona servierit? **3.**

Comites rei militaris dicuntur, qui mittebantur 1
cum milite ad protegendam provinciam, et judicabant praecipue de negotiis militaribus, per *l.* 1. *C. de off. vicarii*, et hi quidem inferiores erant Pro-Consulibus, quibus etiam suberant, etiamsi primi gradus comitivam essent conse-

cuti, per *l. 1. h. t.* sed ducibus tamen aliarum provinciarum aequiparabantur, qui erant comitibus rei militaris superiores, *l. 2. h. t.* quod illarum provinciarum honori et decori procul-
2 dubio datum est. Collige: Eum, qui suscepit vicem alterius, non propterea ipsi parem esse dignitate, licet ejus juribus utatur, quando scilicet in perpetuum ei subrogatus est, non quando ad tempus ejus vicem gerit, ubi tamen aliquibus privilegiis utitur. Vid. *Menoch. cons.* 729. *num.* 8. *Evenck. de privileg. lib.* 2. *cap.* 4. *num.* 122. *et num.* 131. *Tiraq. de jure primog. q.* 40. *num.* 41. Sed quaeritur: *An is, qui per substi-* 3
tutum servit, gaudeat iisdem privilegiis, quibus gauderet, si in propria persona servierit? Quod Aff. per *l.* 64. *circa medium C. de decurionibus,* quod in dignitatibus tamen tantum obtinet, non aliis collegiis, *arg. l. fin. ff. de excus. tutorum.*

TITULUS XIII.

De Comitibus et Archiatris sacri palatii.

L. Archiatros. un.

SUMMARIA

Medicorum principalium dignitas. num. 1.
Archiater Principis nobilissimus est. 2.
Falsa nonnullorum opinio de nobilibus genere, medicinam facientibus. 3.

1 Medici principales, qui in palatio Imperatoris artem exercent, et comitivam primi ordinis sunt adepti, eam consequuntur dignitatem, quam habent duces belli et vicarii Praefecti Praetorio, sed inter eos tantum est praerogativa temporis. Unde Colligunt: Archiatrum Prin- 2
cipis nobilissimum esse, quo de plura apud *Tiraq. de nobil. c.* 31. Et hinc apparet, stoli- 3
dam esse sententiam nonnullorum de vulgo, qui putant, nobilem genere, si medicinam faciat, imo si etiam Principis corpus curet, amittere privilegia nobilium, cum tamen archiatri inter comites primi ordinis censeantur. Obiter notetur error *Chassanaei,* qui in *tr. de gloria mundi p.* 6. *consid.* 13. per archiatrum praepositum atrio intelligit, quem acriter perstringit *Tiraq. de nobil. d. cap.* 31. *num.* 18.

TITULUS XIV.

De Comitibus, qui provincias regunt.

L. Eos. un.

SUMMARIUM

Praesidum provinciarum dignitas.

Idem, quod in *titulo praeced.* de archiatris dixerat, ad Praesides provinciarum extendit, qui primi ordinis comitatum nacti, eam habent dignitatem, etiam dignitate deposita, quam habent vicarii a praefecto Praetorio, in integrum tractum multas habentem provincias missi, etiam deposito officio.

TITULUS XV.

De professoribus, qui in urbe Constantinopolitana docentes ex lege meruerunt comitivam.

L. Grammaticos. un.

SUMMARIA

Quatenus professores jurium et artium comitiva primi gradus honorentur. num. 1.
An haec praerogativa etiam ad alios professores extendatur? 2.
Jus hodiernum. 3.

Professoribus jurium et artium, si in statuto 1
numero contineantur, et per vicennium docuerint laudabiliter et probe vitam gesserint, comitiva primi gradus honorantur, et aequiparantur etiam vicariis praefecti praetorio, et sic illustres fiunt. Vid. *hic Perez.* Sed *An haec* 2
praerogativa etiam ad alios professores extenditur? Hoc communiter est receptum, unde etiam illud natum: Professorem, qui per 20. annos legit, adipisci comitivam dignitatem. Sed 3
haec dignitas hodie parum in recessu, habet.

TITULUS XVI.

De Silentiariis et Decurionibus eorum.

SUMMARIA

Quinam per silentiarios intelligantur? num. 1.
Sententia Auctoris. 2.
Decuriones, et silentiarii immunes sunt a praestatione tyronum, et equorum aliisque collationibus, quae non ordinarie indicuntur etiam ob necessitatem. 3.
Superior dignitas privilegia antea tributa non adimit. 4.
Generales leges, quae videntur specialibus privilegiis derogare, iis non derogant. 5.
Silentiarii et decuriones ab extraordinariis et sordidis muneribus sunt immunes. 6.
Eorum domus ab hospitatione ubicumque positae liberantur. 7.
Habent licentiam veniendi ad sacrum comitatum sine sacra evocatoria. 8.
Poena judicum haec privilegia violantium. 9.
Deposita militia vacantem illustratum adipiscuntur, et inter Senatores recensentur. 10.
Ampliatur. 11.
Quatenus et quibusnam decurionibus et silentiariis haec privilegia competant? 12.
Omnia privilegia, quae deposita militia nonnullis tribuuntur, intelligenda sunt, si laudabiliter se gesserunt in officio usque ad tempus destinatum continuum. 13.
Eorum competens judex quinam? 14.
Quicquid silentiarii occasione hujus militiae acquirunt, pro peculio eorum castrensi habetur. 15.
Ampliatur. 16.
Feuda antiqua in legitimam non computantur, bene tamen nova. 17.
Pro castrensi peculio habendum, non quod tantum ex militia, sed etiam occasione militiae acquiritur. 18.
Silentiarii a tutelis et curatelis excusantur. 19.
Liberi eorum, si comitiva primi ordinis vel titulo tribunorum ornati, onus praeturae non agnoscunt. 20.
Privilegia universitati vel collegio data ad omnes in eodem collegio in posterum succedentes porriguntur. 21.

1 Per silentiarios hic intelligunt *DD.* consiliarios, sed forte excubitores in palatio Principis ad limina stantes possent intelligi, ut ex *l.* 3. *in fin.* apparet, nam hi erant sub suis decurionibus, et erant in dignitate, quod Principis corpus et salutem tuerentur. Sed pro *Doctoribus* posset dici: consiliarios principis suas agere excubias pro salute Principis et Imperii. Id-
2 eoque in hac re obscuriori suum cuilibet judicium relinquo, probabilius tamen videtur juxta *Cujac. Perezium* et alios, excubitores hic intelligi, nam consiliarios procul dubio specialius
3 descripsisset. Collige: I. Quod decuriones et silentiarii sint immuues a praestatione tyronum et equorum, aliisque collationibus, quae plerumque, id est non ordinarie indicuntur etiam
ob necessitatem, per *l.* 2. *h. t.* II. Superior di- 4
gnitas privilegia antea tributa non adimit, per *l.* 3. *pr. h. t. Georg. Enenck. de privil. l.* 2. *c.* 5. *num.* 3. *Christin. dec.* 17. *num.* 20. ratio in *l.* 3. *supr. de dignit.* III. Generales leges quae 5
videntur specialibus privilegiis derogare, iis non derogant, *d. l.* 3. *h. t. Tiraq. de retr. p.* 1. §. 1. *gl.* 14. *num.* 102. *et seq.* et quos laudat *Dn. Carpz. lib.* 6. *resp.* 16. *num.* 20. *Christin. dec.* 117. *num.* 13. cum specialia specialiter non per generales leges sint abroganda, per tradita *Donell. lib.* 1. *c.* 13. *Fach. lib.* 5. *contr.* 94.
IV. Quod ab extraordinariis et sordidis mune- 6
ribus sint immunes, *d. l.* 3. vers. *nec angarias.*
V. Eorum domus ubicunque positae ab hospi- 7
tatione immunes, *d. l.* 3. vers. *domus quoque.*
VI. Habent licentiam veniendi ad sacrum co- 8
mitatum sine sacra evocatoria, *d. l.* 3. vers.
permissa, ubi poena additur judicibus haec pri- 9
vilegia violantibus infligenda. VII. Deposita mi- 10
litia, vacantem illustratum adipiscuntur, et in-
ter Senatores recensentur, adeo ut nec onus 11
glebale, quod alias Senatoribus incumbebat, agnoscerent, per *d. l.* 3. vers. *his addimus.* Imo Decuriones emenso spatio Exmagistri officiorum vel Excomitis domesticorum titulum, utrum elegerint, consequuntur, et eo honore
in palatio fruuntur, per *l.* 1. *h. t.* Sed haec 12
privilegia tantum 30. Silentiariis et 3. Decurionibus competunt, et quidem si per 13. annos continuos excubias fideliter egerint, per *l.* 3.
in fin. Unde notatur: Omnia privilegia, quae 13
deposita militia nonnullis tribuuntur, esse intelligenda, si laudabiliter se gesserint in officio usque ad tempus destinatum continuum, *hic et l.* 2. *supr. de his qui non impl. stip. sacramento soluti sunt.* VIII. Habent specialem judi- 14
cem cubicularii, scilicet magistrum officiorum, coram quo cum uxoribus suis civiliter et criminaliter sunt conveniendi, *l.* 4. *h. t.* ubi ra-
tio: Ne ab obsequiis abstrahantur. IX. Quidquid 15
Silentiarii occasione hujus militiae acquirunt, sive inter vivos, sive in ultima voluntate, id omne deputant castrensi peculio, nec ergo patribus, in quorum potestate forte sunt, acquirunt, nec post eorum mortem cum fratribus
conferre opus habent: imo et pretium, quo 16
empta est ista militia, licet a patre provenerit, non tamen computatur in legitimam, nec confertur fratribus, quod in aliis militiis secus, per *l.* 30. §. 2. *supr. de inoff. testam. Nov.* 53.
Unde colligunt: Feuda antiqua non, sed nova 17
bene in legitimam computari, *Hartman. Pist. p.* 2. *qu.* 38. *num.* 4. *Carpzov. p.* 3. *const.* 10.
def. 8. Colligunt exinde: Pro castrensi peculio 18
habendum, non quod tantum ex militia, sed etiam occasione militiae acquiritur, *hic et l.* 4.
et l. 6. *ff. de castr. pecul.* X. Silentiarii excu- 19
santur a tutelis et curatelis, *hic et l. ult. supr. de excus.* cum ob ministerium Principis nec suis rebus superesse possint, per *d. l. fin. h. t.*
Demum XI. liberi eorum, si comitiva primi 20
ordinis vel titulo tribunorum ornati, non agnoscunt onus praeturae, quasi Senatorum filii,

21 per *d. l. fin. h. t. in fine.* Ubi notandum: Privilegia data universitati vel collegio, porrigi ad omnes in eodem collegio in posterum succedentes, *hic et l.* 4. §. 3. *ff. de cens. l. omnia privilegia* 34. *C. de Episc. Georg. Enenck. d. tr. de priv. l.* 2. *cap.* 4. *num.* 136.

TITULUS XVII.

De domesticis et protectoribus.

SUMMARIA

Domestici et protectores quinam? num. 1.
Poena eorum, si sine publica causa et licentia per biennium absint. 2.
Vagabundus clericus degradatur, et ultra quinquennium absens locum suum in collegio et in genere amittit. 3.
Omnis, qui contra professionis suae, quae occasionem privilegio dedit, leges et requisita delinquit, amittit privilegium. 4.
Primi primicerii dignitas. 5.
Dignitas decem primorum hunc sequentium. 6.
Secundicerius sequenti anno semper fiebat primicerius. 7.
Decedenti secundicerio antequam factus fuerit primicerius, an haeredes ejus integrum hujus anni salarium et sequentis quoque anni primiceriatus consequantur? 8.

1 Domestici erant qui domi, protectores qui in acie defendendi lateris sacri sollicitudinem gerebant, et non tantum ad salutandum Principem, *l.* 2. *supr. de fabric.* sed et osculandum et amplectendum vicarium praefecti et praesidem honoris gratia admittuntur, per *l.* 1. sed
2 et poenam incurrunt privationis gradus, si sine publica causa et licentia per biennium absfuerint, nam reversi suum gradum non recipiunt, sed ab eo in sextum gradum inferiorem, item si per triennium absfuerint, in decimum, qui quadriennium, in novissimum dejiciuntur, qui per quinquennium exauctorandi sunt; cum desides remunerari non conveniat, quod fieret, si suum gradum reciperent, per *l.* 3. Unde notant: Va- 3
gabundum clericum degradandum, *l.* 22. *et l.* 51. *C. de Episc.* et ultra quinquennium absentem, amittere suum locum in collegio, et in
genere: Omnis is amittit privilegium suum, qui 4
contra professionis suae, quae occasionem privilegio dedit, leges et requisita delinquit, *Georg. Acac. Enenck. de privileg. lib.* 3. *cap.* 17. *num.* 46. *Menoch. lib.* 2. *A. Q. cas.* 182. *num.* 27.
Capyc. dec. 121. *num.* 27. Inter domesticos au- 5
tem et protectores, qui primus primicerius erat, quem sequentes decem primi caeteris erant honoratiores. Et primicerius quidem plerumque tribunatus honore perfruebatur, et nunc sive equitum sive peditum primicerius esset, ducibus provinciarum in honore acquiparabatur.
Decem primi autem clarissimis Senatoribus, si- 6
ne onere tamen, in honore adaequabantur, *l.*
2. *h. t.* Secundicerius autem semper sequenti 7
anno fiebat primicerius. Sed quid si decedat 8
antequam fiebat primicerius: Quaeritur in *l. fin. an haeredes ejus integrum salarium hujus anni et salarium quoque sequentis anni primiceriatus consequantur?* Et prius quidem communi jure competit, *l.* 15. §. 1. *C. de adv. div. judic. l.* 11. *infr. de prox. saer. scrin.* Sed etiam posterius per hanc pragmaticam sanctionem ex speciali favore iis conceditur. Atque hoc lucrum casum militiae appellari in *Nov.* 53. *cap.* 5. alibique putat *Cujac.* laudatus a *Christin. dec.* 118. *num.* 12. quando autem alias haeredes percipiant integrum salarium, de eo agitur in *l. diem functo ff. de offic. adsess. et a Christin. d. dec.* 118.

TITULUS XVIII.

De Praepositis Laborum.

L. Qui praepositi. un.

SUMMARIA

Quid fuerit Labarum? num. 1.
Varia lectio. 2.
Praepositorum hujus officium et dignitas. 3.
Qui ad latus Principis haerent, ob id nobilitantur. 4.

1 Labarum erat vexillum militare, ante Imperatorem gestari solitum, auro gemmisque intertextum, cujus in locum Constantinus sacrae Crucis insigne jussit praeferri, de quo Vid. *Eusebius in vita Constantini Magni lib.* 1. *c.* 20. *et seqq.* et quos citat *Dauth. ad l. omnium num.*
5. *C. de testamentis* et ideo legendum videtur 2
Labarorum, ut ex *Prudent.* probat *Dauth. d. l.*
Et hoc Labarum a praepositis labarorum (qui 3
ex protectoribus et domesticis erant) ut quaeque pars exercitus in acie laborabat, in eam auxilii quasi gratia inferebant, et hi clarissimam dignitatem Senatoriam consequuntur sine onere, ut quam etiam habent decem primi protectorum, *l.* 2. *tit. praeced.* adjungitur ratio hic: quia latus Principis et hi tegunt. Unde
probatur: Eos qui ad latus Principis haerent, 4
ob id nobilitari, post *Jas.* aliosque *Menoch. l.* 2. *A. Q. cas.* 68. *num.* 36. *et seq. Tiraq. de nobilit. cap.* 6. *num.* 10.

TITULUS XIX.

De Proximis sacrorum scriniorum caeterisque qui in sacris scriniis militant.

SUMMARIA

Quatuor Imperatoris scrinia, et quaenam? num. 1.
Tria hujus tituli *objecta.* 2.
Scriniariorum privilegia. 3. 6. 7.
Poena cornicularioruni militum, remissive. 4.
Honoratioribus locus sedendi cum judicibus dandus est. 5.
Qui cum licentia Principis peregre proficiscuntur, nullibi conveniri possunt. 8.
Privilegium uxori et liberis regulariter communicatur. 9.
In Urbe praesentes coram quo conveniantur? 10.
Coram quo in provinciis? 11.
Modus sportularum definitur. 12.
Extensio horum privilegiorum. 13.
Privilegia non quidem regulariter, sed interdum tamen etiam ad adscendentes transeunt. 14.
Quod de uno litigatorum dictum, regulariter etiam de altero venit intelligendum. 15.
An possessor immobilium etiam juratorie cavere debeat? 16.
Judices sportularum quantitatem pro lubitu augere nequeunt. 17.
Secus facientes graviter puniendi. 18.
Scriniarii, licet proprios suos judices habeant, sponte tamen aliorum jurisdictionem prorogare possunt. 19.
Scriniarii post 20. *annos honeste dimissi Senatoriam consequuntur, et exconsulares honorarii sine omni onere salutantur.* 20.
Sensus legis 7. h. t. *numm.* 21. 24.
Tempore posterior priori ob bene merita et excellentiores qualitates praeferri potest. 22.
Quomodo ejusmodi merita probari debeant? 23.
Qui prior in collegium est receptus, semper postea receptis praeferatur. 25.
Limitatur. 26.
In officiorum surrogationibus edicto successorio opus est. 27.
Ad jus repudiatum regressus nemini patet, nisi simile ei jus postea deferatur. 28.
Pater et filius possunt esse in uno collegio. 29.
Lucrum quod defuncti successoribus ex gratia conceditur, non datur ut haeredibus, sed ex privilegio. 30.
Numerus scriniariorum et antiquariorum. 31.
Nemo ex iis in diversis scriniis duplici officio fungatur. 32.
Stipendia plurimorum male sibi vindicant. 33.
Nisi in casu necessitatis. 34.
Qui alienis negotiis se immiscent, puniendi sunt. 35.
Dignitas eorum, qui proximi sunt scriniorum. 36.
Ex sola electione aliquis privilegia dignitati competentia consequitur. 37.
Proximi cum exceptoribus et mello proximis ingrediendi secretarium judicum, etiam spectabilium jus habent, et ibi considendi. 38.
Particula usque *in dubio exclusiva est.* 39.
Proximi sacrorum scriniorum et Comes dispositionum deposita provincia dignitatem habent cum cingulo comitum consistorianorum, et sunt comites consistorii vacantes, non honorarii. 40.
Diuturnum de anno etiam intelligi potest. 41.
Etiam officio durante ab omni onere, quod Senatoribus imponitur, sunt liberi. 42.
Officium horum proximorum est annuum. 43.
Memoriales quinam, eorum officium et numerus? 44.
Quomodo hi adjutores conveniri possint? 45.
An absens ejusmodi adjutor cum commeatu integrum salarium recipiat? 46.
Cum commeatu absens in lucris pro praesente habetur, et citatio sententia dicitur. 47.
An adjutor supernumerarius ob morbum et senium alium sibi surrogare possit? 48.

Quatuor erant scrinia Imperatoris. 1. Episto- 1
larum missarum Principi et a Principe. 2. Libellorum, id est, conventionum et cognitionum judicialium. 3. Memoriae, id est, gestorum Imperii et arcanorum. 4. Dispositionum, id est, pragmaticarum sanctionum et constitutionum, quae ad Imperii gubernationem pertinent, in
quo non erat magister, sed comes. Tria vero 2
sunt tituli objecta: nam 1. in genere de scriniis sive memorialibus. 2. De proximis. 3. De adjutoribus quaestoris. In *primo* notentur :
I. Scriniariorum privilegia, quod scilicet habe- 3
bant jus ingrediendi secretarium Praesidis, id est, locum judicii, cum et consistorium Prin-
cipis ingredi ipsis semper liceat, et additur 4
poena primatibus officiorum, id est, cornicularis militibus, qui vel corniculum meruerant, vel corniculo militum tribuni praeerant, infligenda, idem habetur generalius in *l.* 2. *C. de*
off. div. jud. unde patet: Honoratioribus locum 5
esse dandum sedendi cum judicibus. II. Immu- 6
nitatem habent ab omnibus sordidis muneribus et extraordinariis, nam solum ordinarium canonem et tributum agnoscunt et immunitatem hanc retinent etiam superiorem dignitatem nacti, *l.* 4. *h. t.* quae etiam supra explicta in *l.* 11. *C. de exc. mun.* imo vacationem habent omnium personalium officiorum et metatorum, per *l.* 9. idque etiam deposita militia si sint emeriti.
III. Quando absunt cum commeatu id est, li- 7
centia superiorum, non possunt conveniri, *l.* 9.
neque uxores eorum. Collige: I. Eos, qui cum 8
licentia Principis proficiscuntur peregre, interim nullibi posse conveniri, non in loco, ubi morantur, nam ibi jus revocandi domum habent, *l.* 2. §. *legatis* 3 *ff. de judic.* non domi,
quia praesentes non sunt. II. Privilegium com- 9
municari regulariter uxori et liberis, quia hi
defendendi sunt a maritis et uxoribus. III. Quan- 10
do praesentes sunt in Urbe conveniuntur in civili et criminali causa coram magistro officiorum, et committuntur in urbe fidei adjuratoris vel collegae sui, nisi quando lis sit de annonis civilibus, ubi cum praefecto annonae;

vel tutelis, ubi cum praefecto tutelari; vel o-
peris novi nunciatione et servitutibus, ubi cum
architecto; praefectus urbi cognoscit, vel co-
gnitionem eis vel patrono Fisci totam commit-
11 tit. In provinciis conveniuntur coram Praeside,
et committuntur juratoriae cautioni, etsi im-
12 mobilia non possideant; deinde definitur modus
sportularum, et sancitur, ut in judicio provin-
ciali dimidium tantum sportularum, quae in
Urbe exiguntur, solvant; ut in judicio praefecti
urbis eadem sit sportularum ratio, quae in ju-
dicio magistri, si vero judicium ab his sit aliis
delegatum, non majores, quam coram arbitris
solent, solvantur sportulae, et si ex scripto
non conveniantur, sine ullis sportulis judicium
13 procedat: Et haec privilegia: 1. etiam eorum
uxoribus, parentibus, liberis, adscriptitiis, co-
lonis et servis communicantur: 2. Etiam depo-
sita militia competunt: 3. Etiamsi relicta Urbe
in provincia quietis causa resideant: 4. Et hoc
privilegium sportularum communicatur etiam
eorum adversariis, quia inter litigantes debet
esse aequalitas, quae omnia habentur in *l.* 12.
14 *h. t.* Unde colligitur: I. Privilegia non quidem
regulariter, sed interdum tamen etiam ad ascen-
dentes transire, *hic et l. fin. infr. de praepos.
agent. et l.* 5. *infr. de castrens. l. fin. pr. infr.
de priv. scholar. l.* 10. *pr. infr. de metat.
Georg. Enenck. in tract. de priv. lib.* 2. *cap.* 4.
num. 141. *et in tract. de priv. parent. et lib.
priv.* 1. *cap.* 12. *num.* 42. *et priv.* 3. *cap.* 1.
15 *num.* 31. Quod de uno litigatorum dictum, re-
gulariter de altero etiam intelligendum, *arg.
totius tit. ff. quod quisque juris etc. Menoch. cons.*
16. *num.* 6. *Georg. Enenck. de priv. lib.* 2. *cap.*
4. *num.* 94. ubi id in *seq.* exemplis declarat *Don.
et Hahnius.* III. Probabilem ex *hac lege* reddi
16 *Gl. in l.* 15. *ff. de satisdat.* sententiam: Quod pos-
sessor immobilium etiam juratorie cavere de-
beat, licet contraria receptior, *Wesembec.* π.
ib. num. 11. in verbis: *juratoriam etiam cautio-
nem.* Vid. etiam *Hilliger. ad Donell. lib.* 23.
17 *cap.* 9. *lit. I.* IV. Judices non posse sportula-
rum quantitatem pro lubitu augere, quod ta-
18 men saepe faciunt, et ob id acriter puniendi. Id
19 etiam *ex l.* 22. notandum, quamvis proximi
scriniorum habeant suos proprios Judices pri-
vative datos, quod tamen non prohibeantur
sponte aliorum jurisdictionem prorogare. Nam
quando Princeps constituit Judices privative,
videtur quidem prohibuisse, ne alius se inge-
rat, non videtur tamen tollere facultatem par-
tibus, ut si velint, non possint prorogare juris-
dictionem alterius Judicis, *Glossa in l.* 12. *h.
t. in voce,* eos, *et Petr. Barb. ad l.* 1. *art.* 4.
num. 60. *ff. de judic.* Et ita etiam *Salgado in*
20 *Labyr. lib.* 1. *cap.* 7. *num.* 58. *et seq.* V. Scri-
niarii post 20. annos honeste dimissi, Senato-
riam consequuntur et exconsulares honorarii
21 sine omni onere salutantur, *l.* 3. *h. t.* VI. Scri-
niarii, quoniam sunt vel statuti ex supernume-
rariis, ideoque mortuo uno ex statutis ex su-
pernumerariis, aliquis ei est subrogandus, ita
tamen, ut 1. non illius locum, sed ultimum
consequatur; limita: nisi majora sint subrogan-
di merita, quam ejus, qui in numero contine-
tur, quod religioni 15. Primatum scrinii com-
mittitur, quam limitationem sublimita, nisi sta-
tutus, cui laborum merito potior est surrogan-
dus, sit filius proximi, nam unus ex filiis proxi-
22 mi non cedit digniori, *l.* 7. Unde colligunt:
Posteriorem tempore priori posse praeferri ob
bene merita et excellentiores qualitates, et hoc
judicio ordinis fieri posse, *Georg. Acac. Enenck.
de privil. lib.* 2. *cap.* 5. *num.* 32. Et sic hoc
aegre ferre non debet; Sed ad ea merita, quae 23
faciant, ut junior seniori praeferatur, proban-
da, hic testimonium 15. testium requiritur,
Mich. ab Auguierre inter cons. Besold. p. 2.
num. 281. Ut 2. pro ingressu det certam sum- 24
mam proximo, et mello proximo, id est, qui
futuro anno proximus erit, licet tamen ei re-
pudiare hanc substitutionem retento loco inter
supernumerarios, et sic surrogatur sequens,
et sic deinceps, et haec in *l.* 7. Unde colligi- 25
tur: I. Qui prior est in collegium receptus, eum
semper praeferri debere postea receptis, nisi 26
laborum merito superetur. II. In surrogationi- 27
bus officiorum locum esse edicto successorio.
III. Ad jus repudiatum nemini patere regres- 28
sum, nisi simile postea ei jus deferatur. IV. Pa- 29
trem et filium posse esse in uno collegio. Ista
tamen summa per *l.* 11. proximi defuncti hae-
redibus, aut si nulli haeredes sint, datur credi-
toribus, qui ad militiam comparandam credide-
runt, et post hos uxori, et liberis, licet haere-
des non sint, sed habent hoc solatium ex spe-
ciali privilegio. Additur in fine ratio: quod e-
tiam proximus anni ultimi salarium ad suos hae-
redes transmittat. Sed de hac re. vid. *Nov.* 35.
cap. 5. *Ritt. p.* 3. *c.* 8. *num.* 8. quae *hanc le-
gem* restringit ad eos creditores, qui ad emptio-
nem militiae crediderunt. Collige; Lucrum quod 30
defuncti successoribus ex gratia conceditur, non
dari ut haeredibus, sed ex privilegio. Numerus 31
autem scriniariorum et antiquariorum definitur
in *l.* 10. ubi etiam inhibetur, ne unus duplici 32
officio in diversis scilicet scriniis fungatur; cum
enim unum officium vix implere sufficiant, sti- 33
pendia tamen sibi vindicant plurimorum, cum
hoc ex avaritia et invidia proficisci soleat, *hic
et c.* 3. *X. de cleric. non resid.* nisi in casu ne- 34
necessitatis, *l.* 6. *infr. de execut.* quod etiam ex
lege 13. *hujus tituli* probari solet, qua de re
supra etiam dictum memini; Videantur *Alex.
Tartarus in l. apud Julianum* §. *tempestivum
num.* 4. *ff. de Trebell. P. Gregor. lib.* 25. *synt.
tit.* 32. *num.* 16. *Aug. Berous cons.* 7. *num.* 28.
vol. 3. *Riminald. jun. cons.* 467. *num.* 80. *Card.
Tuschus concl.* 97. *lit. O. Matth. Steph. de ju-
risd. lib.* 2. *part.* 2. *cap.* 6. *in fin. Perez. ad
hanc tit. num.* 5. *Roman. sing.* 393. Colligitur 35
etiam ex *d. l.* 10. *h. t.* puniendos eos esse, qui
alienis officiis se immiscent, *Georg. de Cabedo
dec.* 158. *num.* 2. laudatus *a Carpzov. lib.* 1.
resp. 47. *num.* 10. In *altera parte* agitur de 36
proximis scriniorum, qui magistros sequuntur,
de quibus *l. un. supr. de mag. scrin. sacr.* et
hi proximi parem dignitatem habent cum iis,
qui pro praefectis dioeceses administrant, sive
vicariis, et praeferuntur etiam vicariis, qui post
proximos honorem etiam cum administratione
consequuntur, per *l.* 1. Unde colligunt: I. Ex 37
sola electione aliquem consequi privilegia com-
petentia dignitati. II. Proximi cum exceptori- 38
bus et mello proximis ingrediendi secretarium
Judicum etiam spectabilium jus habent, et ibi
considendi, per *l.* 5. *h. t.* Unde colligunt; Particu- 39
las *usque* in dubio esse inclusivas. Vid. *Br. in
l. patronus* 35. §. 1. *ff. de legat.* 3. III. Proximi 40
sacrorum scriniorum et Comes dispositionum de-
posita provincia dignitatem habent cum cingu-

lo comitum consistorianorum, et sunt comites consistorii vacantes, non honorarii, per *l.* 8.
41 Colligunt inde; Diuturnum etiam de anno in-
42 telligi posse. IV. Etiam officio durante ab omni descriptione, id est, onere quod Senatoribus im-
43 ponitur, liberi sunt, per *l.* 1. Sed officium horum proximorum est tantum annuum, per *l.* 6. In *tertia parte* agitur de adjutoribus quaesto-
44 ris, cum enim hic officium non haberet, ex diversis scriniis ipsi adjungebantur memoriales, quorum obsequiis res quaestoria peragebatur. Et horum numerus definitur in *l.* 13. scilicet ut sint 26. duodecim ex scrinio memoriae; ex epistolarum et libellorum scriniis singulis septem, et ut in posterum nulli surrogentur, donec numerus adjutorum ad veterem numerum 26. fuerit redactus, *d. l.* 13. *et l.* 14. *in fine et l. fin. in fine*, nisi quis velit ad officium laterculensis vel mello proximi in scriniis redire, per *l. fin. princ. h. t.* qui certa forma, cum consensu quaestoris, et forma *in l.* descripta substituere aliquem potest; sed in *fin. l.* 13. dicitur, non esse eundem ordinem receptionis in scrinio et adjutorio quaestoris. Hi adjutores autem 45
vel sine, vel cum scriptis conveniri possunt, ut illo casu tantum sufficiat nomen rei exprimi per actorem, per *l.* 14. Quid autem si adju- 46
tor cum commeatu absit, an integrum salarium consequetur, etiam ultra calendas januarias, quibus distribui salaria debebant? Quae omnia affirmantur in *d. l.* 14. adeo ut ne proximis de salario absentium aliquid decerpere liceat. Col- 47
lige; Cum commeatu absentem, pro praesente in lucris haberi, et citationem dici sententiam. Sed *potestne adjutor supernumerarius ob mor-* 48
bum et senium alium sibi subrogare? Haec olim erat secunda limitatio *legis* 13. sed id abrogatum *l. fin. circa medium*, quia facile fingi morbus potuisset, et fraus legi fieri, et sic nunquam perveniri potuisset ad numerum antiquum; et si haec prohibitio est specialis et subrogandi jus tantum permittitur in casu *l.* 13. qui autem in numero statuto continetur, ille cum consensu quaestoris, ut subrogare, ita etiam vendere locum potest, non tamen ultra 100. solidos, per *Nov.* 35.

TITULUS XX.

De Agentibus in rebus.

SUMMARIA

Agentes in rebus quinam sint? num. 1.
Plures horum gradus. 2.
Negativa, quod aliquis non sit scholaris vel de collegio ex matricula probatur. 3.
Ampliatur. 4.
Numerus agentium exprimitur, remissive. 5.
Defuncto agente aliquo haeredes ejus totius anni salarium percipiunt, et ideo locus ejus tamdiu vacare debet. 6.
Quandocunque haeredes totius anni salarium consequuntur, semper reus ad finem temporis vacare debet. 7.
Ratio 8.
Sub cujusnam jurisdictione centenarii et ducenarii in Urbe fuerint? 9.
Qui in civilibus forum privilegiatum habet multo magis id regulariter in criminalibus habere debet. 10.
Extensio eorum, quae num. 9. *dicta.* 11.
Privilegia competentis fori ad locum studii restringenda sunt. 12.
Exceptio. 13.
Agens, si delictum commisit, sine Principis auctoritate exauctorandus non est. 14.
Qui cum conscientia Principis eligitur ad officium, sine ejus consensu exauctorari non potest. 15.
Ampliatur. 16.

1 Agentes in rebus sunt, qui in actu Reipubl. gerendo occupati sunt, et praecipue rei frumentariae, ac cursuum publicorum, et trans-
2 vectionum curam gerebant. Horum plures fuere gradus: Emeriti, dicti sunt Principes agentium in rebus; Deinde erant primicerii Senatores, ducenarii, centenarii, biarchi, circitores, equites, tyrones. Scholae autem huic nemo aggregandus est sine probatoria sacra, id est, approbatione Principis, quae sacra probatoria in scrinio memoriae deponenda, *l.* 3. *in fin.* Unde 3
colligitur: Negativam, quod aliquis non sit scholaris vel de collegio, ex matricula statim probari, praesertim si consuetudinis, ut omnes cives 4
vel membra in matriculam referantur, *Card. Tuschus concl.* 30. *num.* 36. *lit. N. Mascardus concl.* 1297. *num.* 13. *et concl.* 976. *num.* 2. *Fr. Harculan. de probat. negat. num.* 170. Numerus agentium exprimitur in *d. l. princ.* 5
Defuncto autem agente aliquo, haeredes ejus 6
totius anni salarium percipiunt, et ideo locus ejus tamdiu vacare debet, *d. l.* 3. *in medio.* unde Nota: Quandocunque haeredes totius anni 7
salarium consequuntur, quod semper reus ad finem temporis vacare debeat, ne Respubl. duo- 8
bus salariis gravetur, et sic durante anno gratiae novus sacerdos substituendus, certe instituendus non est, per tradita *Dn. Carpzov. lib.* 1. *jurispr. consist. defin.* 162. *num.* 2. debet autem succedere defuncto proximus, non ulterior, per *l.* 1. *h. t. et l.* 1. *C. de off. mag.* Erant autem 9
centenarii et ducenarii in Urbe sub jurisdictione magistri officiorum vel delegati ab ipso judicis, tam in criminalibus quam civilibus, per *l. fin. h. t.* ubi ratio. Unde colligitur: Eum, 10
qui in civilibus habet forum privileg. multo magis id habere debere in criminalibus, regulariter scilicet, nam si in privatis causis prospectum alicui voluit Princeps, magis in criminalibus, ubi majus periculum. Delinquens sane beneficio indignus, sed quid si deliquisse nondum constet? *Scip Gentil. de jurisd. lib.* 3. *cap.* 17. *et Hillig. in Donell. lib.* 17. *cap.* 20. *lit. M.* et hoc ad subadjuvas extenditur, nam 11
habebat magister officiorum, ut quaestor suos adjutores, et subadjuvas: qui in provinciis erant sub ordinaria jurisdictione praesidum, nisi pro tempore publicum aliquod munus ipsis injun-

12 ctum sit. Unde colligunt: Privilegia fori competentis, ad locum studii esse restringenda; ni-
13 si scilicet privilegia specialia sint, quae concedant jus revocandi litem ad academiam. Quan-
14 do autem agens delictum commisit, non est distringendus, id est, exauctorandus sine auctoritate Principis, cum si schola sit probata, non debeant membra ejus aliquam contumeliam pa-
15 ti, per *l.* 2. *h. t.* Unde colligitur: Qui cum conscientia Principis eligitur ad officium, eum sine ejus consensu exauctorari non posse, et li- 16
cet quis vendendi vel resignandi muneris jus habeat, non tamen prius is, cui resignatur, jus ad munus consequitur, quam Princeps resignationem approbaverit, *c.* 4. *et ult. X. de renunc. Perez. ad hunc tit. num.* 5. *Marta tom.* 6. *digest. suorum tit. resignans cap.* 4. *et seq.*

TITULUS XXI.

De Praepositis agentium in rebus.

SUMMARIA

Contenta duarum legum h. t. *num.* 1.
Quinam praepositi esse nequeant? 2.
An subadjuvae tales esse possint? 3.
Ipsi, quem praecedentia merita commendant, facilius substitutus permittendus est. 4.
Omnis surrogatio surrogantis periculo facta intelligitur. 5.
Omnes agentes quoad privilegia in judiciis competentia cum memorialibus comparantur. 6.
In quonam? 7.
In provinciis sportularum ratione privilegium aliquis retinet. 8.
Secus ratione fori. 9.
Non datur fidejussor idoneus quando privilegiatus datur. 10.
Nisi foro renunciet. 11.
Scholaris fidejussorem privilegiatum, alium scil. scholarem dare potest. 12.
Idem privilegium iis datur personis conventis, quae cum actore necessitudine junctae sunt. 13.
Per dationem novi privilegii non correctio sed cumulatio priorum privilegiorum inducitur. 14.
Absurdum est et temerarium Principis liberalitatem non ad augmentum, sed diminutionem convertere. 15.
Cavendum, ne quod favore alicujus constitutum, ad laesionem ejus duriore interpretatione producatur. 16.

1 *Lex prima* agit de praepositis agentium in rebus, *altera* de agentibus universaliter. Praepositos autem agentium in rebus antea per annum subadjuvas in fabricis et barbariis, id est,
2 textrinis esse oportebat. Sed praepositi esse non possunt negotiatores, procuratores alienatorum fundorum, nec adjutores primiceriorum, et tertiocceriorum in aliis scriniis, seu chartularii aut
3 chartulas tractantes, quia duobus officiis subadjuvarum et adjutorum pares esse non possunt, ut aliquoties dictum. Sed si subadjuvae ob morbum, aetatem, imperitiam aliudque vitium, muneri huic praeesse non possunt, si praecedentia sint merita, per substitutum aliquem ejusdem scrinii chartularum, cujus mores probati, et qui rerum peritia polleat, hoc officium gerere possunt, suarum tamen facultatum periculo. Col- 4
lige: I. facilius ipsi permittendum esse substitutum, quem praecedentia merita commendant.
II. Subrogationem omnem intelligi factam pe- 5
riculo surrogantis. In *l.* 2. omnes agentes, quo- 6
ad privilegia in judiciis competentia, comparantur cum memorialibus, de quibus in *l.* 12.
de proxim. scrin. ut scilicet quando ipsi, vel 7
matres, vel liberi, vel uxores, vel servi etc. actores sint vel rei, et compareant per se vel procuratores, ut non cogantur dare fidejussorem extraneum, sed aliquem ex collegis, et easdem sportulas solvant in Urbe, in provinciis vero partem tertiam tantum, et salvis caeteris privilegiis, quae illis antea sunt tributa. Colli- 8
ge: I. In provinciis aliquem retinere privilegium ratione sportularum, licet non rationi fori. II. 9
Non dari fidejussorem idoneum, quando datur 10
privilegiatus, *l.* 8. §. 1. *ff. qui satisdare etc.* nisi
foro renunciet, *Hering. de fidejuss. cap.* 5. 11
num. 590. *et c.* 14. *num.* 16. III. Scholarem da- 12
re posse fidejussorem privilegiatum, alium scil. scholarem, et idem privilegium datur 13
iis conventis personis, quae cum actore necessitudine junctae sunt, per *l.* 1. *ff. in jus vocati etc. Franc. de fidejuss. c.* 4. *num.* 27. *Wesemb. in d. tit. ff. in jus vocati etc. Hillig. in Donell. l.* 23. *c.* 9. *lit. L.* IV. Per dationem 14
novi privilegii, non induci correctionem, sed cumulationem priorum privilegiorum, cum ab- 15
surdum sit et temerarium, Principis liberalitatem, non ad augmentum sed diminutionem convertere, *Matth. Enzlinus consil. suo subjecto consil.* 270. *Besold. num.* 29. et cavendum, ne 16
quod favore alicujus constitutum, ad laesionem ejus duriore interpretatione producatur, *Georg. Acac. Enenckel. in tract. de privil. lib.* 2. *cap.* 3. *num.* 44.

TITULUS XXII.

De Principibus agentium in rebus.

SUMMARIA

Principes agentium in rebus quomodo fiant? num. 1.
Principes agentium honorarii quinam sint? 2.
Qui tempus militiae emensi sunt, iis praeferuntur, qui citra culpam suam eam emetiri non potuerunt. 3.
Qui in actu sunt, honorariis semper praeferuntur. 4.
Eorum dignitas. 5.
Dignitatis ratio. 6.
Eorum privilegium. 7.
An officium a Principe petere liceat? 8.
Privilegiatus ob causam socii non privilegiati contra sui privilegii commoda laedi non debet. 9.
Horum principum officium. 10.
Censuales quinam? 11.
Principatus a cohortali conditione liberat. 12.
Cohortales quatenus a cohortali conditione liberari possint? 13.
Principes agentium vel personae ipsis subjectae quando conveniuntur, quid singulare habeant? 14.
Quando lis est in judicio de cautione et fidejussore dato, hoc per interlocutoriam decidatur, et quinam sint idonei fidejussores, examini et arbitrio judicantis committatur. 15.
Possessio immobilium alibi sitorum aliquem a cautione hic praestanda non excusat si sub alio Principe possideat. 16.
An possessor bonorum immobilium sub loco judicii sitorum a cautione vel satisdatione relevetur, et contra juratoria cautione oneretur? 17.

1 Agentes in rebus post continuae militiae tempus, et emensis omnibus militiae istius gradibus pro praemio laboris fiunt Principes agen-
2 tium in rebus. Alii vero sunt principes agentium honorarii, qui non emensis omnibus gradibus, sed post 25. annorum militiam, ob morbum vel aliam causam sonticam accepto scholae testimonio hanc dignitatem adepti sunt, qui iisdem fruuntur privilegiis, ita tamen, ut priores illi in actu positi in consessibus et salutationibus judicum, licet tempore posteriores sint,
3 his praeponantur, per *l.* 4. Unde colligitur: Eos, qui tempus militiae emensi sunt, praeferri eis, qui citra culpam suam eam emetiri non
4 potuerunt. Et eos qui in actu sunt, honorariis semper praeferri, *Georg. Acac. Enenck. Baro*
5 *de privil. lib.* 2. *c.* 5. *num.* 90. Hi autem principes proconsulibus et vicariis honore aequantur, *l.* 3. *et* 5. *h. t.* in qua lege posteriore adjutores magistri officiorum includuntur, imo et comitiva primi ordinis et cingulo ad vitam po-
6 tiuntur, *l.* 6. *h. t.* ubi ratio, quod magnis periculis vitae exantlatis, hunc honorum apicem
7 consequantur. Habent etiam hoc privilegium, quod sine eorum principum consensu, nullus ex agentibus in rebus ad publicas vel privatas functiones etiam in loco domicilii vocari, nec realiter vel personaliter citari possit, per *l.* 1. et advocatis in specie interdicitur, ne sub nomine unius suscepti, id est, clientis lites contra agentem in rebus moveant. Unde quis collige- 8
re posset: Non licere officium petere a Principe, sed contrarium apparet, *arg. l. un. C. de ambit. Christin. dec.* 124. *num.* 7. *vol.* 5. Et colligere solent: Privilegiatum non debere ob 9
causam socii non privilegiati contra sui privilegii commoda laedi, *Georg. Acac. Enenck. de priv. lib.* 2. *cap.* 4. *num.* 92. Ad officium etiam 10
principum praesertim vero in officio Praefecti Urbi constitutorum etiam pertinebat, ut eorum opera etiam Senatores citarentur, alii vero actus, qui a Senatu fiebant, exercebantur per censuales, id est, tabelliones, qui operam suam 11
magistro census accommodabant, et acta Senatus conficiebant, per *l.* 2. Hi principes poterant habere domesticos suos, per *l.* 4. *pr.* id est, protectores et scribas suos, sicut praesides, et quamvis domesticus Praesidis idem officium saepius repetere non possit, per *l.* 5. *et* 6. *C. de assess.* aliud tamen in Principum horum domesticis, *d. l.* 4. quia hic ratio illa cessare videtur. Liberat etiam hic principatus a cohortali 12
conditione, id est, a servitute apparitorum praesidis, nam cohortalis, qui inter agentes in re- 13
bus diu militavit, et tandem principatus gradum adipiscitur, non ipse tantum, sed et ejus liberi, licet non sint agentes, liberi sunt a conditione cohortali, licet in liberis ante adeptum principatum secus, per *l. pen.* Demum quando 14
principes agentium, vel personae ipsis subjectae conveniuntur, 1. minus solvunt ratione sportularum, quod alii, tam in ordinariis judiciis, quam coram arbitris: 2. fidejussorem eum dant, quem locorum defensor existimaverit, vel etiam juratoriae cautioni creduntur, si bona alicubi possideant: et 3. ex scripto tantum conveniuntur, per *l. fin. h. t.* et hoc privilegium commune habent cum comitibus consistorianis, *l. fin. C. de comit. consist. l.* 12. *supr. de proxim. sacr. scrin.* Unde colligunt: I. Quando lis 15
est in judicio de cautione, et fidejussore dato, hoc per interlocutoriam decidendum esse, et quinam sint idonei fidejussores, committi debere examini et arbitrio judicantis, *l.* 5. §. 1. *et l.* 9. *ff. qui satisdare etc. Perez. ad hunc tit. num.* 7.
II. Possessionem immobilium alibi sitorum non 16
excusare regulariter a cautione hic praestanda, si scilicet sub alio principe possideat, nam sufficit, si sub alio judicio possideat, *Carpz. p.* 1. *c.* 5. *d.* 3. Ex hoc textu *l. fin.* scil. volunt 17
nonnulli etiam indubitate colligere, ut et ex *l.* 12. *supr. de proxim. sacr. scrin.* quod possessor bonorum immobilium sub loco judicii sitorum relevet a cautione vel satisdatione, sed oneretur tamen cautione juratoria: Sed contrarium tamen merito receptum, et non video, cui bono fieret juramentum. Vid. *Wesemb. in* ϖ. *qui satisdare etc. num.* 11. et ibi *Hahnius in def.*

in verbis, *juratoriam etiam cautionem etc. Hil-lig. in Donell. l. 23. c. 9. lit. I.* Et potest forte responderi ad hunc textum, quod sit specialis dispositio, quales in his libris plures sunt. Et solent leges nostrae aliquem quem in multis honorarunt, in aliis gravare.

TITULUS XXIII.

De Curiosis et Stationariis.

SUMMARIA

Curiosi et stationarii quinam? num. 1.
Officium horum. 2.
Delicti probandi necessitas his ipsis incumbit. 3.
Quid si in probatione succumbant, an et quomodo teneantur? 4.
Nunciationi ejus, qui ad denuncianda crimina deputatus, standum non est, sed ille causae assistere et delictum probare vel probationes suggerere debet. 5.
Denunciantes ex officio, etiam si calumnia sit manifesta, in expensas condemnantur. 6.
Quid si manifesta doli indicia non adsint? 7.
Quid si denunciator semiplene probaverit, vel quidem plene probaverit, sed reus habeat suas defensiones? 8.
Qui semiplene probavit in calumnia non haerebit. 9.
Secus in monopolii denunciatore. 10.
Delicta contra cursus publicos commissa quaenam? 11.
Neque in dignitate constituto, Principis rescriptum alleganti creditur, nisi illud edat. 12.
Curiosorum officium. 13.
Cuinam curiosi hi subjecti? 14.
Privilegiatus quid inhonesti committens fori privilegium perdit. 15.
Restringitur. 16.

1 Curiosi et stationarii erant apparitores ex schola agentium in rebus, *l. 2. pr. h. t.* qui ea, quae contra publici cursus leges et contra quietem publicam commissa erant, curiose pervestigabant et ferebant ad praefectos, de quibus *Petr. Greg. lib. 32. synt. 3. tit. 4. num. 2. et seqq. Christin. dec. 125. et Perez. ad hunc*
2 *tit. num. 1. et 8.* Et horum officium erat, tale delictum deferre ad magistrum officiorum, vel ad praefectum Praetorio sine inscriptione. Sed
3 necessitas tamen ipsis incumbebat delicti probandi, et non poterant de facto aliquem car-
4 ceri mancipare, et si succumberent in probatione, de calumnia contra eos agi poterat, *l. 1. h. t.* scilicet si calumnia sit evidens, alias officii necessitate excusantur, *l. 2. supr. de delator.*
5 Unde colligitur: I. Non standum esse nunciationi ejus, qui ad denuncianda crimina deputatus, sed debere illum causae adsistere, et delictum probare vel probationes suggerere, *hic et l. 6. §. pen. ff. ad SC. Turpillian. Mascardus de probat. concl. 506. num. 11. et seq. Farinac. quaest. 52. num. 172.* II. Denunciantes etiam ex 6
officio, si manifesta scilicet sit calumnia, in expensas condemnari, *Mascard. d. l. Farinac. q. 16. in fine.* Sed si manifesta indicia doli non sint, 7
necessitas officii a dolo praesumpto, quae alias ex deficiente probatione colligeretur, ipsum excusat, *Farinac. d. q. 16. num. 52. Menoch. lib. 2. A. Q. casu 321. num. 21. Masc. concl. 506. num. 3. et concl. 253. num. 31.* Quid si autem de- 8
nunciator semiplene probasset? Quid si probasset plene, sed reus haberet suas defensiones? Neutro casu denunciatorem etiam voluntarium puniendum putarem, licet in priori dissentiat *Christin. dec. 125. num. 10.* Sed qui semiplene 9
probavit, utique in calumnia non haerebit. quamvis in denunciatore monopolii specialiter 10
secus receptum, *l. un. C. de monopol.* Delicta 11
autem contra cursus publicos commissa habentur in *l. 2.* ut si 1. quis sine evectione, id est, diplomate, quo facultas datur cursu publico utatur: 2. Si excedat modum evectionis datae; v. gr. pro rheda una postulet duas: 3. Si evectionem judici vel curiosis demonstrare nolit, sub praetextu, quod sibi festinandum sit, vel praetextu dignitatis: 4. Si pro animalibus non praebitis quis pecuniam exigat, ubi poena quadrupli. Unde colligitur: Quod etiam in dignitate 12
constituto Principis rescriptum alleganti non credatur, nisi illud edat, *l. un. C. de mand. princ.* Illi autem curiosi singuli, qui per singu- 13
las provincias missi erant, evectionum et cursuum publicorum tantum curam habebant, de caeteris negotiis civilibus nulla eorum cognitio, imo nec ipsi carceri aliquem mancipare poterant, aut cognoscere, nec naves propria auctoritate, praetextu cursus publici detinere, per *l. fin.* Erant autem et hi curiosi subjecti 14
magistro officiorum, *l. 4. supr. de agent. in rebus,* nisi aliquid inhonestum commiserint, ergo si in cancellis suae professionis maneant, et praefectus praetorio eos condemnet, non est rata sententia, sed si terminos militiae et honestatis excedant, possunt etiam a praefecto praetorio condemnari, *l. 3. h. t.* Unde colligunt: Privi- 15
legiatum inhonestum aliquid committentem, perdere privilegium fori, quod de notorio et 16
manifesto crimine intelligo, nam alias non amittere puto. Vid. *Menoch. l. 2. A. Q. cas. 66. num. 31. et Hillig. in Donell. lib. 17. cap. 20. lit. M.* et quae notata *supr. ad tit. Ubi de crimin.*

TITULUS XXIV.

De Palatinis sacrarum largitionum, et rerum privatarum.

SUMMARIA

Nomen palatinorum generale est. num. 1.
Quandoque tamen speciale, ut h. t. *num.* 2.
Officium largitionalium et privatianorum. 3. 5.
In iis, quae specialiter mihi commissa sunt, superioris judicis auctoritas non concurrit, nisi pro extremo subsidio, nec inferior suam administrationem ob praesentiam superioris amittit. 4.
Administratoribus locorum etiam invitis tales adsessores dandi sunt, quos ipsi revereantur. 6.
Malus Praelatus timet bonum subditum. 7.
Thesaurensis aliquid de rebus aerarii surripiens, militia pellitur, et nec ad eam, nec ullam aliam dignitatem pervenire potest. 8.
Eversoribus pecuniae publicae nullo unquam tempore ad dignitatem patet aditus. 9.
Nemo in palatinum sine speciali beneficio et consensu Imperatoris eligi potest. 10.
Omnes patrimonii Principis officiales sine ejus consensu constitui nequeunt. 11.
Officiales in continuo labore non detinebantur. 12.
An ex uno scrinio in aliud, ex una militia in aliam se quis transferre possit? 13.
Ut aliquis de uno collegio ad aliud transeat, sine gravi causa non est concedendum. 14.
Pro distinctis et diversis largitionalium palatinorum et privatianorum scriniis et in iis classibus, diversi etiam his illis praeerant officiales. 15.
Quinam praecipue hac phrasi, emendicati suffragii, *notari soleant?* 16.
Ambitio a petitionibus est removenda. 17.
Quinam horum palatinorum judex competens? 18.
Privilegia personae competentia ad realia judicia non trahuntur. 19.
In novi operis nunciatione cessant personae privilegia. 20.
Privilegia scholarium quatenus etiam extra locum studii valeant? 21.
Casus specialis, ubi quis cognoscere causam criminalem, neque tamen sententiam ferre potest. 22.
Palatini a sordidis et extraordinariis muneribus excusantur. 23.
Primicerius largitionalium titulorum, ac tres primates scriniorum cum tribunis praetorianis etiam deposita militia jure militari et iisdem privilegiis cum militibus fruuntur. 24.
Extenditur haec regula. 25.
Privilegia, praesertim quando favorabilia sunt, omnino extensionem et ampliationem admittunt. 26.

1 Quamvis nomen palatinorum generale sit, et
omnes memoriales et agentes in rebus complectatur,
saepe tamen, ut hic, de apparitoribus
comitis sacrarum largitionum et comitis rerum
2 privatarum accipitur, ac interdum largitionales
3 et privatiani dicuntur. Et hi in provincias mittebantur
a comitibus, in quibus officium suum
in utilitatem aerarii Principis commissum per
se exequi poterant, salva tamen reverentia,
quae ab omnibus provinciae illius incolis praesidi
exhibenda erat, per *l.* 4. Unde colligitur: 4
In iis, quae specialiter mihi commissa sunt,
non concurrere superioris judicis auctoritatem,
nisi pro extremo subsidio, *Gail. lib.* 1. *obs.* 115.
num. 2. nec inferiorem amittere suam administrationem
ob praesentiam superioris, *Glossa
in d. l.* 4. *et Georg. Acac. Enenck. de privil.
lib.* 2. *cap.* 5. *num.* 26. *in fine.* Nec Praeses nec 5
Praefectus Praetorio ipsis quicquam injungere
poterant, sed soli praedicti comites, a quibus
unice pendebant, *l.* 6. *h. t.* Ex horum etiam numero
mittebantur, qui principatum gererent
in officio ejus comitis domorum, id est, qui
esset primus adsessor in officio ejus comitis,
cui tamiaca praedia ipsius Imperatoris vel Augustae
in Cappadocia subjecta erant, et hunc
Principem ipse comes revereri debebat, scilicet
si legibus vetita agere vellet, et hi apparitores
e numero mittendariorum erant, per
l. 3. Unde colligunt: Administratoribus locorum 6
etiam invitis, tales adsessores dandos esse, quos
ipsi revereantur; nam malus praelatus timet 7
subditum bonum, *Christin. dec.* 126. *num.* 1.
Quod si vero thesaurensis seu officialis comitis 8
thesaurorum, id est, sacrarum largitionum,
aliquid de rebus aerarii surripiat, militia pellitur,
et nec ad eam nec aliam, vel etiam dignitatem
ullam ipsi patet aditus, per *l.* 2. Un- 9
de colligitur: Eversoribus pecuniae publicae
nullo unquam tempore ad dignitatem patere
aditum, *hic et l.* 12. *supr. de suscept. l.* 12.
supr. de dignit. Non potest autem aliquis eligi 10
in talem palatinum sine speciali beneficio et
consensu Imperatoris, *l.* 9. *h. t.* ut et agentes
in rebus, *l.* 3. *supr. de agentibus etc.* Unde 11
constat, officiales patrimonii Principis omnes
non posse sine ejus consensu constitui. Singulis
annis autem ex ducenariis et centenariis, qui
mittendarii dicebantur, eo quod in provincias
mitterentur, quidam militia solvebantur et sequentes
in gradu eorum locum surrogabantur,
per *l.* 8. Unde apparet, officiales non fuisse in 12
continuo labore detentos. Sed Quaeritur: *An ex* 13
*uno scrinio in aliud, ex una militia in aliam
se quis transferre possit?* Quod neg. *l.* 5. tum
quia scrinii et militiae illius, ad quam se primo
contulit, optimam notitiam habet, tum ne locum
alii debitum occupet, *l.* 10. *supr. de prox.
sacr. scrin.* Colligitur inde: Non esse sine gravi 14
causa concedendum, ut aliquis de uno collegio
transeat ad aliud. Largitionalium autem palati- 15
norum, ut et privatianorum erant certa scrinia,
et in his scriniis certae classes, quae formae
dicuntur, et classibus praeerant primicerii,
quos sequebantur ducenarii et centenarii,
a numero eorum, quibus praeerant, forte ita
appellati, et epistolares, et horum erat certus
numerus prolixe descriptus in *l.* 7. *h. t.* se-

cundum quem gradum strenae et annonae distribuendae erant personis in brevi, id est, in charta descriptis, adeo ut nec emendicatum suffragium, id est, rescriptum Principis in con-
16 trarium valeat, qua phrasi, *emendicati suffragii*, eos notare solent, qui sine lege in auctoritatibus Doctorum fundamentum decisionis collo-
17 cant, unde etiam ex *d. l. 7. pr.* probare solent ambitionem a petitionibus removendam esse, *Enenckelius d. tr. de privil. l. 1. c. 6. num.* 221. Primicerii autem et hic officium est annuum, per *l. 11. h. t.* ut proximi sacrorum scriniorum,
18 *l. 6. supr. de prox. sacror. scrin.* Judex competens horum palatinorum non est Praefectus urbi, nisi in certis casibus, qui in *l. 12. supr. de prox. sacr. scrin.* recensentur, sed eorum judex est comes. In provinciis ordinarium judicem habent scilicet praesidem, nisi publica sollicitudo vel commissio ipsis injuncta sit, *d. l.* 12. *et l.* 4. *supr. de agent. in rebus.* Sed in criminalibus praeses equidem etiam cognoscit, sed nonnisi consulto et consentiente comite, cui
19 palatinus subest, sententiam ferre potest. Unde colligunt: I. Privilegia personae competentia non trahi ad realia judicia et in nunciatione 20
novi operis cessare privilegia personae. II. Pri- 21
vilegia scholarium etiam extra locum studii valere, quando in negotiis scholae missi sunt, et occupatione ista cessante cessare etiam privilegium, *l.* 7. §. 4. *ff. de judic.* III. Nota ca- 22
sum: ubi quis cognoscere causam criminalem potest, non autem sententiam ferre, *in fin. d. l.* 12. Excusantur autem palatini ab extraordi- 23
nariis et sordidis muneribus, per *l. 1. h. t.* et in specie primicerius largitionalium titulorum, 24
ac tres primates scriniorum, tribuni praetoriani etiam deposita militia jure militari, et iisdem privilegiis cum militibus fruuntur, per *l. pen.* quod 25
in *l. ult.* ad primicerium et tres optimates comitis rerum privatarum extenditur, ut scilicet a civilibus et militaribus indictionibus sint immunes, cum sit eadem ratio. Unde probatur 26
manifestissime, privilegia, quando praesertim favorabilia sunt, omnino extensionem et ampliationem admittere, per *hanc legem ult. et l. Princeps* 21. *ff. de V. S. l. un. ff. de bon. poss. ex testam. mil.* aliosque textus, quos allegat, *Enenckelius d. tr. l.* 2. *cap.* 4. *num.* 5. *et* 24.

TITULUS XXV.

De Stratoribus.

L. Per omnes. un.

SUMMARIA

Palatinorum officium et conditio. num. 1.
Quod non licet petere, id etiam sponte offerre non licet. 2.
Restringitur. 3.
Judex in delicta publica non inquirens poenam incurrit, et de syndicatu tenetur. 4.

1 Palatini hi erant proconsulum, praesidum, et quorum munus erat equos sternere militares, eorum aetatem, formam et staturam probare, conscendenti magistratui opem ferre etc. his certa summa, scilicet solidus pro equi probatione assignatur, adeo ut nec petenti, nec sponte liceat plus solvere, et officio praesidis, si non puniat stratorum avaritiam, certa poena dictitatur. Unde colligitur: I. Quod non licet 2
petere, id non licere etiam sponte offerre, *l. fin.* §. 2. *infr. de re mil.* quod intelligendum 3
tamen de eo casu, quando metus corruptionis est, ut hic *Christin. dec.* 127. *num.* 12. *vol.* 5.
II. Judicem incurrere poenam, si non inqui- 4
rat in delicta publica, ac teneri de syndicatu, *Paris. de Puteo de syndicatu* verb. *negligentia cap.* 1. *num.* 8. *et seq. Petr. Heig. p.* 1. *q.* 39. *num.* 21. et judex non inquirens, litem suam facit, *Clarus* §. *fin. q.* 4. *num.* 2. *Sig. Scaccia lib.* 1. *de judic. cap.* 68. *num.* 10. *Foller. pr. crim. p.* 1. *num.* 27.

TITULUS XXVI.

De Castrensianis et ministerianis.

SUMMARIA

Castrensianorum et ministerianorum certus ordo et numerus, certaque forma. num. 1.
Supernumerarii, qui beneficio Principis locum habent in formam tertiam locantur. 2.
In alternativis debitoris est electio. 3.
In diversis privilegiis alternative concessis electio ejus est, cui beneficia sunt concessa. 4.
Ministerianorum horum privilegia. 5.
Quamdiu hanc militiam singuli teneant, et an eam semel depositam denuo assumere possint? 6.
In provinciis facilius fidejussor, quam in urbe admittendus est. 7.
Causa tributi excludit privilegium fori. 8.

Hi erant ministerio sacro, id est, Principis 1
deputati ut pistores, vestitores, pincernae etc. horum erat certus ordo, scilicet forma prima, secunda et tertia, ut in palatinis, *l.* 7. *supr. de palat.* et certus numerus, adeo ut supernu- 2
merarii, qui beneficio Principis locum haberent, non obstante rescripto, in forma tertia ultimum semper locum obtinerent, *l.* 2. *h. t.*
Ex qua *l.* 2. Notare solent; Quamvis in alter- 3
nativis electio sit debitoris, *l. plerumque ff. de jure dotium*, in privilegiis tamen diversis alter- 4
native concessis, electionem esse illius, cui beneficia alternative concessa, *Besoldus in l.* 2.

ff. de const. princ. prout eum refert, et hoc ceu singulare commendat *Tiraquellus de nobil. c. ult. num.* 53. quod verum etiam videtur *Christin. d. decis.* 127. *et seqq.* quamvis non videam, quomodo id ex hoc textu probetur. Et erant hi sub dispositione comitis Castrensis sacri palatii, *l.* 1. sub jurisdictione vero magistri officiorum, quod in specie de vestiariis et
5 eorum uxoribus et matribus dicitur, *l.* 3. In *l. fin.* vero ad omnes ministerianos extenditur, excepta causa tributorum, munerum et delictorum, et non conveniuntur nisi in scriptis, fidejussorem vero dant actuarium vel primatem suae scholae, moderatio etiam fit sportularum 6
in *d. l. fin.* Et in schola hac, qui biennium militavit, et supremum gradum tenuit, militiam hanc deponunt, et sequentibus locum faciunt, nec ad illam militiam denuo reverti possunt, ut etiam palatini, *l.* 5. *supr. de palat.* scilicet sine consensu Principis, *l.* 2. *et* 3. *infr. de div. off. Christin. d. dec.* 126. *num.* 19. No- 7
tant autem ex *l. ult.* I. In Provinciis facilius admittendum esse fidejussorem, quam in urbe. II. Causam tributi excludere privilegium fori. 8

TITULUS XXVII.

De Decanis.

L. Quatuor. 1. et L. Nostrae. 2.

SUMMARIA

Decani quinam fuerint? num. 1.
Rescriptum, quo quis ab ordinaria jurisdictione eximitur, subreptitium praesumitur. 2.
Nisi ratio exemptionis et cui subesse debeat, simul addatur. 3.
An libello supplici, fundatam esse jurisdictionem narranti, sit credendum? 4.

1 Hi erant ministeriani, et praeerant forte 10. ministerianis, et itaque magistri officiorum jurisdictioni suberant, nedum ad alia trahantur judicia, ab obsequio Principis abstrahuntur, et fidejussorem dant priorem scholae suae, *l.* 2. *h. t.* et ex horum corpore quatuor primi per biennium sunt primicerii scholae suae, nec ultra hoc tempus honorem suum continuare, sed sequentibus locum facere debent, *l.* 1. *h. t.* Colligunt ex *l.* 2. Rescriptum praesumi subrepti- 2
tium, quo quis ab ordinaria jurisdictione eximitur, nisi simul addatur ratio exemptionis, et 3
cui subesse debeat, *Jo. de Plat. Christin. dec.* 128. *num.* 10. *Perez. ad hunc tit. num.* 4. *An* 4
autem credendum sit libello supplici narranti, fundatam esse jurisdictionem? quaerunt *hic DD.* et affirmant cum *Gailio l.* 1. *obs.* 31. *num.* 2. *Schrad. de feud. p.* 10. *cap.* 8. *num. fin. Christin. d. d.* 128. *num.* 14. *et Perez. hic num.* 5.

TITULUS XXVIII.

De Mensoribus.

L. Primicerius. un.

SUMMARIUM

Mensores quinam?

Mensores erant ministeriani, qui metiebantur annonas, ligna et alia, item hospitia Principis etc. et qui in hoc corpore primicerius erat, biennio completo, inter agentes in rebus ultimo loco connumerabatur.

TITULUS XXIX.

De privilegiis eorum qui in sacro palatio militant.

SUMMARIA

De quonam hic titulus *loquatur? num.* 1.
Privilegia militum sacri palatii. 2.
Immunitas data a collectis, de mobilibus et iis bonis, quae in urbe possident, intelligi debet. 3.
An hoc privilegium etiam ad nepotes viventibus filiis transeat? 4.
Quid juris hoc casu in emphyteusi pro filiis et nepotibus data? 5.
Privilegia militum sacri palatii extenduntur in alios, et quosnam. 6.
Privilegium alteri superveniens, illud non tollit, sed utrumque permanet. 7.
Tenor legis 3. h. t. *num.* 8.
Clerici, consiliarii, professores rude donati iisdem adhuc immunitatibus fruuntur. 9.
Palatini militia missi clarissimi manent, et his, qui postea eam dignitatem sunt nacti aut provincias rexerunt, in ordine sedendi praeferuntur. 10.
Poena violatorum hujus privilegii. 11.

Loquitur *hic titulus* de iis, qui militia missi 1
sunt, qui inter ministerianos, de quibus *tit.* 25. et memoriales scriniorum in aula militarunt. Excusationem habent a personalibus muneribus, 2

et a sordidis, cum liberis etiam secundi gradus, et libera etiam sunt eorum mancipia urbana et mobilia omnia, adeo ut contra faciens et eorum privilegium violans sine respectu digni-
3 tatis puniatur, *l. 1. h. t.* Collige; Immunitatem datam a collectis, esse intelligendam de mobilibus et iis bonis, quae in urbe possident; Quaeritur autem circa verba *legis primae (ordine*
4 *sanguinis) An etiam transeat hoc privilegium ad nepotes viventibus filiis?* Negat hic *Jo. de Platea, et Perez. ad hunc tit. num.* 3. Sed rectius *Bart. in l. gallus 29. §. 1. ff. de lib. et posth. Georg. Acac. Enenckel. Baro de privil. l. 2. cap. 5. num.* 70. Nam quod *Jo. de Plat. hic* de ordine sanguinis ait, in his verum est, quae non possunt esse plurium simul ut dominium. Aliud in immunitatibus, quibus plures
5 simul frui possunt. In emphyteusi data pro filiis et nepotibus nonnulli volunt filiis existentibus non esse locum nepotibus, ita *Clarus §. emphyteusis qu. 35. Tuschus concl. 170. lit. E,*
et Christin. dec. 130. *num.* 6. *Castill. p.* 3. *contr. c.* 19. *et Perez. hic num.* 3. Et hoc in *l.* 2. 6
extenditur ad cubicularios quiete donatos, et agentes in rebus, et palatinos utriusque aerarii, et exemplis sordidorum munerum declaratur, ac demum Castrense ipsis peculium conceditur.
Collige ex *l.* 2. superveniens privilegium al- 7
teri illud non tollere, sed utrumque permanere, *Enenck. dict. tract. de privil. lib.* 2. *cap.* 5.
num. 3. nec hoc praetextu iis a tabulariis Prae- 8
fecti Praetorio injungenda sunt munera, quasi sint rerum periti et ad res gerendas idonei,
per *l. 3. h. t.* Unde probatur, clericos, consi- 9
liarios, professores rude donatos adhuc iisdem immunitatibus frui, *Klock. de aerario lib.* 2.
cap. 78. Palatini etiam militia missi manent 10
clarissimi, et his, qui postea eam dignitatem sunt nacti, aut provincias rexerunt, praeferuntur in ordine sedendi, per *l. ult. h. t.*
ubi poena additur sacrilegii violatoribus privi- 11
legii sustinenda.

TITULUS XXX.

De Privilegiis Scholarum.

SUMMARIA

Scholares quinam? num. 1.
Hi comitum scholarum domestici esse non poterant. 2.
Ratio. 3.
Cujusnam jurisdictioni subsint ejusmodi scholares, et qui potestatem eos verberandi habeat? 4.
Nullum privilegium ad licentiam peccandi trahendum est. 5.
Publica utilitas privatorum privilegiis praeponenda, et facilius privatis privilegia tollantur quam quae publico utilia. 6.
Casus, ubi quis in criminalibus et non in civilibus judex est. 7.
Dicta de judice quatenus in l. fin. *ad uxores et viduas scholarium extendantur?* 8.
Privilegia professorum ad viduas transeunt quamdiu tales permanent. 9.
Privilegia filiorum ad parentes interdum in casibus jure expressis ascendunt. 10.
Quosnam scholares tam in civilibus quam in criminalibus et quot dent fidejussores? 11.
Nemo qui membrum collegii, pro collega fidejubere tenetur. 12.
In criminalibus aliquis fidejussoribus committi potest. 13.
Alia hujus privilegii extensio, qui cum commeatu a loco scholae absunt. 14.
Scholares, si sine scriptis conveniuntur, ex consensu nullas solvant sportulas, si ex natura i. e. vilitate negocii, unum tantum solvunt solidum. 15.
In rebus vilibus judiciorum solemnitas negligi, et huic a partibus renunciari potest. 16.
Juramentum testi in civilibus potest remitti. 17.

1 Scholares sunt agentes in rebus, et palatini, qui
2 in undecim scholas divisi erant. Et hi domestici comitum scholarum esse non poterant, per *l.* 1.
3 procul dubio, ne in gratiam comitis quid fiat, quod publice noxium sit, adeo ut scrinium hoc non detegens, puniatur, et cui domesticatus est prohibitus nec in scholam illam, cui comes praeest, irrepere potest, ne quod una via prohibetur, alia via teneatur, per *d. l.* 1. Quamvis 4
autem hi scholares sint sub dispositione comitis illius scholae vel tribuni, hic tamen non habet potestatem verberandi, id est, fustigandi aut degradandi scholares istos; sed magister officiorum, per *d. l. 1. in pr.* cujus etiam jurisdictioni subsunt deposita militia in civilibus, exceptis causis tributorum et criminum publicorum. In provinciis subsunt praesidibus, ne, dum privilegium praetenditur, publica utilitas, quae pro tributis pugnat, labefactetur, aut crimina sint im-
punita, per *l. 2. h. t.* Unde colligunt; Nullum 5
privilegium trahendum esse ad licentiam peccandi, *Christin. dec.* 131. *num.* 7. Nam hoc esset abuti privilegio, quod prohibitum, *Georg. Acac. Enenck. Baro de priv. lib.* 2. *cap.* 6. *num.* 10. et semper habere hunc intellectum, ne publica laedatur utilitas, *Klock. de contrib. cap.* 15. *num.* 31. *Besold. cons.* 277. *num.* 26.
nam publica utilitas privatorum privilegiis prae- 6
ponenda, *Georg. Acac. Enenck. tract. de priv. lib.* 2. *cap.* 5. *num.* 74. et facilius tolli privilegia privatis quam quae publico utilia, *Enenck. d. tract. lib.* 3. *cap.* 6. *num.* 46. et notetur ca- 7
sus: ubi quis in criminalibus judex est, non
autem in civilibus. Hoc autem de judice exten- 8
ditur 1. in *l. fin.* ad uxores et viduas scholarium, quamdiu tales, et matres et liberos,
nulli alii scholae vel collegio addictos. Unde 9
probatur, privilegia professorum ad viduas transire, quamdiu tales manent, *Klock. de contrib. cap.* 15. *num.* 32. *et multis seqq. Georg. Enenck. de priv. cap.* 4. *num.* 76. *Christin. dec.* 131.
num. 12. *vol.* 5. et probatur etiam ex *hac lege:* 10
Privilegia filiorum interdum ascendere ad parentes, scilicet in casibus jure expressis, *hic et l. 12. supr. de prox. sacr. scrin.* et alios textus, quos allegat *Enenck. d. tract. lib.* 2. *cap.*
4. *num.* 141. Additur 2. quod in civilibus 11

dent fidejussorem tantum actuarium seu notarium suae scholae, in criminibus publicis vero 5. primates scholae suae volentes cum notario, aut si renuant, 5. alii extranei dentur cum
12 notario scholae. Unde colligitur: I. Neminem, qui sit membrum collegii, teneri pro collega
13 fidejubere, et II. In criminalibus aliquem fidejussoribus committi posse, de quo *lib.* 9. actum. Determinatur 3. quantitas sportularum
14 diversimode. 4. Hoc privilegium extenditur ad eos, qui cum commeatu a loco scholae absunt, tempore enim commeatus privilegiato absunt judici etiam in provinciis, excepta causa tribu-
15 torum et criminum publicorum. 5. Si sine scriptis conveniantur ex consensu nullas solvunt sportulas, si ex natura, id est, ex vilitate negotii, unum tantum solidum solvunt; unde notetur: In rebus vilibus posse negligi so- 16
lemnitatem judiciorum, et huic a partibus posse renunciari, scilicet si favorem partium respiciant, *Maranta p.* 2. *num.* 39. *Crav. de ant. temp. s.* 2. §. 1. *num.* 14. *et* 26. Sed cum solemnitates omnes favorem partium respiciant, ideo melius est, solemnitatibus a jure civili introductis, partes indistincte renunciare posse, *Vasq. lib.* 1. *de success. resol.* §. 9. *num.* 116. *Steph. Nathen. in tract. de vuln. just. p.* 2. *tit.* 2. *cap.* 8. *num.* 3. Sicut et juramentum te- 17
sti remitti potest in civilibus, *Gail. l.* 1. *obs.* 101. *num.* 3. *Tuschus concl.* 533. *Christin. d. dec.* 131. *num.* 13. *Myns. c.* 80. *num.* 6. *Mascard. lib.* 1. *q.* 5. *num.* 103. *Farinac. q.* 74. *num.* 83.

TITULUS XXXI.

De Castrensi omnium palatinorum peculio.

L. Omnes. un.

SUMMARIA

Quicquid palatini industria sua vel liberalitate Principis acquirunt, tanquam peculium castrense possident. num. 1.
Hinc patri horum ususfructus non acquiritur. 2.
Nec cum fratribus isthaec conferunt. 3.
Licite etiam extra militiam testantur. 4.
Non omnia, quae a militibus acquiruntur, sed ea, quae militiae contemplatione acquirunt, Castrensis sunt peculii. 5.

Palatini, id est, qui in palatio Principis mi- 1
litant, quaecunque industria sua, vel liberalitate Principis acquirunt, tanquam peculium castrense possident, *hic et l.* 2. *supr. de priv. eorum, qui in sacr. palat.* rationes hic habentur in textu, et ideo eorum usumfructum pa- 2
tri non acquirunt, §. 1. *Inst. per quas personas etc.* nec conferunt haec cum fratribus, *l.* 3
12. *et fin. C. de collat.* et in his habentur pro patribusfamilias, *l.* 2. *C. ad SC. Maced.* et licite 4
etiam extra militiam testantur, *l. pen. et fin. d. t. ad SC. Maced.* Collige: Non omnia, quae a 5
militibus acquiruntur, esse castrensis peculii, sed ea tantum, quae contemplatione militiae acquirunt.

TITULUS XXXII.

De equestri dignitate.

L. Equites. un.

SUMMARIUM

Equites quinam, et eorum dignitas?

Equites erant cives honoratiores, ex quibus judices et centumviri et Senatores eligebantur, de quibus pluribus agit *Tholos. lib.* 47. *cap.* 23. *et seqq.* et hi dignitatem habebant post clarissimos, id est, post Senatores, *l.* 10. *C. de nupt.*

TITULUS XXXIII.

De perfectissimatus dignitate.

L. Codicillis. un.

SUMMARIA

Dignitas perfectissimatus et ejus requisita. num. 1.
Simonia aliquem emendicata dignitate privat. 2.
Vendere et hastae subjicere quod virtuti debetur, res non minus periculosa, quam ignominiosa est. 3.
Procurare vile est, et cum nobilitate pugnat. 4.

1 Haec erat dignitas non omnium praesidum, sed quorundam, ut Arabiae, Dalmatiae, et primicerii scrinii largitionum, *l.* 7. *supr. de palat.* et forte aliorum etiam, quorum hic requisita traduntur: 1. ut non sint servilis conditionis: 2. nec Fisco aut curiae addicti: 3. nec membra alicujus collegii opificum: 4. nec negotiatores: 5. nec redemptores hujus dignitatis. Unde colligitur: Simoniam privare aliquem digni- 2
tate emendicata; et rem non minus periculo- 3
sam quam ignominiosam esse, vendere et hastae subjicere, quod virtuti debetur, *Perez. ad hunc tit. num.* 4. Conf. *Christin. dec.* 133. *vol.* 5. *Fagundez. de J. et J. lib.* 5. *cap.* 23. et alii. Conf. *not. ad legem un. supr. de ambit. et l. ult. C. ad L. Jul. repetund.* nec 6. alterius procurato-
res; Unde colligitur: Procurare esse vile, et 4
pugnare cum nobilitate. Vid. *Tiraq. de nobil. c.* 3. Sed sermo hic est de procuratore extrajudiciali et bonorum.

TITULUS XXXIV.

Qui militare possunt vel non possunt: Et de servis ad militiam vel dignitatem adspirantibus: Et ut nemo duplici militia, vel dignitate et militia simul utatur.

SUMMARIA

Trimembris rubrica. num. 1.
Jure alieno adstrictus ad militiam non recipi, multo minus compelli debet. 2.
Ratio. 3.
Nec curiales vel cohortales. 4.
Nec litis causa ad militiam aspirare licet. 5.
Restringitur. 6.
Nec evitandae accusationis causa ut Reipubl. causa abesset. 7.
Medium cognoscendi, quo fine quis militiam adspiret. 8.
Auctor juris probandi in milite. 9.
In fraudem munerum civilium nomen militiae dare non licet. 10.
Ratio. 11.
Servus ad militiam vel dignitatem non admittitur. 12.
Quid si de facto servus sit lectus, an domino restituatur? 13.
Quid juris circa servos jam ante hanc legem militantes? 14.
Ignorantia alieni facti praesumitur, donec scientia probatur. 15.
Limitatur. 16.
Praescriptio 30. dierum quandoque rei vindicationi opponi potest. 17.
Datur etiam praescriptio 4. mensium, qua socius, qui noluit expensas restituere dominium amittit. 18.
Sic semestris reperitur praescriptio. 19.
Dicta de servorum militia ad dignitatem servo ignorante vel sciente domino collatam extenduntur. 20.
Nemo duplici militia armata vel togata, nec dignitate et militia simul fruatur, sed duas in bello militias habens, quam velit deponere et alteram retinere eligat. 21.
Sic qui dignitatem habet togatam et simul locum in exercitu, alterum eligere debet. 22.
Poena. 23.
Duplex ratio regulae. 24.
Duplex ejusdem limitatio. 25.
Regulariter poena locum non habet, quando delictum effectum non sortitur. 26.
Limitatur. 27.
Rescripto super prohibitis impetrato impune non paretur, et impune etiam paretur. 28.

1 Rubrica est trimembris: De I. agitur in *l.* 1.
2 *et* 3. *seq.* Ad militiam non est recipiendus,
multo minus compellendus, juri alieno adstrictus, v. gr. Colonus, aut saltuensis, id est, sal-
3 tibus adscriptus, per *l.* 3. *h. t.* ut scilicet et
dominorum juri, et publicae utilitati, id est,
agriculturae consulatur, *l. colonos* 18. *supr. de*
agric. et cens. ideoque non momento temporis
abesse possunt, *l. colonos* 15. *supr. de agric.* nec 4
admitti debent curiales vel cohortales, id est,
perpetui apparitores praesidum, per *l.* 4. cum
et illi sint nexibus perpetuo addicti, *l.* 55. *supr.*
de decur. l. pen. supr. de princip. agent. in reb.
nec litis causa licet ad militiam adspirare, per 5
l. 1. id est, vitandae litis causa, vel ut poten- 6
tiorem se faciat, vel pretiosiorem adversario
suo, nam talis salva existimatione exauctorandus est, *l.* 4. §. 8. *ff. de re milit.* postulante
scilicet adversario, alias non per *hanc legem primam;* sic nec prodest absentia illi, qui evitandae 7
accusationis causa hoc agit, ut Reipubl. causa
abesset, *l.* 15. §. 2. *ff. ad L. Jul. de adult. l.* 5. *ff.*
ex quibus caus. maj. et ideo ut certo cognosceretur, quo fine quis militiam adspiret, debet se 8
offerre magistro militum, et ducibus, et probari a Principe, de quo *l.* 17. *infr. de re militari*, antequam in numeros referatur, *d. l.*
1. *h. t.* quamvis jus probandi ante Zenonem 9
duces habuisse videantur, quod tamen postea
ad Imperatorem restrictum, *d. l.* 17. *de re milit.* Vid. *Klock. de contr. cap.* 3. *n.* 267. *Bocer.*
de bello lib. 1. *cap.* 9. *num.* 5. *Buxtorff. cons.*
2. *annexo d. tract. Klockii p.* 11. *col.* 1. neque 10
in fraudem munerum civilium nomen militiae
dare licet, per *l.* 2. *h. t.* ne facto ipsius dete- 11
rior causa Reipublicae fiat, *l.* 4. §. *fin. ff. de*
muner. De II. membro, servis scilicet ad mili- 12
tiam vel dignitatem adspirantibus, agitur *l. pen.*
et ult. si enim curialis vel cohortalis non admittendus *l.* 4. multo minus servus; sed si de 13
facto lectus domino ignorantiam alleganti (quae
et praesumitur, donec contrarium probetur)
a Judice restituendus; sed si sciverit dominus,
amittit dominium, et jus patronatus; et servi
fiunt ingenui, ac in militia retinentur, si habiles sint. Respectu vero servorum jam ante 14
hanc legem militantium, statuitur domino ignoranti terminus 30 dierum ad servum revocandum. Colligunt ex hoc *DD.* Ignorantiam alieni 15
facti praesumi, donec scientia probetur, ut hanc
regulam ex *lege pen. seu* 6. *et l. verius* 21.
ff. de probat. probare solent *DD. Decianus*
vol. 3. *cons.* 43. *num.* 31. *et seqq. Klock. de*
contr. cap. 16. *sect.* 1. *num.* 207. *Masc. concl.*
880. et quos magno numero allegat *Barbosa*
locupl. lib. 9. *c.* 3. *axiom.* 11. *seq.* Potissimum 16
limitetur regula: si pro scientia specialis militet
praesumptio, ut vicinitatis, notorietatis, consanguinitatis etc. Notetur etiam praescriptio 30. 17
dierum, quae rei vindicationi potest opponi.
Sic reperitur praescriptio 4. mensium, qua so- 18
cius, qui noluit expensas restituere, amittit dominium, per *l. cum duobus* §. 2. §. *idem* 10.
ff. pro socio et l. 1. *C. de aedif. priv.* ubi no-

19 tata vide. Ita semestrem praescriptionem, per quam rei vindicatio excluditur, habuimus *supra in l. ult de censibus*, ac modum libertatem at-
20 que ingenuitatem recipiendi. Et haec quae de militia servorum dicta sunt, extenduntur in *l. ult.* ad dignitatem servo collatam, ignorante vel sciente domino, ubi fortius stringit ratio, ne servi sint qui Principis purpuram, forte cum dominis suis adorent, et sic verba, *ex quo eis fuerit notum*, non de scientia dignitatis, sed hujus constitutionis accipienda, ut in *l. praeced.*
21 De III. membro tituli loquitur *l.* 5. in qua proponitur regula: Ne quis duplici militia, armata vel togata, et ne quis dignitate et militia, simul fruatur, et si quis duas habeat militias in bello, vel in scriniis etc. ut eligat quam velit
22 deponere, alteram retineat; sic qui dignitatem habet togatam, et simul locum in exerci-
23 tu, alterum eligere debet; additur poena infligenda non impetranti tantum rescriptum subreptitium, sed et Judici suscipienti et officio
24 non inquirenti: Ratio duplex: 1. Cum quilibet uno officio vix sufficere possit, *l.* 10. *supr. de prox. sacr. scrin. c.* 3. *X. de Clericis non resid. Carpzov. lib.* 1. *respons.* 47. *num.* 10. Vid. notata ad *l. comperimus* 13. *C. de prox. sacr. scrin. Christin. decis.* 131. *num.* 25. *et seqq.* Et 2. ut ad dignitates pluribus pateat aditus. Sed additur 25
hic declaratio: 1. Quod qui habet duas militias, si una ex earum sit numero, quae venditionis titulo in alium conferri possunt, ut adjutorum quaestoris, *l. ult supr. de prox. sacr. scrin.* et silentiariorum, *l. ult. supr. de silent.* non teneatur illam gratis deponere, sed possit vendere. 2. Limitatio, nisi militiae illac antiquitus sociatae et conjunctae fuerint, quod exemplis hic declarat Imperator. Collige: I. Licet regulariter 26
poena non habeat locum, quando delictum non sortitur effectum, *l. fin. ff. quod quisque juris etc.* interdum tamen affectus etiam punitur ob fre- 27
quentiam delictorum, ut *hic et l.* 6. *pr. ff. de leg. Corn. de fals. Christin. dec.* 143. *num.* 32. II. Rescripto super prohibitis impetrato, impu- 28
ne etiam pareri.

TITULUS XXXV.

Negotiatores ne militent.

L. Eos. un.

SUMMARIA

Negotiatores et mercatores nec civilem nec armatam militiam habere possunt. num. 1.
Quid si hactenus utrumque gesserint? 2.
Duae in hac lege *exceptiones.* 3.
Militia et negotiatio separari debent. 4.
Male hoc observatur hodie. 5.
Querela Sidonii Apollinaris *hac in parte.* 6.
Studiosus negotiari non debet, et si de facto faciat, jurisdictioni judicis ordinarii in hoc facto subjacet. 7.
Multa quidem sunt prohibita, quae tamen facta firmitatem habent. 8.

1 Negotiatores et mercatores nec civilem nec armatam militiam habere possunt, *hic et l.* 6.
2 *supr. de dignitat.* sed si hactenus utrumque gesserunt, alterutro contenti esse debent, ne militia priventur. Exceptiones duae in *hac lege:* 3
1. Argentariorum; qui non quidem ad armatam militiam, sed civilem aspirare possunt, idque ob utilitatem publicam. 2. Negotiatores armorum, quibus non quidem ad quamcunque militiam civilem, sed fabricensium patet aditus, quia haec cum eorum negotiatione habet cognationem. Collige ergo: Militiam et negotiatio- 4
nem separari debere. Sed saepe haec, ut alia 5
multa, negliguntur: sicut *Sidonius Apollinaris* 6
suo tempore questus de statu Reip. inverso *lib.* 1. *epist.* 8. Vigilant, ait, fures, dormiunt potestates, foenerantur clerici, negotiatores militant, milites negotiantur, student pilae senes, aleae juvenes, *Perez. ad hunc tit. num.* 4. Argumento *hujus legis* etiam *Perez. hic num.* 7. dicit, stu- 7
diosum negotiari non debere, et si faciat de facto, subjacet in negotio illo jurisdictioni Judicis ordinarii. Colligunt etiam ex *hac l.* Obser- 8
vationem: Quod multa sint prohibita, quae tamen facta habent firmitatem, de qua re Vid. *Barb. locup. lib.* 16. *cap.* 3. *axiom.* 29.

TITULUS XXXVI.

De re militari.

SUMMARIA

De quonam in hoc titulo *agatur? num.* 1.
A quo milites olim lecti fuerint? 2.
Consuetudo per legem abrogari et prohiberi potest. 3.
Milites ab uno numero ad alium, vel una vexillatione ad aliam, ab una legatione ad aliam, ab uno exercitu ad alium sine consensu Principis transferri nequeunt. 4.
Ratio. 5.
Ejus consensus ad translationem requiritur, cujus consensus ad institutionem sive electionem. 6.
Militi familiam suam sine consensu Principis secum habere non licet. 7.
Quid veniat nomine familiae? 8.
Foemina mariti familiam sequitur. 9.
Mulier participat de privilegiis mariti. 10.
Militum officium, tam in committendo quam omittendo. 11.
Quid specialiter equites exercitu in ripa consistente observent? 12.
Veterum militum temperantia quoad potum. 13.

Cedentibus bonis vestimenta viliora relinquenda sunt. 14.
Ratio. 15.
Salarium militum in annona consistebat. 16.
An qui deserunt castra, vel transfugerunt ad hostes, et a Principe sunt restituti, medio tempore, quo apud hostes fuere, stipendia et donationes percipiant? 17.
Indulgentia vel restitutio tantum delicti poenam tollit. 18.
Bannitus restitutus ad commoda vel honores medii temporis non restituitur. 19.
Aliud in legatario, cui alimenta legata. 20.
Ratio. 21.
Intellectus legis primae h. t. *juxta mentem* Christinaei. 22.
Captivi milites salarium interim non percipiunt, nisi suis sumptibus vixerint, et sine omni culpa sua capti fuerint. 23.
Legatus civitatis sine sua culpa captus a civitate redimendus est. 24.
Juste ab officio suspensus interim stipendia et panes non percipit. 25.
Forum competens militum. 26
Quando hoc ipsum possint amittere? 27.
Quantitas sportularum in ducum judicio. 28.
Valent statuta, quibus si universitates citentur, duplicatae sportulae conceduntur. 29.
Sportulae ad responsum non officio ducum dantur. 30.
Licentia datur ducibus, arbitris causa delegare, vel principis numerorum, et ut totus numerus causam habens litiget per syndicum et sufficiat conveniri duos numeri illius primates. 31.
Milites apud duos judices nec eodem tempore, nec de eadem re simul conveniri, nec rationes dividi debent. 32.
In criminalibus etiam civitatis nomine procurator sive syndicus admittitur. 33.
Potestas superioris non minuitur, si passim locorum judicia inferiora constituantur. 34.
Praecipuum militum praemium quodnam? 35.
Missio militum vel honesta, vel causaria, vel ignominiosa. 36.
Ob causam missi infamiam nullam verentur. 37.
Hi ipsi denuo admittendi facile non sunt, et cur? 38.
Limitatio. 39.
Medicorum testimonio standum est, si diligens inquisitio et examinatio judicis facta. 40.
Quae cum magna solemnitate fiunt, revocanda facile non sunt. 41.
Qui semel beneficio indignus, postea illud impetrare nequit. 42.
Ignominiose missi an fiant infames? 43.
Ubique tamen locorum commorari possunt, praeterquam in eo loco, qui ipsis est prohibitus. 44.
Personae turpitudine notatae ad collegium honestum admittendae non sunt. 45.
Varia militum delicta. 46.
Si desertor militiae in desertione moriatur, an ejus bona confiscentur? 47.
Ratio dubitandi. 48.
Decidendi. 49.
Restringitur. 50.
Delictum militare vel paganicum sive commune admittentes infames non redduntur. 51.
Limitatur. 52.
Milites ignominiose missi et postea emeritis stipendiis honeste missi, delicti prius admissi nota non adsperguntur. 53.
De delictis militum eorumque privilegiis, remissive. 54.
Miles qui cum commeatum accepit (einen Pasz) *si intra statutum tempus non rediit, pro emansore habetur, nisi probet impedimentum.* 55.

De militum hic agitur electione, familia, officio, salario, praemiis, foro, missione delictis ac poenis. 1 Legebantur olim milites a magistro 2 militum et ducibus, *leg.* 1. *supr. qui militare, etc.* sed per *l.* 17. *h. t.* non sine sacra probatoria Principis, facta prius relatione magistri militum vel ducis. Unde colligitur: Consuetudinem per legem abrogari posse et prohiberi, 3 *Auth. navigia C. de furt. l.* 3. §. 5. *ff. de sepulch. violat.* Sic 4 nec ab uno numero ad alium, vel una vexillatione ad aliam, ab una legione ad aliam, ab uno exercitu ad alium, sine consensu Principis transferri possunt, per *l.* 14. quia honoris aug- 5 mentum non ambitione, sed labore quaerendum. Unde colligitur: Ejus consensum requiri 6 ad translationem, cujus consensus requiritur ad institutionem, sive electionem, *hic et c.* 1. *et seq. X. de translat.* Hinc miles de una legione in aliam sine consensu Imperatoris non potest transferri, *Christin. dec.* 136. *num.* 34. Sic nec militi licet familiam suam secum habe- 7 re sine consensu Principis, per *l.* 10. *h. t.* ubi quando Princeps consentit, explicatur quid 8 nomine familiae tunc veniat, scilicet uxor, liberi, et servi ex castrensi peculio comparati, non adscriptitii, quia hi fundo, non militiae serviunt, idem in proconsule, *l.* 4. §. 2. *ff. de off. procons.* in materia legatorum latior significatio familiae, *l. fin. C. de V. et R. S.* Colligitur autem ex *d. l.* 10. Foeminam sequi 9 familiam mariti, *Michael ab Auguierre in Apol. sua inter consilia Besoldi num.* 162. et mulie- 10 rem participare de privilegiis mariti, *Georg. Acac. Enenck. d. tract. lib.* 2. *cap.* 4. *num.* 46. Officium militum est, parere ducibus, ideo 1. 11 tribuni et milites a signis et stationibus suis sine licentia Principis non discedere, nec per agros oberrare debent, *l.* 11. *h. t.* Nec 2. sibi vacare, id est, negotia sua administrare debent, *l.* 3. *h. t.* cum a Republ. alantur, *leg.* 15. *h. t.* Nec 3. aliena negotia sine consensu Principis administrare, *dict. leg.* 13. ubi poena, et mandanti et mandatario imponitur; et ideo nec agris colendis, nec animalibus custodiendis, nec negotiationibus adhibendis, sub poena librae auri pro singulis militibus solvendae, *l.* 15. *h. t. et l.* 13. *C. locati*, nec civilia negotia ipsis mandanda, *l.* 16. *h. t.* Nec 4. sine consensu numeri sui et tribuni ad sacrum comitatum accedat, et si missus sit a numero vel tribuno, comitibus et magistris militum causas suae profectionis cito exponat et cum responso dimittatur; Vagantes autem a praesidibus detinendi, et res ad Principem referenda, per *d. l.* 13. In specie vero injungitur equitibus in *l.* 12. 12 quoties in ripa consistit exercitus, ne in conspectu aliorum se abluant, aut aliorum oculos nudati incestent, nec superiorem partem fluvii, sed inferiorem equis transmittant, quod partim honestati publicae datum, et ideo hoc contra eos, qui more bestiarum inverecunde se lavant,

notandum esse docet *Christin. dec.* 136. *num.* 30. partim salubritati militum, ne potus communis
13 alias polluatur. Ubi obiter notetur temperatia veterum militum, nam imperatores hi non vinum, non zythum, sed flumen commune po-
14 culum vocant. Probant etiam ex *hac lege* 12. cedentibus bonis vestimenta viliora relinquen-
15 da, ne publicos oculos nudati incestent, *Chri-*
16 *stin. d. l. num.* 31. *et seqq.* Salarium militum consistebat in annona, *t. t. infr. de erogat. mi-*
17 *lit. annonae.* Sed Quaeritur: *An qui deserunt castra, vel transfugerunt ad hostes, et a Principe sunt restituti, medio tempore, quo apud hostes fuere, stipendia et donativa percipiant?* Et Resp. in *l.* 1. *et* 5. *et l. pen. ff. h. tit.* quod non, cum poena potius quam praemio digni, nisi scilicet specialiter etiam iis hoc sit conces-
18 sum, *l.* 10. §. 1. *ff. h. t.* Unde colligitur: indulgentiam vel restitutionem per se tantum delicti poenam tollere, *l.* 7. *supr. de sent. pass.* nec
19 bannitum restitutum, ad commoda vel honores
20 medii temporis restitui. Sed aliud est in legatario, cui alimenta legata, *l.* 11. *ff. de alim.*
21 *leg.* quia miles contra ipsam militarem disciplinam deliquit, et contra Rempublicam, a qua
22 alimenta petit. Videtur tamen *Christin. dec.* 136. *num.* 4. *et seq. Legem primam* de capto milite intelligere, quod nec ille medii temporis salaria habere debeat, quam explicationem juvat vox *postliminii;* dici forte posset et ad captum et ad desertorem *hanc legem* 1. pertinere, et
23 sic notari posse: Captivos interim non percipere salarium, nisi scilicet suis sumptibus vixerint, et sine omni sua culpa capti fuerint. Et
24 omnino puto legatum civitatis captum, a civitate redimendum esse, si sine culpa sua captus, *Perez. ad hunc tit. num.* 29. *Christin. d. d.* 136.
25 *num.* 7. Ex *l.* 5. *h. t.* concludit *Christin. d. dec.* 136. *num.* 12. suspensum ab officio juste, in-
26 terim non percipere stipendia et panes. De foro competenti haec habentur, in *l. ult.* ut scilicet milites per orientem dispositi, conveniantur in civilibus vel criminalibus apud magistrum militum praesentalium, id est, qui in comitatu sunt Principis, vel apud ducem suum, ut citius res expediantur, quibus jungebatur ad responsum i. e. internuncius a magistro prae-
27 sentalium missus, §. 1. *d. l. ult.* Amittit vero miles hoc privilegium: Si 1. renunciaverit, ut patet ex *l. si quis supr. de pact.* Si 2. praeventus, et lis ante militiam coepta, *l. si quis postea ff. de judic.* Si 3. negotiatus est, nam tunc subest judici ejus negotiationis, *l. ult. C. de jurisdict. Benev. Stracha in tract. de mercatura p.* 3. *num.* 12. *Christin. vol.* 5. *dec.* 137. *num.* 8. *et seqq.* Idem est 4. si commune ac grande delictum commiserit, aut exercitum deseruerit. Vid. *l.* 3. *ff. h. t. et l. fin. ff. de accus. Perez. ad hunc tit. num.* 52. *Decianus lib.* 4. *pr. crim. c.* 7. *num.* 5. *Carpz. p.* 4. *const.* 9. *def. ult. Ant. Matth. ad lib.* 48. *tit.* 13. *cap.* 5. *num.* 12.
28 Definitur etiam quantitas sportularum in judi-
29 cio ducum, *d. l. ult.* §. 2. ex quo nota: Valere statuta, quibus si universitates citentur, duplicatae conceduntur sportulae, *Christin. d.*
30 *dec.* 137. *num.* 24. *et seqq.* Et sportulae dantur ad responsum non officio ducum, *d.* §. 3. In
31 §. 4. datur licentia ducibus, arbitris causas delegare, vel principiis numerorum, et ut totus numerus causam habens, litiget per syndicum, et sufficiat conveniri duos numeri illius primates, *d.* §. 3. milites etiam vocati provinciales aut curiales gravare non debent sumptibus, nisi ubi ultra 30. dies detinebantur. Nec milites 32
eodem tempore et de eadem re apud duos judices debent simul conveniri, nec actiones dividi. Colligitur ex §. 2. Etiam in criminalibus 33
admitti procuratorem sive syndicum nomine civitatis, *Menoch. lib.* 1. *A. Q. quaest.* 47. *num.* 14. *Christin. dec.* 137. *num.* 14. *et* 15. Et ex *fine* 34
legis: non minui potestatem superioris, si passim locorum constituantur judicia inferiora. Praemium militum praecipuum est quod post 35
20. annos in militia transactos veteranorum privilegia consequantur, et licet non dimittantur statim, ab omnibus tamen sordidis muneribus militiae excusentur, *l.* 2. *h. t.* ut a muneribus civilibus, *l. ult. supr. de his, qui non impletis stipend. sacram. soluti sunt.* Missio mi- 36
litum est vel honesta, vel causaria, vel ignominiosa, *d. tit. de his, qui non impl. stip. Auctor in l.* 13. *ff. de re milit. num.* 1. qui au- 37
tem ob causam missi sunt, nullam verentur infamiam, *l.* 8. *h. t.* quia nullum adest delictum. Non facile autem denuo, qui ob causam 38
missi, iterum admittendi et recipiendi, quia non sunt facile mittendi ob causam, nisi ubi causa 39
sontica valetudo medicorum testimonio desperata, *l.* 6. *h. t.* Unde colligunt: medicorum 40
testimonio standum esse, scilicet si diligens inquisitio et examinatio judicis facta sit, per tradita *Corset. singul.* 181. *Christin. d. dec.* 136. *num.* 17. Et quae cum magna solemnitate fiunt, 41
revocanda facile non esse; et qui semel bene- 42
ficio indignus, postea illud impetrare nequit, ut ex *d. l.* 6. colligit *Enenckel. in tract. de priv. lib.* 1. *c.* 6. *num.* 20. sed id ex nostra *lege* 6. firmiter non colligitur. Ignominiose missi red- 43
duntur infames, et honorum incapaces, mora- 44
ri tamen possunt ubivis locorum, praeterquam in eo loco, qui ipsis est prohibitus, v. gr. in castris, sacro comitatu vel urbe, per *l.* 3. Unde colligitur: Personas turpitudine notas ad 45
collegium honestum admittendas et recipiendas non esse, per allegata *Carpz. lib.* 6. *resp.* 100. *num.* 10. Delicta sunt varia, v. gr. si per agros 46
oberrent, *l.* 11. *h. t. et l.* 13. provinciales laedant, *l. ult.* §. 6. *h. t.* vel si hostibus praedandi facultatem dederint, aut praedam cum iis diviserint, qui vivi exurendi sunt, per *l.* 9. *h. t. etc.* si militiam deserant. Sed *si desertor in* 47
desertione moriatur, an ejus bona confiscabuntur? Videtur quod non, ob regulam in *l. de-* 48
functo 6. *ff. de publ. jud. Farinac. lib.* 1. *quaest.* 10. *num.* 36. *et seq.* nisi lex delicto poenam statuat ipso jure, ut per *Farinac. d. num.* 68. *et Peregr. de jur. Fisc. lib.* 5. *cap.* 1. *num.* 167. Sed Aff. *pr. l.* 4. *h. t.* ut ita 49
in desertione quoque confiscatio bonorum locum habeat, quod tamen, per *Novellam* 134. 50
restringendum videtur, nisi adsint descendentes vel ascendentes usque ad tertium gradum, *Ant. Matth. ad lib.* 48. *ff. tit.* 19. *cap.* 3. *num.* 4. Quando autem delictum aliquod militare vel 51
paganicum, sive commune admiserunt, non notantur infamia, nisi ignominiose missi sint, 52
ergo si postea emeritis stipendiis, honeste mit- 53
tantur, delicti prius admissi nota non adsperguntur, *l.* 7. *h. t.* quod in militibus speciale, et eorum privilegium, *Perez. ad hunc tit. num.* 33. Plura de delictis militum videantur apud 54
Tholos. in synt. l. 19. *tit.* 10. *Coll. Arg. de re*

milit. th. 15. *Perez. ad hunc tit.* et alii; de privilegiis militum etiam hic agit *Perez. et peculiari in tract. de privilegiis militum Georg.*
55 *Acac. Enenck. Baro.* Caeterum miles, qui commeatum accipit (*einen Pasz*) si intra statutum tempus non redit, pro emansore habetur, nisi probet impedimentum, *Auctor in l.* 14. *ff. de re milit. numm.* 1. 2.

TITULUS XXXVII.

De Castrensi peculio militum, et praefectianorum.

SUMMARIA

Quinam praeter milites peculium castrense habeant? num. 1.
Milites liberam habent hujus peculii administrationem. 2.
Militia patria potestate non liberat. 3.
Ampliatur regula num. 2. *tradita.* 4.
Clerici de quasi castrensi peculio recte testantur. 5.
Militi in peculio castrensi pater succedit, et quomodo? 6.
Jus novum hac in parte. 7.
Quaenam res sint in peculio castrensi? 8. 10. 18. 19.
Mobilium donatio inter parentem et liberos favore militiae sustinetur. 9.
In dubio miles in castrensis peculii causam pecuniam accipere praesumitur. 11.
Aliud in haereditate materna in militia filio delata. 12.
Quid si haereditas a fratre commilitone relicta? 13.
Ratio decidendi. 14.
Idem in haereditate uxoris. 15.
Ubi actus ad duo diversa trahi potest, magis intuemur quod prodest, quam quod obest. 16.
Actus dubius semper agenti utilior intelligitur. 17.
Magis intuemur id, quod prodest, quam quod obest. 18.
Pretium succedit loco rei. 19.
Praedia a Principe donata videntur castrensia. 20.

1 Peculium castrense non tantum habent milites, sed etiam scriniarii exceptores, et caeteri Praefecto Praetorio subjecti, per *l. fin. h. t. et l. un. supr. de castr. omnium palatinorum*
2 *peculio*, et hujus peculii liberam habent mili-
3 tes administrationem, nam licet militia a pa-
4 tria potestate non liberet, *l.* 3. *h. t.* peculium tamen castrense adeo illorum proprium est pleno jure, ut patri in ea nullum jus sit, *d. l.* 3. et pro lubitu hoc filius alienare potest, alia non, *l.* 2. *h. t.* et pro lubitu haec filius vindicat, *Enenck. de priv. par. et lib. priv.* 10. *num.* 11. et sic cum patre super hoc contrahere, *l.* 2. *ff. de contrah. empt.* et de his castrensibus filius potest testari, *in C. tit. qui testament.*
5 *facere etc.* ubi vide, et ad exemplum militum etiam clerici in quasi castrensi, *Gilken. in l. ult. C. qui testam. fac. num.* 4. *Dauth.* de
6 *testam. num.* 172. Pater autem filiofamilias militi decedenti in peculio castrensi succedit, non jure haereditario, sed peculii, per *l.* 5. *h. t. et l.* 1. *ff. h. t.* cujus effectus proponuntur, in *Collegio Argent. h. t. th.* 10. nam nulla opus erat patri aditione, haec bona statim transmittebantur, furiosus etiam retinebat, et non obligabatur pater creditoribus ultra vires peculii, *Hillig. in Donell. l.* 9. *num.* 2. Sed jure novo 7
pater ut haeres succedere videtur, per *Nov.* 115. *cap.* 4. *Christin. dec.* 138. *num.* 15. *v.*
5. Sed *quae sunt in peculio castrensi?* Resp. 8
in *l.* 1. *et* 4. mobilia, quae eunti in militiam a parentibus vel amicis donata, *l.* 11. *ff. h. t.* qualia ea etiam esse praesumuntur, quae patre concedente filius in castra tulit, *l.* 4. *princ. ff.*
h. t. Unde concluditur: 1. Mobilium donatio- 9
nem inter parentem et liberos favore militiae sustineri, de quo tamen vide notata a *Petr. Barb. ad l. quae dotis* 34. *ff. soluto matr. num.* 40. Et
2. quae in castris occasione militiae acquisita, 10
ad castrense peculium pertinere v. gr. haereditas commilitonis, *l.* 1. *h. t. l.* 19. *pr. ff. h. t.* de quo *Tholos.* 19. *syntagm. tit.* 14. *num.* 2. *Georg. Acac. Enenck. de priv. milit. lib.* 2. *priv.* 23. *num.* 22. *et de priv. parent. et lib. priv.* 10. *num.*
6. Et praesumitur in dubio miles in castrensis 11
peculii causam pecuniam accipere, *Men. l.* 3.
praes. 68. Aliud igitur in haereditate materna 12
in militia filio delata, *l.* 1. *h. t.* Sed *quid si* 13
haereditas a fratre commilitone relicta? Resp.
Affirm. in *l.* 4. ubi ratio, quod credendum sit, 14
communem peregrinationis laborem et obeundorum munerum consortium, affectioni fraternae nonnihil addidisse. Idem est in haereditate 15
uxoris, *l.* 13. *et* 16. *pr. ff. h. t.* Colligunt ex
l. 4. Ubi actus potest trahi ad duo diversa, 16
magis intuemur quod prodest, quam quod obest, *hic et l.* 3. §. 1. *ff. de jure Fisci.* Et actus 17
dubius semper debet intelligi, quatenus agenti est utilior, quia haec est naturalis intentio agentium, *Alex. cons.* 85. *num.* 2. *lib.* 6. *et Cravetta cons.* 14. *num.* 8. et quos allegat *A.*
Barb. locupl. lib. 14. *cap.* 29. *axiom.* 46. et magis 18
intuemur id, quod prodest, quam quod obest, *Christin. dec.* 138. *num.* 13. *vol.* 5. Demum 3. ad peculium castrense pertinent, quae per res peculii castrensis sunt acquisita, ut si praedium ex pecunia castrensi comparatum, *d. l.* 1. *h. t. et l.* 3. *ff. eod.* praedia donata non item, nec nomine filii empta, per *d. l.* 1. *h. t. et l.* 1. *C.*
fam. hercisc. Colligitur exinde: Pretium succe- 19
dere loco rei, quia est quid universale. Vid. *DD. in l. si et rem* 22. *ff. de pet. haered. Tiraq. de retr. lign.* 6. 32. *glos.* 1. *num.* 21. *Barbosa locuplet. lib.* 44. *cap.* 76. *axiom.* 6. Praedia a
Principe donata videntur castrensia. Vid. *Tuschus* 20
concl. 113. *lit. C. Christinaeus dec.* 138. *num.* 3.

TITULUS XXXVIII.

De erogatione militaris annonae.

SUMMARIA

Stipendium militibus quomodo olim distributum? num. 1.
Quid annonae nomine veniat? 2.
Praescriptionis et consuetudinis eadem est ratio. 3.
Disciplina militaris veterum. 4.
Quid porro praeter stipendium datum fuerit militibus? 5.
Novum annonae genus militibus excogitatum, qui tamen suis annonis contenti non debent expilare provincias, sed defendere. 6.
Praebitiones prandiorum et coenarum, quae domini a subditis exigunt, nisi profectio in utilitatem subditorum suscepta, contra jus commune est. 7.
Nec post novembrem vetus vinum, sed novum praebendum. 8.
Tutor post primum novembr. diem non vetus, sed novum vinum familiae praebere debet. 9.
Annonae loco interdum olim ob justas causas pretium certa et publica statuta quantitate dabatur. 10.
Adaeratio *hoc ipsum dicebatur.* 11.
Dicta de annona militibus adaeranda extenduntur etiam ad ministerianos militantes in scriniis et officiales. 12.
Annona a proximis provincialibus in castra limitanea convehenda. 13.
Portio militum veteranorum castrorum. 14.
In cujus manus annona consignata fuerit? 15.
Ejus juramentum. 16.
Quid si pecunia semper praesens non fuerit? 17.
Quid si lis inter actuarium et militem orta? 18.
A quo tempore stipendium vel pecunia militibus erogetur? 19.
Quid si dilata solutio? 20. 21.
Quid si miles in mora accipiendi? 22.
Specialis annonae praescriptionis species. 23.
Alimentarius non potest pecuniam pro speciebus petere aliud pro alio. 24.
Quid si quis annuum frumentum accipere distulerit, an et coram quo aestimatio sit petenda? 25.
Actuarii pittacia (Krieges - Rolle) *conficiunt juxta quae erogatio fieri debet.* 26.
De pittacio vel pictacio, remissive. 27.
Quid si actuarii sint in mora, nec intra 30. *dies proferant?* 28.
Qui officio publico constitutus aliquid negligit, unde damnum oriatur, illud resarcire debet. 29.
Poena officialium militum horum stipendia intercipientium. 30.
Erogationis gesta coram quot testibus et quomodo alias facienda? 31.
Quibusnam hae annonae erogandae? 32.
Duplex officium ex superiori permissu administrans, duplex etiam salarium habere debet. 33.
Tribunus non plures quam 30. *cum commeatu uno tempore dimittere potest, quibus annona conservanda et apud principia sequestranda.* 34.
Quid si milites e castris ad Ecclesiae vel loci alterius aut personae tuitionem mittantur, an etiam illi ex publico annonam percipiant? 35.
Expensae semper ab eo ferendae, in cujus commodum fiant. 36.
Quid si miles vel ministerianus ante solutam annonam moriatur, ea quae debebatur haeredibus est solvenda? 37.
Tribunorum reditus Stellatura dicebatur. 38.
Quid inde consecutum? 39.
Quando de pretio rei lis est, non ex hujus vel illius aestimatione, sed ex usu fori publici illud est dijudicandum. 40.

Solebat olim stipendium militibus per anno- 1
nam distribui per singulos dies, ita ut buccellatum panem sive bis coctum duobus diebus, panem alium tertio, uno die vinum, alio acetum, uno die lardum, biduo carnem vervecinam acciperent, expeditionis tempore, per *l.* 1. *h. t.*
Unde Colligitur: Quid nomine annona, veniat, 2
l. 9. *pr. ff. de tritico et vino leg.* Vid. *Calvinus in lexico* in voce *annonae et Gregorius in synt. lib.* 36. *tit.* 30. *num.* 1. et quos allegat *Christin. dec.* 139. *num.* 2. et quod vini appellatione non intelligatur acetum, *l.* 9. §. 2. *ff. de contrah. empt.*
Probare solent ex *hac lege prima:* Praescriptio- 3
nis et consuetudinis eamdem esse rationem, per allegata *Klockii de contrib. c.* 16. *sect.* 2. *num.* 6. Sed ea comparatio non est nimis extenda, ut vulgo fit, de quo alibi. Collige: E- 4
tiam disciplinam militarem veterum, nam duriter vivebant milites. Dabantur etiam militibus 5
paleae, id est, stramen et foenum, quibus loco lecti, vel potius equorum stramine utebantur: sed haec justis capitibus sive justa mensura militibus erant deferenda, verum non in castra, *l.* 8. *h. t.* sed ad vicesimum tantum lapidem a provincialibus convehebantur, unde milites in castra portabant, per *l.* 2. Excogita- 6
verant milites novum genus annonae, quod a coena coenaticum appellabant, quod inhibetur *l.* 3. nam milites suis annonis contenti, non debent expilare provincias, sed defendere. Colligunt ex *l.* 3. *DD.* Quod praebitiones prandio- 7
rum et coenarum, quae domini a subditis exigunt, nisi profectio in utilitatem subditorum suscepta, sit contra jus commune, *Klock. vol.* 1. *cons.* 10. *num.* 278. *et cons.* 21. *num.* 71. nec 8
post novembrem vetus vinum, sed novum praebendum, cum illius dispendiosa sit solutio, *l.* 10. *h. t. et l.* 3. *ff. de reb. cred.* Unde notant: Tu- 9
torem post primum novembr. diem non debere vetus vinum familiae praebere, sed novum, *Dec. in d. l.* 3. *num.* 2. *Lud. Rom. sing.* 380. *Christin. dec.* 140. *num.* 2. Interdum vero loco annonae 10
ob justas causas dabatur pretium, sed certa ac publica statuta quantitate, quae *adaeratio* dice- 11
batur, quam nec miles nec dux immutare poterant sub poena *l.* 13. *h. t.* Et idem quod 12
de annona militibus adaeranda dictum in *l.* 15. extenditur ad ministerianos militantes in scriniis et adminicula dignitatum, id est, officiales. Annona autem convehenda erat a proximis 13

14 provincialibus in castra limitanea. Sed milites
veteranorum castrorum, duas partes sumebant
ex publicis horreis, tertiam partem sibi con-
15 vehebant, per *l.* 4. Consignabatur autem an-
nona in manus susceptoris vel erogatoris, qui
erat ex officio magistri militum, cui tamen
nullum debet esse cum provincialibus commer-
cium, *l.* 11. *h. t. et l. 7. supr. de exact. trib.*
16 cujus juramentum describitur in *l.* 6. *pr.* quod
scilicet sine fraude distribuere velit singulis.
17 Sed quoniam pecunia praesens semper non e-
rat, ideo actuarii solebant praerogare de suo
annonam et quasi mutuo dare, convento aliquo
lucro vel interesse, ideo in *d. l.* 16. *pr.* hoc
permittitur, sed ita ut non plus quam in sin-
gulos solidos tremissem, id est, tertiam solidi
partem loco interesse pacisci liceret, et quidem
non in annos, sed in totum dilatae solutionis
18 tempus; si autem lis super hoc pacto inter
actuarium et militem oriatur, annona vel sti-
pendium militi quidem dandum, sed lis sum-
marie propositis sanctis Evangeliis apud prin-
19 cipia militum decidenda, *d. l.* 16. §. 1. Eroganda
annona vel stipendium est militibus statim, et
solutio ultra 4. menses pro distantia locorum
20 differenda non est, alias erogator damnum,
quod ex mora milites patiuntur, de suo resti-
tueret, et publicabuntur bona ejus, ac dignitate
21 militari privabitur, *d. l.* 16. §. 6. Et quoniam
ex dilati solutione stipendii magnae saepe cla-
des oriuntur, ideo poena non tantum officio
conniventi indicitur, sed etiam militibus singu-
lis ac universis permittitur, per se vel per duos
delegatos querelam ad Imperatorem deferre,
22 *d. l.* 16 §. 7. quod si autem miles esset in mo-
ra accipiendi, ita ut intra annum accipere ne-
glexerit, postea annona Fisco accrescit, per *l.* 6.
23 ubi notetur specialis praescriptionis species;
nec eorum, quae miles aliquis poterat petere
tempore fertilitatis, pretium poterat petere
24 tempore caritatis, per *l.* 7. *h. t.* Ex qua *lege
septima* probatur: Alimentarium non posse pe-
cuniam pro speciebus petere aliud pro alio,
Colerus de alim. lib. 2. *cap.* 2. *num.* 59. *Jo.
Petr. Surd. de alim. tit.* 4. *q.* 7. *num.* 1. *et seq.*
25 et Conf. *not. ad tit.* 47. *Cod. lib.* 1. Probatur
etiam ex *hac lege:* Inter privatos decidendam
esse litem, si quis annuum frumentum distule-
rit accipere, et posse exorta caritate aestima-
tionem petere, licet aliud si in mora sit debi-
tor, *Perez. ad h. t. num.* 5. Sed si omnino pre-
tium loco annonae solvendum, annona a prae-
fecto praetorio taxanda, *l.* 15. *h. t.* Si quis autem
postea annonam indebitam aut annonae genus
aliud petierit, hoc impune non faciet, per *l.* 13.
h. t ubi poena. Annonarum etiam distributio-
ni aderant actuarii, et opinatores, per quos ero-
gationis brevia erant facienda, quae ante no-
vae indictionis principium ad sacra scrinia mit-
tebantur; si quid amplius acceperint, in duplum
26 ab actuariis restituendum per *l.* 9. *h. t.* Actua-
rii etiam pittacia i. e. brevia conficiebant sorte
(*Krieges-Rolle*) ut juxta ea erogatio fieret: De
27 Pittacio vel Pictatio vid *Menoch. rem.* 15. *re-
cup. poss. num.* 450. *et seq. Calvinus in lexico*
28 *et Christin. dec.* 439. *num.* 13. Si actuarii autem
sint in mora, nec intra 30. dies proferant, lu-
cri sui forte causa, indemnitatem tam Fisco
quam militi praestare tenentur juxta *l.* 5. Un-
de Colligitur; Eum, qui in officio publico 29
constitutus aliquid negligat, unde damnum o-
riatur, illud resarcire debere, *Menoch. lib.* 2.
A. Q. cas. 55. *num.* 8. Quantam poenam autem 30
merebuntur officiales militum, si militum sti-
pendia intercipiant, si alios non milites ad nu-
merum explendum surrogent, numeros men-
tiantur, etc. Grande hoc scelus. Vid. *Perez. ad
hunc tit. num.* 14. Erogationis etiam gesta fa- 31
cienda testato, i. e. testantibus 10. primatibus
principiorum, et capite scholae jurato depo-
nentibus, de manu in manum factam fuisse e-
rogationem, quae gesta intra tres menses ad
scrinium deferenda per *d. l.* 16. §. 5. Erogan- 32
dae autem hae annonae non militibus tantum,
sed et ministerianis, *d. l.* 15. et scholaribus, *l.* 14.
qui propterea et salarium, ut scholares anno-
nas militares habebant. Unde colligunt hic 33
Jo. de Platea et Gail. lib. 1. *obs.* 44. *num.* 8.
quando quis ex permissione superioris duplex
officium administrat, quod etiam duplex debeat
habere salarium, et quoties jura duorum in
unius personam concurrunt, observatur id in
persona unius quod in duabus, *Gail. d. l.* 1.
etiam absentibus cum commeatu. Sed salutari-
ter statum in *l.* 16. §. *super his* 2. *et seqq.* ut 34
tribunus non plures quam 30. cum commeatu
dimittere uno tempore possit, quibus conser-
vanda annona, et apud principia sequestranda;
qui ultra numerum sunt, illorum indemnitati
consulet tribunus. Sed quid si milites e castris 35
ad Ecclesiae vel loci alterius aut personae tui-
tionem mittantur, Quaeritur: *An etiam illi an-
nonam percipere debeant ex publico?* Equidem
tribunus sine speciali consensu Principis salvam
guardiam vivam, ut vocant, dare non potest,
juxta *l. ult. Ant. Matth. ad l.* 48. *ff. tit.* 14.
cap. 2. *num.* 11. etsi dederit consentiente Prin-
cipe, annona et paleae ab Ecclesia illa vel lo-
co vel persona, quae defenditur, solvendae,
quamvis quae antea in loco militibus debeban-
tur, illis salva maneant, *d. l. ult. h. t.* quod si
hoc persona illa recuset, miles redeat ad suum
locum. Unde colligunt: Expensas ab eo semper 36
ferendas, in cujus commodum fiunt, *Perez. ad
h. t. num.* 20. Quod si autem miles vel mini- 37
sterianus ante solutam annonam moriatur, ea
scilicet quae debebatur solvenda est haeredibus,
l. 4. *h. t. et d. l.* 16. §. *ult.* quod autem totius
anni non solvatur annona, ratio est: quia in
annos militi non solvitur stipendium. Demum, 38
tribuni peculiarem habebant reditum, quem
Stellaturam dicebant, qua consequebantur cer- 39
tis 7. diebus restantium annonarum pretia, sed
prout in foro publice solebant vendi juxta *l.* 12.
Unde colligitur: Quando de pretio rei lis est, 40
non id ex hujus vel illius aestimatione, sed ex
usu fori publici, esse dijudicandum, *Mascardus
concl.* 659. *num.* 1. *Christin. d. dec.* 140. *num.*
10. *Card. Tuschus concl.* 1. *num.* 51. *lit. V.* De
Stellatura autem quid fuerit, Vid. *P. Gregor.
lib.* 36. *cap.* 30. *num.* 16. *et hic Perez. num.*
17. et alii.

TITULUS XXXIX.

De excoctione, et translatione militarium annonarum.

L. Opinatores. 1. et L. In excoctione. 2.

SUMMARIA

Provincialibus non solum transferendae annonae militaris onus, sed etiam excoquendi panis buccellati incumbit. num. 1.
Nemo ab his duobus oneribus se excusare potest. 2.
Quid si non dominus ipse praedii, sed ejus procurator se contumacem praebeat? 3.
An et quatenus domino contumacia procuratoris noceat? 4.
Quando procuratoris negligentia nocet domino, in omnem eventum domino ignoranti datur restitutio. 5.
Ab excoctionis onere quaenam loca eximantur? 6.
Familia non est, ubi unicus vel duo tantum servi sunt. 7.
Secus in interdicto de vi et vi armata. 8.
Consuetudo ab omnibus oneribus, etiam bellorum occasione impositis, liberationem inducere potest. 9.

1 Provincialibus incumbebat onus non tantum transferendae annonae militaris, juxta *l.* 2. *et* 4. *tit. praeced.* sed etiam ex frumento exco-
2 quendi panis buccellati, et ab his duobus oneribus nemo excusabatur, ne quidem ipsius Principis praedia patrimonialia, *l.* 2. *h. t.* vel Ecclesiae praedium, *l.* 21. *infr. de cursu publ.* Sed *quid si non dominus praedii ipse, sed ejus* 3
procurator contumacem se praebat? Resp. procuratorem ipsum puniendum esse, et si dominus contumaciae sit conscius, dominus in quadruplum puniendus. Unde colligunt: Quamvis 4
contumacia procuratoris domino non noceat, in his quae sunt magni praejudicii, ut indictione mulctae, *l. un.* §. 2. *ff. si quis jus dic. non obtemp.* de quo vid. *Gail. lib.* 1. *obs.* 89. *num.* 64. *Camill. Borell. tom.* 1. *decis. tit.* 66. *num.* 383. *et seqq. Menoch. cons.* 1. *num.* 356. haec tamen limitari nisi dominus sciens contumaciam sui procuratoris non statim purgaverit, per *c.* 1. *X. ut lite non contest. in fin. et hac l.* 2. Negligentia vero procuratoris, quando nocet 5
domino, tamen in omnem eventum domino ignoranti datur restitutio, de eo Vid. *Gail. lib.* 1. *obs.* 45. *Hartm. Pist. p.* 1. *qu.* 36. *Carpz. p.* 1. *const. defin.* 22. *et seq. Sfortia Oddus in tract. de rest. q.* 13. *num.* 47. *et seq.* Sed ab 6
onere excoctionis eximuntur ea loca, ubi integra non est familia, quae excoquere buccellatum possit, per *l.* 1. *h. t.* familia autem non 7
est, ubi unicus vel duo tantum servi sunt, *l.* 4. §. *fin. ff.* de *V. S.* Confer. *l.* 195. §. 2. *ff.* de *V. S.* licet in interdicto de *vi et vi armata* secus, 8
l. 1. §. 17. *ff. de vi et vi arm.* Colligitur ex *leg.* 1. Quod consuetudo possit inducere liberationem 9
ab omnibus oneribus etiam occasione bellorum impositis: consentit *Rec. Imp. de anno* 1542. §. (*wiewohl in dem jungsten*, ibi: *alten Gebrauch nach, etc.*) *Klock. de contrib. cap.* 16. *num.* 4. *Natta cons.* 431. *num.* 1. *Tiraq. de nobilit. cap.* 20. *num.* 168. *Georg. Mundius de muner. et honor. c.* 6. *num.* 78. *Christin. dec.* 141. *num.* 4.

TITULUS XL.

De militari veste.

SUMMARIA

Militibus certae vestes assignabantur, et dabantur certo tempore. num. 1.
Ratio. 2.
Relictum annuum respectu certae necessitatis, eo tempore, quo est necessitas, debetur. 3.
Extenditur haec lex *etiam ad famulos, quibus certae vestes hyemales et aestivae promissae.* 4.
Honoratioribus pretium ad comparandas vestes dabatur, sed tyronibus et gregariis ipsae vestes, et cur? 5.
Terga boum interdum pro veste tradita. 6.
Quanta summa pro chlamyde, i. e. pallio militari strictiori data fuerit? 7.
Promissio intelligenda est secundum conditionem personae, cui promittitur. 8.
Canon vestiarius quomodo pro diversitate populorum et agrorum illatus? 9.
Collatio auri sacris largitionibus inferebatur, et 5. *partes militibus honoratioribus dabantur, ex* 6. *autem vestes tyronibus comparabantur.* 10.
Hospitatio etiam pro albergaria sumitur (aus Spareatzung.) 11.

Sicut militibus certae annonae, ita etiam ve- 1
stes assignabantur et dabantur, *hic et l. pen. supr. de suscept.* scilicet a calendis septembr. usque ad calendas april. per *l.* 1. quia eo tempore in- 2
digent vestimentis, ubi consuetudo in contrarium introducta aboleri jubetur. Unde colli- 3
gunt: Relictum annuum respectu certae necessitatis, deberi eo tempore, quo est necessitas,

l. 12. §. 5. *ff. quando dies legat. Lud. Romanus*
4 *sing.* 601. Et *lex haec* 1. notanda propter eos, qui famulis vestes hyemales et aestivas promiserunt, ut sciatur, quo tempore eae praestandae, *Corset. sing.* 392. *Christin. dec.* 142.
5 *num.* 3. et honoratioribus quidem dabatur pretium, ut inde compararent vestes, sed tyronibus et gregariis, quibus aurum credendum non est, ipsae vestes dabantur ex pecunia ad vestes a provincialibus collata comparatae, et a gynaeciariis sartae, quae cujuscunque militis de-
6 siderio conveniunt, *l. fin. h. t.* interdum etiam tradita terga boum pro veste, *Tac. lib.* 4. *Annal.*
7 quibus autem pro veste aurum dabatur, iis pro chlamyde, id est, pallio militari breviori ac strictiori dabatur non tremissis, id est, tertia pars solidi, sed solidus, per *l.* 3. *h. t.* Unde
8 colligunt: Quod promissio intelligenda sit secundum conditionem personae, cui promittitur, *arg. l.* 69. §. 4. *ff. de jure dot. l.* 12. §. 4. *ff. de usu et habitat. Ant. Corset. sing.* 55.
Christin. d. dec. 142. *num.* 8. Canon autem hic 9
vestiarius ita inferebatur, ut Thraces pro 20. jugeribus vestem, et pro 20. personis aliam solvant; ut Scythae et Mysi Asiae minoris populi ad Hellespontum et caeteri in Asia populi pro 30. jugeribus agri vestem, et pro 30. personis aliam solverent, sed eorum, qui in Oriente sunt, populorum canon pecunia aestimaretur, et aurum pro vestibus solverent, forte ob locorum ab exercitu Europaeo distantiam, exceptis Isauris ac Ostroenis Asiae populis, *l.* 3.
h. t. Collatio autem auri, sacris largitionibus 10
inferebatur, et 5. partes militibus honoratioribus dabantur, ex 6. autem vestes comparabantur tyronibus suppeditandae, *l.* 5. *h. t.* hospi- 11
tatio etiam pro albergaria sumitur *(aus Sparealzung.)* Vide *Wehnerum* voc. *(Atzung.) Klock. vol.* 1. *cons.* 10. *num.* 265. *et seqq. et cons.* 21. *in princ.*

TITULUS XLI.

De metatis et epidemeticis.

SUMMARIA

Inter militum alimenta hospitatio refertur. num. 1.
Quid sit hospitatio? 2.
Epidemetica quid sint? 3.
An haec sint prohibita? 4.
Qui militi hospitium praebet, ab aliis hospitationibus et discussionibus liber est. 5.
Qui suas aedes habet alienis in aedibus, hospitium petere ob militiam non debet. 6.
Sumptus metatorum nomine factos conductor, qui tempore pacis contraxit, locatori imputare potest. 7.
In domus foribus haec hospitia a metatoribus assignabantur. 8.
Poena ejus, qui deleverit. 9.
Metator inscriptionem semel factam corrigere nequit. 10.
In militum hospitatione moderatio adhibenda, et quaenam? 11.
Jus hospitandi militis gratuitum est de reservatis Principis. 12.
Quid si militibus in sua parte stabulum defuerit? 13.
Legi 2. *derogatur per* Nov. 130. c. 9. *num.* 14.
Hospitatio apud Romanos nuda erat, et militibus nihil praebebatur, quod ad pastum hominum vel animalium pertinent. 15.
Poena militum ab hospite quid postulantium, et hospitum quid illis praebentium. 16. 18.
Ratio. 17.
Quaenam aedes ab hospitatione sint immunes? 19. 21. 23. 25. 26. 27. 29.
Major magistratus minori ordinario superveniens hujus jurisdictionem non minuit nec se in minoris jurisdictionem intromittit. 20.
Praesentia Principis si necessitas concurrit, exemptioni hospitationis derogat. 22.
Rustici propria auctoritate sine poena se ulcisci vel accedentem militem repellere possunt. 24.
Exemplum quo privilegium non tantum ad parentes, sed et collaterales transit. 28.
In privilegiis minus favendum haeredibus quam defunctis. 30.
Illud Klockii: *exemptum neminem esse ex generali privilegio, sed speciali opus esse, indistincte non subsistit.* 31.
An qui ipse excusatus est, si miles sit, in aliorum aedibus hospitationem postulare possit? 32.
Ratio decidendi. 33.
Militibus ex bello redeuntibus vel in bellum euntibus non semper hospitia in domibus privatorum constituenda sunt, sed in turribus murorum juxta solum, non autem in superioribus contignationibus. 34.

Inter alimenta militum refertur etiam hospita- 1
tio, quae est onus reale, per *l.* 3. §. 14. *et l.* 2
fin. §. *pen. ff. de muneribus. Caspar. Klock. cap.* 17. *num.* 206. recipiendi milites in domibus, quia sine his commode quis vivere nequit, *arg. l. verbo victus* 43. *ff. de V. S.* Epidemetica autem 3
sunt pretia, quibus se redimunt provinciales ab onere suscipiendorum hospitum, *l.* 9. *pr. h. t. Christin. dec.* 143. *num.* 14. Quod non esse sim- 4
pliciter prohibitum putat *Perez. ad hunc tit. num.* 8. quod intelligo, si citra aliorum praejudicium fiat: Quamvis aliter alii sentiant: Sed 5
qui hospitium praebet militi, ab aliis hospitationibus et discussionibus liber est, *l.* 9. *h. t.* et qui suas habet aedes, alienis in aedibus ho- 6
spitium petere ob militiam non debet, per *d. l.* Unde colligunt: Sumptus metatorum nomine 7
factos, conductorem, qui tempore pacis contraxit, locatori imputare posse. Vid. *Carpz. p.* 2. *cap.* 37. *def.* 15. Haec hospitia assignabantur 8
a mensoribus vel metatoribus in domus foribus, quod si quis delevisset, poena falsi tene- 9
batur, *l.* 1. *h. t.* Unde colligunt hic; Metatorem 10
inscriptionem semel factam corrigere non posse, *Christinaeus dec.* 143. *num.* 9. In hospita- 11
tione autem militum haec moderatio adhibenda, ut domus in tres partes distribuatur, et prima, quam elegerit, domino aedium relinquatur, nam aequum est, ut ipsi, qui emit, vel haereditario jure accepit, aut suis sumptibus extruxit, primum serviant aedes. 2. Quam

postea elegerit miles ipse, et domiuo tertia ser-
viat, illustris vero miles mediam domus partem
possideat, per *l.* 2. *h. tit. Matth. Afflict. in c.* 1.
verb. *et extraordinaria. num.* 10. *quae sint re-
galia, Rol. a Valle cons.* 66. *num.* 1. *vol.* 1.
Petr. Greg. lib. 19. *synt. c.* 8. *num.* 4. et hos
referens *Thomas Merckelbach. inter consilia
Klock. vol.* 1. *cons.* 21. *num.* 12. *et ipse Klock.*
12 *de Aerario lib.* 2. *cap.* 91. *num.* 10. Colligunt
etiam ex *hac lege:* Jus hospitandi militis gra-
tuitum esse de reservatis Principis, *Natta cons.*
83. *num.* 1. *et* 2. *Knichen. de subl. territ. jure
cap.* 422. et quos allegat *Merckelbach. d. cons.*
13 21. *num.* 16. *et seq.* Quaeritur autem: *quid si
militibus in sua parte domus stabulum defuerit?*
Resp. Eum defectum supplendum ex ergaste-
riis, seu officinis, ac laboratoriis vicinis vel ta-
bernis iis quae mercimoniis deputatae, quae
14 alias immunes sunt, *l.* 2. *h. t.* Videtur autem
huic legi quodammodo derogatum in *Nov.* 130.
cap. 9. ubi dicitur, militem occupare non de-
bere principales aedium partes, *Rittersh. in Nov.*
15 *pag.* 14. *cap. ult. num.* 11. Hospitatio autem apud
Romanos nuda erat, et militibus nihil praebe-
batur, quod ad pastum hominum vel animalium
16 pertineat, et minatur Imperator poenam 10.
libr. auri, et militibus, qui aliquid ab hospite
postulaverint, et hospitibus ipsis, ob exemplum
et sequelam, qui aliquid praebuerint, *l.* 5. *h.*
17 *tit.* ratio *in l.* 3. *supr. de erogat. milit. ann.
Klock. de contrib. cap.* 17. *num.* 268. *et seq.
Rol. a Valle cons.* 66. *num.* 1. *v.* 1. *Natta
cons.* 83. *num.* 6. et quos refert *Merckelbach.
d. cons.* 21. *num.* 2. *et seq.* multo minus balnea
voluptatis causa postulanda sunt, minime om-
18 nium, quae sunt turpia, per *l.* 6. *h. t.* Hodie
penes duces est jus metatorum et indicendi
tributi et contributionis, *Mevius p.* 2. *dec.* 24.
19 *num.* 3. Immunia sunt ab hospitatione 1. Prae-
toria Praesidum, si praesentes sint, vel alii
Magistratus majores aut duces militares super-
20 veniant, *l.* 3. *h. tit.* Unde Colligunt cum *Bart.
hic:* Majorem Magistratum minori ordinario
supervenientem non minuere hujus jurisdictio-
nem, nec se in minoris jurisdictionem intro-
21 mittere, *l.* 4. *supr. de Palatinis:* - 2. Fabricae
publicae armorum et domus fabricensium, *l.*
4. *h. tit.* absente scilicet Principe. Unde Colli-
22 gitur: Praesentiam Principis, si necessitas con-
currat, derogare exemptioni hospitationis: - 3.
23 Immunia sunt praedia rustica, ubi non com-
morandi, sed cito transeundi jus militibus com-
petit, *l.* 5. *h. tit.* adeo ut in *d. l.* 5. licentia
fiat quibuscunque possessoribus, ut mensorem
praeparandi hospitii causa accedentem, possint
propria auctoritate repellere, quamvis nocte
una commorandi facultas data videatur; facilius
etiam urbium ambitu contineri et eorundem
insolentia coerceri potest, quam si dispersi in
pagis hospitentur, *Perez. ad hunc tit. num.* 4.
Sic itaque speciale est in *d. l.* 5. quod quis 24
auctoritate propria sine poena se ulcisci vel ac-
cedentem repellere possit favore agriculturae,
Finckelthaus. obs. 73. *num.* 48: - 4. Domus ar- 25
chiatrorum ac literarum professorum, per *l.* 8.
h. t. l. ult. supr. de prof. et medic. ne scilicet
in suorum studiorum exercitio turbentur, et
quia onus hoc personalem quandam infert ve-
xationem, quae recipientis verecundiam pulsa-
re ac laedere videtur, *Klock. de contrib. cap.* 17.
num. 239: - 5. Domus illustrium: qui re ipsa illu- 26
strem dignitatem gesserunt, non honorarii il-
lustres, aut vacantes, licet spectabilem gesse-
rint dignitatem, per *l.* 9. *h. tit.* In specie vero 27
consulari et patricia dignitate praefulgentes, tres
domos proprias, dum vivebant, habebant ab ho-
spitationis onere securas; haeredes vero ejus si
filii, pater aut mater, nepotes, aut frater, aut
soror, aut uxor, duas domos ab hospite liberas
possidebant, qui vero alterutra tantum digni-
tate fulgebant, duas semisses, id est, medias
domos, haeredes vero unam mediam domum
immunem possidebant, per *l.* 10. *h. tit.* Unde 28
probatur: Exemplum, quo privilegium non
tantum ad parentes, sed et collaterales transit,
Georg. Acac. Enenck. de privil. lib. 2. *c.* 4. *num.*
141: - 7. Primicerii vero notariorum singu- 29
li, singulas domos liberas habebant, et eorum
haeredes mediam, per *d. l.* 10. quod in *l. fin.*
ad decem primos post primicerium exten-
ditur; et ex eo quod de haeredibus in *d. l.* 10.
dicitur, Colligunt: In privilegiis, minus faven- 30
dum haeredibus, quam defunctis, et non sub-
sistere indistincte id, quod habet *Klock. d.* 31
cap. 17. *num.* 207. exemptum neminem esse ex
generali privilegio, sed speciali opus esse. Quae-
ritur vero: *An qui ipse excusatus est, si miles* 32
*sit, in aliorum aedibus hospitationem postulare
possit?* Quod neg. in *l.* 9. vers. *deinde*, quia 33
invidiosum esset, se eximere, alios contra one-
rare. Sed militibus ex bello redeuntibus, vel 34
in bellum euntibus, non semper hospitia in do-
mibus privatorum constituenda sunt, sed in
turribus murorum juxta solum, non autem in
superioribus contignationibus, forsan metu pro-
ditionis, sed in pede planis, *l.* 7. *h. t.*

TITULUS XLIII.

De salgamo hospitibus non praestando.

L. Ne quis. un.

SUMMARIA

Salgama quales fructus? num. 1.
Qui petere et accipere est prohibitus etiam a sponte dante, praesertim ubi concussio metuitur, accipere non debet. 2.
Casus exceptus. 3.
An damnum per transitum ac hospitationem militum datum a reliquis statibus provincialibus resarciri debeat? 4.
Recessus Imperii. 5.

Salgama erant conditi fructus et herbae, cujus 1
nominis obtentu tribuni aut milites culcitras,

ligna, oleum poscebant, quae Imperator hic
etiam a sponte dantibus hospitibus accipere vetat, *l. un. h. t. Rol. a Valle d. cons.* 66. *num.*
9. *et seq. vol.* 1. *Klock. de contrib. cap.* 17.
num. 208. *Merckelbach. d. cons.* 2. *num.* 1. *et*
2 *seq. Menoch. cons.* 1197. *num.* 8. Unde Colligunt
DD. Eum qui prohibitus est petere et accipere,
etiam a sponte dante non debere accipere, praesertim ubi concussio metuitur, *hic et l.* 5. *in*
fin. tit. praeced. l. fin. §. 2. *supr. de re milit. l. fin. supr. ne rustic. ad ullum obseq.*
l. un. supr. ne operae a collat. l. un. §. 2.
3 *supr. de rapt. virg.* Sed excipitur casus, ubi
quis a cognatis accipit, ubi potius ex affectione
quam concussionis metu datum praesumendum
est, *argum. l.* 1. *ff. ad L. Jul. repet. Christin.*
vol. 5. *dec.* 111. *num.* 15. Sed quia multi mili- 4
tes *hanc legem* non curant, sed et alimentis
non contenti aliena rapiunt, Quaeri solet: *An*
non damnum per transitum ac hospitationem
militum datum, a reliquis statibus provincialibus
resarciri debeat? Quod ex natura societatis et
argum. legis Rhodiae affirmandum duco cum
Perez. ad hunc tit. in fin. Gail. lib. 2 *observ.*
22. *num.* 5. *Mastrill. dec s.* 161. *et Klock. de*
contrib. cap. 17. *num.* 260. *et seqq.* facit *Rec.* 5
Imp. de anno 1555. §. *Und demnach solcher*
Erkundigung. et R. J. de anno 1566. §. *So halten*
wir. nicht unziemlich. etc. Conf. *Myns. c.* 3.
observ. 31. *et Gail. lib.* 1. *obs.* 21. *num.* 18.

TITULUS XLIII.

De commeatu.

SUMMARIA

Commeatus quid sit, et quibusnam datus? num. 1.
Quando armatis, et quibusnam datus, et qua conditione? 2.
Quando non credatur? 3.
Poena. 4.
In delicto Reipubl. pernicioso jussus aut permissio superioris nec superiorem nec inferiorem excusat. 5.
Ratio. 6.
Jussus magistratus a poena quidem ordinaria, sed non extraordinaria excusat. 7.
Regula num. 5. *tradita restringitur.* 8.
Poena militis pro diuturnitate temporis varia est, et qualis? 9.
Diuturnitas temporis poenam in delicto continuo non minuit, sed auget. 10.
Tanto sunt graviora crimina, quanto diutius infelicem animam detinent alligatam. 11.
Poena agentium in rebus, Palatinorum, Scriniariorum aliorumque militum togatorum absentium. 12.

1 Commeatus est abeundi licentia, data militi
ad tempus, et hic datur vel militi armato, de
quo in *ll.* 1. *et* 3. vel Palatinis et togata militia
2 constitutis in *l.* 2. armatis dabatur quidem commeatus, cum in hybernis versarentur, ita tamen, ut primo vere adesse juberentur, non
tamen pluribus dabatur, quam 30. qui Commeatales dicebantur, de quibus *l.* 16. *supr. de*
3 *erog. milit. ann.* Sed tempore expeditionis, et
hostilis invasionis barbarorum, nemo tribunorum ut praepositorum aut vicariorum, multo
minus eorum domestici ulli militi commeatum
dare debent, sub poena capitali utrique immi- 4
nente, *l.* 1. *et l.* 5. §. 1. *ff. de re milit.* cujus
ratio manifesta ponitur in *d. l.* 1. Unde Colligi- 5
tur: In delicto Reipubl. pernicioso jussum aut
permissionem superioris, nec superiorem, nec
inferiorem excusare, quia Magistratus in his, 6
quae officii ejus non sunt, pro privato habetur, per *l.* 170. *ff. de R. J. l.* 32. *ff. de injur.*
Hinc quamvis jussus Magistratus in atrocioribus 7
a poena ordinaria non tamen extraordinaria
excuset, per tradita *Clari* §. *fin. quaest.* 60. *et*
Menoch. lib. 2. *A. Q. cas.* 354. *num.* 22. *et seqq.*
hoc tamen obtinet in delicto, quando de mul- 8
torum salute agitur, ubi jussus superioris non
excusat, *Menoch. d. l. num.* 24. *Petr. Greg.* 1.
lib. 9. *synt. tit.* 10. *num.* 14. *Christin. vol.* 5.
dec. 45. *num.* 5. Sed si miles sine commeatu 9
absit per annum, decem sequentibus; si per
biennium, 20; si per triennium, 30. postponitur; si per quadriennium, matricula excluditur,
per *l.* 3. *h. t.* Unde Colligunt: Diuturnitatem 10
temporis non minuere, sed augere poenam in
delicto continuo, *l. pen. supr. de delator. l.* 3.
supr. de domest. l. ult. supr. de primicer. c.
pen. X. de consanguin. c. cum in Ecclesiae 9.
X. de simon. Christ. d. dec. 45. *num.* 7. tan- 11
to enim sunt graviora crimina, quanto diutius
infelicem animam detinent alligatam. Sed si 12
agentes in rebus aut Palatini, Scriniarii aliique
milites togati 6. menses ultra diem commeatus
abfuerint; 5. sequentibus postponuntur; si per
annum, 10. annis postponendi sunt, et sic deinceps, post quadriennium matricula excludendi, per *l.* 2. *h. t.* Sed excusatur miles, si impedimentum probaverit, ut *l.* 14. *ff. de re milit.*

TITULUS XLIV.

De tyronibus.

SUMMARIA

Tyrones quinam dicti? num. 1.
In sacra militia tonsura prima illis respondet. 2.
Quinam locus illis detur? 3.
In scholis militaribus tyrones exercitabantur, antequam in numeros referrentur. 4.
Servi inter tyrones ignorante Domino sub poena librae auri nec legendi nec adscribendi militiae. 5.

Dominus ejusmodi servum intra 30. *dies vindicare debet.* 6.
Poena et ratio. 7.
Idem in adscriptitiis et veteranis. 8.
Nec vagabundus tyro legi potest. 9.
Vagabundus scholaris privilegiis scholarium indignus est. 10.
Non est testis idoneus. 11.

1 Qui lecti erant noviter, et nondum in numeros relati, tyrones dicebantur, per *l. antepen.*
2 *ff. de testam. milit.* cui in sacra militia respondet prima tonsura, *Petr. Gregor. in synt. lib.*
3 16. *cap.* 1. *num.* 22. et his semper ultimus datur locus, *l. ult. h. t.* cum locus prior et potior iis debeatur, quibus laborum assiduitas et stipendia prolixa suffragantur, et antiquior in matricula est potior, *hic et l.* 7. *supr. de prox.*
4 *sacr. scrin.* Collige ex *l. ult.* in scholis militaribus tyrones fuisse exercitos, antequam in numeros referrentur, *Petr. Greg. lib.* 16. *synt. tit.* 3. *num.* 22. *Christin. dec.* 146. *num.* 2. Inter 5
tyrones autem non sunt legendi et militiae adscribendi servi ignorante domino, sub poena librae auri, *l.* 2. *h. t.* et domino competit in- 6
tra 30. dies jus vindicandi, alias cadit jure do- 7
minii et patronatus, *hic et l.* 6. *supr. qui militare poss.* ratio in *l. colonos* 19. *supr. de agric. et censit.* nec conscribi possunt in arma adscri- 8
ptitii, *l.* 1. *h. t.* ob eandem rationem, ut nec veterani, cum absurdum sit, eum, qui complevit militiam, rursus fieri tyronem, *dict. l.* 1.
nec vagabundus tyro legi potest, *d. l.* 1. cum 9
bello insistere, et armorum quotidianorum exercitio ad bella se praeparare debeant, *leg. milites* 15. *supr. de re milit.* Unde Colligunt: 10
Vagabundum scholarem, indignum esse privilegiis scholarium, *Salyc. num.* 30. *in Auth. habita, Enenckel. Baro de privileg. lib.* 3. *cap.* 17. *num* 47. nec vagabundum testem esse ido- 11
neum, *Mascard. concl.* 1403. et semel talem, praesumi talem semper, *Mascard. d. l.*

TITULUS XLV.

De littorum et itinerum custodia.

L. Saluberrima. un.

SUMMARIA

Littora et portus custodienda sunt, et cur? num. 1.
Soluturi e portu juramento deponere debent, quo sint ituri, et cur? 2.
Poena contra facientium. 3.

1 Custodienda sunt littora et portus; ne illicitae merces ad hostes ac barbaros deferantur, v. gr. arma, *l. ult. supr. quae res exportari,* vinum, oleum, aliaque liquamina, *l.* 1. *d. t.* aes, ferrum, aurum, frumentum, sal etc. *l. cotem* 11. *ff. de public.* ideoque ne naves a curiosis littorum detineantur, aut concussionem patiantur;
ideo e portu soluturi prius (juramento, ut 2
volunt *DD.*) deponere debent, quo ituri sint,
et qui contra faciunt, excommunicantur et ca- 3
pientium Christianorum servi fiunt, *cap.* 6. 12. *et* 17. *X. de Judaeis ac Saracen.* Vide *Stracha de mercaturis. p.* 4. *num.* 13. *Menoch. lib.* 2. *A. Q. cas.* 95. *num.* 24. *Molina tr.* 2. *de J. et J. d.* 313.

TITULUS XLVI.

De desertoribus et occultatoribus eorum.

SUMMARIA

Desertores quinam? num. 1.
Quotuplices? 2.
Poena eorum, qui illos scienter suscipiunt et diu fovent. 3.
Desertor seipsum prodens impunitatem recipit. 4.
Poena Praesidis desertorem proditum punire negligentis. 5.
Manifesti desertores quinam, et quomodo puniantur? 6.
Quamvis ex sola scientia regulariter nemo obligetur, licet non propalet, id tamen cessat in quibusdam casibus. 7.
Poenitentia in delictis regulariter non excusat. 8.
Poenitentia interdum etiam in delictis consummatis excusat a poena. 9.
Satelles resistentem occidens de homicidio non tenetur. 10.
Ubi defensio licita, ibi offensio licita. 11.
Desertores omnes aequaliter puniendi non sunt, sed ordinis et stipendiorum, ut et anteactae vitae et similium ratio habetur. 12.

Desertores sunt, qui sine tractoriis, id est, 1
literis vel epistolis, quibus evocantur milites, sponte sua a castris recedunt, tempore belli, sive tyrones sint, sive veterani, *l.* 1. *vers. neque solum de his etc.* et sunt, vel nec mani- 2
festi, qui delitescunt, vel manifesti, qui depraedationes et latrocinia exercent. Qui illos 3
scienter suscipiunt et diu fovent, si actores, id est, procuratores praediorum sint, capitali supplicio puniuntur; domini vero praediorum id scientes, praedio mulctantur, qui eos produnt, immunitate potiuntur, si antea non habuerunt, *l.* 1. Si desertor se ipsum prodat, im- 4
punitatem recipit, Praeses autem si negligat, 5

desertorem punire proditum, infamiam pati-
tur et mulctam, et officiales ejus primipilares
capitaliter puniuntur, *d. l.* 1. et praesidum
etiam est inquirere in tractorias et epistolas,
6 an forte commentitiae sint, *l.* 2. *h. t.* Manifesti
sunt desertores, qui deprehensi armis resistunt,
d. l. 2. aut latrocinia exercent, *l. ult.* et hi
multo magis ut rebelles gravius puniendi, *l.* 5.
§. 2. *ff. de re milit.* et a provincialibus aliisque
opprimuntur libere, *l. ult. C. quando unicuique
liceat etc.* si modo restiterint, per *hanc l.* 2. *De-
cian. l.* 7. *cap.* 15. *num.* 67. *Christin. dec.* 46.
num. 6. Et criminis ejus abolitio non est, *l.
ult. C. de abolit.* nec morte extinguitur, *l.* 4.
7 *supr. de re milit.* Colligunt ex *hoc titulo:* I.
Quamvis ex sola scientia regulariter nemo obli-
getur, licet non propalet, id tamen in qui-
busdam cessare casibus, ut *hic et l.* 1. *supr.
de fals. l. ult. supr. de his qui latrones etc.* et
l. 3. *C. de inc. nupt.* Vid. *Salyc. in l. quisquis
num.* 16. *et seq. C. ad L. Jul. Majest.* II. Poe- 8
nitentiam non quidem regulariter, *l. qui ea
mente* 65. *ff. de furtis*, sed tamen interdum 9
etiam in consummatis delictis excusare a poe-
na, *l.* 1. *h. t. et l. un. supr. de his qui se de-
ferunt, l.* 1. *C. de Stellion. l.* 38. §. 6. *ff. de
adult. l. un. C. ne tutor vel curator vectig. Auth.
novo jure C. de poen. judic. Carpz. qu.* 149.
num. 23. *Ant. Matth. ad l.* 47. *ff. tit.* 132. *num.* 3.
III. Satellitem si occidat resistentem, non pu- 10
niri de homicidio, *arg. l.* 2. *h. t. et l.* 29. §.
pen. ff. ad l. Aquil. Ubi enim defensio licita, 11
ibi offensio licita, *Gail. lib.* 2. *obs.* 110. *num.* 40.
IV. Non omnes autem desertores similiter pu- 12
niendi, sed habetur ordinis et stipendiorum ra-
tio, anteactae vitae et similium: per *l. non omnes
princ. ff. de re milit. Decian. lib.* 7. *c.* 15.
num. 12.

TITULUS XLVII.

De veteranis.

SUMMARIA

Veterani quinam? num. 1.
Eorum privilegia. 2. 5.
Principis est, immunitates augere, non minuere, et privilegium non inane nomen ac titulum, sed rem certam continere debet. 3.
A salute Principis pendet salus populi. 4.
Latrocinio se polluentes privilegia amittunt, et a Praesidibus supplicio puniri possunt. 6.
Merito privilegium ille amittit, qui contra professionis suae, quae causam privilegio dedit, leges et requisita deliquit. 7.

1 Veterani sunt, qui legitimis impletis stipen-
diis dimissi sunt, et certis gaudent privilegiis:
2 nam 1. Exempti sunt a muneribus civilibus
personalibus scilicet non realibus, *l.* 2. §. 1. *ff.
h. t.* - 2. Operibus publicis, a quibus nemo ju-
dicum eximere poterat, *l.* 1. *C. de operibus pu-
bl.* - 3. A collectis omnibus: 4. A gabellis, quae
pro mercimoniis solvuntur: 5. A portoriis, quae
in portu vel ponte a transeuntibus solvebantur,
l. 203. *ff. de V. S.* et in *l.* 1. *h. t.* Unde probant:
I. Principis non esse minuere, seu augere im- 3
munitates, et privilegium non inane nomen ac
titulum, sed rem certam continere debere,
Enenckel. d. tr. de privil. lib. 2. *c.* 6. *num.* 1. *et
l.* 2. *c.* 3. *num.* 53. II. A salute Principis salutem 4
pendere populi, *Jo. de Plat. hic, et Enenck. d.
tr. lib.* 3. *cap.* 6. *num.* 30. - 6. Immunes sunt 5
ab injuriis, adeo, ut praeses injurias eis, prae-
sertim si protectores sint, vel alia dignitate
honorati, illatas, ex officio vindicare debeat,
l. 2. *h. t.* - 7. Mutant forum, et non coguntur
parere jussis judicum militarium, nisi in mili-
tia coepta sit cognitio, per *l. fin. h. t.* nam ubi
coeptum est judicium, ibi finiendum, *l. ubi
coeptum* 30. *ff. de judic.* Sed si latrociniis se 6
polluant, amittunt privilegia, et a praesidibus
possunt supplicio affici, *l.* 3. *h. t.* quia merito 7
privilegium ille amittit, qui contra professionis
suae, quae causam privilegio dedit, leges et
requisita deliquit, *Enenck. d. tr. lib.* 3. *c.* 17.
num. 46. *et seq.* ubi variis exemplis declarat.
Plura de privilegiis *Enenck. in pecul. tract. et
Christin. vol.* 5. *dec.* 149. *n.* 2. *seqq.*

TITULUS XLVIII.

De filiis officialium militarium, qui in bello moriuntur.

SUMMARIA

Filii militum tam togatorum quam sagatorum ad militiam patris sunt devocandi. num. 1.
Ampliatur. 2.
Liberi ad amplectendum paternum artificium compelli possunt. 3.
Apud Sinenses, hoc fieri tralatitium est. 4.
Si alicubi receptum ut secundogenitus in majoratu primogeniti filio praeferatur, si primogenitus in acie occubuit, an nepos ex eo secundogenitu praeferatur? 5.
Filius primogenitus in acie mortuus, per gloriam adhuc vivere intelligitur. 6.

Filii militum sive togatorum sive sagatorum si- 1

ve in bello aut militia patris, sive post missio-
nem parentes moriantur, ad militiam patris de-
2 vocandi sunt, *l.* 1. adeo ut etiam primipilorum
liberi sequantur parentum conditionem, non
3 aliam, *l.* 2. *h. t.* Unde Colligitur: Liberos com-
pelli posse ad amplectendum artificium pater-
4 num, quod apud Sinenses fieri tralatitium est.
5 Quaerunt circa *hanc legem: Si alicubi receptum,*
ut secundogenitus praeferatur in majoratu pri-
mogeniti filio, si primogenitus in acie occu-
buit, annon nepos ex eo secundogenito praefe-
ratur? Quod affirmant, quia primogenitus per 6
gloriam adhuc vivere intelligitur, *Ajial. de ju-*
re pacis et belli lib. 3. *c.* 7. *num.* 21. *Christin.*
dec. 152. *num.* 6. *Perez. ad hunc tit. num.* 6.
et seq.

TITULUS XLIX.

De oblatione votorum.

L. Quando. un.

SUMMARIA

Votum felicioris anni quonam die Imperatori olim factum, et quid praeterea ipsi oblatum fuerit? num. 1.
An in necessitatem hoc ipsum tractum? 2.
Perezii *sententia.* 3.

1 Cum voto felicioris anni Imperatores quasi
auctarium accipiebant, idque tertio die post
Calend. Januar. *l.* 233. §. 1. *ff. de V. S.* et quidem
offerebatur libra auri in 72 solidis obryzatis,
quod in necessitatem tractum nonnullis vide- 2
tur, *hac l. un.* Vide *Klock. de aerario lib.* 2. *c.*
90. *num.* 10. ut si velint vota offerre, non mi-
nus, neque aliud offerre possint, licet *Perez.* 3
ad hunc tit. num. 4. putet Imperatores libera-
litatem devotorum subditorum restringere vo-
luisse, ne eam quantitatem excederent, quam
sententiam amplectitur *Ahasverus Fritsch. in
tract. ad h. t. cap.* 3. *num.* 19. Conf. accurata
dissertatio *Dn. Joannis Strauchii ad h. t. Brun-
swigae edita.*

TITULUS L.

De numerariis, actuariis et chartulariis et adjutoribus scrinariis et exceptoribus Sedis excelsae, caeterorumque judicum tam militarium quam civilium.

SUMMARIA

Numerarii et tabularii quinam, et eorum officium? num. 1.
Conditio eorum admodum vilis, qui erant in Praesidis officio. 2.
Notarius publicus plus vel minus quam debeat scribens, parti laesae ad interesse tenetur. 3.
Quotnam numerarii in singulis Provinciis, et eorum officium? 4.
Unus ea tractare non debet quae sunt alterius officii. 5.
Eorum numerariorum conditio, qui in officio Praefectorum Praetorio aliorumque illustrium et spectabilium erant. 6.
Numerarii hi olim suo nomine pecuniam si quid in publicos usus convertendum erat, mutuo sumere cogebantur. 7.
Prohibitum hoc l. 8. h. t. *cur?* 8.
Milites ipsi, qui in aliquo numero erant, numerarii ejus numeri, in quo erant, esse non poterant. 9.
Ratio. 10.
Actuarii quinam, et cur ipsis cum numerariis interdictum commercium? 11.
Quomodo ordinentur et eorum officium? 12
Chartularii ut et Scriniarii an et quatenus numerariis adjungendi? 13.
Instrumenta, debita solemnitate carentia, falsi suspicione laborant. 14.
Nisi id fiat tabellionis vitio. 15.
Exceptores et descriptores actorum quinam? 16.

Praefecto Praetorio, Praefecto urbis, Magis- 1
tro militum, nec non Praesidibus inserviebant
numerarii et tabularii, quorum officium erat
publicorum tributorum et vectigalium rationes
tractare, *Pancir. l.* 2. *thesaur. var. lect. cap.* 188.
et triennale, *l.* 2. *h. tit.* Qui in Praesidum offi- 2
cio erant, conditionales erant, et ita viles, ut
et tormentis potuerint subjici, v. gr. si diver-
sis Praesidibus inservirent, *l.* 1. *h. t.* ut repri-
meretur vorax ardor lucri, *l.* 7. *infra de div.
off.* vel si nomina debitorum fiscalium sub testi-
ficatione actorum publicorum praesidibus vel a
Principe delegatis non ederent, *l.* 2. *h. t.* Un-
de probatur: Notarium publicum, si plus vel 3
minus quam debeat, scribat, parti laesae ad
interesse teneri, *Christin. dec.* 153. *num.* 11.
Sichardus in l. errore num. 5. *C. de testam.*

4 *Farinac. quaest.* 156. *num.* 97. Et illi numerarii in singulis provinciis duo sunt, quorum unus largitionales titulos, alter arcae Praefecti Praetorio rationes tractat, quae confundenda non sunt, *l.* 4. *h. t. l.* 13. *supra de suscept.* adeo ut etiam poena conniventi indicatur, *d.*
5 *l.* 4. Ex qua probatur: Non debere unum tractare ea, quae sunt alterius officii, *Carpzovius lib.* 1. *resp.* 47. *num.* 10. *Christin. d. dec. num.*
6 15. *et seqq.* Illi vero numerarii, qui in officio Praefectorum Praetorio aliorumque illustrium et spectabilium erant non erant conditionales, sed honoratiores erant, et gestabant cingula, *l.* 3. *h. t.* Imo ii etiam, qui in officio Praefecti Praetorio erant, deposito officio comitivam sine speciali rescripto Principis adipiscebantur,
7 *l. ult. h. t.* Hi numerarii, si quid in publicos usos expendendum erat, cogebantur suo nomine pecuniam mutuo sumere, quod prohibe-
8 tur *l.* 8. *h. t.* ne deposito officio periclitentur contra leges, *l.* 61. §. 1. *ff. de furtis et l.* 2. *C.*
9 *quemadm. testament. etc.* ipsi autem milites, qui in aliquo numero erant, non poterant esse numerarii ejus numeri, in quo erant, *l.* 9. ne
10 privilegio militiae rationum redditio inhibeatur, aut circa rationes quid delinquatur, *d. l.* 9.
11 Actuarii erant actorum scriptores et custodes, quibus nullum debet esse cum numerariis commercium, *l.* 6. *h. t.* forte ne quid fraudis se inter moliantur communicatis rationibus, et hi 12
non ordinantur nisi ex sacrorum scriniorum probatoria seu confirmatione Principis, *l.* 7. *h. t.* et horum officium erat annuum, per *l.* 11. *h. t.*
Chartularii sive tractatores, qui chartas tractabant, ut et scriniarii interdum levandi laboris causa numerariis adjungebantur, quod permittitur 13
in *l.* 10. *h. t.* hac lege ac conditione, ne id fiat plus quam quateruis vicibus in biennio, sed in chartulariis uno anno, *d. l.* 10. et hi adjutores subscribebant publica instrumenta, qua subscriptione si careat instrumentum, suspicione falsi laborat, *d. l.* 10. vers. *Si quid autem.*
Unde notant *DD.* Instrumenta debita solemnitate carentia falsi suspicione laborare, nisi id 14
fiat vitio Tabellionis, *l. ambiguitates* 24. *C. de* 15
testament. et ibi Bl. et per subscriptionem authorizari instrumentum, *Christin. dec.* 155. *num.* 15. *vol.* 5. *Mascard. conclus.* 1348. *per totam.* Demum erant etiam exceptores sive de- 16
scriptores actorum, qui praeerant actis causarum appellationum, *Panciroll. d. l.* cui muneri cohortales, id est, perpetui Praesidum apparitores plerumque praeficiebantur, sed etiam curiae addicti exceptores esse possunt, dummodo peracto officio ad curiam redeant, *l.* 5. *h. t.*

TITULUS LI.

De cursu publico et angariis et parangariis.

SUMMARIA

Equi per dispositos locos sumptu publico nutriti, et cur? num. 1.
Postae *vocantur, et unde?* 2.
Cursus publicus quidnam? 3.
Quid angaria? 4
Quid parangaria? 5.
Cursu publico uti privatis olim nisi impetraverint non licebat. 6.
Secus hodie. 7.
Quibusnam cursus publicus detur? 8.
Cursu publico uti volens evectionem, id est, diploma Principis habere debet. 9.
Quid si quis de facto non demonstrata evectione cursu publico utatur? 10.
Tenor evectionis accurate observandus, ne quis ultra tempus insertum evectione utatur. 11.
Iter facientes qui res suas perquiri non patiuntur, hoc ipso se suspectos et poenae obnoxios reddunt. 12.
Pluribus quam uno aut duobus veredis in evectione expressis uti non licet. 13.
Mulio in evectione licet non expressus semper tamen intelligitur. 14.
Quid si quis numerum animalium excedat? 15.
Qui pecuniam publicam vehit vel species publicas sine speciali mandato, angariis publicis uti, et locatores equorum, ut sibi locent, compellere potest. 16.
Hic ipse via basilica uti debet. 17.
Excipitur ab hac regula Praefectus Praetorio. 18.
A quonam evectiones dari soleant? 19.
Cursus publicus cum moderatione praebendus est, et cur? 20.
Qui consueto onere gravat equum, de periculo non tenetur. 21
Conductor durius equum tractans de periculo tenetur. 22.
Praefecti postarum *quinam?* 23.
Hi nullo modo sunt laedendi sub poena. 24.
Unde equi cursuales comparandi et alendi? 25.
Quinam teneatur stabula pro iis extruere et restituere? 26.
Refectio viae publicae ad eum pertinet, cujus est territorium. 27.
Jus utendi cursu publico habens illud aliis vendere vel cedere nequit. 28.
Ratio. 29.
Cursus ambularis vel clabularis unde dictus, et an sublatus? 30.
Ab onere angariae et parangariae nemo, imo neque Ecclesia excusatur. 31.
Publica utilitas omnibus praejudicat privilegiis et semper excepta videtur. 32.

Imperatores per dispositos locos habuerunt 1
equos, qui sumptu publico alebantur, ut quoties repentinum aliquid accidisset, mutatione equorum citissime quo vellet Imperator posset mittere nuncium, quos *postas* vulgus vocat, a 2
positis equis, de quibus *hic DD. et Men. lib.* 2. *A. Q. casu* 2. *num.* 3. *et seqq. et casu* 229. et quos allegat *Thomas Merckelbach inter consilia Klock. vol.* 1. *cons.* 32. *num.* 2. *et* 3. *Besoldus in thes. pract.* voce: Postae, *Klock. de contrib.*

3 *cap.* 2. *num.* 25. *et seqq.* Cursus publicus ergo
erat potestas utendi equis vel mulis publicis.
4 Angaria est onus, quo ad species portandas vel
transferendas vel commeatum ad exercitum
comportandum provinciales equos, boves, plau-
5 stra aut naves praebebant. Parangaria vero,
qua alio versum aliquid vehendum a provin-
cialibus, *Panciroll. thes. var. lect. lib.* 3.
pag. 376. licet aliter *Rosenthal. de feudis cap.*
5. *conclus.* 7. *num.* 5. *et seq. Vult. de feud. lib.*
2. *cap.* 5. *num.* 7. *Schultz. de feud. c.* 7. *n.* 173.
6 Cursu publico autem non licebat uti privatis,
licet impetrare possint, *l.* 11. *h. t.* quia publi-
7 cae utilitati servit, quamvis hodie cursibus pu-
blicis privati indistincte utantur sine speciali
concessione, quin imo privati suggerunt sum-
ptus, ut *postae* sustineantur, *Merckelb. d. l.*
num. 4. nisi ut legati a provinciis ad Principem
mittantur, *l.* 6. *h. t.* alias puniendi, *l.* 6. haec
8 enim etiam causa publica. Sed cursus publicus
etiam aliis personis dandus est, in genere vero
Senatoribus a Principe evocatis, *l.* 6. *h. t.* sic
et Duces et Praesides et Cohortales in provin-
cias missi cursu publico utuntur, sed cum pro-
vinciam jam sunt ingressi, non debent ipsi vel
officiales eorum uti cursu publico, sed jumen-
tis propriis, quibus alimenta etiam ex publico
suppeditantur, *l.* 20. *h. t.* et ex eadem causa
nec paraveredi ipsis praebendi sunt, quos extra
ordinem poscere solebant indebite, *l.* 2. *et l.*
9 19. *h. t.* Qui autem cursu publico uti vult,
debet habere evectionem, id est, diploma Prin-
10 cipis, *l.* 3. *h. t.* nam si quis de facto, non de-
monstrata evectione, cursu publico utatur, pro
ratione conditionis personae, a Praefecto Prae-
torio, vel si in dignitate constitutus, ab ipso
11 Imperatore puniendus, *d. l.* 3. Tenor autem
evectionis accurate observandus, ne ultra tem-
pus insertum quis evectione utatur, *d. l.* 3. Ex
12 *d. l.* 3. autem probatur: Eos iter facientes, qui
non patiuntur res suas perquiri, hoc ipso se
reddere suspectos et poenae obnoxios esse, *Cor-
setus sing.* 128. *Christinaeus dec.* 156. *num.* 15.
13 nec pluribus quam uno aut duobus veredis in
evectione expressis utantur, *l.* 4. *h. t.* Unde
14 notare solent: Mulionem, licet non expressum
in evectione, tamen semper intelligi, *Corsetus*
15 *sing.* 129. Qui numerum excedit, in quadru-
plum superinducti animalis pretium Fisco con-
demnatur, *l.* 15. *h. tit.* In Orientali tractu prae-
primis, nemo poterat, nisi uno veredo et uno
parapheredo uti, nisi jussu speciali Principis,
16 *l. ult. h. t.* Unde probari potest: Eum, qui
pecuniam publicam vehit vel species publicas,
sine speciali mandato uti posse angariis publi-
cis, et posse compellere locatores equorum, ut
17 sibi locent, *Christin. dec.* 158. *num.* 17. Et de-
18 bet uti via basilica, *l.* 2. *h. t.* ubi excipitur
Praefectus Praetorio, qui vero a regia via de-
flectit, cum contra eum militet praesumptio
l. qui fiscales supr. de navic. puniendus est,
l. 5. *h. t.* nec ei restituitur damnum a Domino
territorii, *Gail. lib.* 2. *observ.* 64. *Zas. vol.* 1.
cons. 14. *num.* 8. Dantur autem evectiones a 19
Principe, vel Praefecto Praetorio, vel Magistro
officiorum, ab aliis non, nec a Praesidibus,
nisi publica functio transmittenda, *l.* 9. ubi
contra facientium poena. Hac etiam modera- 20
tione praebendus est cursus publicus, ne ex
utraque parte mansionum, id est, termini a
quo et ad quem, plusquam 10. veredi praebean-
tur una die, ne animalia publica nimis gra-
ventur, *l.* 8. *h. t.* neque nimis gravandi equi
veredarii, *l.* 12. *h. t.* ubi statuitur certum pon-
dus imponendum sellae et avertae sub poena.
Unde colligitur: Eum, qui consueto onere 21
equum gravat, de periculo non teneri, *Corse-
tus sing.* 201. et equi flagellis aut virgis agi-
tandi, non fustibus, *l.* 1. *h. t.* Unde Colligunt: 22
Conductorem durius tractantem equum de pe-
riculo teneri, *Ant. Corsetus lit. C. sing.* 59.
Christin. dec. 156. *num.* 10. *vol.* 5. *Postis* illis 23
praeficiebantur mancipes, qui ex Curialibus vel
Cohortalibus, vel aliis a Praefecto Praetorio eligendi
praestita cautione, *l.* 14. hi ab aliis sollicitandi, 24
recipiendi vel occultandi non sunt, sub poena 10.
librarum argenti, *l.* 17. *h. t.* nec tamen a
peregrinantibus injuria afficiendi aut pabulo
privandi etc. *l.* 13. ubi poena etiam judici
infligenda. Sed Quaeritur: *Unde equi cur-* 25
suales comparandi et alendi? Resp. Singulis an-
nis veredorum quartam partem esse reparan-
dam, id est, ex publico quarta pars equorum
etc. comparanda, *l.* 7. Quamvis autem provin- 26
ciales antea equis cursus publici, paleas et pa-
bula praestare, stabulaque eorum extruere et
restituere tenerentur, priori tamen onere pro-
vinciales liberati per *l.* 19. *h. t.* nam pabulum
a Fisco suppeditandum et aestimandum, *l.* 18.
stabula vero a provincialibus sarta tecta con-
servanda, *l.* 7. *h. t.* quia firmo loco solatii po-
tiuntur; Vid. *l.* 12. §. 2. *ff. de usu et habit.*
Unde ex *hac l.* 7. probare solent, refectionem 27
viae publicae pertinere ad eum, cujus est ter-
ritorium, *Christ. dec. num.* 7. *Men. cons.*
1201. *num.* 31. Qui autem habet jus utendi 28
cursu publico, hoc jus aliis vendere vel cedere
non potest, quia jus personale est, *l.* 10. *h. t.* 29
Erat et antea cursus ambularis, vel ut alii ma- 30
lunt clabularis, a clabula vehiculi certo gene-
re, dictus, sublatus in *l.* 22. nisi in translatio-
nibus militum, legatorum et armorum, pro
quibus merces annuae Dominis ex arca Praefe-
cti Praetorio solvenda, *d. l.* 22. Denique notan- 31
dum: Ab onere angariae et parangariae nemi-
nem, imo neque Ecclesiam excusari, *l.* 21. *h.
t. l.* 2. *supr. de excot. et translat. milit. annon.*
l. 10. *C. de SS. Eccles.* Nam publica utilitas et 32
necessitas omnibus privilegiis praejudicat et
semper videtur excepta, *Carpz. lib.* 5. *resp.* 52.
num. 37. *Klock. de contrib. c.* 11. *num.* 198. *et
cap.* 12. *num.* 212. *cap.* 19. *num.* 529. *Thesaur.
dec.* 234. *num.* 10. conf. *Franc. de Clapperiis
caus.* 96. *q. un.*

TITULUS LII.

De tractoriis et stativis.

L. Tractoriae. un.

SUMMARIA

Tractoriae quid sint? num. 1.
Quibusnam datae? 2.
Stativae quid? 3.
Evocati a Principe cursu publico utentes, intra quotnam dies iter arripiant et perficiant? 4.
Idem est licentiam non habere, et habere quidem, sed ultra tempus extendere. 5.
Milites jus hospitandi in provincialium aedibus habentes ultra biduum alicubi commorari non debent. 6.
Qui potestatem frumentum extra provinciam evehendi accepit, ad iter hoc arripiendum et perficiendum ultra 7. dies non habet. 7.

1 Tractoriae sunt diplomata evectionis publicae,
2 quae dantur missis et evocatis a Principe cursu publico utentibus, adscriptis etiam stativis nonnullis, id est, diversoriis et mansionibus; 3
nam dabantur illis viatica ex publico, et intra duos dies debent iter arripere, et ad id perfi- 4
ciendum habent dies quinque, et ne ultra hoc temporis spatium ad residendum seu haerendum in quolibet loco copiam nanciscantur, per *l. un. h. t.* neque illis tamen dandae personae et ministeria, ne graventur provinciales aut Fiscus. Collige: Idem esse licentiam non habe- 5
re, et habere quidem, sed ultra tempus extendere. Et *arg. hujus legis* probant; Milites, qui 6
habent in provincialium aedibus jus hospitandi, ultra biduum tamen alicubi commorari non debent, *Alc. cons.* 19. *num.* 2. *lib.* 5. *et Thomas Merckelbach. cons.* 21. *num.* 15. *vol.* 1. Colligunt etiam ex hoc: Qui accepit potestatem 7
evehendi frumentum extra provinciam, eum habere 7. dies ad arripiendum et perficiendum hoc iter et non ultra, *Corsetus sing.* 130. *Christin. dec.* 159. *num.* 9. *Percz. ad hunc tit. num.* 3.

TITULUS LIII.

De apparitoribus Praefectorum Praetorio et privilegiis eorum.

SUMMARIA

Apparitores Praefecti seu praefectiani neque susceptores fieri, nec horreorum fiscalium curam subire poterant. num. 1.
Ratio. 2.
Alienum officium usurpans, animo lucrandi et depraedandi id facere praesumitur. 3.
Praefectianorum horum praemia quaenam? 4. 6.
Bene de Republ. meritos praemiis et privilegiis affici justum est. 5.
Judex eorum competens quinam? 7.
Quinam iis succedant? 8.
Quilibet Baro de mero imperio investitus jus occupandi bona demortui sine haerede habet. 9.
Arca Praefecti Praetorio in effectu erat Caesaris. 10.
An apparitores nostrorum judicum sine commissione citare possint, et an eorum relationi sit credendum? remissive. 11.

1 Praefectiani, id est, apparitores Praefecti Praetorio non poterant susceptores fieri, nec horreorum Fiscalium curam subire, aut curio-
2 si esse, de quibus *supr. tit.* 23. quia non potest
3 quis diversis officiis rite vacare, et usurpans alienum officium, animo lucrandi et deprae-
4 dandi id facere praesumitur, *l.* 2. *h. t.* Praefectianorum haec sunt praemia: 1. ut cornicularii, seu qui praeerant cornibus secretarii, ad susceptionis officium compelli non possent, *l.* 1. *h. t.* 2. purpuram Principis annis singulis adorare, deposito officio illis liceret, *d. l.* 1. quod etiam primiscriniis, id est, primiceriis et numerariis in officio Praefecti Praetorio datur in *l.* 3. - 3. Hi omnes ab omnibus indictionibus, id est, collectis et oneribus personalibus immunes sunt, quo privilegio fruuntur pro multis erga Rempubl. sudoribus, ut Imp. ait in *d. l.* 3. *h. t.* Unde probant: Justum esse, ut praemiis et 5
privilegiis afficiantur bene de Republ. meriti, *Georg. Acac. Eneuck. Baro tr. de priv. lib.* 1. c. 10. *num.* 4. - 4. Civilibus judicibus non mili- 6
taribus sunt subjecti, *d. l. fin.* Omnes vero 7
Praefectoriani coram Praefecto Praetorio, si praesens sit, in provinciis vero coram Praesidibus conveniuntur, nisi in dignitate sint constituti; deinde eorum sine haerede demortuorum hae- 8
reditates non ad Fiscum, sed ad arcam Praefecti Praetorio devolvuntur, *d. l.* 3. Ex quo 9
probare volunt: Quemlibet baronem de mero imperio investitum, habere jus occupandi bona demortui sine haerede, quod aff. *Christin. dec.* 149. *num.* 19. *seq. et DD.* quos allegat *Schultz. in synopsi feud. cap.* 7. *num.* 161. Sed plerique *DD.* de Foro Saxonico loquuntur. Ideoque consuetudinem hanc probandam esse puto. Et arca Praefecti Praetorio in effectu 10
erat Caesaris. Et *Christinaeus* agit *d. dec.* 149. de apparitoribus judicum nostrorum, an sine 11
commissione citare possint, et an eorum relationi credendum, de quo actum alibi.

TITULUS LIV.

De apparitoribus Praefecti urbis.

L. Praeter. 1. et L. Quicunque. 2.

SUMMARIA

Apparitorum Praefecti urbis honor et praemium. num. 1.
Quando hoc priventur. 2.
In certis casibus aliquis in poenam certo artificio addici potest. 3.

1 Apparitoribus Praefecti urbis idem honor, deposito officio tribuitur, qui Praefecti Praetorio apparitoribus competit, ut scilicet purpuram Principis adorare possint singulis annis (quod tamen Praesidum apparitoribus denegatur), nisi se indignos hoc honore reddant, v. 2
gr. si aliquem pistorum, qui Praefecto urbi subjecti erant, concusserint, vel ab eo aliquid extorserint, delinquentes enim corpori pistorum addicendi, *l.* 2. *h. t.* Unde notatur: Posse 3
aliquem in certis casibus in poenam addici certo artificio, *l.* 9. §. 10. *ff. de poenis*, licet in contrarium regula sit per *l.* 19. *supr. de poenis*, *Christin. dec.* 160. *num.* 5.

TITULUS LV.

De apparitoribus magistrorum militum et privilegiis eorum.

SUMMARIA

Conditio apparitorum praefecti militum. num. 1.
Castrense hi ipsi habent peculium, licet jure militari testari non possint. 2.
Cohortales vel adscriptitii ad hoc officium non poterant adspirare, et cur? 3.
Apparitorum horum privilegia. 4. 7.
Si alicui probandum, se esse secularis vel divinae militiae militem, nec hoc in continenti ex matricula probari possit, ex eo tamen recte probatur, quod sit in actu militandi. 5.
Idem in clerico in habitu clericali reperto. 6.
Speciale numerariorum magistri militum privilegium. 8.
Princeps plerumque causam privilegii addere solet. 9.
Non omnia privilegia, quae ob bene merita dantur, remuneratoria sunt, et ad haeredes transitoria. 10.
Exemplo illustratur. 11.

1 Habebat et magister militum suos apparitores, qui militaris conditionis erant, *l.* 2. *h. t.* adeo-
2 que ut Praefectiani castrense peculium habebant, licet jure militari testari non possent,
3 *l. Scriniarios* 16. *C. de test. milit.* et ideo Cohortales vel Adscriptitii ad hoc officium aspirare non poterant, *l.* 3. *h. t.* cum Cohortales sint vilioris conditionis, *l.* 8. *C. de adv. div. judic.*
4 Apparitorum autem hoc privilegium est 1. ut ad susceptionis tutelae aliudque officium publicum vocari non possint, si apparitores se esse probaverint, *l.* 1. *h. t.* Ex qua *lege* 5
prima probatur: Si alicui probandum, se esse militem secularis vel divinae militiae, et non possit hoc in continenti ex matricula probari, quod hoc ex eo probari possit, quod sit in actu militandi, *Christ. dec.* 169. *num.* 8. *Jo. de Plat. hic et Mascard. de probat. concl.* 1058. *num.* 3. Idem in clerico reperto in habitu cle- 6
ricali, sed quoad beneficium fori, *Mascard. concl.* 302. *Menoch. l.* 6. *praes.* 76. - 2. Ut non 7
alium judicem agnoscant, nisi magistrum militum, non ordinarium loci judicem, quod tamen in *l. fin.* ad eos, qui in statuto numero sunt, restringitur, et excluduntur supernumerarii, *l.* 2. *et* 3. *supr. de offic. magist. milit.* idem in *l. un* §. 1. *supr. de collegiatis.* Nume- 8
rariis vero magistri militum in specie hoc tribuitur in *l. pen.* ut deposito officio tribunorum Praetorianorum honore decorentur, et ab omnibus extraordinariis muneribus sint immunes, qui autem sunt in officio eorum principes et primicerii, honore tribunorum vigilum militarium fruuntur, *d. l. pen.* Ex qua probatur: 9
1. Solere Principem causam privilegii addere, ut *hic et in l. ult. t.* 53. *hoc lib. Enenck. d. tr. l.* 1. *c.* 9. *num.* 31. Deinde: Non omnia pri- 10
vil. quae ob bene merita dantur, esse realia, et ad haeredes transitoria, nam privilegia, quae 11
militibus dantur, omnino ob sudores et bene merita tribuuntur, per *d. l. pen. et l. pen. supr. de milit. veste etc.* Et tamen ea privilegia ad haeredes non transeunt, per *l.* 1. *C. de rest. milit. l.* 3. §. 1. *ff. de muner. Enenckel. d. tr. l.* 2. *c.* 4. *num.* 56.

TITULUS LVI.

De apparitoribus Proconsulis et Legati.

SUMMARIA

Proconsules et eorum legati quinam? num. 1.
Hi ipsi apparitores habebant magno numero. 2.
Exemplo illustratur. 3.
Ex quorum numero apparitores eligi non potuerint. 4.
Apparitores rite constituti sua salaria consueta exigunt. 5.
Alienis officiis negotiisque se immiscere, generaliter omnibus officialibus interdictum est. 6.

1 In certis provinciis a Senatu constituebantur Proconsules, qui nomine Senatus provincias istas Proconsulares gubernarent, et his adjungebantur legati, de quorum officio agitur in *toto tit.*
2 *ff. de officio proconsulis et legati.* Hi autem certos habebant apparitores et officiales, interdum magno numero, sicuti apparet de Proconsule 3
Africae, qui habebat 400. apparitores, per *l.* 2. *h. t.* quae de Proconsule Africae in specie tantum loquitur. Hi autem apparitores non pote- 4
rant eligi ex numero curialium vel collegio pistorum, naviculariorum, aliisve corporibus, nam qui certo corpori addictus, apparitor esse nequit, *l.* 1. *et* 2. *h. t.* sed si eligatur, statim suo corpori est restituendus, *d. l.* 1. *et l.* 3. *tit. praeced.* Et hi apparitores rite constituti, 5
exigebant sua salaria consueta, *l. ult. h. t.* et alienis officiis negotiisque sibi non commissis se 6
immiscere atque ingerere non debebant, *d. l. ult.* quod generaliter omnibus officiis atque officialibus interdictum est, *hic et l.* 2. *supr. de apparit. Praef. Praetor. l.* 4. *supr. de numerar. etc.*

TITULUS LVII.

De apparitoribus Comitis Orientis.

L. In officio. un.

SUMMARIA

Numerus apparitorum Comitis Orientis olim superfluus. num. 1.
Hodie certus. 2.

1 Comes Orientis majorem habebat numerum apparitorum sive officialium ac ministrorum, quam Proconsul, adeo, ut pro lubitu eum numerum augeret, sed certum numerum hic de- 2
finit Imperator, ut scilicet tantum sint 600. nam tot apparitores officii hujus necessitatibus abunde sufficere et prospicere queunt, *l. un. h. t.* cum superflui officiales in officiis retinendi non sint, ne his oneretur potius quam juvetur Respubl. *l.* 4. *C. de SS. Eccles. Perez. ad hunc tit. num.* 8.

TITULUS LVIII.

De cohortalibus, et principibus cornicularis, ac primipilariis.

SUMMARIA

Cohortales quinam dicti? num. 1.
Conditio horum. 2.
Osdwenae provinciae privilegium hac in parte. 3.
Nemo gaudet privilegiis scholarium, nisi in matriculam prius fuerit relatus. 4.
Certus horum cohortalium in singulis provinciis numerus. 5.
Quinam cohortales eligendi? 6.
An et quatenus praesides cohortalem promovere possint? 7.
Speciale cohortalium non consularis Syriae tantum, sed omnium privilegium. 8.
Onus cohortalium. 9.
Pastus primipili quid et unde dicatur? 10.
Cohortales ab hoc primipili pastu se excusare nequeunt. 11.
Utcumque quis ob causam missionem ab officio nactus, semper tamen haec conditio subintelligitur: si rationes reddiderit. 12.
A quo tempore haec et similia privilegia militibus et scholaribus competant? 13.
An cohortales impunitatem habeant delictorum? 14.
Quomodo et a quonam puniendi? 15.
Contra latitantem vel fugientem criminosum omnino a Judice in contumaciam procedi potest ac debet. 16
Citatio edictalis cum comminatione sententiae ferendae vim habet termini peremptorii. 17.
Casus ubi contra absentem ad poenam relegatione majorem agi potest. 18.

Quaenam cohortalibus inhibeantur? 19.
Carcer est meri imperii. 20.
Privatum in carcerem trudens aliquem crimen laesae majestatis committit. 21.
Casus, ubi detentio privata non prohibita. 22.
Quomodo cohortalis annonam primipilarem adaerare sive aestimare debeat. 23.
Res mobilis tanti valet, et ita ab actore vel judice taxanda, prout in foro publico vendi solet. 24.
Ignominiosa missione missus idem munus repetere nequit. 25.
Ampliatur. 26.
Restringitur. 27.
Quid si apparitor cohortali militiae obnoxius hoc munere derelicto ad aliam dignitatem adspiraverit? 28.
Quid juris circa eos, qui alteri negotiationi addicti. 29.
Natalium luce conspicuis seu nobilibus interdicta est negotiatio. 30.
Dicta num. 28. *ampliantur.* 31.
Quid si apparitor sive cohortalis Praeses provinciae a Principe proprio motu creetur, vel aliam adipiscatur dignitatem, an eam retinere possit? 32.
An valeat rescriptum Principis motu proprio concessum? 33.
Quod quis non per se, illud etiam non per alium gerere potest. 34.

1 Praesides provinciarum, ut et Proconsules caeterique, qui provincias Imperii Romani administrabant, in suo officio habebant apparitores et ministros, qui cohortales, nec non cohorta-
2 lini dicebantur. Et hi parentum sequebantur conditionem, ac si cohortali patre nati, cohortalinae erant conditionis, ut colligitur ex *leg.*
3 5. *h. t.* ubi Osdwenae provinciae privilegii loco hoc conceditur, ut pater administrata primipili functione, si binos liberos habeat, eos inter curiam et cohortem Praesidis posset dividere, caeteros vero, cui vellet militiae posset adscribere, si vero unum filium haberet, istae curiae Aedesenae seu Osdwenae ob curialium paucitatem erat adscribendus. Sed interdum etiam ii, qui cohortalinae conditionis non sunt, ad officia cohortalium leguntur, qua de re agitur in *l.* 10. et prohibetur, ne quis admittatur ad officium tabularii vel chartularii, vel aliud penes Praesides obeundum munus, nisi militiae
4 cohortalinae prius nomen dederit. Unde solent probare: neminem gaudere privilegiis scholarium, nisi in matriculam academiae prius fuerit
5 relatus. Horum cohortalium in singulis provinciis erat certus numerus, et exempli loco ponitur in *l.* 9. *h. t.* Illyricum, cujus Praesides singuli; v. gr. Thessaliae, Epiri veteris, Epiri novi et Daciae Ripensis, centenos tantum
6 habere debent cohortales, ubi additur, eos esse eligendos, qui non privatis lucris inhient, sed publicas curent necessitudines, cum honoris augmentum non ambitione, sed labore ad unumquemque conveniat devenire, per *l.*
7 *contra public.* 14. *supr. de re milit.* Neminem autem ex cohortalibus Praesides sine sacra probatoria sive approbatione ac confirmatione Principis debent promovere, per *l.* 2. *h. t.* ubi excipitur cura cursus publici, quam Praesides ob muneris necessitatem atque utilitatem publicam, non expectato rescripto alicui ex cohortalinis demandare possunt, *d. l.* 2. *ut et l.* 14. *supr. de curs. publ.* qui autem matriculae cohortalium in officio Praesidis erant, inserti, legionariorum militum seu lectissimorum militum privilegiis fruebantur, *l.* 4. *h. t.* Aliud 8
privilegium etiam in *l.* 3. tribuitur cohortalibus consularis Syriae, licet in genere hoc ad omnes pertinere videatur, quod scilicet cohortales non possint compelli ad munera in curia civitatis alicujus obeunda, nec ad munus bastagae, id est, ferendi res necessarias ad exercitum, nec ad collegium naviculariorum trahuntur: Unum 9
tamen munus cohortalibus completa cohortalina militia imponitur, quod ipsis necessario ferendum est, pastus scilicet primipili, per *l.* 3. *h. t.* quem *Cujac. hic et Donell. in tr. de pign. cap.* 4. putant esse curam et exhibitionem annonae mi- 10
litaris, quae pastus primipili propterea dicitur, quod annona militaris danda sit primipili centurionibus, ut inter milites primipili distribuatur, quemadmodum etiam debitor ex primipilo dici videtur in *l.* 1. *C. de condictione ex lege etc.* et ab hoc pastu primipili ejusque ra- 11
tionum redditione excusare se cohortales non possunt ullo annorum numero, per *l.* 7. *h. t.* ubi et hoc statuitur, si quis ob causam valetudinis infirmae, vel ignominiosa missione mittatur, antequam hanc curam primipili gerat; ex facultatibus tamen ejus primipilo esse satisfaciendum. Ex qua *l.* 7. obiter etiam illud no- 12
tandum: utcunque quis ob causam nactus sit missionem ab officio, intelligi tamen semper hanc conditionem: *si rationes prius reddiderit.* Sed privilegia haec similia, ut et omnia ea, 13
quae generaliter militibus certae militiae aut scolaribus similibusve competunt, non demum tunc tribuuntur, si quis aliquandiu in officio suo se bene gesserit, ut videtur colligi posse ex *l. fin.* ibi: *quae nobis ex antea gestis, C. de off. mag. mil.* quae tamen verba de ulteriori promotione loquuntur, sed statim simul ac aliquis in matriculam alicujus universitatis est relatus, ut ex *l.* 4. *h. t.* colligitur: Ut vero pri- 14
vilegiati sint cohortales, impunitatem tamen delictorum non habent, sed si crimen aliquod 15
admiserint, a Praeside sunt puniendi; Imo etiam si latitent, vel fugam arripiant, edictis debent revocari a Praeside, et si se non stiterint, sententia in contumaces absentes pro ratione delicti ferenda est, cum indulgentiis crimina sublevanda a Principe non sint, ut notatur in *fine l.* 6. Ex *qua lege* Colligitur: Contra la- 16
titantem vel fugientem criminosum omnino a judice in contumaciam procedi posse et debere, et citationem edictalem cum commina- 17
tione sententiae ferendae habere vim termini peremptorii: et sic nota casum, ubi contra 18
absentem agi potest ad poenam relegatione majorem, v. gr. si officialis persistat in fuga, et fuerit vocatus per edictum peremptorium, officialis autem non compareat; nam tunc ad poenam condemnari potest, tum ob fugam in officiali specialiter prohibitam, tum ob contumaciam, per *hanc l.* 6. *Girland. de relax. carcerat. rubr. de fuga incarcerati, num.* 6. *Farinac. qu.* 48. *num.* 84. *et seqq. Christinaeus dec.* 163. *num.* 21. *et seq. Perez. ad hunc tit. num.* 22. *et seqq.* Inhibetur etiam cohortalibus, 19
in *l.* 1. et in specie stationariis, de quibus *supr. in tit. de curiosis,* ne aliquid super exigant, neve privatos carceres habeant, et quam-

vis denunciandis criminibus sint propositi, non tamen debeant aliquem etiam in publico crimine deprehensum, privatum in carcerem conjicere, quae omnia sub poena capitalis sup-
20 plicii prohibentur in *l.* 1. *h. tit.* Unde nonnulli colligunt: Carcerem esse meri imperii, *Tileman. de benign. in decis. Cam. voto* 1. *dec.* 1. *et Carpzov. in pract. crim. qu.* 41. *num.* 124.
21 hoc autem certum est, eum, qui aliquem privatum in carcerem trudit, committere crimen laesae Majestatis, *l. un. C. de priv. carcer.* in
22 quibusdam tamen casibus detentio privata non est prohibita, quos recenset, *Carpzov. p.* 4.
23 *Jurispr. Const.* 1. *def.* 17. nec etiam cohortalis, praesertim si pastum primipili gerat, aliter annonam primipilarem adaerare sive aestimare debet, quam in publico foro pretia rerum ve-
24 nalium aestimantur, per *l.* 8. *h. t.* Unde colligitur: Rem mobilem tanti valere, et ita ab actore vel judice taxandam, prout in foro publico vendi solet, *hic et l.* 12. *supr. de erog. mil. ann. l. pretia rerum* 73. *ff. ad l. Falcid.*
25 Pertinet hoc etiam ad disciplinam publicam, quod ignominiosa missione missus non possit idem repetere munus, etiam oblato rescripto imperiali obreptitie elicito, per *l. un. C. de*
26 *ambitu, l.* 12. *supr. de suscept.* scil. si quis in eo
27 officio decoxisse convictus fuerit. Sed si non decoxerit, sed ob senium, vel delictum etiam in quo nulla decoctio est, sit otio traditus, potest idem munus repetere oblato rescripto Prae-
28 fecti Praetorio, per *l.* 11. *h. t.* Quod si autem apparitor cohortali militiae obnoxius, hoc munere derelicto ad aliam aspiraverit dignitatem, tam ipse quam liberi ejus tali dignitate spoliati ad pristinam conditionem et militiam sunt retrahendi, nulla nisi 40. annorum praescriptione
29 obstante. Imo et qui alteri negotiationi addicti sunt, ut Trapezitae, aliique institores, a cohortalium militia sunt summovendi, quod habetur, in *l.* 12. Ex cujus *legis* §. *fin.* Probant 30
DD. natalium luce conspicuis seu nobilibus, interdictam esse negotiationem, *hic et l.* 3. *supr. de commerc. et l. ne quis C. de dignit. Wesenb. v.* 2. *cons.* 57. *num.* 1. *Rauchbar. p.* 2. *qu.* 12. *num.* 5. et hos allegans *Klock. de contrib. cap.* 12. *num.* 256. *et seqq. Christin. vol.* 5. *dec.* 26. *num.* 7. *Carpanus ad Stat. Mediol. p.* 1. *cap.* 415. *num.* 12. *et seqq.* Quod etiam repeti- 31
tur in *l.* 13. *h. t.* nisi quod in *d. l.* 13. habeatur quasi duplex ampliatio; Nam cohortalis non potest ad altiorem adspirare dignitatem, ne quidem: 1. Si sit primipilaris vel princeps cohortalis officii: 2. Idem obtinet, si habeat rescriptum Principis vel annotationem clementiae principalis, *d. l.* 13. Sed in *l. fin. h. t.* habetur 32
quaestio specialis: *Quid si apparitor sive cohortalis Praeses provinciae a Principe creetur proprio motu, vel aliam adipiscatur dignitatem: An eam retinere possit?* Resp. Neque novam dignitatem per se vel per alium administrare, neque veteris commoda ipsum retinere debere, si nondum deposita cohortali militia id contingat, sed debet curiae civitatis illius, in qua natus est, restitui. Sed si deposuerit militiam cohortalem, potest proprio motu a Principe ad dignitatem novam promoveri, sed affectare novam impune non potest, nisi laudabiliter se in priori militia gesserit, *l.* 7. *infr. de div. off.* Unde colligitur specialis casus: Quod non valeat 33
rescriptum Principis, proprio motu concessum, nam regula est in contrarium, *Georg. Acac. Enenck. Baro, d. tr. de privil. lib.* 1. *cap.* 6. *num.* 21. *Christin. dec.* 161. *vol.* 5. *num.* 14. *et seqq.* Regula autem contraria est in *c. si motu proprio de praebendis l.* 6. Colligitur et 34
illud: Quod quis non potest administrare per se, quod nec per alium id gerere possit.

TITULUS LIX.

De apparitoribus Praefecti annonae.

L. Apparitores. 1. et L. Praefectus. 2.

SUMMARIA

Praefectus annonae sub dispositione Praefecti urbis erat. num. 1.

Distincta tam Praefecti urbis et Praefecti annonae, quam eorum apparitorum ministeria. 2.

Qui habet jurisdictionem generalem ut Praefectus urbis, in iis tamen rebus, quae specialiter alterius curae tributae, cognitionem non habet. 3.

Ex negligentia ministrorum et apparitorum negligentia judicis praesumitur. 4.

1 Praefectus annonae erat sub dispositione Praefecti urbis. Ideo apparitores Praefecti urbis annonariis se immiscebant negotiis, quod hic in *l.* 1. prohibet Imperator, et vult, ut Praefectus 2
urbis et Praefectus annonae separatas apparitiones, et separata ministeria habeant, et ut cura rei annonariae non nisi per annonae Praefecti apparitores expediatur, cum Imperatori semper odiosae sint confusiones officiorum; Praefectus igitur annonae per suos, non alienos apparitores canonem frumentarium, quem exigere solet, debet exigere, et nisi probaverit, se in exigendo debitam diligentiam adhibuisse, una cum suis apparitoribus obnoxius habetur, per *legem* 2. *h. t.* Et colligitur ex *l.* 1. Eum, qui habet jurisdi- 3
ctionem generalem, ut Praefectus urbis non habere tamen cognitionem in iis rebus, quae specialiter alterius curae attributae sunt; et ex *l.* 2. Colligunt: Ex negligentia ministrorum et 4
apparitorum praesumi negligentiam judicis.

TITULUS LX.

De diversis officiis et apparitoribus Judicum et probatoriis eorum.

SUMMARIA

Generalia quaedam circa omnes apparitores notanda, et quaenam? num. 1.
Semel ab aliquo officio sive honeste, sive ob causam, sive inhoneste dimissus, ad aliud sine Principis rescripto aspirare non debet. 2. 3.
Praefecti Praetorio, ob publica negotia vel etiam privata suos apparitores in hanc vel illam provinciam mittentis, ut et ipsorum apparitorum poena. 4.
Legis *ratio.* 5.
Si quis focum et ignem alicubi habet, laremque constituit, ex animo ibi habitandi, domicilium transferre praesumitur. 6.
Paupertas a militia vel officio aliquo neminem excludit. 7.
An pauper a tutela removeatur? 8.
Quinam sit pauper? 9.
Sensus l. 7. h. t. 10.
Quibus Princeps privilegia et honores conferre soleat? 11.
Apparitores ducum et limitanei cujus jurisdictioni subsint. 12.
Jurisdictio imo, et merum imperium praescriptione temporis acquiri possunt, cum sint a juribus Majestatis separata. 13.
Duo circa electionem ac receptionem apparitorum adhuc notanda. 14.
Advocati verae ac catholicae religioni sint addicti. 15.

1 Subjiciuntur hic quaedam generalia, quae non ad hoc aut illud apparitorum genus, sed ad omnes apparitores in genere pertinent: Nam 1. Qualiscunque sit apparitor, qui chartis ac rationibus reddendis est obnoxius, ad praeposituram Castri et militum adspirare non debet, et si fiat de facto, retrahendus est ad rationes reddendas, et a magistro militum eligendus est Praepositus, per *l.* 1. Est et illud in *l.* 2. prohibitum, ne ille, qui a militia, vel munere aliquo, ob causam honestam vel inhonestam remotus est, idem repetat sacramentum, seu eidem officio nomen suum det, sine speciali rescripto Imperatoris, quod tamen ex certa scientia emanare, nec subreptionis et obreptionis vitio laborare debuit, non enim temere recipiendi,
2 qui semel legitime depositi. Unde colligit ex *Bald. Christ. dec.* 166. *num.* 4. semel dimissum ab aliquo officio sive honeste, sive ob causam, sive inhoneste, ad aliud sine rescripto Principis adspirare non debere. Sed hoc cum grano salis accipiendum, ut dictum ad *l.* 11. *supr. de cohort.* merito autem conjungenda *l.* 5. *h. t.* ubi
3 habetur: Eum, qui ob culpam remotus est, non tantum ad officium illud, a quo remotus est, sed et ad aliam militiam adspirare non posse, cum leges male de eo praesumant, qui semel officio
4 publico indignus judicatus sit. Cum autem Praefecti Praetorio aliique solerent ob publica negotia vel etiam privata suos apparitores et officiales in hanc vel illam mittere provinciam, ideo salubriter dispositum in *l.* 3. ne Praefectus Praetorio aliusve in potestate superiore constitutus apparitorem suum in eam provinciam mittat expediendi negotii causa, publici vel privati, cujus ob nativitatem sive ratione originis municipes sint, vel ratione domicilii accidentalis incolae, et punitur hic ipse Primiserinius, qui procul dubio secretarii munus in officio Praefectiano gessit; punitur et ipse, qui mitti se patitur in provinciam nativitatis suae aut domicilii, et quod primo de Praefectianis, id est, Praefecti Praetorio apparitoribus in specie dictum, postea ad alios etiam officiales extenditur in *part.* 2. *l.* 3. ratio autem *legis* est; 5
quia praesumptio est contra ablegatum, quod in ea provincia, ex qua oriundus est, vel in qua larem constituit, multa sit per gratiam facturus. Unde et cum sacrilegio petitio officii istius conjuncta est, *l. fin. C. de sacrileg.* nisi speciali beneficio in provincia sua alicui assidere concessum, *l.* 38. *pr. ff. ex quibus caus. maj.* Unde ex *hac l.* 2. Colligit *Carpzov. lib.* 2. *resp.* 21. *num.* 21. *et lib.* 6. *resp.* 38. *num.* 8. ex 6
animo alicubi habitandi praesumi transferri domicilium, si quis ibi focum et ignem habeat, laremque constituerit. Conf. *Menoch. lib.* 2. *A. Q. cas.* 86. de quo alibi plura. Paupertas sane 7
a militia vel officio aliquo neminem excludit, *l.* 4. *h. t.* sicut nec a tutela pauper invitus re- 8
movetur ob §. *fin.* et ibi *DD. de susp. tut.* licet pauper volens se excusare possit a tutela, §. *sed propter paupertatem* 6. *Instit. de excus. tut.* si paupertas ad gerendum officium vel tutelam ipsum inidoneum reddat. Quis autem pauper 9
sit, arbitrio judicis committitur, *Menoch. lib.* 2. *A. Q. cas.* 65. *Mascard. concl.* 1159. *num.* 8. *et concl.* 433. *num.* 12. *et concl.* 505. *num.* 14. quod autem de apparitore sine sacra probatoria non recipiendo dictum in *l.* 2. *supr. de cohortal.* id in *l.* 6. *h. t.* repetitur, et additur sanctio poenae, et quod ab eo apparitore gesta alias sint irrita futura. In *l.* 7. *h. t.* omnibus in 10
militia constitutis potestas fit, ea finita ad aliam splendidiorem ac superiorem aspirandi, modo laudabiliter ac continuo sollicitoque labore minus compleverint officium, non vero si majus expetant, causa lucri vel delicti antea commissi occultandi, et exigit hoc justitiae distributivae ratio, ne iis, qui in minoribus officiis laudabiliter se gesserunt, aditus ad majores honores claudatur. Colligitur ex *l.* 7. Regula: Qui- 11
bus Princeps privilegia et honores conferre soleat, scilicet qui honores et privilegia suae virtuti debita modeste ambierint, non vero iis, qui studio exercendae cupiditatis, aut spe impunitatis delictorum eadem ambierint, *Georg. Acac. Enenck. de privil. lib.* 1. *cap.* 6. *num.* 27. *Lex* 8. agit de jurisdictione, et quaerit: De ap- 12
paritoribus ducum, nec non limitaneis, id est, militibus limiti deputatis, ut et castrorum prae-

positis, *cujus jurisdictioni subsint?* Et resp. eos subesse jurisdictioni magistri officiorum, exceptis nonnullis in Oriente locis, ubi subsunt magistro militum ex longa consuetudine et prae-
13 scriptione; Ex qua *leg.* 8. colligunt *DD.* jurisdictionem, imo etiam merum imperium praescriptione temporis acquiri posse, cum sint a juribus majestatis separata, *Fachin. lib.* 8. *cap.* 23. *Percz. ad tit. Cod. lib.* 7. *ne rei dominicae vel templorum vindicatio etc. num.* 3. *Christin. lib.* 5. *dec.* 167. *num.* 6. Conferantur dicta
14 *in l. fin. supr. de re milit.* Duo adhuc circa electionem ac receptionem apparitorum proponuntur in *legg. duabus ult. h. t.* I. Quidem, ut apparitor alius esse non possit, nisi sit catholicae ac verae religioni addictus, in *l. pen. h. t.* quod de advocatis etiam statutum in *l. fin.* 15
C. de postulando, ex qua etiam probatur jus probandorum militum etiam togatae militiae addictorum ad solum spectare Principem, *Klock. de contribut. cap.* 3. *num.* 266. Sed hac in re consuetudines attendendae. Alterum est, ut sacra probatoria non in exemplo sed in authentico offeratur, et ratio annectitur in *l. pen.* ut nullus his dolus vel fraus possit annecti, quod exemplis declaratur prolixe in *l. fin.* et excipiuntur nonnulla officia, ac transgressoribus poenarum fit comminatio.

TITULUS LXI.

De executoribus et exactoribus.

SUMMARIA

Quaenam executori publicarum pecuniarum sint observanda? num. 1.
Poena. 2.
Nemo duobus officiis fungi potest. 3.
Limitatur. 4.
Executio debet fieri contra debitorem ipsum, non alium. 5.
Objectio diluitur. 6.
Forma faciendae executionis. 7. 11.
Ratio. 8.
Executor missus vel nuncius ad subditum sub alterius jurisdictione consistentem ablegatus executoris munere fungi nequit, sed magistratum illius loci adire debet. 9.
Aliud in executione seu insinuatione citationis. 10.
Ad contraria executionis quaenam pertineant? 12. 16.
Quid si executor metas sui mandati transilierit? 13.
An et quatenus provincialis executori violenter agenti resistere possit? 14. 15.
Extensio legis 3. *ad alium casum.* 17.
Capita reddendarum rationum ab exactoribus pecuniarum publicarum. 18.

1 Executori, cui exactio publicarum pecuniarum injuncta, haec observanda: 1. Ut una vice non plures simul expediendas suscipiat causas, sed vel duarum tantum causarum expeditionem suscipiat, vel si unam tantum causam gerendam susceperit, non debet ante aliam suscipere, quam prioris rationem reddiderit, per
2 *l.* 6. *h. t.* ubi in fine additur sanctio poenae; cujus rei causa procul dubio fuit, ne pluribus negotiis districtus, singula negligentius expediret vel negotia etiam separata confunderet.
3 Colligunt ex *hac lege:* Licet nemo duobus of-
4 ficiis fungi possit, de quo supra, id tamen in casu necessitatis non habere locum, ubi tamen plura quam duo gerere non debet, *Christin. dec.* 168. *num.* 15. Sed haec pessime negligun-
5 tur: 2. Executio debet fieri contra debitores, non alium, nemo enim pro alio executiendus, *l.* 4. *h. t.* qua de re *supr. in l. un. tit. ut nullus ex vicaneis pro alienis vicaneorum debitis teneatur*, et manifesta hoc exigit justitiae ratio; Nec obstat *l.* 5. *supr. de Fabricens.* quia ibi ex 6
unius persona caeteri lucrum sentiunt, ergo et damnum, juxta regulam in *l. secundum naturam ff. de R. J.* Ad formam executionis fa- 7
ciendae spectat, quod debeat praecise terminos mandati praescripti observare, alioquin impune ei non paretur, *l.* 5. *h. t.* neque executores ipsis provincialibus insistere debent ob metum violentiae et concussionis, sed insistere debent Praesidibus atque ordinariis judicibus, et ab his exigendi provinciales, per *l.* 1. *h. t.* cujus 8
ratio supra proposita in *l. missi* 7. nec non *l. praeced.* 6. *de exactor. tribut. et l.* 2. *supr. de canon. largit. titul.* Unde colligitur: Executorem 9
missum vel nuncium ad subditum sub alterius jurisdictione consistentem ablegatum, non posse executoris munere fungi, sed adire debere magistratum illius loci, *Christin. dec.* 168. *n.* 4. quod in executione ob debita absolute et sine distinctione intelligo; sed in executione vel in- 10
sinuatione citationis scio *Doctores* distinguere; utrum judices ambo sint sub uno Principe v. gr. Praesides; et tunc non esse opus imploratione alterius judicis, et sic intelligo *Gail. lib.* 1. *obs.* 56. *in fin.* si vero alter propriam jurisdictionem saltem titulo vasalli habeat, hoc non admitto cum *Jason. in l. fin. ff. de jurisdict. num.* 24. Pertinet hoc etiam ad formam, 11
quod si in diversis causis sint executores, quod hi sibi invicem operam succedaneam commodare, et alter alteri assistere non debeat; adjungitur in *l.* 2. *h. t.* ratio: ne agant cuncti quod singulis credebatur; nam quod multi communiter gerunt, negligentius plerumque expeditur. Ad contraria pertinet, si executor metas 12
sui mandati transilierit, nam tunc non tantum 13
ei non parendum est, juxta *l.* 5. sed si aliquid contra, quam ei mandatum est, exigat, manu injecta a Judice ordinario seu Praeside provinciae sub persecutione duci et ad Praefectum Praetorio transmitti potest, et provincialis, si 14
sine mandato fuerit vexatus, licet probetur obnoxius, impune tamen resistit, per *d. l.* 5. *ut et l.* 5. *supr. de jure Fisci, et l.* 5. *supr. de metatis*, quae tamen *omnes leges* ac similes ita intelligendae, ut resistentia fiat salvo modera-

mine *inculpatae tutelae*, ne inferatur ei vis vel
alia injuria, *Ant. Fab. in Cod. lib.* 2. *tit.* 2.
15 *def.* 9. *num.* 10. Et sane non suaderem violen-
tam resistentiam, nisi exactor exequatur extra
territorium, vel non ostendat literas suae com-
missionis, vel non gerat solita insignia, vel nisi
periculum sit in mora, et damnum immineat
irreparabile, ut ex *Chassanaeo et Sigis. Scaccia*
lib. 2. *de judic. cap.* 46. tradit *Klock. de contr.*
16 *cap.* 18. *num.* 51. Est et contrarium hoc exe-
cutoris muneri, et si diutius anno in hac com-
missione perduret, praesumitur in executore
animus depraedandi, *l.* 3. *h. t.* Itaque intra
annum redire debet executor, et renunciare
judici a quo missus est, quid exegerit, quid
sit in reliquis, quinam sint reliquatores, et
quorum culpa reliqua manserit. Additur 1. in
d. l. 3. poena eorum, qui ultra annum in offi-
cio commisso perdurant; Et extenditur 2. *haec* 17
lex etiam ad eum casum, si apparitor missus,
novam sibi commissionem datam esse dicat,
nam nec novum mandatum ipsi accipere lice-
bit, nisi de prius gestis reddiderit rationem, et
ex *hac l.* 3. Collig. I. Capita rationum redden- 18
darum ab exactoribus pecuniarum publicarum,
scilicet quid 1. ejus instantia exactum fuerit:
2. Quid in debitis adhuc habeatur: 3. Penes quos
resederit: 4. Cujus culpa: 5. Ex qua causa in
ea provincia fuerit derelictum: de quo *Escobar.*
de ration. cap. 10. *num.* 47. *et seqq.* et alias
passim. II. Continuationes, ut honorum, ita
etiam munerum extraordinariorum esse prohi-
bitas, *l.* 1. *et* 2. *supr. de muner. d. l. missi* 7.
supr. de exact. tribut.

TITULUS LXII.

De lucris Advocatorum et concussionibus officiorum seu apparitorum.

SUMMARIA

Apparitoribus, et praecipue Principibus agentium in rebus, nec non exactoribus vectigalium, ut et advocatis Fisci privatos vexare, et ipsis aliquid per calumniam extorquere, prohibetur. num. 1.
Ratio. 2.
Exemplo declaratur. 3.
Poena secus facientium. 4. 5.
Concussio et violentia omnem adimit fori praerogativam et judici ordinario jurisdictionem tribuit. 6.
Excipiuntur magistratus majores merum et mixtum imperium habentes. 7.

1 Solebant apparitores, et praecipue Principes
agentium in rebus, nec non exactores vectiga-
lium, qui vel a numero eorum, quibus praee-
rant, vel a summa vectigalis, ducenarii ac cente-
narii dicebantur, ut et advocati Fisci, saepe ve-
xare privatos, et per calumniam ipsis aliquid ex-
2 torquere, quod *hoc titulo* prohibetur, ne scilicet
istiusmodi officiales praeter solemnes et cano-
nicas pensitationes id est, ordinaria munera ali-
quid exigant in civitatibus vel mansionibus, id
est, diversoriis a singulis provincialibus, per
l. 2. *h. t.* imo nec ab integris corporibus et
collegiis, v. gr. Naviculariorum in *l. fin. h. t.*
Hoc declaratur exemplo in *l.* 2. et non debent 3
agentes in rebus vel istiusmodi homines pabula
gratis exigere pro animalibus suis: quod si de 4
facto tentent, vel alias provinciales laedant, ac
Fisci nomine calumnias commovere audeant
contra *l.* 3. *C. de advoc. Fisci*, provinciales non
tantum a judice cujusvis loci ordinario sunt
defendendi, per *l.* 2. *h. t.* sed compulsor seu 5
executor licet a Principe in provinciam sit mis-
sus, si tamen aliquem depraedatus sit, id est,
per calumniam quid extorserit, a judice ordi-
nario loci illius, etiam non consulto Principe
puniri potest juxta *l.* 3. *h. t.* qui judex a laeso
adiri juxta *l.* 1. et ab eo crimen competenti
severitate vindicandum. Exinde colligitur: con- 6
cussionem et violentiam omnem adimere fori
praerogativam, et tribuere judici ordinario ju-
risdictionem, quod tamen in Magistratibus ma- 7
joribus merum et mixtum Imperium habentibus
exceptionem habet, *l.* 2. *ff. de in jus voc. l. pars*
literarum 48. *ff. de judic.*

TITULUS LXIII.

De primipilo.

SUMMARIA

Primipili definitio. num. 1.
Hujus privilegia. 2. 6. 7.
Quod in commune omnibus prodest, nonnullorum utilitati est praeponendum. 3.
Exemplis declaratur. 4. 5.
Omne salarium et pensio in fine anni solvenda est. 8.
Idem in contractibus. 9.
Haeredes officialium totius anni salarium percipiunt. 10.
Primipilaribus creditoribus indulgendum non est, ut debitor coram primipili judice respondere cogatur. 11.

Primipilum, quamvis diversas ea de re sen- 1
tentias esse non ignorem, *supr. d. tit. de cohor-*
tal. definimus cum *Cujac. et Donell.* eum, qui
militari annonae praepositus est, cujus cura et
administratio omnibus rebus potior et antiquior
esse debet, ideoque multa habet singularia,
v. gr. quamvis per *l. assiduis C. qui pot. in* 2

pign. dos omnibus hypothecariis praeferatur, id tamen in debitis primipilaribus, scilicet si quis primipili officium gessit, ac ex causa primipilari, et ob annonam Fisco debeat, exceptionem habet, nam hoc debitum doti praefertur, per *l. pen. h. t.* scilicet si universa debitoris, ut et nominatorum ejus, qui eum ad officium hoc nominarunt, bona prius fuerint excussa, per *l. satis* 4. *C. in quib. caus. pign. tac. contrah.* Sic ergo hoc casu uxoris res dotales obligatae pro marito ex causa primipilaris administrationis, cujus ratio utilitas publica. Vid. *Franc. Munnoz de Escobar. de ratioc. c.* 39. *num.* 9. *et seq.* Sed in aliis rebus paraphernalibus alia ratio, *l.* 1. *supr. de privil. Fisc. Petr. Barb. in l.* 1. *p.* 7. *num.* 4. *ff. sol. matrim.* et
3 ex *hac l. pen.* notandum: Quod in commune omnibus prodest nonnullorum utilitati esse proponendum, *Klock. vol.* 1. *cons.* 28. *num.* 288. *et de contr. c.* 12. *num.* 213. *Besold. cons.* 277.
4 *num.* 38. et cum dotis etiam causa utilitatem publicam concernat, sequitur, utilitatem publicam suos habere gradus, *Barb. d. l.* sic licet
5 donatio a marito in uxorem facta morte confirmetur, si tamen maritus primipilare debitum Fisco debeat, eatenus etiam donatio illa, licet morte confirmata, retractatur, ut Fisco satisfieri possit, *l.* 15. *C. de donat. inter vir. et ux.*
6 Sunt et alia hujus debiti primipilaris privilegia, v. gr. quod si pater ex primipilari administratione Fisco quid debeat, quod liberi ejus ad id debitum solvendum obligentur, licet haeredes non sint, *l. fin. h. t. et l.* 11. *C. de compensat.* quod tamen in consequentiam trahi vetat *d. l. fin.* nam casus speciales in consequentiam trahendi non sunt. Est et hic casus specialis: Quod 7
debitum primipilare etiam ante tempus exigi possit, *l.* 1. *C. de condict. ex lege.* Sed commodum primipili, seu salaria primipili ei non debentur, nisi finito officio seu anno, licet si administrator decedat nondum finito anno, id transmittat ad suum haeredem, per *l.* 1. *h. t.*
Unde colligitur: Omne salarium, nec non pensionem in fine anni solvendam esse, per *d. l.* 8
et l. defuncta 58. *ff. de usufr.* Idem in contracti- 9
bus, *l. qui hoc anno* 42. *ff. de V. O.* Colligitur 10
etiam, haeredes officialium totius anni salarium percipere, *hic et l.* 1. §. 113. *de extraordin. cognit. l.* 1. *supr. de prox. sacr. scrin. l. fin. supr. de domest. et protect. l.* 15. §. 1. *C. de advoc. div. judic. l. pen. in fin. supr. de erog. milit. ann. l.* 4. *ff. de off. assess.* Hoc tamen non 11
est primipilaribus debitoribus indulgendum, ut reus seu debitor coram primipili judice respondere cogatur, *l.* 2. *h. t.* nam cum actor rei judicem sequi teneatur, nec hic *leges* exceptionem primipilo concedant, neque nostrum est speciale quid fingere. Quod tamen de primipilari credito hic dicitur, non ad omne debitum fiscale extendendum, nam creditum dotale magis reperitur privilegiatum, quam creditum fiscale, sed primipilare creditum specialiter privilegiatum, *Petr. Barb. ad l.* 1. *p.* 2. *num.* 21. *et* 23. *ff. soluto matrim.*

TITULUS LXIV.

Publicae laetitiae vel Consulum nunciatores, vel insinuatores constitutionum et aliarum sacrarum, vel judicialium literarum, ex descriptione, vel ab invitis ne quid accipiant immodicum.

L. Quicquid. un.

SUMMARIA

Nuncii Principis prospera nunciantes modico praemio contenti esse debent. num. 1.
Poena illorum, qui majora offerunt praemia, et item qui ea recipiunt. 2.
Officiales punire dissimulantes, acriter ipsi puniuntur. 3.
Ea quae legatis dantur ab ipsis retineri possunt. 4.
Praesertim si sint modica. 5.

1 Nuncii Principis, si prospera provinciis ac populis nuncient, v. gr. si nuncient, gentem aliquam esse devictam ac subjugatam, vel insigni clade mulctatos esse hostes Imperii, vel pacem esse compositam, vel si novo anno novorum Consulum nomina nuncientur vel si Princeps ipse nuncietur adventare et similia; tales nuncii modico praemio esse contenti, nec magna capere praemia debent, etiam a sponte offerentibus, poena infamiae et publicationis 2
bonorum ipsis recipientibus vel cogentibus, 30. lib. auri judicibus contra facientes punire dissimulantibus imminente. Unde Colligitur:
I. Officiales dissimulantes punire, acriter puniri ipsos, *Christin. dec.* 172. *num.* 6. *vol.* 5. 3
Farinac. qu. 111. *num.* 411. II. Ea quae lega- 4
tis dantur, ab ipsis retineri posse, praesertim si modica sint, qua de re tamen videatur 5
Wesenb. in tit. de legationibus in fin. Cavall. in speculo q. 35. *et Menoch. lib.* 3. *praesumpt.* 27.

FINIS EXPLICATIONIS CODICIS

SOLI DEO GLORIA

INDEX

COPIOSISSIMUS PRAECIPUARUM

MATERIARUM IN HOC COMMENTARIO CODICIS CONTENTARUM

Numerus Romanus I. et II. Tomum; A. et B. Columnam; Prior Numerus Arabicus Paginam; Secundus Legem; Tertius Summarium designant.

A

INDEX RERUM ET VERBORUM

B

C

DONATIO INOFFICIOSA

DONATIO INTER VIRUM ET UXOREM

DONATIO PROPTER NUPTIAS

EXEMPLUM

EXEMPLUM (COPEY)

EXEMPTIO

EXERCITOR

EXHAEREDATIO

EXHIBITIO, EXHIBERE

EXILIUM, EXUL

EXPENSAE

EXPENSAE FUNEBRES

EXPENSAE LITIS

EXPILATAE HAEREDITATIS CRIMEN

EXPORTATIO

FIDEICOMMISSUM

FIDEJUSSOR, FIDEJUSSIO

FIDEJUSSORES TUTORUM

FIDES

FILIA

FILIUS, FILIATIO, FILIUSFAMILIAS

FINES, FINIUM REGUNDORUM ACTIO

FISCUS, FISCALE

H

JUDEX, JUDICATUM

LEGATUM AD PIAS CAUSAS

LEGITIMA QUARTA

LEGITIMATIO

LENOCINIUM, LENO

LEX

Lex Civitas. ff. si certum petatur

LEX AQUILIA

M

MELIORAMENTUM

MENDACIUM

MENDICUS, MENDICARE

MENSIS

MENSOR, MENSURA

MERCATOR, MERCATURA

MERETRIX

MERITUM

METALLARIUS

METALLUM

METATA

METAXA

METOECI

METUS, ACTIO QUOD METUS

MILES, MILITIA

P

PACTUM

PAGANUS, ETHNICUS

PALATINUS

PALATIUM

PALATIUM PRINCIPIS

PARABOLANUS

PARAGAUDAE

PARANGARIA

PARAPHERNALIA

PARENTES

PROBATIO

SENATOR, SENATUS

SENEX, SENIORES

SENSUS

SENTENTIA

SEPARATIO

SEPULCHRUM, SEPULTURA, MONUMENTUM, CORPORA SEPULTA

TRIDENTINUM CONCILIUM

TURPITUDO

TUTOR

USUSFRUCTUS, USUFRUCTUARIUS

USUS

UTILITAS

UXOR

V

VACATIO

VACANTIA BONA

VASA ECCLESIAE

VASALLUS

VECTIGAL

VENATIO

VENDITIO

MONITUM

Opus hoc satis elaboratum perfectumque, nonnullis tamen furtim ac raptim maculatur erroribus, qui ab Auctore Protestante asserti tantum, non argumento ullo firmati videntur. Haud operae pretium visum est illos confutare; adeo enim vulgati errores sunt, ut in quibusvis alicujus nominis Theologis discussi inveniantur.